




UCL LIBRARY



Per: Super: ad Usum
Fratris Norberti Mariae Wylie
Ord: Praed:
July 6. 1903.

PRÆLECTIONES
JURIS CANONICI

QUAS

JUXTA ORDINEM DECRETALIUM GREGORII IX.

TRADEBAT

IN SCHOLIS PONT. SEMINARII ROMANI

FRANCISCUS SANTI
PROFESSOR.

EDITIO TERTIA EMENDATA ET RECENTISSIMIS DECRETIS ACCOMMODATA

CURA

MARTINI LEITNER,
DR. JUR. CAN.
VICERECTORIS IN SEMINARIO CLERICORUM RATISBON.

LIBER I.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATI.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.
MDCCCXCVIII.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 31. Augusti 1897.

Dr. **Fr. X. Leitner,**
Vic. in Spir. Gen.

Testimonium

amplissimi Præsulis et Professoris Felicis Cavagnis.

Cum attente perlegerim *Prælectiones Juris Canonici secundum ordinem Decretalium,* quas in scholis Pont. Seminarii Romani habuit Illustrissimus ac Reverendissimus Præsul D. D. Franciscus Santi, in Romana Curia Advocatus, S. Pœnitentiariæ Officialis Major etc., eas non modo doctrina irreprehensibiles, verum etiam plurimum utiles, si in publicum edantur, Juris Canonici studio ac Foro Ecclesiastico operam dantibus judico

In quorum fidem

Romæ, die 16. Junii 1884.

Can. Felix Cavagnis J. U. D.,
in Scholis Pont. Seminarii Romani Textus Canonici Professor.

Testimonium

Eminentissimi Cardinalis Lucidi Mariæ Parocchi almæ Urbis Vicarii.

Romæ, XIV. Novembris 1884.

Professoris Felicis Cavagnis declarationem omnino veritati congruere, et doctissimi Viri auctoritas, et Nostra comprobat experientia, quod Auctorem in Pontificio Athæneo sacros canones explicantem jucundissime audivimus.

Proinde, ut opus superius memoratum typis edatur, ad Nos quod pertinet, libentissime annuimus, rati, maximas Juris Canonici studiosis utilitates ex operis ejusmodi publicatione obventuras.

L. M. Card. Vicarius.

Monitum Auctoris.


meis discipulis sæpius rogatus, nec non plurium virorum doctorum consilio permotus typis vulgare institui Juris Canonici lectiones, quas docendi munere fungens elucubravi. Verum, dum voluntati illorum obsequendum duxi, vehementer timeo, ne opus ipsum eorum votis satisfaciat. Siquidem variis occupationibus distentus non potui meam, uti optabam, impendere operam, ut res in meliori disponerentur ordine, cultiori efferrentur stilo, et implexæ theoriæ, quæ in re canonica occurrunt, clarius evolverentur atque explanarentur. Meum quidem in lectionibus conscribendis consilium fuit, ut non solum doctrinæ sinceritati consulerem, sed etiam rerum perspicuitati prospicerem, atque ita discipulis meis viam sternerem, qua juris canonici elementa addiscentes, ad ejusdem juris altiora et ampliora studia idonei redderentur. Utrum quod mihi propositum fuit attigerim, videat benignus lector; mihi autem satis erit, si hoc qualecumque opus aliquam utilitatem clericis juris ecclesiastici cultoribus afferat, atque ex eo documentum habeatur peculiaris benevolentiæ, qua studiosam juventutem, cui excolendæ operam dedi, sum jugiter prosecutus.

Præfatio Editoris
ad tertiam editionem.

larissimus Professor *Franciscus Santi* cessit quidem e vita d. 8. Aug. 1885, sed in opere suo cui titulus «Prælectiones Juris Canonici» adhuc inter nos versatur. Hoc opus jam anno 1892 *denuo* est editum, quoad textum non mutatum, mendis tantummodo purgatum. Utilissimo hoc libro multi instruebantur discipuli, multi eidem conciliabantur amici; inter hos et illos numerari gloriatur editor hujus tertiæ editionis.

Mutationum quæ in hac editione reperiuntur, scopus est triplex:

1.us ut *decreta Sedis Apostolicæ recentissima* recipiantur et iisdem decretis materia hujus Commentarii accommodetur meliusque disponatur;

2.us ut *modus citandi* locos, uti canones, capita etc., *uniformior* adhibeatur; sic ad titulos Corporis Juris *Canonici* verbis expressos adjungebatur *numerus* et libri et tituli, e. gr. c. «Ubi periculum» 3. *De Electione* (I. 6) in 6.^{0};

3.us ut *corrigenda* quam diligentissime corrigantur.

Nunc typis impressum editur *primum* volumen, continens prælectiones in librum I. et II. Decret. Gregorii IX., altero volumine quo libri III.^{us}, IV.^{us} V.^{us}que eorumdem Decretalium commentariis exornantur brevi secuturo.

Ut antiquis conservatis amicis liber — mutata paululum facie — acquirat novos, Deus bene vertat!



PRÆLECTIONES
JURIS CANONICI.



LIBER I.

Decretalium Gregorii IX.

Liber I.

Prolegomena.

1. Quoniam Ecclesia Christi seu Societas perfecta in ordine suo, propria gaudet auctoritate, hinc proprias leges ferre, propriumque jus statuere potest, et revera jus suum condidit, quod canonicum dicitur. Hujus canonici juris expositionem aggredientes illud definimus 'Jus ex regulis ecclesiasticis conflatum ad christianam vitam pro vario fidelium gradu et qualitate rite informandam, et ad rectam justitiæ administrationem in populo christiano servandam'. Definitio hujusmodi complectitur jus canonicum *proprie* dictum, illud nempe quod Ecclesia autoritate sua constituit.

2. Ecclesia autem, prout videre est in collectione canonum, plures sententias ex S. Scriptura depromptas fecit suas, et nonnullas leges a Deo latas humana sanctione communivit. Quare jus canonicum *lato* sensu sumptum comprehendit tum jus ab Ecclesia conditum et constitutum, tum jus constitutum a Deo, et ab Ecclesia fidelibus propositum.

3. Porro jus canonicum proprie dictum aliud est *scriptum,* aliud populi *moribus* introductum. Nos præcipue de juris scripti interpretatione agimus: quod cum pro vario principio auctoritatis a qua dimanat distinguatur in *universale* et in *particulare,* nos de universali tractationem suscipimus, illudque præcipue exponimus, quod in corpore juris exhibetur.

4. Corpus autem juris canonici tribus voluminibus constat. Primum volumen *Gratiani Decretum* inscribitur, secundum *Decretales Greg. IX.*, in tertio autem volumine continentur: Liber sextus decretalium Bonifacii VIII. et Constitutiones Clementinæ nec non extravagantes Joan. XXII. et extravagantes communes.

5. De auctoritate singulorum voluminum. — Decretum Gratiani nihil aliud est nisi opus a Gratiano monacho Ord. S. Bened. confectum, quod appellavit *concordantiam discordantium canonum.* Componitur autem ex variis S. Scripturæ testimoniis, ex Conciliorum decretis, ex constitutionibus et decretalibus Romanorum Pontificum, ex pluribus sententiis Ss. Patrum, et ex selectis etiam legibus civilibus.

6. Hoc opus magnam assecutum est auctoritatem ab ipso sui initio. Quæstio a Doctoribus instituitur utrum haberi possit ceu opus juridice authenticum, id est utrum vim habeat obligandi in universa Ecclesia. Alicujus sunt ponderis argumenta quæ pro affirmativa sententia militant. Nam 1°. in scholis et in foro fuit receptum, ejusque canones ab ipsis Summis Pontificibus aliquando allegantur. 2°. Emendatum accuratissime fuit auctoritate Summorum Pontificum, et emendationem probavit Greg. XIII. qui præterea in privilegio concesso die 1. Julii 1580 hoc opus aliis libris juris adjunxit simulque appellavit '*jus canonicum*'.

7. At contrarium tenendum est. Nam privata auctoritate Gratianus canones collegit et volumen a se confectum vulgavit, nec ulla edita est constitutio legislatoris supremi in Ecclesia quæ librum illum authenticum reddiderit eumque ceu legum codicem ab omnibus haberi jusserit. Tota ergo auctoritas canonum Gratiani intrinseca est, idest revocanda est ad primitivam eorum conditionem, tantique faciendi sunt canones in Decreto quanti valuissent per se, etsi in collectione Gratiani non fuissent. Et hoc sub sensu recipiuntur in scholis et in foro, atque ab ipsis Romanis Pontificibus allegantur. Notandum vero est quosdam canones Gratiani ex consuetudine obtinuisse in Ecclesia vim legis. Gregorius XIII. vero probavit tantummodo emendationem operis, non vero opus ipsum authenticum reddidit. Probatio enim Gregorii eo dirigitur 'ut (sunt verba Pontificis) quæ emendata et reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur aut imminuatur'. Unde Gregorius non fecit suum Decretum Gratiani. Hoc autem volumen ab eodem Gregorio appellatum est jus cano-

nicum et corpori juris accensitum est, non quod omnia quæ in ipso continentur vim legis habeant; sed eo quod plurimi ecclesiastici canones in eo exhibentur, qui saltem ex consuetudine disciplinam Ecclesiæ referunt; sub quo sensu etiam nos inter partes corporis juris illud referimus.

8. Secundum volumen juris canonici venit sub nomine *Decretalium Gregorii IX.* non quatenus solas epistolas decretales hujus Pontificis complectatur; sed ideo hoc volumen Gregorio IX. inscribitur, quia ejus jussu a B. Raimundo de Peñafort decretales epistolæ Romanorum Pontificum, Conciliorum decreta et Ss. Patrum sententiæ collectæ sunt in unum volumen; quod volumen divisum est in quinque libros; quisque liber in titulos, quisque titulus in capita dispescitur. Hoc volumen Gregorius IX. suum fecit, voluitque normas et principia in eo descripta servanda esse in scholis et in judiciis, id est vim legis habere, prout patet ex constitutione Bononiam missa, quæ collectioni Decretalium præmittitur, quæque incipit 'Rex Pacificus'. Quare dubitari nequit de authenticitate hujus voluminis.

9. Idem dicendum de libro, qui *sextus* Liber Decretalium inscribitur et in 3°. volumine Juris Canonici continetur. Bonifacius enim VIII. qui illum confici jussit ac in titulos et libros ad normam codicis Gregoriani redigi voluit, eundem pontificia auctoritate communivit, legisque valore donavit.

10. Collectio etiam Constitutionum *Clementis V.*, quæ in eodem 3°. volumine referuntur, legis vim obtinet; probata enim est a Joanne XXII. eodem modo quo probatæ fuerant Decretales Gregorii et Sextus Decretalium.

11. Tertium vero volumen complectitur etiam Constitutiones Joannis XXII. quæ *Extravagantes Joan. XXII.* appellantur, et Constitutiones quæ a pluribus Pontificibus editæ, *Extravagantes communes* dicuntur. Quæritur quænam sit harum constitutionum auctoritas. Profecto scimus eas fuisse in unum collectas auctoritate privata, nec inde pontificiam auctoritatem et sanctionem collectioni accessisse. Verumtamen eas esse genuinas patet tum ex nomine summi Pontificis cui unaquæque inscribitur, tum ex possessione tot sæculorum, ex quibus tam a Doctoribus quam ab ipsis successoribus Romanis Pontificibus, uti authenticæ habitæ semper sunt. Quare cum certum sit hasce constitutiones a Romanis pontificibus prodiisse, dicendum est easdem vim legis in Ecclesia obtinere.

12. Ad volumina secundum et tertium juris canonici sermonem restringentes animadvertimus plura in iisdem esse consideranda. Et 1°. quidem habentur Rubricæ quæ nihil aliud sunt quam superscriptiones titulorum, quæ generatim exprimunt materiam tituli, ex. gr. titulus *de Constitutione.* Jamvero superscriptiones istæ opus sunt B. Raimundi, easque Gregorius IX. opus integrum approbans, fecit suas. Ergo authenticæ sunt.

13. Distinguendum vero est inter rubricas generales, quæ propositionem determinatam non exprimunt, et speciales, quæ nempe sensum et perfectam orationem continent. Generalis rubrica est: *de Rescriptis, de decimis, primitiis et oblationibus, de Sponsalibus et Matrimoniis, de Simonia etc.* Specialis esset: *ut Ecclesiastica Beneficia sine deminutione conferantur* L. 3. t. 12. *ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant* L. 5. t. 4. Porro generalis rubrica ex sui natura nullam legem exhibet; non vero idem de speciali dicendum; nam cum sensum completum exprimat, idest propositionem præceptivam vel prohibentem complectatur, servanda est ut verba Legislatoris, et in foro optimo jure allegari potest.

14. In capitulis titulorum legitur superscriptio, id est communiter dicitur ex. gr. 'Innocentius III. vel Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo'. Hæc superscriptio proprie legem non continet; cum vero authentica sit, exhibet verbum Legislatoris; et quoniam præsumuntur omnia a Legislatore in suo codice in certa scientia et ordinata posita fuisse, solent auctores ex superscriptionibus argumentum inferre pro majore dignitate personarum vel cœtus vel sedis, si a Pontifice prius nominentur præ aliis. Hinc ex eo quod Cap. 23. — *De Appellation.* (II. 28) inscribatur 'Patriarchæ Gradensi et S. Vitalis Presbytero Cardinali' Doctores arguunt ex vi juris communis Patriarcham Gradensem fuisse præpositum dignitate Cardinalibus ex ordine Presbyterali. Idem Doctores cum glossa inferunt ex cap. 1. *De Decimis* (III. 13) in 6°. quod Fratres Prædicatores præferendi sint Fratribus Minoribus: inscribitur enim caput istud 'Fratribus Prædicatoribus et Minoribus'.

15. Præter Capitulorum superscriptiones dantur capitulorum ipsorum summaria. Præponuntur scilicet cuilibet capiti verba quædam nigris characteribus notata, quæ breviter referunt ea quæ in capite disponuntur. Porro summaria hæc non sunt primitior operis pars, sed pro addiscentium utilitate inde fuerunt adjuncta,

Abbatemque Panormitanum præsertim et Joannem Andream auctores habent. Cum ergo a Greg. IX. non fuerint probata, vim legis non obtinent, ac tanti facienda sunt quantum cum capite ipso concordant. Hinc non semel adnotatur in summa 'Hoc dicit secundum unum intellectum, hoc dicit secundum alterum intellectum'.

16. Pro juris cultorum utilitate factum etiam est, ut cuilibet capiti breve quoddam circumscriberetur commentarium, quod *glossa* dicitur. Commentarium hoc privata confectum est auctoritate, ac proinde vim legis non habet; illud autem suscipimus solummodo ceu sapientem privati doctoris sententiam, quæ proinde non parvi ponderis est. Unde in scholis et in foro citatur.

17. Tandem animadvertimus quandoque in capitibus afferri rationes et principia juris, quæ a partibus litigantibus Pontifici forsan proponebantur, quæque *partium allegationes* vel *pars exornativa rescripti pontificii* dicuntur. De hisce tenendum est non obtinere vim legis, a Pontifice enim referuntur pro rei claritate.

18. In jure canonico tradendo ipsum ordinem titulorum sequimur quem B. Raimundus servavit. Incipimus a primo libro qui *de personis* præsertim agit, quæ jurisdictionem in Ecclesia exercent. Materia autem quinque Librorum Decretalium sequenti versiculo indicari solet: 'Judex, judicium, clerus, connubia, crimen'.

TITULUS I.

De Summa Trinitate et Fide Catholica.

1. Cum Deus sit fons et principium omnis justitiæ, tum Justinianus Codicem, tum Gregorius IX. sacrorum canonum collectionem ab augustissima Trinitate jure meritoque auspicantur. Verum de Ss. Trinitatis mysterio nostrum hic agere non est; de eo enim ex instituto Theologi tractant.

2. Secunda pars rubricæ 'de fide catholica' inscribitur. Nomine *fidei* in hoc titulo non intelligitur virtus Theologica fidei, quæ in interioris animi assensu consistit, sed fides in titulo objective potius sumitur, ac collectionem articulorum credendorum, seu symbolum et formulam fidei significat, et relativam professionem.

3. Occasione hujus tituli Doctores canonicam quæstionem instituunt 'quinam teneantur publicam seu solemnem fidei professionem edere'. Omittimus professionem fidei quæ in susceptione baptismi, quæque ab hæreticis hominibus ad Ecclesiam redeuntibus,

et quæ ab Episcopo et Presbytero in sua consecratione pronunciatur; quæ fidei professiones vel in rituali vel in pontificali libro describuntur. Ad illam fidei professionem sermonem nostrum coarctamus, quæ a fidelibus sive clericis sive laicis emittitur ratione vel officii vel honoris suscepti in christiana republica.

4. Emittitur vero 1°. fidei professio publica a *Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis* in prima Synodo provinciali, quæ post eorum *promotionem* celebratur. Quod si id præstare renuerint, Episcopi comprovinciales ab eorum communione sese abstinere tenentur, simulque sub pœna divinæ indignationis debent de hac re certiorem reddere Rom. Pontificem. Conc. Trid. sess. 25. c. 2. *de ref.* et const. *Greg. XIV.* quæ incipit '*Quas Apostolicis*', 13. Mart. 1591. —

5. 2°. *Provisi* de *beneficiis curam* animarum adnexam habentibus, nec non de *canonicatibus* et *dignitatibus* Ecclesiæ *Cathedralis* intra bimestre a die captæ possessionis, absque prævia monitione, fidem solemniter profiteri tenentur. *Trid. sess. 24. c. 12. de Ref.* Provisi de beneficio curato hanc professionem emittunt coram Episcopo, vel eo impedito coram ejus Vicario; provisi autem de canonicatu vel de dignitate in Eccl. Cathed. eandem fidei professionem bis pronunciant 1°. coram Episcopo vel ejus Vicario, 2°. coram Capitulo. Sufficit autem unica fidei professio, si in Capitulo præsens adsit Episcopus vel ejus Vicarius. Id tenuit S. Cong. Conc. *in Cathac.* 25. Jan. et 9. Febr. 1726.

6. Notandum est Concilium loqui de canonicatibus vel dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium. Hinc Canonici ecclesiarum collegiatarum vel dignitates vi juris communis non tenentur edere fidei professionem. Ita sæpe respondit S. C. Concilii et in specie in *Avenionensi* an. 1576. lib. IV. Decretor. pag. 128. Tamen juxta leges generaliter in diœcesibus constitutas, et præsertim juxta decretum Concilii Romani an. 1825. Tit. 1. Cap. I. in Provincia Romana Ecclesiastica omnes obtinentes quodcumque beneficium ecclesiasticum etiam simplex tenentur publicam fidei professionem emittere.

7. Porro cum fidei professio collationem tituli beneficii comitatur et dirigatur ad roborandam ipsam provisionem, possessionem fructus et jura beneficii tanquam proprii idest plene collati clerico; hinc eam non tenentur emittere, qui vere et plene de beneficio provisi non sunt. Tales sunt coadjutores durante coadjutoria et vicarii temporarii.

8. Contra negligentes a Concilio infligitur pœna amissionis omnium fructuum beneficii ita ut iis possessio non suffragetur. Hæc pœna rite est intelligenda. Et primo quidem decretum Tridentini loquitur de fructibus Beneficii, non autem de quotidianis distributionibus, quas Clericus lucrari potest pro horis quibus Choro interest, licet professionem fidei non emiserit. Ita tenuit S. C. Conc. in *Cathacensi* diei 9. Feb. 1726, et legitur in l. 1. Decretor. pag. 65. Excipiunt tamen merito, nisi omnes fructus beneficii in distributionibus consistant. Ita Barbosa Jur. Eccl. Univ. lib. 1. c. 22. n. 74. ita Reiffenst. Proleg. in Jus Can. §. IX. num. 192. Nam in hac hypothesi distributiones tenent locum fructuum, et proinde subsunt dispositioni tridentinæ. Iterum 2⁰. cum tempus utile emittendæ professionis duobus mensibus præfiniatur, expleto jam ultimo horum mensium die pœna decurrere incipit, nec pro primo bimestri a capta possessione fructus amittuntur; quod resolutum fuit a. S. C. Conc. in causa *Tirasonen.* 11. Maj. 1782. Cæterum lapsus horum duorum mensium et pœna inde soluta non liberat provisum ab onere emittendi professionem; sed eam quamprimum emittere tenetur. Qua professione emissa, incipit facere fructus suos. Ex mente autem Conc. Tridentini alibi expressa, idest in sess. 22. *de ref.* c. 3. et in sess. 23. *de ref.* c. 1. §. «*Si quis autem*» fructus quos beneficiarius amittit ipso jure, etiam ante sententiam declaratoriam judicis, si de beneficio agatur quod habeat bona distincta, fabricæ Ecclesiæ vel alteri pio loco vel pauperibus arbitrio Ordinarii applicantur. Si vero beneficium ad massam communem Capituli pertineat, fructus hujusmodi massæ accrescunt.

9. Quæri potest quid valeant verba Tridentini 'possessio iis non suffragetur'. Hæc verba non excludunt jura quæ juxta regulas Cancellariæ possessor acquirit in relatione ad titulum et proprietatem beneficii, ita ut non emissa fidei professione, possit beneficio exspoliari; sed excludunt quodcumque jus circa fructuum perceptionem, ita ut quoadusque fidei professionem Clericus non emiserit, fructus percipere omnino prohibeatur, nec quoad fructus se tueri possit regula Cancellariæ de annali vel de triennali possessione. Regulæ hujusmodi sunt 35ª. de annali et 36ª. de triennali possessione.

10. 3⁰. Ex Const. Pii IV. diei 9. Decembris 1564. quæ incipit '*Injunctum nobis*' ad fidei professionem eliciendam tenentur illi omnes *prælati regulares*, qui Monasteriis, Conventibus, domibus et aliis quibuscumque locis ordinum regularium etiam militarium præ-

ficiuntur. Notant Doctores hanc Constitutionem non esse undequaque usu receptam.

11. 4°. Ex alia Const. Pii IV. «*In Sacrosancta*» edita idibus Novembris ejusdem anni 1564 fidem solemniter profiteri tenentur sub pœna privationis officii omnes *Doctores, Magistri* et cujuscumque artis vel facultatis *professores* tum laici tum clerici, qui in publicis Universitatibus vel Gymnasiis aut alibi lectiones habent, simulque illi qui ad *gradus* academicos promoventur, eandem debent professionem emittere.

12. 5°. Ex decreto conc. Romani superius cit°. in Provincia ecclesiastica romana professionem fidei emittere debent 1°. novus Vicarius generalis, Vicarii foranei, Procuratores et Promotores Fisci episcopalis, Cancellarii, et alii ministri Curiæ ejusdem, 2°. novi concionatores etiam Regulares; 3°. novi confessarii; 4°. docentes publice vel privatim Theologiam, Philosophiam, Jus Canonicum aut Civile, vel inferiores quaslibet disciplinas etiam Grammaticam; 5°. Medicinam et Chirurgiam exercentes. Contra contumaces constituuntur pœnæ in Bulla Pii IV. «*In Sacrosancta*» inflictæ.

13. Si quæratur quænam sit formula professionis fidei, eam dicimus esse, quæ ab ipso Pio IV. in Cit^is. Const.^b. '*In Sacrosancta*' et '*Injunctum*' describitur. Hodie vero post Concilium Vaticanum in formula ante conclusionem, additio fieri debet, qua profitens dicat, se credere ea quæ in Vaticano Concilio definita sunt, et præsertim ea quæ respiciunt primatum Romani Pontificis, et ejusdem infallibile magisterium.

14. Quæstio inter Doctores instituitur utrum hæc fidei professio per procuratorem fieri possit. Veteres iique gravissimi auctores affirmativam sententiam propugnant. Navar. Sanchez, Barbosa Jus eccles. univ. l. 1. c. 11. n. 56. Reiffenst. Com. in h. t. §. 8. n. 182. Utebantur autem hoc principio 'potest regulariter quis facere per alium, quod potest facere per seipsum, nisi lege vel canone prohibeatur, et nisi fuerit electa industria personæ.' Quod principium fulciebant *c. ult. de off. Deleg.* (I. 29) §. 'Is autem' juncta Reg. 68. Juris in 6°. 'potest quis per alium, quod potest facere per seipsum'. Atqui tum Conc. Trid. tum Pius IV. non prohibent professionem fidei fieri per procuratorem; nec professio fidei talis est actus, in quo censetur electa industria personæ. Ergo.

Verum, hisce non obstantibus, cum auctoribus adversæ Sententiæ standum est. Nam allatum principium ab auctoribus primæ

Sententiæ, quod valet præcipue in re judiciali, casui nostro applicari nequit, in quo ideo a Conc. Tridentino et a Pio IV. obligatio fidei professionis emittendæ inducta fuit, ut illis temporibus, in quibus hæresis grassabatur, Ecclesia dignosceret fideles et clericos fide sincera imbutos, eosque distingueret a falsis fidelibus ac suspectis Ministris, qui vel omnes vel aliquos fidei articulos respuerent. Quisque ergo per seipsum ex mente Tridentini debet fidei professionem edere. Sed quæstio penitus absoluta est per sacram C. Concilii, quæ pluries hac super re interrogata, constanter respondit satis non fieri obligationi emittendi fidei professionem, si hæc professio per procuratorem pronuncietur. Ita præsertim in causa *Cathacensi* prop. diebus 25. Jan. et 9. Feb. 1726. Cui præiverat alia decisio ejusdem s. C. in *Valentina* an. 1610. quæ legitur in l. XI. Decretor. p. 91. Quæ res videri etiam potest in causa *Toletana* 17. Apr. 1728.

15. Quod si quis intra bimestre non possit accedere ad residentiam, et habeat indultum absentiæ, Sacram adeat Congregationem Concilii, quæ licentiam dare solet, ut si orator Romæ commoretur, fidei professionem emittat coram Eminent. Urbis Vicario, si extra Urbem regulariter coram Ordinario loci, cum onere tamen iterum fidem profitendi juxta præceptum et normam Tridentini, cum ad Beneficii residentiam pervenerit. Ita resolvit S. C. Conc. in causa *Regiensi* 1622. et in causa *Bergomensi* diei 22. Novembris an. 1630. Item S. C. Concilii Episcopis id postulantibus indulget — uti indulsit Episcopo Argentinensi, die 9. Martii 1892 per decennium —, 'ut in posterum delegare queant Vicarios foraneos seu decanos vel alios in aliqua dignitate constitutos ad excipiendum fidei professionem parochorum, qui absque gravi incommodo Episcopum vel eo impedito ejus Vic. Gen. adire nequeunt.' Eadem facultas a s. C. EE. et RR., die 6. Maji 1890, et a s. C. Concilii, die 15. Martii 1886 data erat, sed ad quiennium tantum.

16. Tandem adnotandum est, S. Congregationem indulsisse, ut is, qui bona fide per procuratorem fidem fuerat professus, fructus Beneficii consequeretur, emissa tamen nova professione et facta aliqua eleemosina arbitrio Episcopi. Conferri potest causa *Toletana* diei 17. Apr. 1728.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

1. Quamvis scopus primi Libri Decretalium præcipue sit ut de personis seu de hierarchia ecclesiastica et de modo quo ea constituitur pertractetur; tamen quoniam de ecclesiastico jure in toto volumine agitur, ad ejus vim et intellectum melius dignoscendum, optimum factu duxit B. Raimundus titulos tres præmittere, qui generalia juris tum universalis, tum particularis, tum scripti, tum non scripti principia exhiberent. Agit ergo B. Raimundus in his tribus titulis de fontibus juris et primum ex his inscribit «*De Constitutionibus*».

2. Constitutio in sensu tituli exprimit jus scriptum generale, quod proprie dici potest lex. Lex autem definitur a S. Thoma 1ª. 2ª. quæst. 90. art. 4. 'Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui communitatis curam habet promulgata' cum voluntate perpetuo obligandi.

3. Legis conditiones sunt 1º. ut fiat a legitimo *superiore*. Superior enim est qui media opportuna eligit, ut subditos suos ad finem societatis assequendum dirigat; nec aliquid valet lex, quæ feratur ab eo, qui respectu Communitatis jurisdictione non gaudet. Extra enim territorium jus dicenti impune non paretur; ut traditur in *c. ult. 2. de Constitut. in 6º (I. 2).* — 2º. Lex debet esse *rationalis,* honesta scilicet et possibilis. *Honesta:* est enim medium ad verum et ordinatum bonum consequendum. *Possibilis;* secus enim deficeret esse medium practicum. Possibilitas vero legis non est possibilitas absoluta, quæ nempe viribus humanis in abstracto consideratis lex esset proportionata: sed est possibilitas concreta; quæ nempe hominibus prout de facto sunt, aptari potest. Rursus: quidam homines possunt sibi proponere ut sequantur quod optimum est. Et hoc sub sensu optimum est etiam possibile. Quare sub voto cadere potest promissio status perfectionis assequendæ. At possibilitas legis respicit non quædam individua, sed universam Communitatem, quæ optimum sequi non valet. Quare possibilitas legis opponitur nimiæ rigiditati, et lex est possibilis quæ nimis ardua non est et societati potest applicari. Ex quo charactere sequitur 3ª. conditio legis; ut sit nempe ad bonum *commune,* et non ad bonum aliquorum tantum privatorum directa. Lex enim est regula communitatis. — 4º. Debet esse sufficienter *promulgata*, ut

a populo cognosci possit. Distinguitur autem promulgatio a notitia; illa enim respicit societatem, hæc individua. Hinc censetur lex sufficienter promulgata, licet plura individua legem ignorent. — 5°. Imponi debet lex cum animo *perpetuo* obligandi, idest de natura legis est, ut quantum in se est, semper perseveret et obliget donec legitime abrogetur.

4. Ex quibus characteribus legis et præsertim a postremo descendit diversitas legis a præcepto. Præceptum enim expirat morte præcipientis: lex vero mortuo etiam legislatore, qui eam condidit, perseverat. Præceptum ad personas determinatas dirigitur, quibus extinctis, extinguitur præceptum; lex autem datur societati, quæ cum perseveret, licet eadem individua non maneant, etiam lex censetur perseverare; quo sensu lex est perpetua. Ex quo alia etiam differentia exurgit; quod nempe leges territorium respiciunt, extra quod personæ non obligantur; præceptum vero obligat personas etiamsi a territorio egrediantur. Juristæ ut hanc qualitatem melius exprimerent, soliti fuerunt dicere 'præceptum adhæret ossibus personæ'. Hinc leges dicuntur esse territoriales; præcepta vero personalia. Hæc de legis notione.

5. Prima quæstio quæ occurrit est de potestate legislativa in *Ecclesia.* Et primo quidem quod prælati in Ecclesia pro recto ejusdem Ecclesiæ regimine, atque pro salute fidelium consequenda leges condere possint quibus fideles adstringantur, patet invicte ex eo quod Christus Dominus Ecclesiam suam voluerit esse societatem completam et in genere suo perfectam. Hinc quoad Petrum et ejus successores ait Matth. 16. 'Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcumque ligaveris etc.' Et quoad Apostolos et Episcopos Matth. 18. 'Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo'. In utroque testimonio animadvertendum est non legi 'quoscumque ligaveris vel ligaveritis', sed 'quæcumque ligaveris vel ligaveritis': ea scilicet formula utitur Christus Dominus qua indicat objectum potestatis esse generale, juxta indolem objecti potestatis legislativæ, non autem coarctatum ad aliquas personas juxta indolem objecti potestatis qua præcepta imponuntur. Quare de potestate legislativa testimonia allata explicari merito possunt. Confirmatur autem hæc interpretatio ex verbo *'ligare'*, quo utitur Christus Dominus. Nam, aliis omissis, sufficiat afferre locum parallelum Matth. 23. ubi verbum *'ligare'* ad exprimendam potestatem legislativam a Christo usurpatur. Sane de Pharisæis loquens Christus, ait: 'alligant enim

onera gravia et importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere'. Hanc potestatem exercuerunt in Concilio Hierosolymitano Apostoli: Act. 15. Eam pariter exercuit Paulus, qui plures leges, quas præcepta appellat, jussit, qui Corinthios alloquens, scribit 'laudo vos, quod præcepta mea tenetis'. Hanc tandem potestatem adhibuisse semper Ecclesiam tota traditio docet. —

6. Ex allatis autem testibus patet hanc potestatem leges ferendi a Deo ipso, et non a civili auctoritate aut ab hominibus procedere. Quod exprimitur aperte in Extrav. Comm. *Unam Sanctam* circ. finem *De Majorit. et obed.* 'est autem hæc auctoritas (etsi data sit homini et exerceatur per hominem) non humana sed potius divina, ore divino Petro data suisque successoribus in ipso: dicente Domino ipsi Petro: quodcumque ligaveris etc.' Merito igitur Pius IX. in Syllabo an. 1864. condemnavit sub n. 19. propositionem sequentem: 'Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus, sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quænam sint Ecclesiæ jura et limites, intra quos eadem jura exercere queat'. Ex hoc clarum fit, quomodo jure meritoque leges ecclesiasticæ secernantur a legibus civilibus; quia nempe a diversa potestate dimanant.

7. Hæc vero potestas ferendi leges duplex est in Ecclesia, *suprema* nempe et *dependens.* Suprema exercetur ordinarie a Romano Pontifice, qui in materia spirituali et pro bono animarum Constitutiones edit pro universa Ecclesia, omnesque obligant fideles. Illi enim in persona Petri a Christo Domino dictum est 'pasce oves meas', Joan. XXI. — Potestas suprema legum ferendarum exercetur extraordinarie a Concilio Generali sub Romano Pontifice. *Extraordinarie:* nam nonnisi gravissimis de causis convocatur, gubernatio autem suprema Ecclesiæ ordinarie a Romano Pontifice exercetur. *Sub Romano Pont.:* nam nisi accedat Summi Pontificis auctoritas, leges quæ in concilio generali feruntur universam non obligant Ecclesiam. Nec officit phrasis illa 'S. Synodus præcipit, mandat etc.' Patres enim in Congregatione generali collecti præcipiunt aut prohibent quantum in ipsis est, et sub conditione quatenus a Pontifice confirmentur ea quæ a Synodo statuuntur. Hæc omnia optime inferuntur ex conceptu juridico Concilii Generalis et ex praxi constanti Ecclesiæ.

Ex hisce patet leges *universales* pro tota Ecclesia fieri ordinarie a Romano Pontifice, extraordinarie a Concilio Generali sub Romano Pontifice. —

8. Leges autem *particulares* pro aliqua societate particulari, idest pro determinatis et distinctis gregis Christiani portionibus feruntur a Conciliis Nationalibus vel Provincialibus vel Diœcesanis pro tota Natione vel Provincia vel Diœcesi; quæ tamen leges ex cit. principio cap. ult. (2.) h. t. in 6°. non obligant extra territorium. Qua in re adnotandum est, neque Primatum pro tota natione, nec Archiepiscopum pro tota provincia posse leges condere extra Synodum nationalem vel provincialem et absque consensu suffraganeorum Episcoporum. Can. 'Nullus primas', 7. caus. 9. quæst. 3. cui consonat cap. 25. *de accusat.* (V. 1). Episcopus vero pro sua Diœcesi potest ferre leges tum in Synodo Diœcesana tum extra Synodum: in ea enim habet suam propriam et ordinariam jurisdictionem. De hisce autem legibus particularibus dicendum est, eas ferri non posse in præjudicium juris communis et contra constitutiones Apostolicas; prout definitum legimus in c. 16. *De Major. et Obed.* (I. 33) et in Clemen. 'Ne Romani' §. 1 *de Elect.* (I. 3).

9. Sede autem vacante, cum Capitulum, et hodierno jure ex Conc. Trid. dispositione Vicarius Capitularis succedat in ordinaria administratione Diœcesis c. 14. *de Major. et Obed.*, (I. 33) cap. un. eodem in 6°. (I. 17), et c. 3. *de supplend. neglig. Prælat.* in 6°. (I. 8) sequitur, etiam capitulum et modo ejus Vicarium posse leges ferre pro tota Diœcesi, quæ morum reformationem et Diœcesis administrationem respiciunt. Quæ leges vigebunt donec ab ipso Vicario Capitulari, vel inde ab Episcopo non removeantur.

10. In ordinibus etiam religiosis leges pro universa religiosa familia a superioribus feruntur; quia vera jurisdictione in subditos gaudent. Leges autem hujusmodi ferri debent juxta cujuslibet ordinis statuta, privilegia et laudabiles receptasque consuetudines.

11. Tandem ex c. 10. *de off. Legati* (I. 30) Apostolicæ sedis Legati in provincia suæ legationis poterunt leges ferre, quæ etiam post eorum egressum vigebunt.

12. Quæstio secunda est de *materia* legis. Legis virtus est, ait Jurisconsultus in L. 7. ff. de legib. *imperare, vetare, permittere* et *punire.* Quare leges sunt vel præcipientes, vel interdicentes seu prohibentes vel permissivæ vel pœnales. Objectum legum præceptivarum præter actus justitiæ, possunt esse actus aliarum virtu-

tum, ut sunt actus temperantiæ, religionis etc., dummodo nimis ardui non sint ceu essent actus consiliorum evangelicorum, qui non præcipiuntur nisi illis, qui voto sese obstrinxerunt. Materia seu objectum legum prohibitivarum sunt ea omnia quæ justitiæ aliisque virtutibus opponuntur, licet jam a lege naturali vel divinopositiva prohibeantur. Possunt etiam prohiberi actus qui de se et generatim sunt indifferentes, quia ex peculiaribus circumstantiis in societatis perniciem verti possunt, ex. gr. arma ferre, inducere in civitatem fructus etc. Legis permissivæ objectum sunt actus indifferentes. Aliquando autem ad evitanda majora mala etiam injusta et minus bona tolerantur. Et tunc lex potius dicitur *tolerans* seu *non puniens*. Talis dicitur esse lex in c. 23. Deut. de fœnore exercendo cum extraneis permisso. Objectum legis pœnalis sunt actiones quæ publico ordini adversantur, quæque prohibentur sub determinata pœna, non autem sub culpa.

13. Quæstio tertia. An actus *interni* legis Ecclesiæ objectum esse possint. — In c. 9. *de Celebr. Missar.* (III. 41) Innocentius III. præcipit ut 'officium nocturnum pariter et diurnum quantum Deus dederit, studiose celebretur pariter et devote'. Cum devotio et mentis elevatio sint actus interni, videretur Ecclesia præcepisse actus internos. Quod confirmatur ex Clem. 1. §. 'verum', *de hæretic.* (V. 3) in qua excommunicantur illi qui ex 'odio, gratia et avaritia', quæ sunt malæ animi dispositiones, non inquirunt in hæreticos. Attamen Innoc. III. in c. 34. *de Simonia* (V. 3) ait 'Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare,' simulque docet pœnas Simoniæ mere mentalis judicio Dei reservari qui est scrutator cordium. Cui adhæret Conc. Trid. in sess. 24. de ref. matr. c. 1. ubi ait 'Ecclesia de occultis non judicat'. Porro potestas legislativa et potestas judicialis æquo gradu procedunt, et per consequens: si Ecclesia de internis non judicat, de iisdem neque leges ferre potest.

14. Ut hæc juris principia inter se componantur, distinguendum est inter actus mere internos, et eos qui licet ab animo eliciantur, tamen actum externum concomitantur, ac externi actus sunt forma. Actus mere interni sunt qui in solo animo consistunt, et habent proprium esse et existentiam in mentis cogitatione vel cordis affectu. Hi actus cadere nequeunt sub lege Ecclesiæ. De istis actibus verificatur id quod post jus civile in L. 18. *de pœnis* statuit can. 14. De Pœn. dist. 1. in decreto 'cogitationis pœnam nemo patiatur'. De hisce actibus etiam accipiendi sunt textus in

c. 34. de *Simon.* et in sess. 24. de Ref. matr. c. 1. jam citati. Ratio autem desumitur ex conceptu juridico potestatis legislativæ in Ecclesia; quæ ideo leges condidit quia regimen habet societatis fidelium, qui corpus morale visibile constituunt, idest visibilem et publicam societatem; qui proinde fideles gubernandi sunt legibus proportionatis ad scopum societatis, ut in societate omnia ordinate procedant. Leges autem sunt normæ publicæ et communes, quæ gubernant publicam actionem christiani populi. Ergo actus qui sub legibus Ecclesiæ cadunt, sunt ii qui constituunt externam fidelium activitatem, non autem actus mere interiores. Conclusio hæc confirmatur ex absurdo. Sane cum Ecclesia internas animi cogitationes et affectus scrutari nequeat, neque ullum ferre potest judicium, quo cognoscat utrum fideles suis legibus obtemperaverint vel non. Jamvero absonum est in jure, ut judicium ferre nequeat in materia legis; potestas enim judicialis est ejusdem ordinis ac est potestas legislativa, siquidem judex applicat legem. Quare si Ecclesia de internis actibus judicium ferre non potest, neque leges ferre potest circa eosdem.

15. Habeat utique Ecclesia forum pœnitentiale, in quo judicat de internis animi cogitationibus. At hæc judicia respiciunt directe et proprie individua, et non christianam societatem. In hoc enim foro minister Ecclesiæ repræsentat ipsum Deum, qui in eo casu curam suscipit non de universo cœtu Christianorum, sed de bono individuali particularis fidelis. In hoc foro agitur judicium potius coram Deo quam coram Ecclesia. Igitur hoc tribunal non est proprie dictum tribunal et forum Ecclesiæ, sed tribunal et forum conscientiæ coram Deo. Quare nil mirum si in eodem tribunali judicium feratur etiam de occultis. Tribunal autem proprium Ecclesiæ, cui respondet potestas legislativa Ecclesiæ ipsius illud est quod publicum est et respicit regimen totius societatis; illud nempe tribunal, quod dicit relationem hominis ad hominem, et membrorum visibilium ad caput visibile societatis. Quare potestas legum ferendarum, quæ huic tribunali respondet, non habet objectum internum et invisibile, sed objectum externum et visibile. — Ex quo explicatur quomodo Ecclesia contra devios et contumaces non applicet pœnas mere spirituales et invisibiles, sed infligat censuras, quæ secumferunt privationem omnium vel aliquorum jurium, quæ homini fideli competunt in publica societate christiana. Concludendum igitur est, Ecclesiam non posse directe et immediate præcipere vel vetare

actus mere internos; quemadmodum etiam confirmatur ex facto Ecclesiæ ipsius, quæ nunquam leges tulit directe in ordine ad hujusmodi actus.

16. Verum ex alia parte Ecclesiæ leges diriguntur ad finem supernaturalem et ad bonum internum animarum, idest Ecclesia præcipit externos actus immediate et directe, sed quatenus ab animo procedunt et informantur. Leges enim Ecclesiæ non respiciunt solummodo actum hominis externum physicum et materialem; sed respiciunt actum moralem entis ratione præditi, idest respiciunt actum externum, informatum vero ab intentione et operatione animi. Hinc ex. gr. si Ecclesia præcipiat aliquem contractum, cum verba nihil valeant, nisi internus consensus verbis conjugatur, internus animi assensus sub lege cadit. Et hoc in sensu damnata est ab Innocentio XI. propositio 55. 'quod quis præcepto paschali satisfacit etiam sacrilega Communione'. Ex quibus omnibus patet Ecclesiam complecti non posse legibus suis directe actus mere internos, posse autem præcipere actus internos *indirecte*, et quatenus sunt *forma* actuum externorum.

17. Qua in significatione accipiendi sunt textus initio allati, nempe c. 9. *de celeb. Missar.* (III. 41) et Clem. 1. *de hæret.* (V. 3) scilicet dum præcipit Ecclesia oralem orationem, vult ut oratio hæc rite persolvatur, idest ut sit oratio mentis expressa per verba. Pariter Ecclesia punit excommunicatione odium, intentionem turpis lucri etc. in quantum actus internus animi exeat in actum externum et pariat malos effectus in societate.

18. Quæstio quarta proponitur occasione cap. 2. et ult. 13. h. t. utrum legis objectum esse possint actus *præteriti*. Caput 2. h. t. ita se habet 'lex solet futuris formam imponere ut dispendiis præterita non commendat'. Huic capiti videtur opponi cap. ult. h. t. quod saltem exceptive statuit 'cum leges et constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi, nisi nominatim in eis de præteritis caveatur'. Gregorius hanc decretalem edidit ut quæstionem solveret quæ proponebatur circa modum intelligendi aliam decretalem suam quæ refertur in tit. *de Major. et Obed.* (I. 33) c. 15.

19. Ex conclusione Gregorii oritur oppositio cum generali principio. Utrumque vero tenendum est; scilicet leges generatim facta præterita non respicere, et revera dari exceptionem a Gregorii insinuatam. Namque lex proprie dicta quæ est præcipiens

vel prohibens datur ad modum regulæ, qua actus informentur. In conceptu ergo legis est ut ipsa sit anterior actibus, et non viceversa. Sane lex præcipiens supponit esse possibile objectum circa quod fertur; atqui præteritum qua tale, est impossibile; nam neque infectum fieri potest, neque alio modo fieri potest quam factum sit. Lex vero puniens supponit malam voluntatem et contumaciam contra legislatoris voluntatem. Jamvero nullius culpæ sunt rei homines, qui futuræ inscii constitutionis, pristinam et innocuam sequuntur agendi rationem. Hinc merito ait Pontifex in 2. h. t. constitutiones futuris tantum negotiis formam dare, quia res quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, nec ignorantes possunt damnum incurrere.

20. Duplex vero datur casus in quo Principis constitutio actus præteritos respicit. Primus est cum lex quæ proponitur non sit lex nova, sed veteris explicatio, quæ lex dicitur *declaratoria*. Cum declarare nihil aliud sit, nisi in casu obscuritatis vel ambiguitatis pandere et aperire quinam fuerit sensus quem Princeps in mente habuit in lege edenda, sequitur legem declaratoriam non habere novam et distinctam speciem ab antiqua lege; sed, ut adnotat Cajus in L. 'adeo' §. 'cum quis' ff. *de acquir. rer. dom.* declaratio fit in eundem modum quo e visceribus spicæ grana eruuntur. Ex quibus patet leges explicativas referri ad tempus editæ legis prioris cujus explicatio sunt, ac omnia negotia, quæ contingunt a tempore editæ prioris legis ad tempus quo declaratio emittitur, legi declarativæ subjici, ac juxta eam esse dijudicanda. Exemplum exhibetur in c. fin. 18. *de filiis presbyterorum* (I. 17). Legis declarantis naturam induunt omnes interpretationes authenticæ. Hinc ab auctoribus referuntur exempla decisionum S. Congr. Concilii quæ interpretantes Tridentinas leges præteritis negotiis formam dedere.

21. Alter casus qui excipitur est casus novæ legis proprie dictæ, quæ materiam *inhabilitatis* attingit. Cum enim inhabilitas non sit proprie dicta pœna, quæ datur propter culpam, sed exhibeat impedimentum quo quis a juribus acquirendis arceatur, vel quod juris exercitium legitime interdicat et abroget, non implicat quominus possit respicere actus præteritos, qui a lege in suis effectibus inhabilitate percelluntur. Porro dupliciter ad præterita hæc lex referri potest: 1°. nempe destruendo effectus legis pœnalis, declarando validos actus qui nulli fuissent ex vi legis pœnalis. Quemadmodum fecit Clemens V. absolvens excommunicatos a Boni-

facio VIII. validasque agnoscens collationes beneficiorum factas excommunicatis; Clem. un. *De Immunit. Eccles.* (III. 17); 2°. irritans aliquos actus quoad suos effectus, ita ut quoad aliquod jus sint nullius valoris. At hoc in casu lex expresse cavere debet etiam de præteritis ut ad præterita extendatur. Habemus exemplum in c. 7. §. 3. *De Elect.* (I. 6). Quare concludendum est leges præceptivas, vel prohibentes et etiam pœnales actus præteritos non respicere, hosce actus vero legi declaratoriæ subjici, et etiam cadere sub lege quæ inhabilitatem inducit, si de præteritis expresse caveant.

22. Quæstio quinta de legis Ecclesiasticæ *promulgatione.* Ut lex in suo esse formali obligandi constituatur, non solum requiritur voluntas legislatoris qui legem jubeat, sed requiritur etiam ut signis externis manifestetur. Leges enim ut tradit can. 3. distinct. 4. instituuntur cum promulgantur. Tunc autem lex dicitur promulgata, cum fuerit a legislatore societati sufficienter intimata. Hinc notitia individuorum distinguitur a promulgatione; promulgatio enim dici potest notitia legis habita a societate; ita ut lex quandoque habeatur uti sufficienter promulgata quin singula individua eam agnoverint; non enim requiritur ut lex omnibus et singulis denuntietur: c. 1. *de postul. Prælator.* (I. 5); et aliquando quidam cives notitiam legis habuerunt quin adhuc promulgata fuerit.

23. Quæstio ab auctoribus instituitur de *modo* promulgationis legum universalium Ecclesiæ. Loquimur de Constitutionibus Romanorum Pontificum quæ universam Ecclesiam respiciunt. Quidam auctores arguentes ex legibus civilibus Imperatorum, quæ in singulis provinciis promulgandæ erant Authen. 'Ut factæ novæ Constitut.' Collat. 5. inferebant, leges Ecclesiasticas esse promulgandas in singulis Diœcesibus. Ubi enim nihil in Jure Canonico definitum est, adhibenda videtur esse dispositio juris civilis juxta regulam datam in cc. 1. et 2. *De novi oper. nuntiat.* (V. 32) 'sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur'. At contra generatim dicendum est. Licet enim antiquitus in more positum erat, ut leges quæ Romæ vulgabantur, Ordinariis mitterentur ut in qualibet Diœcesi vulgarentur atque inde obligare inciperent; tamen quia huic promulgationi obstacula posita fuere, et prudenter timendum erat, ne principes laici in particularibus provinciis publicationem impedirent; praxis inducta est ut lex Pontificis Romæ solum vulgaretur in locis quæ erant populo frequentiora, nempe in Acie

Campi Floræ, ad valvas Curiæ Innocentianæ et Cancellariæ Apostolicæ, nec non ad valvas Basilicæ Ss. Apostolorum; et per hanc promulgationem vim obligandi, quantum in se est, plenam inter omnes fideles nanciscerentur. Hodie tamen publicatio ad valvas Curiæ Innocentianæ omittitur ob immutatam loci conditionem. Apostolicæ Constitutiones si Romæ publicentur, censentur sufficienter promulgatæ, ac constituuntur in proprio perfectoque esse formali legum ecclesiasticarum. Hinc stylus Curiæ est, ut Judices in Urbe quæstiones totius Orbis definiant ad normam legis quæ Romæ tantum promulgata est. Quare in facto est, plures Constitutiones Romæ promulgatas fuisse, et eo ipso vim obligandi habuisse in aliis regionibus. Ex. gr. decreta Innocent. IX., Alex. VII., Alex. VIII., Urbani VIII. et aliorum qui pravas doctrinas et propositiones damnarunt. Idem dicendum de Regulis Cancellariæ, quæ Romæ vulgantur. Censentur autem Romæ sufficienter promulgatæ constitutiones Apostolicæ, quia a Romana Urbe facilis ad omnes mundi fideles earumdem notitia pervenire potest.

24. Ceterum distingui debet lex ex parte sui et in actu primo, in quantum nempe vim obligandi habeat, a lege in actu secundo, in quantum nempe subditi in individuo reapse obligentur ad legis observantiam. Promulgatio necessaria est, ut lex constituatur in suo esse formali et in actu primo: et quidem pontificiis legibus sufficit promulgatio Romæ facta. Attamen obligatio in actu secundo, qua revera singuli fideles adstringantur a lege, non urget nisi postquam legis notitia habita fuerit, vel saltem haberi potuerit in particularibus locis. Promulgatio autem hoc etiam operatur, ut præsumantur fideles novisse legem, nisi contrarium probent.

25. Verum cum modus publicationis legum temporum adjunctis, ac legum ipsarum naturæ accommodetur; de quibus ipse legislator legitime judicat, sequitur quandoque eumdem legislatorem velle legis promulgationem fieri determinatis in regionibus locorum, neque vim habere nisi post lapsum temporis determinati a legislatore. Quod constitutum videmus in c. 13. *de pœnit. et remiss. peccat.* (V. 38); in Bulla *Urbani VIII.* quæ incipit '*Pastoralis*' §. 27. et in ipso Concilio Trid. sess. 24. *de Ref. Matr.* c. 1. quoad legem de adsistentia Parochi et duorum testium in celebratione Matrimonii. Hæc enim lex non incipit valere nisi post triginta dies a publicatione facta in qualibet parœcia. Insuper auctores a superius allata promulgationis forma excipiunt leges irritantes, quæ aliquem vel con-

tractum vel actum jure naturali et divino-positivo validum infirmant ac nullius roboris reddunt. Hæ leges enim cum afficiant ipsos actus, quos irritant, sive in bona sive in mala fide positi fuerint, ac proinde obligent etiam ignorantes, nisi meliori ratione publicentur, ita ut innotescant facile et cito fidelibus, gravia damna pati possent etiam ii qui bonam leges servandi voluntatem gerunt. At licet ex æquitate Romani Pontifices peculiarem modum promulgationis quoad leges irritantes sequantur, non vero tenentur ex stricto jure. Modus enim promulgationis pendet ex prudenti arbitrio legislatoris. Hinc quædam sibi reservare videmus R. Pont. in Regulis Cancellariæ quoad res beneficiarias, licet illæ Regulæ Romæ solum vulgentur.

26. Quoniam leges quæ a potestate legislativa in Ecclesia feruntur ab ipsa auctoritate propria Ecclesiæ divino jure concessa procedant, hinc falsa est sententia doctorum Aulicorum, qui tenent necessariam esse approbationem civilem et regium 'exequatur', ut Constitutiones, Bullæ et Brevia R. Pont. in singulis regnis publicentur, et vim habeant. Hunc errorem damnavit *Pius IX.* in Allocut. diei 30. Sept. 1861 damnans propositionem 'Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu': in syllabo err. 20.; pariter idem Pontifex damnavit aliam prop. 'Episcopis, sine gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas literas promulgare': syllab. err. 28. Et tandem damnavit et tertiam prop. 'civili potestati, vel ab infideli imperante exercitæ, competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur,* sed etiam jus *appellationis,* quam nuncupant *ab abusu*': syllab. err. 41.

27. Quæstio 6ª. De *obligatione* legum ecclesiasticarum. Notio legis secumfert notionem medii practici et propriam efficaciam habentis; quo medio utitur legislator ut subditos in officio contineat atque ad bonum commune dirigat. Quibus positis, si legislator jus habeat leges intimandi, subditi habebunt relativam obligationem legibus obtemperandi. Hæc virtus legis, qua subditi eam tenentur implere non ob aliam rationem nisi quia legitime imposita est, dicitur *vis directiva legis.* Cum vero homines præmiis et pœnis maxime moveantur, hinc legibus conjungitur æqua sanctio, quæ cum homines coerceat quodammodo ad legis observantiam, *vis coactiva* dicitur.

28. Si quæratur utrum in omnibus legibus humanis adesse debeat præter directivam, coactiva etiam vis; dici posset saltem in abstracto sufficere vim directivam. Homines enim agere deberent ex principio legitimæ obligationis, vel saltem possent leges humanas observare intuitu sanctionis naturalis. Verum in praxi certum est nullam vel fere nullam dari legem humanam, quæ saltem implicite vim coactivam pœnalem non habeat. Dixi *pœnalem:* sanctio enim præmiorum legibus non solet conjungi. Nam sufficiens præmium est honestis civilibus illud bonum, quod ex legis observantia naturaliter derivat.

29. Communiter a doctoribus inquisitio instituitur utrum dentur leges, quæ habent solummodo vim coactivam pœnarum, absque vi directiva; quæque proinde ad pœnam solum et non ad culpam obligent, et possunt appellari *leges mere pœnales*. Si hæc quæstio in abstracto fieret, facile probaretur positiva sententia; lex enim ex voluntate legislatoris in sua efficacia et extensione pendet. Si pariter de legibus *civilibus* sermo sit, certe spernere non possumus argumenta, quæ pro admittendis legibus mere pœnalibus ab Auctoribus afferuntur. Quandoque enim ex qualitate pœnarum solet optime cognosci mens et consilium legislatoris, volentis deterrere subditos a quibusdam actionibus solo metu pœnarum. At contra tenendum est, si de legibus *canonicis* quæstio proponatur. Nam pœnæ ecclesiasticæ quæ communi nomine appellantur *censuræ,* non infliguntur nisi ob gravem culpam. can. «Nemo Episcopor.» 41. C. 11. qu. 3. Leges ergo Ecclesiæ nunquam dantur simpliciter ad puniendum, sed semper obligant in conscientia fideles ad observantiam. Post auctoritatem S. Thomæ 2. 2æ. q. 186. art. 9. ad 1. auctores docent in *statutis* religiosarum familiarum plura præcipi tantum sub pœna.

30. Quæstio 7a. De *subjecto* legum. — Legibus obligantur subditi qui ratione gaudent, et in territorio commorantur. Prima conditio est ut homo sit subditus legislatoris; obligatio enim legis enascitur ex relatione jurisdictionis ex una parte et dependentiæ ex altera. Porro jurisdictio nihil aliud est nisi efficax potestas principis dirigendi cives et eorum bonum curandi. Hinc de legis natura est, ut ab eo feratur qui communitatis curam habet. Quare lex non urget eos quorum legislator curam non habet, idest non subditos. Hinc si quis aliqua ratione subditus loci non fiat, non obligatur legibus loci illius.

31. Quærere solent doctores, utrum *hæretici* et *schismatici* subjiciantur legibus Ecclesiæ. Procul dubio ob baptismum susceptum hæretici et schismatici ad christianam societatem pertinent, et per consequens subditi sunt Ecclesiæ. Quare Ecclesia jus habet eosdem legibus propriis obligare. At dicine potest revera Ecclesiam velle suis legibus eosdem subjicere? Si sermo sit de legibus necessariis pro tota communitate christiana, prout sunt definitiones dogmaticæ, et leges disciplinares, quæ ad ordinem publicum, ad decus religionis et ad statum societatis firmandum pertinent, tenendum est, Ecclesiam legibus hujusmodi obligare velle etiam hæreticos et schismaticos. Si autem sermo sit de legibus proprie non necessariis in societate, quæ solum pro opportunitate et pro meliori bono fidelium feruntur, præsumi posse videtur, Ecclesiam nolle obligare hæreticos et schismaticos; ob istorum enim contumaciam prævideri aliud non posset, quam violatio legis et major delinquentium iniquitas.

32. Quod autem requiratur secunda conditio patet etiam ex legis notione quæ nihil aliud est nisi ordinatio rationis. Lex vero positiva eo magis evolutam rationem exigit, quo præ lege naturali, quæ cordibus scripta hæret difficilius intelligitur.

33. Requiritur tandem ut subditus in territorio maneat. Leges enim non adhærent personis, sed vim habent in determinato territorio, extra quod cum non detur jurisdictio, nec legis virtus urget. Quod definitum legitur in c. ult. h. t. in 6°. Hoc vero tertium requisitum non est de legibus generalibus accipiendum, quæ leges limites ignorant, et ubique vim suam exerunt. Intelligendum vero est de legibus particularibus Provinciarum atque Diœcesum.

34. Occasione capta ab hoc tertio requisito legis ad obligandos subditos, quæstio proponitur de Peregrinis et Vagis. Peregrinus ille est qui habet proprium domicilium, a quo ad tempus recedit, ad illud tamen iterum reversurus. Vagus est qui nullam fixam habet sedem et domicilium. De utrisque dicendum 1°. est eos ubique legibus generalibus, quæ omnes fideles obligant, adstringi, non adstringi autem legibus locorum per quæ transeunt, nisi ratione scandali aut publicæ tranquillitatis. Quare peregrini et vagi in loco in quo actu degunt, tenentur observare leges locales, quæ latæ sunt ad tutandam securitatem et ordinem in loco. Ratio autem desumitur ex eo quod superior loci per breve peregrini aut vagi hospitium non adquirit ordinariam jurisdictionem in eos. Legis

autem virtus limites jurisdictionis sequitur. Peregrini autem nec tenentur legibus et statutis particularibus locorum a quibus discesserunt, quia leges sunt territorii finibus circumscriptæ. c. 2. h. t. in 6°. et L. ult. ff. *de jurisd.* Attamen ratione contractus et criminis in aliquo loco admissi, Peregrini et Vagi subduntur legibus ejusdem loci. C. 1. «Tametsi» sess. 24. conc. Tridentini *de Ref. matr.* ut specialem requirebat promulgationem, sic etiam quoad obligationem speciale ius constituit, fusiora in l. 4. t. 3.

35. In Cap. 10. h. t. Innocentius III. agit de statutis et legibus laicæ potestatis relate ad clericos et ecclesiastica bona. Quæstio hinc instituitur, utrum statuta laicorum obligent personas ecclesiasticas, et per consequens bona, quæ Ecclesiarum et Ministrorum patrimonium constituunt. Et 1°. quidem certum est hæc statuta et leges si *specifice* et directe conficiantur pro personis et bonis ecclesiasticis qua talibus, atque aliquam obligationem importent, non valere, licet videantur in bonum Ecclesiarum et Ministrorum proponi, nisi ab Ecclesia probentur. Quod patet ex cit. c. 10. h. t. et c. 30. *de Jurej.* (II. 24) et c. 4. *de censib.* in 6° (III. 20). Ecclesiasticæ enim personæ et bona ecclesiatica sub respectu religioso ceu personæ et res Deo consecratæ in exercitio ministerii et cultus divini, laicis non subjiciuntur. Namque potestas in sacra a Christo Domino non laicis magistratibus, sed Ecclesiæ commissa est.

36. 2°. Statuta vero et leges *communes* quæ generatim negotia civium communemque necessitatem vel utilitatem respiciunt, quæque sacris canonibus et decori status ecclesiastici non adversantur, Clericos etiam ac ecclesiastica bona obligant quoad tamen vim directivam, non vero quoad coactivam. Obligant vero quoad vim directivam, non quia potestas civilis veram habeat in personas et res ecclesiasticas jurisdictionem, sed vel quia rationabiles leges præsumuntur ab ipsa auctoritate ecclesiastica probari, vel potius quia æquitas naturalis, et publica tranquillitas et ordo videntur inculcare clericis observantiam harum legum. Istis autem legibus civilibus non subduntur clerici et bona ecclesiastica quoad vim coactivam, quia clerici et bona ecclesiastica ob privilegium immunitatis non subduntur potestati laicæ ad instar aliarum personarum et aliorum bonorum, quæ in pura et communi conditione civili versantur. Huic vero principio immunitatis aliqua modificatio facta est per Concordata S. Sedis cum variis civilibus guberniis.

37. Quæstio 8ª. de legum *interpretatione.* Legis interpretatio triplex est, *authentica, doctrinalis, et usualis. Usualis* interpretatio nihil aliud est quam modus practicus, quo judex in foro aut etiam populus sensum legis explicat per actuum frequentiam: quæque dicitur consuetudo secundum legem. Hac autem consuetudine dicuntur leges firmari. Ita Gratianus in can. 3. dist. 4. ubi hæc scribit 'leges instituuntur, promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur.' Quo in canone verbum 'firmantur' non eo sensu sumendum est, quatenus requiratur acceptatio populi ad legem confirmandam, nam lex in sua firmitate intrinseca constituitur per promulgationem legislatoris; sed lex firmatur moribus populi, quia melius observatur, nec facile per contrarios actus destruitur aut immutatur.

38. Secunda est *doctrinalis* quæ etiam scholastica dicitur, quæque nihil aliud est quam communis sententia Doctorum explicantium verbum obscurum legis. Hæc debet esse communis et uniformis. Hæc interpretatio licet auctoritatem aliquam habeat, tamen vim legis non obtinet, et proprie limites probabilitatis non excedit, tantique facienda, quantum rationes, quibus innititur, vim habent. Hæc interpretatio doctrinalis fieri nequit de veritatibus fidei, de quarum sensu jam constat ex Ecclesiæ definitione; 2°. neque de canonibus disciplinaribus Concilii Tridentini. Nam *Pius IV.* in Bulla *'Benedictus Deus'* 10. Febr. an. 1564. inhibuit 'Prælatis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, aliis vero sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne quis sine auctoritate Rom. Pont. audeat ullos commentarios, glossas, adnotationes, scholia, ullumque omnino interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæsito colore statuere'. Horum decretorum interpretatio peculiari congregationi commissa est. Auctores autem de sensu horum canonum loquentes, explicationibus a S. Conc. Congregatione latis adhærent. Id vero factum est ut vitium impediretur nimium latas producendi interpretationes legum, quemadmodum jam incœperant a tempore Conc. Tridentini. Ceterum pœnæ Bullæ «Benedictus Deus» non sunt renovatæ in Const. «*Apostolicæ Sedis.*»

39. Tertii generis interpretatio est ea quæ *authentica* dicitur, quæ nempe ab auctoritate legitima perficitur; quæque legis vim

obtinet, verum enim legis sensum exhibet. Authenticam hanc interpretationem proponit legislator aut ejus successor; nemo enim alius potest legem imponere. Hinc Valentinian. et Marcian. in L. 9. C. h. t. decernunt 'si quid vero in iisdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id (ab) Imperatoria interpretatione patefieri, duritiamque legum nostræ humanitati incongruam emendari'. Hæc interpretatio usuali et doctrinali præfertur. Immo doctrinalis quæ authenticæ adversatur falsa existimatur.

40. De Legum *cessatione.* — Legis obligatio cessat cessante ratione seu fine legis in communi: c. 60. *de appellat.* (II. 28). Et merito quidem, quia non præsumitur legislatorem velle tueri amplius illam legem, quam ad bonum commune instituit, et modo vel inutilis vel etiam noxia communitati evasit. Dixi 'in communi' quia in casu speciali et pro individuis lex viget, licet non verificetur fortassis finis legis. Lex enim generale bonum intendit, et in hac hypothesi locum habet adagium juridicum 'finis legis non cadit sub lege'.

41. Cessat 2⁰. abrogatione vel derogatione. Abrogatur lex cum legitime omnino tollitur. Abrogatur autem vel per contrariam consuetudinem, vel per ipsum legislatorem ejusque successorem, circumstantiis mutatis. Derogatur legi quando ea pro parte imminuitur vel mutatur. Hæc porro derogatio fit duplici modo: 1⁰. si aliquis articulus a lege auferatur, 2⁰. si aliquis casus particularis excipiatur.

42. Tertius modus cessationis in lege est dispensatio, quæ nihil aliud est quam relaxatio legis in aliquo speciali casu vel pro peculiaribus personis facta a publica auctoritate, manente tamen pro aliis obligatione legis. Hæc vero dispensatio ordinarie ab ipso legislatore aut ejus successore perficitur; fit vero aliquando ab inferiore auctoritate vel ex privilegio, vel ex consuetudine, vel etiam quandoque ex præsumpta rationabiliter superioris voluntate ob gravem causam et temporis angustiam. De hac vero re sermo redibit cum de dispensationibus Matrimonialibus agendum erit.

43. Tandem si de lege agatur inferioris potestatis, potest ea cessare per irritationem, cum nempe superior legem latam ab inferiore nullius valoris esse decernit.

Titulus III.

De Rescriptis.

1. Cum in 2°. titulo B. Raymundus egerit de primo principio juris quod a Principe directe procedit, quodque totam respicit communitatem, in 3°. titulo de alio principio seu fonte juris agit, quod pariter directe a Principe societatis procedit, sed in bonum individuorum vel alicujus collegii personarum constituitur. Unde jus quod ex hoc fonte dimanat, dicitur *jus particulare.* Hoc principium seu fons juris in *Rescriptis* Summi Pont. collocatur.

2. Rescriptum autem *definiri* solet: 'responsum supremi Principis ad alicujus supplicationem, relationem vel consultationem in scripto datum'. *Responsum supremi Principis,* quia in communi usu loquendi ecclesiastico solum summi Pont. responsum dicitur 'rescriptum'. *Ad alicujus supplicationem etc.* ut distinguatur a decretis, et dispositionibus, quæ motu proprio vulgantur, et a legibus quæ non in bonum privatorum sed in bonum commune promulgantur. Hinc rescripta non constituunt jus generale, sed solummodo jus pro singularibus personis vel pro particularibus associationibus personarum, quæ illud impetrarunt. Rescripta vero relata in volum. Legum Greg. IX. ideo vim legis obtinent, quia ab ejus auctoritate confirmata sunt pro universa societate christiana. *In Scripto datum* ut distinguatur a responsis datis vivæ vocis oraculo.

3. Rescripta alia sunt *justitiæ* nempe ad lites, alia sunt *gratiæ.* Hæc distinctio non procedit ex eo quod secundi generis tantum rescripta contineant favorem; rescriptum enim semper exhibet liberalitatem et gratiam Principis. Sed distinctio procedit ex diversitate objecti seu materiæ; rescripta enim justitiæ ea sunt, quorum in precibus et dispositione agitur de negotio judiciali inter partes contendentes explendo, ac Rom. Pontifex vel causam per se decernit, vel judicem aut judices designat et constituit pro causa definienda. Unde dantur judices delegati. Aliquando etiam jus obscurum partium interpretatur, quod judex designatus sequi debeat. Rescripta vero gratiæ ea sunt quæ Principis liberalitatem continent in materia sibi undequaque subjecta absque ulla contentione partium. Hinc hæc rescripta continent beneficiorum collationem et alias facultates vel favores.

4. Plures dantur *differentiæ* inter rescripta gratiæ et justitiæ. De aliquibus sermo erit inferius (sc. nn. 25. et 26.) Interim scien-

dum est 1°. rescripta justitiæ strictæ esse interpretationis, rescripta vero gratiæ in genere esse latæ interpretationis. Etenim rescripti justitiæ objectum est jus partium contendentium, quod pro alterutra parte lædi posset; rescripta vero gratiæ nullam dicunt relationem ad jus tertii. Princeps vero generatim præsumitur beneficus. 2°. Rescripta gratiæ perpetua sunt, idest cum tempus non fuerit determinatum, lapsu temporis non destituuntur viribus, nisi dolus aut nimia negligentia possit imputari, ob quam executioni rescriptum non fuerit demandatum. Quare si gratia in rescripto facta est, rescriptum morte concedentis etiam re integra non exspirat: c. 36. *de præb.* in 6°. (III. 4) c. 16. de Reg. jur. in 6°. et 9. *de Off. Deleg.* in 6° (I. 14). Quare in hac materia invocari potest Reg. 16. jur. in 6°.: 'decet concessum beneficium a Principe esse mansurum'. Et hoc verificatur etiam quoad illa rescripta quæ privilegia et dispensationes et gratiosas facultates respiciunt. Rescripta vero justitiæ infra annum postquam impetrans judicum copiam habuerit, præsentanda sunt; secus in pœnam vel negligentiæ vel malitiæ nullius roboris reddi possunt: c. 9. et 23. h. t.

5. Quæstio 1ª. Quinam possint impetrare rescripta. Cum rescriptum detur a Principe propter bonum privatorum constituatque jus particulare, sequitur omnes posse impetrare rescripta qui capaces sunt jurium in Ecclesia Christi, nec impediuntur ex scelere aut fraude. Hinc in hac materia invocari potest vulgatum principium 'concessum intelligitur quod expresse non prohibetur' can. 8. «jam nunc» caus. 28. q. 1. et c. 1. *de Procurat.* in 6° (I. 19). Quidam vero prohibentur propter *scelus,* quidam propter *dolum.*

6. Propter scelus: excommunicatione irretiti non possunt impetrare rescripta pontificia c. 1. h. t. in 6°. Quæ pœna etiam percutit excommunicatos toleratos vi Bullæ Martini V. In ipsa enim Bulla nullum favorem excommunicatis concedere vult, sed solum aliis fidelibus innocentibus consulere intendit Pontifex. Ratio autem nullitatis rescripti impetrati ab excommunicato procedit tum ex eo quod excommunicatus juribus in Ecclesia caret, tum ex eo quod Ecclesia conatur fidelem censuris irretitum per pœnarum metum a via perditionis reducere atque frangere duritiam animi insordescentis in excommunicatione, ut a vinculis ejusdem studeat absolvi. Cum rescripta concessa excommunicatis sint in se nulla, stylo Curiæ in Bullis et Rescriptis R. Pontificis solet præponi absolutio a censuris latis a jure vel ab homine, sub eo tantum re-

spectu, ut nempe valeat gratia a Pontifice concessa, non autem quoad alios effectus. Unde clausula sequens apponi solet 'oratorem absolvimus et absolutum esse censemus a censuris ad effectum solummodo præsentium literarum'. Prudens vero est hæc praxis, lites enim removet, quæ fieri possent præsertim circa valorem collationis beneficiorum, et maxime circa valorem matrimonialium dispensationum.

7. In ipso autem c. 1. h. t. in 6⁰. datur duplex *exceptio.* Valet nempe rescriptum concessum excommunicato 1⁰. si hoc rescriptum expostulatum fuerit circa causam excommunicationis ex. gr. si excommunicatus petet a Summo Pontifice per modum simplicis quærelæ judices qui iterum causam expendeant utrum justa an injusta fuerit excommunicatio contra se lata. c. 41. h. t. 2⁰. Exceptio altera locum habet cum excommunicatus versatur in conditione appellantis in aliqua causa sive civili sive criminali, in qua se gravatum ob judicis sententiam arbitretur. Sciendum enim est excommunicatum in judiciis actorem esse non posse, sed posse reum esse c. 7. *de Judiciis* (II. 1). Quod si in judicio succumbat, potest appellare ac vices actoris in appellatione sustinere, eamque prosequi usque ad exitum causæ. Ratio est quia appellatio consideratur ceu actus non voluntarius, sed necessarius et uti species defensionis, quæ nemini potest denegari. Ex qua ratione conceditur excommunicato posse exposcere et valide obtinere rescriptum apostolicum circa hoc negotium appellationis, ex. gr. quo judices deputentur.

8. Secundo rescriptum non valet quod obtentum fuerit per fraudem prout legitur in c. 28. h. t. §. 'sunt et alii qui', et c. 33 h. t. in fin. Fraus autem in capite non attingit internam formam rescripti, quasi nempe obreptio aut subreptio locum habuerit in precibus, sed potius extrinsecam circumstantiam respicit quæ tempore decretalium usuvenerat. In fraudem vero obtinebantur rescripta justitiæ ab extraneis personis quæ aliquod mercimonii genus sectantes in judicialibus quæstionibus rescripta impetrabant, ut eadem venderent illis quorum intererat negotium finiri. Hinc Pontifex decernit rescripta taliter obtenta nullius esse roboris. Censentur enim esse obtenta dolose. Excipitur casus quo rescriptum obtentum fuerit ab aliqua ex illis personis, quæ ut agant pro nobis in judicio, speciali mandato non indigent. Hæ autem personæ designantur a Glossa in c. 33. h. t. verb. 'Perso-

nis', ut sunt liberi respectu parentum et viceversa, fratres et affines pro fratribus et affinibus rescriptum obtinentes. Hæ enim personæ absque speciali mandato possunt in alieno judicio agere: L. 15. 'sed et personæ' ff. *de Procurat.* — Hæc quæ dicta sunt referuntur ad rescripta justitiæ. Hinc prohibitum non est, quominus quis pro alia distincta persona rescriptum gratiæ obtineat etiam absque ejus speciali mandato. Ita doctores post glossam in cit. c. 28. v. *sine* innixi etiam legi 'Universis'. C. *De Precibus Imperatori offerend.*

9. De solemnitatibus rescriptorum. — Quædam requisita habere debent rescripta in ea parte quæ respicit legislatorem, quædam in alia quæ respicit preces personæ quæ consecuta est rescriptum. Solemnitas rescripti in relatione ad supremum Principem sunt aliæ intrinsecæ, aliæ extrinsecæ. *Intrinsecæ* sunt 1°. ut ab ipso Principe detur rescriptum, 2°. ut rescriptum voluntatem et verbum Legislatoribus indubie et sincere referat. Dubium vero redditur verbum concedentis rescriptum dupliciter: 1°. per manifestum errorem latinitatis c. 11. „ad audient." h. t. Nam, ut adnotat glossa ibi, cum rescriptum Papæ per manus plurium officialium maturo judicio transeat et subscribatur, difficile omnino est reperiri errores latinitatis in Rescripto legitime impetrato. 2°. Rasura seu cancellatio in loco suspecto gignit falsitatis præsumptionem, quemadmodum de quocunque scripto, quod solemniter conficiatur: c. 5. *de crimine falsi* (V. 20), et c. 6. §. 'sed contra' *De fide instrumentorum* (II. 22). Locus autem suspectus censetur præsertim pars dispositiva rescripti, et si sermo sit de dispensationibus matrimonialibus, error vel abrasio in nomine aut cognomine vel in gradu propinquitatis, reddit nullius valoris rescriptum.

10. Solemnitates *extrinsecæ* sunt, ut ex stylo Curiæ diversa sub forma dentur rescripta gratiæ et justitiæ.

11. Præcipui momenti solemnitas rescripti relate ad oratorem ea est quæ preces respicit. Loquitur de ea Caput 'super literis' 20. h. t. in quo determinatur quandonam obreptio seu falsitatis insinuatio, vel subreptio, idest veritatis silentium nullius roboris reddant rescriptum. Ex hoc cap. sequentem theoriam deducimus. Si ex malitia ingeratur falsitas in precibus, vel reticeatur aliqua exprimenda circumstantia, in pœnam fraudis rescriptum corruit. Mendax enim precator carere debet impetratis. Et quidem si rescriptum plures partes habeat, idest si plures contineat concessio-

nes, omnes irritæ sunt. Principium enim est generale 'precator mendax etc.' Si vero ex simplicitate ignorantiave obreptio vel subreptio contigerit, videndum est utrum verum non expressum, vel falsum suggestum causa *motiva* fuerit necne, idest vera causa concessionis vel solum *impulsiva*, ob quam scilicet facilius Princeps concessit rescriptum; si primum, rescriptum nullius valoris est, si secundum, valet rescriptum. Et quidem si rescriptum plures partes seu concessiones habeat, nullum redditur solum in ea parte quæ respondet precibus subreptitiis vel obreptitiis; in reliquis autem valet. Si quæratur quænam circumstantiæ constituant causam motivam, quænam vero non, sed solummodo exhibeant causam impulsivam, notamus eas præcipue determinari ex stylo Curiæ. Attamen nisi clare constet causam fuisse motivam, præsumitur semper causa solum impulsiva; nam standum est semper pro valore actus legislatoris quoties contrarium non probetur.

12. Quamvis autem c. 20. h. t. specifice de rescriptis justitiæ pertractet, tamen theoria de obreptione et subreptione in eo proposita applicari potest, et a Doctoribus applicatur etiam rescriptis gratiæ. De rescriptis vero justitiæ tantum accipienda sunt verba Pontificis sequentia 'Si nihilominus (saltem in forma communi) literas dedissemus, delegatus, non sequens formam in literis ipsis appositam, secundum ordinem juris in causa procedat'. Ut intelligantur rite verba hujusmodi sciendum est, aliquando Pontifices in rescripto justitiæ non solum designasse judices, qui causam viderent, sed etiam præcepisse formam judicii et quasdam regulas a judicibus observandas. Quo in casu literæ apostolicæ dicuntur datæ in forma non communi; judex enim non potest sequi normas a jure communi pro judiciis ordinandis constitutas, sed normas servare tenetur præscriptas a Pontifice. Dispositio igitur Innocentii III. h. c. hæc est: Si obreptio vel subreptio nobis causa fuit motiva, non dandi literas, tamen constituendi specialem judicii formam, constitutio judicis quidem valet, sed idem procedat non *speciali* forma, sed *communi* judicii. —

13. De rescriptorum interpretatione. — Regula generalis et obvia est ut cum verba clara et aperta sunt, nec ambiguitatem referunt, accipienda sint juxta propriam significationem, et communem loquendi usum. Deducitur regula ex pluribus textibus juris civilis. Ex. gr. ex L. 25. ff. *De Legatis* (III), sed traditur

etiam in c. 12. *de decimis* (III. 30). In quo glossa docet a forma verborum sine certa scientia non esse recedendum.

14. At si obscurum quid vel ambiguum in rescriptis occurrat, distinguenda sunt rescripta justitiæ a rescriptis gratiæ. De primis principium valet, esse scilicet strictæ et rigidæ interpretationis; agitur enim de jure servando inter subditos, et per ea detrahitur jurisdictioni ordinariorum judicum. Hinc 1°. rescripta justitiæ ita accipienda sunt, ut in causa videnda non recedatur a jure *communi* nisi expressa forma a Pontifice concedatur: c. 18. h. t. 2°. Nec de persona ad personam, nec de casu ad casum *pertrahere* licet rescripti dispositionem cc. 15. et 35. h. t., præsertim si personæ vel negotia sint altioris ordinis. 3°. Verba sumi debent ita ut quo minus fieri potest, præjudicium juribus *tertii* inferatur.

15. Si dubium sit vel obscurum rescriptum gratiæ, et contineat aliquid vel quod præjudicet juri tertii, vel quod adversetur juri communi, est stricte accipiendum. Ratio *prioris* partis deducitur ex c. 15. *de off. Deleg.* (I. 29), ubi Pontifex ait 'non tamen est nostræ intentionis Diœcesano Episcopo præjudicium generare'. Item ex c. 16. *de Privil.* (V. 33). Adest enim Regula Cancellariæ 18. de jure quæsito non tollendo. *Secunda* pars probatur ex eo quod recessus a jure communi censetur odiosus c. 1. et 2. *de Filiis Presbyt.* in 6°. (I. 11) et reg. 28. in 6°. quæ ita describitur 'quæ a jure communi exorbitant (idest 'ut ait glossa' deviant ac discordant) nequaquam ad consequentiam sunt trahenda', idest valent solum quoad casus expressos in concessione, ut docet glossa. Talia sunt privilegia quæ exorbitant a jure et dici solent vulnus legis.

16. Si autem rescriptum gratiæ exhibeat veram gratiam, quæ nempe sit præter jus, nec ullius tertiæ personæ juri damnum inferat, proprieque exprimat liberalitatem principis, benigna lataque est interpretatione accipiendum rescriptum: Ut enim ait Pontif. in c. 22. *de Privilegiis* (V. 33), 'cum nihil exceperit, et potuerit excepisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda'. Cui consonat c. 4. *de Præb.* in 6° (III. 4).

17. At in hoc cap. 4. datur regulæ generalis exceptio pro rescriptis in quibus fiunt concessiones beneficiorum ecclesiasticorum. Hæ enim concessiones censentur factæ post preces, quæ generatim referunt vel ambitionem vel importunitatem. Quare in eodem cap. ait Pontifex sub nomine beneficii pensionem non comprehendi, nec sub nomine canonicatus Ecclesiarum civitatis venire canoni-

catum Ecclesiæ Cathedralis. Hinc a pari si in concessione sermo sit de Præbenda vel canonicatu, non intelligitur Dignitas vel Personatus.

18. De tempore in rescriptis considerando. — In rescriptis ut eorum efficacia definiatur, considerandum est tempus concessionis Rescripti, quod dicitur tempus *datæ*, ac tempus præsentationis ejus quæ fiat executori, quod vulgo tempus *præsentatæ* appellatur.

Dicendum vero est 1°. in Rescriptis justitiæ, ut rescriptum vim suam exserat, attendendum esse tempus *præsentationis* rescripti c. 59. *de Appellation.* (II. 28) et c. 12. eod. tit. Facta enim præsentatione, cognitoque juridico valore rescripti delegatus judex incipit habere jurisdictionem in causa sibi commissa. Hinc si judex delegatus post signatum rescriptum, sed ante præsentationem, qualitatem amiserit, cui adnexa fuerat jurisdictio delegata ex. gr. non amplius fuerit archidiaconus, vel alia dignitas, non potest causæ cognitionem suscipere. c. 11. h. t. in 6°. Quare insuper si obtineatur judex delegatus pro aliqua causa, quæ apud judicem ordinarium pertractatur, hinc non tenetur processum intercipere, antequam literæ apostolicæ novum judicem designantes fuerint judici delegato legitime præsentatæ cit. cap. 59. *De Appellat.* Licet vero rescriptum justitiæ incipiat valere a tempore præsentationis, tamen quoad suam extensionem referendum est ad tempus concessionis. Sane in cap. ult. h. t. prohibet Pontifex quominus rescriptum pro litibus finiendis datum inter certas personas, protrahatur ad alias causas, quæ tempore concessionis ortæ non erant inter litigantes.

19. 2°. In rescriptis gratiæ quoad eorum vim est attendendum tempus *datæ;* idest eo ipso quod Rescriptum signatum est a Pontifice, illico parit jus quæsitum oratori. Sane c. 7. *de Præb.* in 6° (III. 4) ita sumatur 'in impetratione beneficiorum inspicitur data, non præsentatio vel acceptio'. Ratio est quia in rescriptis gratiosis Pontifex non committit negotium videndum alicui; sed ipse cognitis rationibus, negotium concessionis videt et decernit. Hinc in c. 9. h. t. in 6°. Pontifex respondit, clericum vi obtenti rescripti consequi non posse beneficium curam animarum adnexam habens, quia tempore concessionis rescripti ætatem congruam non attigerat. Hinc in c. 7. h. t. Pontifex Episcopo Tornacensi nuper electo imperat, ut rescriptum, quod a canonico executioni

mandari debebat, ipse Episcopus modo exequatur, quia tempore *datæ* erat et ipse canonicus. Hinc etiam rescriptum de assequendo beneficio proxime vacaturo non extenditur ad beneficium quod inde erigatur Clement. un. h. t.

20. Excipitur casus in quo gratia *non* est in rescripto *plene* confecta; sed vel alligatur conditioni futuræ, vel committitur alteri facienda, ex. gr. si Episcopo committatur ut Titium provideat in præbenda proxime vacatura; in hoc enim casu circa ætatem Clerici respicitur tempus quo beneficium vacat c. 29. *de Præb.* (III. 4.) in 6⁰. consonant c. 36. eod. in 6⁰. §. fin.

21. Quæstio instituitur *de prælatione rescriptorum.* — Quando duo (vel plura) rescripta circa eandem materiam concurrunt, semper duplex exsurget quæstio: 1⁰. utrum ex eis est prius tempore; 2⁰. suntne rescripta ejusdem generis, i. e. utrumque generale vel utrumque speciale, an diversi generis, h. e. unum generale, alterum speciale.*) —

Si sunt ejusdem generis, prius tempore potius est jure; ergo prævalet posteriori. — Ratio est, quia secundum c. 1. *de constit.* in 6⁰. (I. 2): „jura omnia Summus Pontifex in scrinio pectoris sui censetur habere ita, ut constitutionem posteriorem condendo, priorem revocare noscatur, non autem particularia e. gr. locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta". Atqui rescriptum — ut ex definitione patet — est aliquid particulare; ergo rescriptum prius, quia ignoratum, secundo rescripto non censetur abrogari. — Clarius idem deducitur c. 12. *de off. et potest. Judicis deleg.* (I. 29), ubi Alexander III. ait: «Si memores fuissemus nos pro prædicto N. literas direxisse (prius rescriptum), pro adversario nullatenus scripsissemus» (secundum r.). Et revera Alexander III. prædicto N. beneficium conferendum vi prioris rescripti curavit.

Duæ vero statuendæ sunt exceptiones:

a) si in posteriore rescripto de priore fit mentio expressa, derogatur priori, inquantum hoc exprimitur ex c. 3. h. t.;

b) si prius rescriptum præsentatum non fuerit ex malitia vel neglegentia intra annum ab habita judicum copia, prævalet rescriptum postea impetratum; ex cc. 9. et 23. h. t.

---

*) *Generale* rescriptum est illud in quo Pontifex judicem constituit ad videndam universitatem causarum alicujus Provinciæ, Diœceseos etc. *Speciale* rescriptum est quando judex delegatus est ad aliquam determinatam causam videndam.

22. At si rescripta sunt diversi generis, unum generale, alterum speciale et viceversa circa eandem materiam, valet regula 34 juris in 6⁰. „Generi per speciem derogatur".

Si generale præcedat, et speciale fuerit ab adversâ parte obtentum, speciale hoc rescriptum valet, licet de primo sileat; cc. 1. et 14. §. „Quoniam" h. t.

Si speciale præcedat, hoc erit observandum, nisi expresse de eo caveatur.

23. De prælatione rescriptorum *gratiæ* eadem ferme repetenda sunt. Quod si nempe privilegium seu gratia sit generalis, secunda specialis, tunc specialis prævalet, licet prioris facta mentio non fuerit ex Reg. Jur. 14. in 6⁰. 'generi per speciem derogatur'. Hinc in c. 38. *de Præb.* in 6⁰. (III. 4) cum quidam facultatem consecutus fuisset sex præbendas conferendi in quadam Ecclesia, ac alius inde habuerit facultatem conferendi peculiarem præbendam, collatio hujus sustinetur contra privilegium prioris. Speciale enim limitat generale. Idem dicendum si viceversa prius sit speciale aliud generale. Scilicet generale non derogat speciali, nisi expresse de speciali locutus fuerit Pontifex. Si privilegium utrumque generale; prius prævalet posteriori nisi in secundo fiat mentio prioris.

24. Si vero gratiæ sunt ambæ speciales, nec simul componi possunt, prior prævalet, nisi in secundo mentio de priori fiat c. 12. *de Off. et pot. Jud. Deleg.* (I. 29) et c. 19. *de Præscript.* (II. 26). Et valet principium 'Prior in tempore, potior in Jure'. Quare ad tempus datæ respicitur. Exceptio autem datur ob clausulam 'anteferri'. Cum enim hæc clausula ponatur in rescripto, hoc rescriptum prævalet priori licet de eo nullam faciat mentionem. Quia per eam clausulam censetur revocari quælibet gratia, quæ in prioribus rescriptis collata est, capp. 15. et 40. *de Præb.* in 6⁰. (III. 4) nec non c. 6. *de concess. Præb.* in 6⁰. (III. 7).

25. Quæritur ab auctoribus, utrum rescripta justitiæ quæ nulla sunt, suo valore careant per se ipsa, aut nulla fiant ope exceptionis adversæ partis. Sententia quæ secundum membrum affirmat tenenda est, ita scilicet ut nisi ab adversa parte exceptio fiat, judex delegatus valide procedat in causæ cognitione. Probatur ex capp. 9. et 23. h. t. Casus est de secundo rescripto quod obtinetur contra prius quin de priori mentio fiat. Quare sermo est de rescripto secundo nullo. Porro nullitas hujus secundi rescripti potuit provenire etiam ex subreptione dolosa. Nam Pontifex

non insinuat secundum rescriptum obtentum fuisse ex simplicitate vel ignorantia, sed proponit generice casum de rescripto quod nullius roboris redditur eo quod contrarium sit priori alteri rescripto. Jam vero hoc secundum rescriptum valet nisi adversarius probet se obtinuisse prius rescriptum, et hoc executioni mandatum non fuisse eo quod copia Judicum haberi non potuerit, vel eo quod legitime impeditus fuerit quominus id faceret. Id est secundum rescriptum quod juxta regulas generales nullum est, tamen valet donec validis exceptionibus adversæ partis elidatur. Ergo rescriptum justitiæ robur obtinet et nonnisi exceptione eliditur.

26. At non ita dicendum de rescriptis gratiæ, ea enim si obreptitia sunt, vel subreptitia, nulla sunt ex seipsis idest ipso jure nihil valent. Hinc quidquid occasione et prætextu horum rescriptorum gestum est, nullius est valoris perinde ac si gestum non fuisset. Hæc conclusio constat ex c. 19. h. t. et ex 12 *de sent. et re jud.* (II. 27). Hoc in sensu Glossa in c. 20. h. t. explicat verba illa Pontificis 'mendax precator carere debet impetratis'.

27. Ratio disparitatis ex eo derivat quod rescripta justitiæ cum ab una parte obtinentur, alteri proprie non præjudicant. Nam cum quæstio hæc illa præcise rescripta justitiæ respiciat, in quibus designantur judices; pars adversa poterit coram ipsis suas rationes proponere et proprium jus tueri. Insuper si hæc eadem pars nihil excipiat contra judices delegatos, eosque acceptet; facto suo manifestat animum suum renunciandi juri suo exceptionis proponendæ, et confirmat virtutem rescripti: Hinc merito in commodum partis adversæ statutum est, rescripta justitiæ vires suas non exerere ante præsentationem. At rescripta gratiæ rite facta continent negotium completum ex parte Principis qui favorem exhibet oratori. Hinc vel statim valet rescriptum, vel statim nullum est. Insuper in rescriptis gratiæ deest regulariter adversa pars quæ excipere potest. Ergo rescripta gratiæ si vitio substantiali laborent, nulla sunt per se; secus enim per exceptionem fieri nulla regulariter non possent.

28. De executione rescriptorum. — Quæritur 1°. quinam sint *executores* rescriptorum. In c. 11. h. t. in 6°. (I. 3) designantur personæ quibus committi potest executio rescripti justitiæ a R. Pontifice facti: scilicet designantur personæ quæ possunt fungi munere Judicis delegati. Istæ personæ sunt clerici, qui in Ecclesia cathedrali obtinent dignitatem, personatum vel canonicatum. Hinc

judices delegati nequeunt esse canonici Ecclesiæ collegialis, uti declaravit Congr. Conc. die 9. Sept. anni 1843. in causa *Regensi*, quæ tenuit posse designari etiam *dignitates* Ecclesiæ Collegiatæ. Porro istæ personæ a jure ipso designatæ sunt ad hoc munus 1°. quia præsumuntur magis idoneæ præ reliquo clero Diœceseos; 2°. quia executor literarum apostolicarum gratis munus sibi commissum exercere debet: merito ergo providit jus ut hujusmodi officium gratuitum committeretur clericis, qui ex præbenda propria jam habent unde sufficienter sustententur. Dispositio c. 11. cit. immutationem aliquam passa est ex decreto Trid. cap. 10. sess. 25. *de ref.*, ubi statutum est, inter illas personas designatas a Bonifacio VIII. solum aliquas posse ad officium Delegati pontificii assumi; easque esse illas quæ judices deputantur in Conc. Provinciali vel Diœcesano. Tamen sive dispositio cit. cap. 11. sive dispositio Tridentina non prohibent quominus R. Pontifex ex certa scientia possit alium clericum ad judicium ferendum delegare, qui careat qualitatibus designatis in iisdem locis juris. Dixi 'ex certa scientia', quia si ex ignorantia i. e. ex falsa insinuatione delegatio facta fuerit, processus et acta judicialia quæ ab hujusmodi judice conficiantur, nullius valoris sunt. Quare si designetur aliqua persona ad officium judicis delegati carens prædictis qualitatibus, in rescripto delegationis debet exprimi derogatio dispositioni Bonifacii et Conc. Tridentini. Cfr. Glossam in cit. cap. 11. verbo 'omittantur'.

29. Rescripta gratiæ committi possunt exequenda Episcopo, vel ejus Vicario Gen., et si commissio facta fuerit *Ordinario loci*, executio fieri potest tum ab Episcopo tum ab ejus Vicario Gen. Quid veniat nomine *Ordinarii loci* vel *oratorum Ordinarii*, fusius tractabitur juxta decretum S. C. s. Officii, die 20. Februarii 1888, quando sermo erit de executione lit. Apost. respectu matrimonii (l. IV. decr. Gregorii IX.). Si autem facta fuerit *Episcopo*, non potest Vicarius virtute mandati generalis negotium executionis perficere, nec viceversa Episcopus poterit exequi Literas Apostolicas *Vicario* commissas. Ratio est quia censetur electam fuisse industriam personæ.

30. Nunc 2°. *de modo* executionis rescriptorum. Si sermo sit de rescriptis justitiæ, vel in his *designatus* est modus procedendi, vel *non*. Si non est designatus, judex delegatus sequi debet ordinem juris communis; si est designatus, judex debet præ oculis habere et sequi formam in rescripto designatam.

31. In rescriptis gratiæ distinguenda est executio *necessaria* ab executione *voluntaria,* quæ dicitur etiam executio in forma commissoria: hinc habes executorem sive necessarium sive voluntarium. Necessarius executor, et necessaria executio locum habent in rescriptis quæ continent gratiam factam seu plenam, quo in casu executor assumit cognitionem summariam rerum expositarum in precibus, et deinde edit decretum in quo innuit preces veritate niti, et demum dispositionem Sum. Pontificis applicat. Quare cognita veritate precum, executor necessarius non potest gratiam petitam denegare. Executor voluntarius locum habet in hypothesi gratiæ non factæ, sed faciendæ ab ipso executore rescripti. Formula commissionis hujus regulariter est 'cognita veritate precum si expedire tibi visum fuerit' vel similia. Hoc in casu executor non solum debet cognoscere de precum veritate, sed etiam de valore causæ pro gratia concedenda; executor enim in hoc casu est qui proprie, auctoritate quidem sibi commissa, gratiam facit. Gratia ergo est effectus rationabilis judicii ipsius executoris.

32. De Cessatione rescriptorum. — Rescripta justitiæ quibus judices delegati ad causam videndam designantur, cessant morte tum naturali tum civili concedentis, si adhuc res sit integra. Ex. c. 30. *De Offic. Jud. Deleg.* (I. 29). Concordant capp. 19. et 20. eod. Quod ita valet ut processus a Judice delegato confectus etiam si mortem concedentis ignoraverit, irritus sit, ac nullius valoris. Nam ante usum concessionis factæ a Principe non censetur transisse jurisdictio in judicem Delegatum. C. 6. *de Off. et Pot. Jud. Deleg.* in 6° (I. 14). Doctores vero excipiunt casum erroris communis ex celebri lege 'Barbarius' ff. *de Off. Prætoris.*

33. Si quæratur quandonam res amplius integra non sit: juxta c. 19. *de Off. et Pot. Jud. Deleg.* (I. 29) per litis contestationem cessat esse integra. Hæc dispositio est Lucii III., qui refert morem et sententiam temporis sui. Ex capite vero 20. eod. res desinit integra esse per citationem judicis delegati. Hoc caput est Urbani III. qui novum induxit jus, quod modo servatur. Invaluit enim principium, jurisdictionem nempe in judice perpetuari per legitimam citationem, ceu tenuit Gregorius IX. in cap. ult. 10. *de Off. Legati* (I. 30) et in cap. 19. *de Foro compet.* (II. 2) et Glossa in cap. 19. h. t. citatio enim seu vocatio in jus est fundamentum judicii et principium actionum instituendarum §. ul. in princ. Instit. *de pœn. temer. litig.* Quare judex qui per citationem

negotium præoccupavit, totam causam et jurisdictionem prævenisse videtur. Nec requiritur litis contestatio, quæ proprie est 'petitio in jure proposita, et congrua responsio secuta animo litigandi'. c. 1. *de litis contest.* (II. 5). Imo nec necesse est ut citatio ad partem perveniat, nam si per eam steterit quominus citationem reciperet, ex Clement. 2. *Ut lite pend.* (II. 5), res non amplius integra est. In hoc capite Glossa adnotat ad perpetuandam jurisdictionem in judice sufficere ipsum emanasse citationem secundum canones, idest subscripsisse mandatum citationis. Quia est actus juridicus quo judex occupavit negotium et exercuit jurisdictionem delegatam.

34. Quæritur quomodo c. 19. et 20. *de Off. et pot. Jud. Deleg.* (I. 29) concilientur. Variæ dantur sententiæ. Admittere non possumus opinionem eorum qui dicunt decisionem Lucii III. in cap. 19. h. t. supplendam esse per vocabulum 'maxime', ita ut censeatur jurisdictio perpetuata 'maxime' cum lis fuerit contestata; vel eorum qui tenent decisionem Urbani servandam esse cum Judex ignorat mortem Pontificis; vel tandem eorum qui dispositionem Urbani accipiunt de citatione per *edictum* quæ æquivalet contestationi litis. Potius dicendum est Urbanum in varia doctorum opinione adoptasse sententiam contrariam illi quam Lucius III. secutus fuerat. At objicitur utrumque caput fuisse corpore juris relatum, quod factum non fuisset si Lucii III. constitutio fuisset abrogata a constitutione Urbani. Verum 1°. etiam in tit. *de Censib.* in 6°. (III. 20) dantur binæ constitutiones 2ª. et 3ª. quarum postrema corrigit priorem circa procurationes in pecunia recipiendas. Ergo a pari in casu nostro utraque constitutio, Lucii nempe et Urbani, potuit referri, ut in materia illa dignosceretur natura quæstionis quæ agitabatur inter Doctores. 2°. Animadverti potest caput 20. non abrogasse omnino caput 19., nam saltem quoad principium de cessatione jurisdictionis in judice delegato re integra utrumque conveniunt. Hinc cap. 19. in corpore juris insertum forsitan est, ut valeret pro ea parte in qua probat hoc principium.

35. Si sermo sit de rescriptis *gratiæ,* distinguendum est utrum gratia sit facta vel nondum facta. Gratia facienda tunc obtinet cum summus Pontifex alicui concedit facultatem gratiam faciendi. Gratia autem tunc est facta cum summus Pontifex cognita veritate precum ipse dispensat in impedimentis vel confert Beneficium determinatum si est vacans, vel absolute mandat ut concedatur ab Ordinario cum ipsum vacaverit, vel denique privilegium ali-

quod vel aliquam facultatem elargitur. Jamvero si facta est gratia, hæc perpetuo perseverat. Cap. 9. *De Off. Deleg.* in 6°. (I. 14.) Nec officit quod gratia committatur ad exequendum judicibus, nam in casu judex est simplex et merus executor, nec revera jurisdictionem ipse exercet. Si vero gratia est facienda, vis rescripti cessat morte concedentis re adhuc integra, ut ex cap. 36. *de Præb.* in 6°. (III. 4). Ratio disparitatis est in eo quod gratia facta jus tribuat per se, gratia autem facienda non exhibet jus quæsitum, sed possibilitatem illud acquirendi per exercitium jurisdictionis delegatæ, quæ jurisdictio prorsus cessat morte delegantis, nisi delegatus fecerit suam, occupando negotium. Per regulam vero 12^am^. Cancellariæ revalidantur omnia rescripta gratiæ et justitiæ concessa a Pontifice defuncto infra annum ante ejus mortem, quæ rescripta per mortem Pontificis re adhuc integra nullius roboris evaserant.

36. Relate ad rescripta gratiæ animadvertimus quandoque concedi gratias quæ repetitos actus complectunt: ex. gr. ut quis a choro abstineat, ut quis tali vel tali privilegio gaudeat. Hæ vero gratiæ si concedantur cum clausula 'ad beneplacitum *nostrum*, cessant morte concedentis, cum quo ejus beneplacitum desinit. c. 5. h. t. in 6°. Si vero concedantur cum clausula 'ad beneplacitum *S. Sedis*' perseverant, donec vel concedens, vel ejus successor non revocaverit. Ita in eod. t. c. 5. h. t. in 6°. Cui casui accommodant auctores etiam illum in quo Pontifex utatur clausula 'donec revocavero'. Nam revocatio est proprie actus positivus qui per mortem non verificatur.

37. Tandem ut hæc tractatio compleatur, animadvertendum est, rescripta cessare posse per renunciationem vel per revocationem. Per renunciationem cessant rescripta gratiæ, quando obtento privilegio quis renuntiat, dummodo ex obtenta concessione nulli tertiæ personæ jus quæsitum sit: Rescripta vero justitiæ per impetrantis renuntiationem cessant ante factam a judice citationem. Nam post factam citationem Judex habet veram jurisdictionem quoad utramque partem collitigantem. Rescripta autem revocantur vel tacite per actum qui scienter a Pontifice ponatur, vel expresse cum claris verbis nullius valoris esse decernit concessiones factas. Exemplum habemus in c. ult. 15. h. t. in 6°.

TITULUS IV.
De Consuetudine.

1. Præter jus quod directe a Principe procedit, est jus quod moribus populi introducitur ac *non scriptum* dicitur, quia immediate ac directe a Principis imperio non oritur. Post principia et fontes juris scripti, de fonte juris non scripti titulus exhibetur.

Definitio. Consuetudo si in facto consideretur nihil aliud est nisi actuum frequentia c. 1. *de Const.* in 6^{0}. (I. 2). Consuetudo in significatione juris significat ipsum jus quod ex frequentia actuum populi derivat. Definitur autem ab Isidoro in can. 5. Distinc. 1. Decreti Gratiani 'consuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex'. Verum hæc definitio non recipitur, non enim adæquatam exprimit consuetudinis notionem. Quare alia communiter datur definitio, idest *'jus non scriptum, diuturnis populi moribus introductum, aliquo legislatoris consensu firmatum'.* Dicitur *'jus'*, ut innuatur, Consuetudinem in suo esse formali constitutam veram obligandi vim habere, ac legis proprie dictæ naturam imitari; solumque differre in modo quo in societate vigere incipit. Lex enim proprie dicta, quæ jus scriptum dicitur, per solemnem principis promulgationem intimatur, consuetudo vero, quæ jus non scriptum appellatur, moribus populi introducitur. Additur *'diuturnis populi moribus'* ut exprimatur modus quo introducitur, simulque hæc verba docent, non quemlibet usum jus gignere, sed requiri actuum frequentiam, quæ sit publica et longo tempore observata. *Cum aliquo consensu legislatoris.* In societate enim ordinata leges debent ab eo procedere qui jurisdictione gaudet, quique voluntate sua rationali normas pro actibus populi regendis determinat. Voluntas vero ejus non esse debet semper expressa, potest esse etiam tacita, imo etiam præsumpta, quæ legalis dicitur. Hæc autem præsumpta voluntas obtinet cum reapse non adest in particulari principis consensu, sed in generali ejus consilio continetur. Idest consilium Principis generale est ut subditi verum bonum assequantur. Hinc præsumitur probare quidquid in populi bonum derivat et influit. Cum vero quidquid sequitur populus ex rationali consuetudine in populi bonum est: ergo rationalis consuetudo ex præsumpto Principis consensu observatur, licet Princeps consuetudinem ignoret. In jure insuper nostro consensum legalem deprehendimus ex c. ul. 11. h. t. ubi Pontifex de-

clarat se recognoscere et acceptare uti validas etiam contra jus illas consuetudines quæ sunt rationabiles et legitime præscriptæ. Consonat c. 1. *de Constit.* in 6°. (I. 2).

2. Quibus positis notio consuetudinis distinguitur a notione legis, quia lex solemniter promulgatur; distinguitur a traditionibus populorum. Traditio enim potius respicit doctrinas et principia theoretica; consuetudo vero praxim. Quod si traditiones etiam practicæ dentur, quæ nempe populi actiones dirigunt, hæ traditiones referunt aliquam legem quæ antiquitus promulgata fuerat, cujus promulgationis forsan memoria excidit, consuetudo vero novum jus nec antea intimatum refert. Distinguitur tandem consuetudo a præscriptione 1°. quia præscriptio tendit contra jus privatorum, consuetudo jus novum et publicum inducit. Hinc prima a privatis personis, secunda vero a populo debet introduci. 2°. Præscriptio justum titulum exigit licet sit coloratus; consuetudo nullum titulum requirit c. 17. *de Præscript.*, (II. 26) nam est populus qui cum præsumpto legislatoris consensu sibi legem creat. 3°. In præscriptione requiritur bona fides ex eod. cap.; in consuetudine non requiritur absolute, cum est in sui exordio; nam ut introducatur consuetudo contra legem, in illis qui primi sunt ad eam inducendam non excluditur voluntas adversa legi tunc existenti.

3. *Divisio consuetudinis.* Alia est *secundum* legem, quæ nihil aliud est quam agendi ratio populi conformata secundum illam intelligentiam quam populus tribuit verbo dubio aut obscuro legis; quæque proinde non differt ab interpretatione legis quam vocavimus *usualem.* Alia est *præter* legem, quæ consuetudo locum obtinet cum populus sibi præcipit vel prohibet id quod nulla lege vel præcipitur vel prohibetur. Alia tandèm est *contra* legem, qua nempe aliquid quod lege interdictum est redditur licitum, et aliquid quod lege præceptum est redditur indifferens.

4. Quæritur nunc *de requisitis in consuetudine conditionibus.* — Gregorius IX. in c. ul. h. t. ait 'non tamen est usque adeo valitura (consuetudo), ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime sit præscripta'. Ex quibus verbis auctores inferunt caracteres quos consuetudo habere debet, idest ut sit 1°. rationabilis, 2°. legitime præscripta.

5. Consideramus primo loco *rationabilitatem consuetudinis.* De consuetudine secundum legem non loquimur; quisque enim videt, ipsam revera esse rationabilem. Refert enim practicum sensum

legis, ipsumque ex facto applicationis certum reddit. Lex autem est rationabilis. Consuetudinem præter legem rationabilem esse facile dignoscitur, nam jus nullimode lædit. Adnotari autem debet, hanc consuetudinem nimis ardua præcipere vel prohibere non posse; secus impossibilis esset ac proinde irrationabilis. Quæstio igitur instituitur quomodo consuetudo contra legem esse possit rationabilis. Non loquimur de consuetudine *in fieri*, nam cum ea adversetur legi adhuc existenti, quæ rationabilis est, non potest et ipsa esse rationabilis. Loquimur itaque de consuetudine *in facto esse*, idest in sua vera et completa existentia. Porro consuetudo in ista conditione, cum in locum abrogatæ legis successerit, ipsa optime potest esse rationabilis. Quare ut appareat utrum consuetudo introducta censenda sit rationalis necne, videndum est utrum lex cui opponitur consuetudo, *possit necne abrogari.* Hinc si sermo sit de lege naturali vel positivo divina, nemo non videt consuetudinem contrariam esse prorsus excludendam tamquam adversam rationi c. ult. h. t. Factum enim hominis non potest legitime adversari voluntati divinæ, sive per naturam, sive per revelationem manifestatæ. Verum si juri tantum positivo consuetudo abversetur, potest ea esse etiam irrationabilis. Determinandum est quando id verificetur. Consuetudo contra legem humanam, hic ecclesiasticam, generaliter loquendo, tunc est irrationabilis, quando lex „in scriptis data" in iisdem circumstantiis esset irrationabilis; et ut distinctius loquamur, quando ejusmodi consuetudo tendit proxime et immediate quidem contra legem humanam, remote tamen et mediate contra legem divinam sive naturalem sive positivam. In sacris canonibus inveniuntur casus qui dicta illustrant exemplis et ex quibus unusquisque instar regulæ vel criterii haberi potest.

Sunt autem quattuor criteria; nempe quando consuetudo contra legem est: I. favor peccatorum; II. eversio potestatis ordinis; III. eversio potestatis jurisdictionis et quidem sive legislativæ sive vindicativæ; IV. notata ab Ecclesia etiam in posterum tamquam corruptela juris. — Nunc de singulis.

6. I^um^ criterium: Reprobatur consuetudo quæ *alliciat ad peccandum.* Hæc consuetudo repudiatur licet si immemorialis. Ratio est quia nullius roboris est lex contra bonos mores; virtutibus enim et non vitiis securitas publica et bonum publicum stabilitur. Duplex species datur hujus consuetudinis in c. 10. h. t. Prima tribuebat viro vel prodigo vel negligenti post sua dissipata aut

amissa bona, facultatem alienandi res uxoris mobiles et immobiles. Secunda concedebat uxori adulteræ, facta a viro separatione, medietatem omnium bonorum quæ vir tempore matrimonii adeptus fuerat.

7. II^{um} criterium: Reprobatur consuetudo quæ est *eversio potestatis ordinis.* S. Synodus Tridentina has duas propositiones tamquam hæreticas damnavit: cn. 6. sess. 23.: „S. q. d., in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, A. S."; cn. 7. sess. 23.: „S. q. d., Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, ... A. S." — Ex his duobus canonibus apparet esse differentiam, etiam ratione potestatis ordinis divina ordinatione institutam inter episcopos et presbyteros. Si igitur e. gr. presbyteri hanc Episcoporum specificam ordinis potestatem consuetudine præscribere vellent, hæc esset revera corruptela juris. Licet ergo jurisdictionis potestas nonnumquam [e. gr. in c. 13. X (I. 31)] possit præscribi, hoc de potestate ordinis dici nequit. Quare in c. 4. h. t. Innocentius III. reprobat consuetudinem qua Presbyteri in urbe Constantinopolitana conferebant sacramentum Confirmationis, eo quod collatio hujus sacramenti reservata est Episcopis. At certum est ex delegatione summi Pontificis Presbyteros Confirmationem conferre. Responderi potest in caractere presbyterali agnosci insitam esse capacitatem delegationis habendæ a suprema auctoritate in Ecclesia ad conferendum sacramentum Confirmationis. Quare simplices sacerdotes per se idonei non sunt ad administrandum sacramentum Confirmationis, et proinde quia per se incapaces sunt ad possidendum jus collationis prædictæ, neque per consuetudinem possunt præscribere jus idem, cfr. reg. 3. juris in 6^{0}; bene vero possunt illud assequi ex delegatione summi Pontificis, quæ delegatio supponitur græcis Presbyteris facta.

n. 8. III^{um} criterium: Consuetudo reprobatur quæ tendit ad *evertendam potestatem Ecclesiæ legislativam.*

Si obstat consuetudo publicæ utilitati eo quod conatur eosdem abusus ad quos compescendos data est lex, iterum introducere, esset revera corruptela juris; nam Ecclesiæ legislator non jam posset legibus prospicere bono communi.

n. 9. Item reprobatur consuetudo quæ est *eversio potestatis Ecclesiæ correctivæ.* Quam necessaria sit humanis legibus vindicta, videri potest supra tit. II. «de constitutionibus» nn. 27, 28.

Evertere ergo potestatem Ecclesiæ coactivam, nihil aliud pæne significat, quam evertere potestatem Ecclesiæ jurisdictionis totam. Quare Innocentius III. consuetudinem contra «correctionis et reformationis officium» c. 13. *de off. Jud. Ord.* (I. 31) et contra «visitationem canonicam» c. 16. *de præscript.* (II. 26) jure merito damnavit; similiter consuetudinem, quâ «abrumperetur nervus ecclesiasticæ disciplinæ.» Datur species in c. 5. h. t. de canonicis Ecclesiæ exemptæ, qui tempore generalis interdicti in civitate vi alicujus consuetudinis sacra officia cum solemnitate celebrare se posse contendebant. Hanc consuetudinem Innocentius III. reprobavit, quia „nervum ecclesiasticæ disciplinæ abrumpebat." Quod ut intelligatur sciendum est regimen ecclesiasticum duplici sub respectu considerari posse 1°. considerari potest in sua virtute intrinseca et vitali, qua nempe veluti quibusdam nervis compago corporis Ecclesiæ sustentatur et regitur; 2°. in ipsis peculiaribus legibus et statutis, quibus virtus illa vitalis et intrinseca exeritur et manifestatur. Non negamus per consuetudinem abrogari posse unam vel aliam legem quæ disciplinam respiciunt; admitti autem non posse dicimus consuetudinem quæ regiminis vitalem virtutem ac formale robur impedit et vulnerat, quæ nempe potestatem ipsam legislativam convellere aut lædere nititur. Hoc posito sententia illa Pontificis 'consuetudinem rumpere nervum ecclesiasticæ disciplinæ' de ea consuetudine accipienda est, quæ, quantum in se est imminuit et vulnerat potestatem imperandi in superiore. Unde disciplinæ vigor turbari et virtus vitalis qua corpus morale Ecclesiæ subsistit, deficere incipit. Porro consuetudo ipsam potestatem superioris impetit et vulnerat sive quando impedit, quominus superior aliquas leges ferat, sive quando impedit quominus efficaci pœna legem suam communiat, ita ut inde lex in suo formali esse consistens inanis reddatur et despecta. Hæc porro erat natura et indoles consuetudinis a Pontifice in cit. cap. reprobatæ. Si enim tempore generalis interdicti adsit in civitate Ecclesia in qua solemniter divina persolvantur officia, attenuatur vel tollitur omnino incommodum, et publicæ mœstitiæ significatio, quæ effectus est interdicti; ac proinde frustratur scopus pœnæ ecclesiasticæ, quæ eo dirigitur ut ex publico squallore et ex sacramentorum negatione fideles ad pœnitentiam, et principes ad bonam frugem revocentur. Quare consuetudo illa offendebat ipsam virtutem legis et lædebat ipsam potestatem superioris, ac proinde lædebat regimen ecclesiasticum

in sua virtute vitali, et abrumpebat nervum ecclesiasticæ disciplinæ.

n. 10. IV^um criterium: Prohibitio consuetudinis contra legem etiam futuræ, expresse a legislatore apposita. Clausulæ prohibitionem exprimentes, legi apponi solitæ, sunt sequentes: 1⁰. *abrogantes;* e. gr. «non obstante quacunque consuetudine contraria;» 2⁰. *prohibentes* e. gr. «nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere,» 3⁰. *reprobantes*, e. gr. «Talem consuet. penitus improbamus, reprobamus; potius corruptela juris est quam consuetudo».

Si lex talibus clausulis firmatur, quæritur, an contra ejusmodi legem possit exsurgere consuetudo contraria legitima. Ut clare respondeamus, distinguendum est: Lex noviter condita est aut lex mere humana aut lex, in tali forma quidem humana, sed declarans vel denuo inculcans vel specificans legem sive naturalem sive divino-positivam. In posteriore casu clausulæ expressæ nihil aliud sunt nisi declaratio prohibitionis in visceribus rei positæ externa. In priore casu, quando lex est mere humana, consuetudo contraria clausulis, etiam solemnissimis, excludi omnino non potest. Leges enim mere humanæ, «licet sapienter conditæ», semper in ea conditione remanent, ut mutari possint atque etiam debent mutatis temporum circumstantiis. Quare etiam rationes quæ legislatorem ad apponendas clausulas consuetudinum prohibitivas inducebant; mutatis circumstantiis evanescere possunt, ita ut consuetudines legitime possint succrescere. Non desunt exempla antiqui et novi temporis rem illustrantia. Ceterum si dubium proponatur circa legitimitatem et rationabilitatem consuetudinis, juxta communem sententiam post glossam in c. 1. verb. «Rationabilia» *de Constit.* in 6⁰. (I. 2) res deferenda est ad Judicem Ordinarium vel ad superiores Magistratus, nec diuturna consuetudo haberi debet ut irrationabilis, nisi certe constet de ejus irrationabilitate. Hinc diuturna consuetudo præsumitur rationabilis, nisi contrarium constet.

11. Secundum requisitum consuetudinis est ut sit *legitime præscripta* c. ult. 11. h. t. Legitime præscripta dicitur consuetudo non quatenus debeat habere locum præscriptio proprie dicta, sed quatenus lapsu annorum a jure requisito roboretur et confirmetur in similitudinem præscriptionis. At quæritur quod tempus requiratur ut legitime præscribatur consuetudo. Præ primis animadvertendum est jus novum in consuetudinem induci per eam actuum frequentiam, quæ populi agendi rationem informet ita ut diutur-

nos ejusdem mores constituat. Verum si sermo sit de consuetudine *juxta* legem, nempe legis interpretativa, nihil in jure tum civili tum canonico determinatur, sed cum ea sit favorabilis, ac inserviat ad legem moribus confirmandam, nimia longævitas non requiritur, sed tale spatium temporis requiritur, quod sufficiat ut significetur populum sensum legis assecutum fuisse, ac legem fecisse suam. Quare est potius quæstio facti particularis quam juris. Procul autem dubio spatium *decenii* sufficit ad præscribendam consuetudinem juxta legem.

12. Si consuetudo *præter* legem sit rationabilis, ut legitime præscribatur, *decennii* spatium sufficit ex auctorum sententia post glos. in c. ult. h. t.; sequuntur enim omnes juris civilis dispositionem, quod tempus diuturnum decennio complectitur. L. «super longi» C. *de Præsc. long. temp.*

13. Diversa datur auctorem sententia circa temporis diuturnitatem, quæ requiritur ad legitime introducendam consuetudinem *contra* legem canonicam. Non loquimur de consuetudine inducenda in via conniventiæ, quæ scilicet incipit et progreditur sub oculis ipsius Principis, qui cum posset impedire, sciens tolerat, ac tacita revocatione legis tollit. Hoc enim in casu tempus non potest ex juris principiis determinari ad consuetudinem statuendam. Quando tales habentur circumstantiæ, ac talia facta contingant, quibus voluntas Principis legem tacite revocantis appareat, procul dubio consuetudo legitime consistit. Quæstio nostra est de consuetudine quæ inducitur vel inscio prorsus legislatore, vel ita inducitur ut ignoretur utrum ipse toleret an non populi agendi rationem legi contrariam. Quæstio igitur est de inducenda consuetudine contra legem in via præscriptiva. *Tres* dantur sententiæ. *Prima* sententia distinguit inter legem usu receptam, et legem quæ usu recepta non fuit. Consuetudo quæ est contra legem, quæ est tantum rite promulgata, sed usu recepta nondum est, juxta hujus sententiæ patronos, legitime præscribitur 10 annis; quia in casu non agitur proprie de lege destruenda, sed potius obstaculum stabilitur ne legis vinculum imponatur. Agitur enim de removenda lege quæ totam vim non exerit 'leges enim, ut in c. 3. dist. 4. dicitur, firmantur cum moribus utentium approbantur'. Consuetudo autem contra legem communiter receptam nonnisi spatio 40 annorum præscribitur.

14. *Alterius* sententiæ defensores docent consuetudinem cuilibet legi canonicæ contrariam nonnisi spatio 40 annor. stabiliri,

fierique legitimam. Innituntur verbis glossæ in c. ult. h. t. et argumento capp. 15. *de Præscript.*, c. 3. *de causa poss. et propr.* (II. 12) et c. 50. *de Elect.* (I. 6). In hisce enim capitibus sermo est de jure aliquo ecclesiastico quod possit consuetudine obtineri, et simul adseritur eam non valere 'propter temporis brevitatem usque ad præscriptionem legitimam non producti'. Jam vero ex capp. 4. 6. et 8. *de Præscript.* (II. 26) tempus contra jura ecclesiastica est *40 annorum* spatium; ergo etc. Nec distingui debet inter legem usu receptam, vel non receptam; nam lex statim ac promulgetur, ex se vim obligandi habet, et populi acceptatio non requiritur ut lex constituatur. Quare populi mores non substantialem et intrinsecam, sed accidentalem et extrinsecam firmitatem legi tribuunt. Quare per consuetudinem non agitur de impediendo vinculo obligationis, ne ipsum imponatur, sed ut impositum destruatur.

15. *Tertia* tandem sententia, cui adstipulamur, tuetur *decem* annorum lapsu quamcumque legem canonicam per consuetudinem præscribi et auferri. Quod probatur 1°. ex generali principio uniformitatis inter jus civile et canonicum in rebus de quibus jus canonicum distincte non disponit. Traditur hoc principium in c. 1. *de novi oper. nuntiat.* (V. 32). At ex juris civilis statuto consuetudo contra legem decennio stabilitur. Nam in L. 1. C. *quæ sit longa consuet.* observandam esse ait Imperator longam consuetudinem, et L. «super longi temporis» C. *de præscr. long. temp.* decennio concluditur. Ergo etiam in jure canonico dicendum est quamcumque consuetudinem 10 annis præscribi. Ratio autem apertissima exurgit ex prudenti œconomia quam præ oculis habere debet legislator. Si enim decem continuis annis populus uniformiter et animo deliberato per actuum frequentiam steterit contra legis jussum, videtur ita res fuisse mutata, ut amplius non possit populus ad legis observantiam revocari, et eam observantiam exigere idem esse videtur ac laqueum conscientiæ injicere. Momenta autem ex adverso allata falso innituntur supposito. Nam in citatis capp. consuetudo quæ nominatur est proprie dicta præscriptio. Quæstio enim proponebatur de acquisitione jurium peculiarium personarum in præjudicium vel alicujus capituli prout in c. 50. *de Elect.* (I. 6) et 3. *de caus. poss. et prop.* (II. 12) vel alicujus Episcopi prout in c. 15. *de Præscr.* (II. 26). Diversa autem est ratio consuetudinis et præscriptionis. Consuetudo enim vim suam obtinet

ex præsumpta voluntate legislatoris, qui ob bonum publicum censetur probare rationabiles mores populi; præscriptio vero cum vergat in certum præjudicium personarum, quas jure suo spoliat, longius quo fieri potest, protrahi debet. Ceterum si eadem ratio esset præscriptionis et consuetudinis; cum contra Ecclesiam Romanam nonnisi centenaria præscriptio valeat c. 14 *de Præscr.* (II. 26) constitutiones Pontificis nonnisi spatio 100 annorum per consuetudinem contrariam abrogarentur. Quod certe ipsis adversariis non arridet.

16. Ut consuetudo legitime præscribatur præter lapsum temporis, requiritur 3°. *aliquis legislatoris consensus,* uti jam vidimus. Consensus est vel expressus, vel tacitus, vel præsumptus. *Expressus* cum legislator videt populi mores, eosque approbat. *Tacitus* cum legislator optime cognoscit existentiam consuetudinis, eamque cum posset commode repudiare, silentio tolerat; *tacite* vero assentitur, nam qui tacet dum loqui posset et deberet, consentire censetur. Consensus *præsumptus,* qui et legalis seu generalis dicitur, est ille quo generatim legislator approbat omnes consuetudines quæ sunt rationabiles et legitime præscriptæ, quamvis eas non cognoscat. — Non requiritur primus consensus, secus consuetudo non distingueretur ullo pacto a lege; etenim lex est expressa voluntas Principis. Nec requiritur tacitus, nam si requireretur, tunc lex proprie non tolleretur per contrariam consuetudinem, in via præscriptiva, sed per tacitam Principis revocationem. Sufficit consensus legalis. Nam in c. ult. 11. h. t. Gregorius IX. agnoscit valere et approbat generatim omnes consuetudines rationabiles et legitime præscriptas. Item in c. 1. *de Const.* in 6°. (I. 2). Pontifex tradit per constitutionem generalem legislatorem non destruere jura privata et consuetudines locorum, nisi de ipsis expressam mentionem faciat. Ergo jus canonicum consuetudines rationabiles in genere approbat, ac proinde consensus legislatoris ecclesiastici præsumi potest, quoties rationabilis ac diuturna in sensu explicato consuetudo fuerit in populo christiano introducta.

17. Qui tamen consensus cessat quoties legislator consuetudinem expresse abrogat, vel quoties sermo sit de materia, in qua a jure absolute tum quoad præteritum, tum quoad futurum consuetudo interdicitur, quia ex. gr. consuetudo censetur esse corruptela juris; quo in casu introduci nequit consuetudo ex defectu consensus legislatoris præsumpti, nisi mutatis circumstantiis res

in melius immutetur ac capax fiat consuetudinis inducendæ. Ut vero plenius disquisitio procedat sciendum est, aliquando leges simpliciter præcipi, quin a legislatore consuetudinis mentio fiat; aliquando legem muniri hac clausula 'quacumque consuetudine minime obstante'; aliquando autem consuetudinem legi contrariam reprobari absolute et haberi ceu corruptelam juris. Procul dubio lex, quæ de consuetudine nullimode cavet, per consuetudinem rationalem abrogari potest. Clausula 'quacumque etc'. ad futuram consuetudinem non sese extendit, sed præteritam solum respicit. Imo non omnem præteritam consuetudinem. Nam respicit solam antiquam et non immemorialem, quæ privilegiata dicitur, et specialiter est nominanda ut abrogetur. Tertia formula abrogat præexistentes consuetudines et impedit quominus in posterum consuetudo inducatur, nisi mutetur ratio legis et mutentur circumstantiæ.

18. 4⁰. Ut legitime præscribatur consuetudo requiritur *frequentia actuum cum intentione inducendi consuetudinem.* Hæc porro frequentia actuum debet esse in primis *uniformis* in populo, idest non ab uno alterove, sed saltem a majori parte populi debent actus frequentari, aut ab ea parte populi quam lex abroganda per consuetudinem respiciebat. Glos. in fine c. ult. h. t. — Secundo actum frequentia debet esse *non interrupta.* Interrumpitur autem vel per actum contrarium populi, vel per dispositionem legislatoris consuetudinem impedientis quominus ultra servetur et introducatur. Quoad primum vero animadvertimus nihil officere contrarium actum populi, cum consuetudo legitime jam præscripta est, sed requiritur nova consuetudo contraria. — Tertio demum actus debent esse *voluntarii et libere positi,* secus enim deesset principium constitutivum consuetudinis, id est voluntas populi normam agendorum sibi figentis. Ex quo etiam sequitur requiri scientiam in populo, ut introducatur consuetudo. Si enim ageret populus ex ignorantia vel ex errore, non haberetur legitimus consensus, nec proinde ex agendi ratione populi oriretur jus id est lex.

19. *De effectibus consuetudinis.* — Effectus consuetudinis juxta legem est legis ipsius interpretatio, quæ consuetudo cum fuerit legitime præscripta, dicitur optima legis interpres; dum vero consuetudo hæc in via est ut introducatur, conjecturalem tantum legis explicationem exhibet. Effectus consuetudinis præter legem est ut nova lex in populo introducatur, ita ut quod fuerat indif-

ferens fiat præceptum, quod fuerat licitum reddatur vetitum. Effectus denique consuetudinis contra legem est vel totalis abrogatio præexistentis legis, vel partialis derogatio. Qua in re sciendum est, per consuetudinem abrogari posse pœnam tantummodo, remanente vi directiva legis, at quoad ecclesiasticas saltem leges abrogari non posse vim directivam, manente vi coactiva id est pœna; nam uti vidimus, in Ecclesia non dantur leges mere pœnales.

20. *De probatione consuetudinis.* — Consuetudinem probare debet is, qui eam pro se allegat. Probandi onus vero cessat, si notoria sit et publica. Probatur vero vel scriptis monumentis, si consuetudo fuerit scripto tradita, vel approbatione tribunalium in judicio facta, vel testibus, qui, si agatur de immemoriali, deponere debent se consuetudinem semper observari vidisse, ac audivisse a majoribus semper observatam fuisse.

21. *De abrogatione consuetudinis.* — Consuetudo abrogari potest per legem posteriorem, vel per contrariam consuetudinem. Lex vero posterior abrogat generalem consuetudinem, quæ nempe servatur in modum legis generalis, licet de ea lex posterior mentionem non faciat. Ratio enim est, quia constitutio posterior generalis abrogat constitutionem generalem antecedentem, quin eam commemoret. Atqui consuetudo generalis constitutioni generali æquiparatur. Lex tamen generalis non abrogat consuetudines peculiares, nisi ipsas expresse commemoret c. 1. *de Const.* (I. 2) in 6°. quia ex eodem cap. præsumitur, quod legislator ignoret consuetudines speciales, et particularia statuta locorum. Sufficit vero si generice consuetudines nominet, quemadmodum si dicat 'quacumque consuetudine non obstante'. Sub qua clausula vero non venit centenaria vel immemorialis consuetudo, quæ privilegiata dicitur; quæ non abrogatur, nisi etiam privilegiata in clausula comprehendatur. Id est nisi legislator expresse caveat per legem, quam edit, se velle abrogare quamcumque consuetudinem etiam immemorialem et privilegiatam. Porro centenaria consuetudo ea est, quæ centum annos enumerat a sui initio; immemorialis vero ea est, cujus initii in populo memoria non extat. Ratio est, quia in suo esse juridico a legibus distinguitur consuetudo immemorialis vel centenaria, a communi simplici consuetudine præscriptiva legis. Prima enim consuetudo ex temporis diuturnitate ingerit præsumptionem tituli, et induit naturam privilegii a principe concessi. Argum. c. 26. *de Verb. Sign.* (V. 40). Unde et privilegiata dicitur.

Quare in odiosis, prout est abrogatio, consuetudo privilegiata sub appellatione generali consuetudinis non comprehenditur. Deinde ipsa praxis Romanor. Pont. id confirmat; quandoque enim, idest quando Pontifex abrogare vult consuetudines etiam immemoriales et centenarias, clausulæ generali 'non obstante quacumque etc.' addit etiam 'immemoriali et privilegiata'. Excipitur vero casus, in quo contraria consuetudo reprobatur ceu corruptela juris et irrationabilis. Exemplum exhibetur in capp. 5. et 10. h. t. Hoc enim in casu si valeret consuetudo etiam immemorialis, sustineretur consuetudo, quæ rationalis non esset, quod et conceptui consuetudinis et dispositioni Gregorii IX. in c. ul. h. t. adversaretur. — Consuetudo abrogatur etiam per consuetudinem contrariam legitime præscriptam. Nihil enim tam naturale est, quam ut res eodem modo solvatur, quo colligata est.

De personis.

Post generales titulos de fontibus juris, B. Raimundus aggreditur tractationem de Ecclesiastica Hierarchia, id est de Prælatis et Ministris Ecclesiæ. Porro jure Decretalium Clerici ad dignitates et prælaturas assumebantur per postulationem, per electionem et per translationem. Quare in tribus distinctis titulis de hisce modis promovendi personas ad dignitates primarias in Ecclesia agitur. Cum vero in titulo de postulatione plura essent enucleanda, quæ fusius ac melius in titulo de electione traduntur, hinc titulum de Electione præponimus titulo de Postulatione Prælatorum. Quare sit.

Titulus VI.

De electione et electi potestate.

1. In religionis Christianæ exordio, amplissima accepta potestate, Apostoli Ecclesias instituebant, ac pastores eisdem præficiebant. Apostolis vita functis, electio Episcoporum ex triplici concursu fiebat. Concurrebat enim vox populi, id est suffragium populi testimonium ferentis de vita et moribus eligendæ personæ. Quod suffragium etiam expostulabatur, ne invitis pastor daretur. Concurrebat etiam vox Cleri, seu suffragium Cleri approbantis vitam et promotionem alicujus ad episcopatum. Tandem concurrebat formalis electio seu designatio personæ ab Episcopis comprovin-

cialibus cum proprio Metropolitano, qui ad hoc negotium explendum sese ad ecclesiam viduatam conferebat, ut eam iterum solatio novi pastoris consolaretur, ac præficiendum Episcopum eligebat Clero civitatis et plebe præsente et consentiente, atque electum in eadem Ecclesia consecrabat. Patet id ex ep. 68. divi Cypriani, qui hæc scribit: 'Diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere universas provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant et Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit. . . . Quod et apud nos factum videmus in Sabini Collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, et de episcoporum, qui in præsentia convenerant . . . judicio episcopatus ei deferretur, et manus ei imponerentur'.

2. At quod rite procedebat primis temporibus, cum fidelium cor unum erat et anima una, non amplius servari potuit. Nam præsertim studium partium vel etiam pecuniæ cupiditas cœpit urgere plebem in electionibus, et indigni promovebantur. Hieronymus animadvertit temporibus suis populi suffragia non processisse prout decebat. Quare Syn. Sardicensis c. 2. prout legitur in c. 2. h. t. removit populum in negotio electionis; ac tandem ex decreto Syn. Nic. II. solis Episcopis Provinciæ reservata est electio Episcoporum. Deinde inductum est jus Decretalium, quo nempe a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ eligebatur Episcopus. Cum vero etiam in hac forma electionis orta fuerint incommoda malique effectus, Rom. Pontifices inceperunt collationes Episcopatuum sibi reservare, atque inde proposita est Reg. Cancell. 2ª. de reservatione Rom. Pontifici episcoporum omnium. Qua tamen in re adnotandum est, Romanos Pontifices usos fuisse jure suo; etenim cum demortuis Apostolis, suprema potestas ordinaria in Rom. Pontifice resideat, munus fundandi Ecclesias, ac designandi pastores ipsi competere debet. Hinc vetus modus eligendi Prælatos fuit ex delegatione vel expressa vel tacita Rom. Pontificis.

3. Electio vero definitur '*Personæ idoneæ ad prælaturam ecclesiasticam vacantem per vota legitimorum electorum canonica vocatio, a superiore confirmanda'*. Dicitur *vocatio canonica,* quia celebrari debet servatis quibusdam legibus et conditionibus a jure canonum definitis. *Per vota legitimorum electorum.* Nam con-

currere debet consensus personarum, quibus inest jus eligendi, ut persona ad prælaturam legitime vocetur. Quæ prælatura debet esse *vacans;* secus electio absolute a canonibus interdicitur. Concedi enim alicui non potest, quod ab altero legitime retinetur. Electio autem debet *confirmari* a superiore; quia electio non confert electo plenum jus assequendæ prælaturæ. Differt vero a postulatione; nam postulantur, qui laborant aliquo impedimento canonico, ob quod a prælatura arcentur. Differt a præsentatione; nam præsentatio fieri potest etiam a laicis, qui possent post unum et alios præsentare. Electio vero a Clericis celebratur, qui post electionem legitimam unius personæ, aliam prohibentur eligere. Differt tandem a libera collatione, quia per collationem conceditur Clerico totum ac plenum jus in beneficium, id est tum jus ad rem, tum jus in re. Collatio enim est actualis concessio Præbendæ, Electio autem confert tantummodo jus ad rem, id est ad obtinendam Prælaturam; quam post confirmationem plene consequitur qui electus est.

4. Quæstio 1ª. Quinam legitime possunt eligere? Jus electionis activæ regulariter competit Clericis membris collegii cujus Prælatus eligendus est, nisi jure excluduntur. Ergo jus eligendi competit clericis, non *laicis.* Electio enim prout in titulo sumitur est legitima destinatio personæ ad sacrum officium; ex qua jus persona illa assequitur ad officium illud obtinendum per confirmationem. Laici vero commendare utique possunt aliquem ad officium sacrum, jus autem positive et proxime ad illud concedere nequeunt: Can. 'Nullus' dist. 63. et c. 51. h. t. Quare electio facta a laicis ipso jure irrita est c. 3. h. t. Immo etiam nulla est electio celebrata concurrentibus canonicis et laicis; quibus nec suffragatur consuetudo, nec compositio facta cum prælatis Ecclesiæ ipsius. Primum liquet ex c. 56. h. t., secundum ex c. 51. eod. Nec objiciatur expressio illa cap. 24. h. t. 'populum nempe in possessione fuisse eligendi ex antiqua consuetudine'. Nam ibi sermo erat de præsentatione. Quod a Pontifice ostenditur, cum inferius dicit, populum fuisse 'in quasi — possessione præsentandi', ac quæstionem patronatus quoad jus se nolle attingere, fatetur. Ex plenitudine autem potestatis potest Summ. Pontifex concedere laicis jus concurrendi suffragio suo ad electionem perficiendam. Ratio hæc videtur esse, electio non est actus potestatis ordinis, bene vero induit naturam actus potestatis jurisdictionis. Jamvero actus po-

testatis jurisdictionis possunt committi et delegari etiam Clericis illis, qui non sunt in Ordine constituti, qui ex divina institutione procedat. Id est Clerici etiam minores, imo simpliciter tonsurati possunt exercere actus jurisdictionis ecclesiasticæ, ex mandato. Igitur exercitium jurisdictionis non exposcit essentialiter in persona fundamentum conditionis procedentis ex ordinatione juris divini; sed exercitium jurisdictionis solummodo exigit conditionem juris ecclesiastici, prout est conditio personæ tonsuratæ tantummodo. Igitur exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ ex virtute juris ipsius ecclesiastici regitur et gubernatur. Atqui Rom. Pontifex est supra jus ecclesiasticum. Ergo ex plenitudine potestatis Rom. Pontifex potest delegare alicui laicæ personæ aliquem actum jurisdictionis ecclesiasticæ, et per consequentiam jus electionis perficiendæ.

5. Clericis ergo, non laicis, competit jus eligendi, sed neque *omnibus* clericis. Illis tantum jus eligendi, seu jus electionis activæ competit, qui *membra* sunt Capituli, vel *collegii,* vel communitatis, cujus Prælatus eligi debet c. 1. h. t. Et quoniam præcipue de *Episcopi* electioni disquisitio facienda est, dicimus ex jure canonum non ad quoscumque Clericos Diœceseos, vel Cathedralis Ecclesiæ jus Episcopum eligendi pertinere, sed solummodo ad *Canonicos* Cathedralis ipsius, qui senatum Episcopi constituunt.

6. Præter hos vero jus eligendi potest competere Clericis etiam *extraneis* a Capitulo ex *variis* titulis. Primo quidem legitima *præscriptione* c. 50. h. t. et 4. *de Postul.* (I. 5). Hæc tamen præscriptio si titulo colorato innitatur, spatio 40 annorum completur. Nam præscriptio contra jura Ecclesiarum completur spatio 40 annorum, capp. 4. 6. et 8. *de Præscript.* (II. 26). In c. 6. Alex. III. ait 'quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem tollit'. Immemorialis autem requiritur, si nullo prorsus titulo innitatur c. 1. *de Præscript.* in 6⁰ (II. 13). Secundo jus eligendi a Clerico extraneo acquiritur ex *privilegio Pontificis.* Quod etiam innuitur in c. 8. *de consuet.* (I. 4). Tertio ex lege *speciali* in fundatione Ecclesiæ Cathedralis, in qua caveatur, ut electio Prælati spectet ad Prælatum alterius Ecclesiæ, vel admitti etiam debent Clerici, qui Canonici ecclesiæ Cathedralis non sunt.

7. Ex ipsis vero Canonicis Ecclesiæ cathedralis *excluduntur* 1⁰. ii qui tempore celebrationis electionis *subdiaconi* non sunt. Clem. 2. *de æt. et qual. et ord. præf.* (I. 6) Conf. Trid. sess. 22.

c. 4. *de ref.* Ii enim vocem in capitulo non habent, neque ad electionem perficiendam possunt ex aliorum Canonicorum indulgentia admitti, si autem admittantur, eorum suffragium omni prorsus valore caret. — 2°. Ratione defectus ætatis vel consilii voce activa electionis privantur *impuberes,* licet beneficium ex dispensatione obtinuerint c. 32. h. t. in 6°.; necnon *furiosi* et *mente capti.* — 3°. *Suspensi* ex c. 16. h. t. et c. 8. *de Consuet.* (I. 4). Suspensio, quæ privat Canonicum voce activa electionis, est vel totalis, quæ nempe suspendit ab officio et beneficio, vel ab officio tantum; non autem quæ suspendit tantum a beneficio; nam per illam quis tempore suspensionis non potest exercere actus officii sui; per secundam vero tantum privatur fructibus præbendæ. — 4°. Personaliter *interdicti,* aut interdictum locale violantes c. 16. h. t. et c. 18. §. 2. *de sent. excom.* in 6° (V. 11). — 5°. *Excommunicati* majore excommunicatione c. un. *Ne sede vac.* in 6°. (I. 8) et c. 39. h. t. Qua in re animadvertendum est jure Decretalium omnes hac excommunicatione irretitos jure electionis activæ privari. At non idem dicendum est post Bullam *Martini V.* «*Ad Evitanda*». Nam ex præscriptione illius Bullæ evitandi sunt solummodo nominatim denunciati ceu excommunicati, et publici percussores Clericorum. Reliqui tolerantur ita ut a fidelibus requisiti etiam in spiritualibus possint officium suum exercere, et cum ipsis communicare. A pari ergo poterunt eligere. Nec objiciatur Martinum nullum voluisse favorem conferre excommunicatis, sed onus eos vitandi coarctasse solum in aliorum fidelium bonum; nam electio est actus qui non refertur in bonum et commodum electorum, sed potius electi favorem et Ecclesiæ bonum respicit. Valida ergo est electio, quamvis in ea concurrat suffragium excommunicati tolerati. Ceterum excommunicatus toleratus poterit per exceptionem ab edendo suffragio removeri, qua exceptione posita, suffragium, si ab eo detur, non valet. — 6°. Eligentes vel postulantes *indignum* pro ea vice amittunt jus electionis c. 7. §. ult. h. t. et c. 37. h. t. in 6°, idque ipso facto; econtra non servatâ formâ, post sententiam tantum judicis declaratoriam; Reiffenstuel.: in cp. «Cum in cunctis» 7. h. t., n. 252. — 7°. Qui *tempore* definito cessante impedimento legitime Prælatum non eligunt; quo in casu jus ad superiorem devolvitur c. 41. h. t.

8. Quæstio 2ª. De eligendis, id est de jure passivæ electionis. — Ex c. 7. h. t. in princ. Alex. III. ait 'In sacris

Ordinibus et in ecclesiasticis ministeriis inquirenda est ætatis maturitas, gravitas morum et literarum scientia'. Quare quidam prohibentur a facultate passivæ electionis ex defectu scientiæ, quidam ex defectu ætatis, quidam ex defectu gravitatis morum.

9. Quoad *scientiam* attendenda est dispositio Conc. Tridentini sess. 22. c. 2. de ref. ubi ait 'Scientia præter hæc ejusmodi polleat (eligendus ad Episcopatum) ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere; ideo antea in Universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel Jure Canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur'. Cfr. de his etiam t. 14. h. l.

10. Ex defectu *ætatis* in Episcopum eligi non potest qui an. 30. nondum expleverit; in c. enim 7. cit. Concilium 'statuit ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum annum ætatis exegerit'. Induunt naturam hujus impedimenti irregularitates sive ex defectu mentis, uti est in amentibus, furiosis qui pueris æquiparari solent; sive ex defectu corporis, quasi nempe desit debita evolutio personæ, vel ejus integritas. Hinc in c. 30. h. t. traditur irregularem posse utique postulari, non vero eligi.

11. Ex defectu *morum* repelluntur ab electione passiva: 1°. Infideles jure divino; sunt enim beneficiorum ecclesiasticorum incapaces. 2°. Hæretici, credentes, receptores, defensores et fautores ipsorum, et eorum filii in linea masculina ad secundam usque generationem, in fœminina usque ad primam generationem c. 15. *de hæret.* in 6° (V. 2). Quod caput corrigit caput secundum eod. Excluduntur etiam schismatici arg. c. 5. h. t., in quo electio schismatici ad Ecclesiæ unitatem revertentis dispensative solum confirmari permittitur. Quo in capite glossa adnotat 'qui scindit se ab unitate Ecclesiæ, de jure communi non potest promoveri'. 3°. Sacrilegi arg. c. 34. h. t. et can. «Nulli» caus. 3. quæst. 4. 4°. Literarum Apostolicarum falsarii c. 7. *de Crimine falsi* (V. 20), usurarii manifesti, ac publici aleatores, qui nempe immoderate alearum ludis dant operam c. 15. *de excess. Prælat.* (V. 31). 5°. Perjurii c. 16. *de jurejur.* (II. 24). 6°. Ambitiosi, qui nempe consentiunt electioni in propriam personam factæ, antequam conficeretur et publicaretur electionis decretum c. 46. h. t. Hac de re fusius loquemur, quando tractabitur compromissum n. 21. 7°. Ex Const. S. Pii V. quæ incipit 'Horrendum' ineligibiles sunt sodomiæ crimine maculati. 8°. Qui tempore electionis absque congrua dispensatione

possident plura beneficia curata, aut dignitates vel personatus c. 54. §. «Nos igitur» h. t. 9°. Qui consensit electioni de se factæ per abusum sæcularis potestatis c. 43. h. t. — 10°. Irrita est electio alicujus, quæ etiam ipso ignorante simoniace confecta fuerit. Dummodo pecuniæ solutio non facta fuerit vel contra voluntatem electi, vel in fraudem electi ipsius, eo scilicet scopo ut nempe possit oppugnari electio c. 27. *de Simonia* (V. 3) et cap. penult. 59. h. t. — 11°. Ineligibiles sunt qui semel, non ex defectu formæ non observatæ, sed ex vitio personæ sunt rejecti; quorum nempe ex crimine aliquo electio fuit declarata irrita c. 12. h. t. — 12°. Infames, sive qui maculantur infamia juris, sive qui infamia facti maculantur. Ex Regula enim Juris 87. in 6°. 'infamibus portæ non pateant Dignitatum' et can. «Infames» 17. C. 6ª. q. 1. Ubi, expositis variis criminibus, quæ personarum famam lædunt, concluditur 'hi omnes nec ad sacros gradus debent admitti'. Crimen vero ut infamiam gignat non debet esse mere occultum (excepto tamen homicidio). Insuper adnotari debet differentia inter impeditos infamia juris et impeditos infamia facti. Cum infamia juris judicialem provinciam ingrediatur, ac publicam auctoritatem attingat, remitti ac absolvi nequit absque contraria judicis sententia, quæ innocentiam declaret, aut saltem edicat non constare de crimine. Hinc qui ea detinetur non potest eligi ad dignitates et ad Episcopatum, antequam hæc sententia obtineatur, aut ab auctoritate competente non dispensetur ab infamia. Cum vero infamia facti in publica opinione consistat, eaque cesset, postquam mutatis in melius moribus ac peracta peccatorum pœnitentia populus incipiat bene de persona cogitare, sequitur posse inde eligi qui antea infamis reputabatur arg. c. 11. *de excess. Præl.* (V. 31) 13°. Ob censuras repelluntur ab electione a) excommunicati etiam non vitandi, id est tolerati, dummodo non fuerint occulti cap. «Cum dilectus» *de Consuet.* 8. (I. 4) c. 1. *de Postul. Præl.* (I. 5). b) Suspensi c. 8. *de Consuet.* (I. 4) c) Personaliter interdicti vel temere violantes interdictum locale c. 18. §. 2. *de Sent. excom.* in 6° (V. 11). Tandem d) Irregulares, sive irregularitas ex crimine sive ex defectu procedat.

12. Quæstio 3ª. De iis quæ electionem præcedunt. — 1°. Præcedere debet vacatio sedis seu beneficii ad quod personæ novæ electio facienda est. Etenim abhorruerunt canones destinationem personæ in locum illius qui adhuc legitime retinet beneficium. Quare non solum concessio sed etiam promissio præbendæ

non vacantis reprobatur capp. 1. et 2. *de concess. Præb.* (III. 8). Immo sede plena reprobantur ipsi tractatus circa futuram electionem. Porro Ecclesia vacare potest 1°. per *mortem* naturalem Prælati, vel per mortem civilem, qua nempe ob culpam gravem a Superiore decernitur removendus. 2°. Per translationem Episcopi ad aliam sedem can. «Episcopus» 37. C. 7. q. 1. 3°. Per legitimam renuntiationem acceptatam a Superiore. 4°. Per acceptationem et assecutionem alterius incompatibilis beneficii, vel ingressum et professionem Prælati in Religione approbata capp. 10. et 11. *de Renunciat.* (I. 3).

Quod si sedes vacaverit per mortem Prælati antequam procedatur ad electionem, 1°. præmitti debet honorifica sepultura Prælati ejusdem c. 36. h. t. §. «electionem». Hoc vero reverentiæ officium non est absolute necessarium ita ut secus sit nulla electio. 2°. Debet præfiniri et adsignari locus et tempus ad electionem perficiendam arg. capp. 50. et 52. h. t. 3°. Vocari debet quicumque jus habet eligendi, quique possit commode et velit interesse ex c. 42. h. t. Quod si aliquis non fuerit vocatus, potest ipse petere ut rescindatur electio, c. 28. h. t. §. 'quod si eos'. Hic vero si de spreto vel neglecto non agat, taciturnitate sua videtur confirmare, quod ab aliis electoribus factum est. Diximus 'commode possunt venire'; nam si quis in regiones abierit remotissimas, ita ut accedere nequeat intra bimestre vel trimestre, non est vocandus.

13. Quæstio 4a. A n s u f f r a g i u m d a r i p o s s i t p e r p r o c u r a t o r e m? In cap. 42. h. t. §. 'illud autem' affirmativa sententia proponitur, quibusdam concurrentibus adjunctis. 1°. requiritur, ut quis sit *absens* a loco, in quo celebranda est electio. 2°. Requiritur, ut justo *impedimento* detineatur ex. gr. ceu admonet glos. in cit. cap. 42. verb. 'venire', gravi infirmitate; sic si elector timeat insidias vitæ suæ structas, vel injuste detineatur ab extranea vi. Quod de absentibus diximus, etiam illis applicari potest qui ubi celebratur electio commorantur, sed infirmitate impediti ad locum electionis accedere prohibentur. Ita auctores; qui insuper non reprobant alicujus Capituli consuetudinem in quo scrutatores adeunt infirmos, eorumque votum exquirunt.

14. Procurator vero debet eligi ex ipsis *canonicis electoribus* ex cit. c. 42. h. t. §. cit. ita ut si extraneus eligatur, possint, si velint, Capitulares excipere illumque repellere. Nam conditio, ut

eligatur unus e gremio Capituli, posita est in honorem et commodum Capituli ejusdem, cui proinde potest renuntiare, acceptans extraneum. Quandoque autem non unus tantum, sed plures designantur procuratores, ut uno fortasse deficiente, tutius suffragium mandantis in electione concurrat. c. 46. h. t. in 6⁰. (I. 6). Verum nonnisi in solidum constitui possunt plures procuratores. Id est non constituuntur plures, ut singuli suffragium nomine mandantis exhibeant; sed ut unus solummodo, qui alios præveniat, possit suffragium emittere c. 14. *de Procur.* (I. 38). Quod si duo simul concurrant procuratores, tunc valet votum illius qui a Capitulo eligitur; vel, si Canonici non conveniant, ille præfertur qui prior in literis commissionis describitur c. cit. 46. h. t. in 6⁰.

15. Porro procurator canonicus si mandatum pro eligenda persona *speciali* acceperit, poterit suffragium proprium dare pro *distincta* persona; si vero in mandato designata non fuerit persona eligenda, *uni* tantum personæ suffragium proprium et illud mandantis dare potest. Quia quisque tenetur eligere quem magis idoneum reputat; unus autem est præ cæteris aptior in cujuslibet electoris mente cit. c. 46. h. t. in 6⁰. §. 2.

In quo cap. §. ult. interdicitur suffragium per *literas* expressum, licet nullus ex Canonicis velit esse procurator, et capitulum extraneam personam recuset.

16. Quæstio. 5ª. De forma electionis. — Jure Decretalium triplex est, scilicet *inspirationis* vel quasi inspirationis, *scrutinii*, et *compromissi* ex c. 42. h. t. In quo capite reliquæ formæ electionis reprobantur, et præsertim reprobatur electio *per sortes.* Verum in materia electionis per sortes præ oculis haberi potest resolutio S. Congr. Conc. in causa *Romana* Electionis et Devolutionis diei 2. Maji 1857. Cum ageretur de electione ad Canonicatum Basilicæ S. Mariæ in Cosmedin facta ex unanimi consensu electorum per sortes, postquam in triplici repetito scrutinio æqualia suffragia duobus Candidatis favissent, S. Congregatio decrevit electionem hanc sustineri. Certa enim erat electoribus idoneitas utriusque, et ex paritate suffragiorum constabat paria fuisse utriusque merita. Hinc cessabat ratio juris, ob quam sortium usus prohibetur, et ceteroquin, non agebatur de beneficio qualificato quod exegisset formam canonicam electionis. Quapropter conclusio est: usus sortis non interdicitur in electionibus ecclesiasticis, quando

constat de idoneitate candidatorum, et ex duobus vel tribus experimentis resultaverint paria pro singulis candidatis suffragia, maxime si agatur de beneficiis non qualificatis.

17. Electio per *inspirationem* obtinuit, cum verum et sensibile miraculum contigit, ut quis in Episcopum assumeretur. *Quasi* per inspirationem celebratur electio, cum nullo præmisso tractatu omnes electores unanimi consensu atque una voce aliquem eligunt in prælatum. Hanc formam probat Innoc. III. in cit. c. 42 in fin. h. t. Optime autem ibi adnotat Pontifex hanc valere electionem, si vitio careat. Si enim vel simonia locum habuerit, vel conspiratio turpis, vel fuerit adempta libertas debita electoribus, electio non sustinetur arg. c. 26. et c. 45. h. t.

18. Secunda forma est per *scrutinium* et ex c. 42. h. t. ex mente Innoc. III. potest definiri electio illa, quæ 'præsentibus omnibus, qui debent et volunt et possunt interesse, celebratur per collectionem suffragiorum circa eam personam, in quam consentit major et sanior Capituli pars'. Forma hæc ita procedit. Electores in loco designato intra ambitum viduatæ Ecclesiæ ex c. 18. h. t. in 6^{0}. capitulariter collecti in congregatione, id est juxta modum quo capitulum celebrari solet, c. 42. h. t. et c. 55. h. t., tres scrutatores fide dignos eligunt de gremio Capituli, qui recipiunt vota singulorum. Ex vetere disciplina scrutatores per verba excipiebant suffragia eligentium. Inde vero inductum est, ut suffragia scripto traderentur. Receptis suffragiis scrutatores suffragia publicant et vident, quinam majorem numerum suffragiorum retulerit, ac conficitur decretum electionis, atque publicatur uti facta. S. C. Concilii, in una *Segovien,* d. 8. Aug. 1885, definivit: «Electionem compleri per vota non *relative,* sed *absolute* majora;» unde patet e. gr. non esse electum illum qui ex septem votis retulit tria, cum duo adversarii reciperent singuli bina; sed requiruntur saltem quattuor vota, ut electio ex septem sustineatur. Porro ille censetur electus, in quo convenerit *major et sanior Capituli pars.* Quæ expressio ut intelligatur, sciendum est factam fuisse ex vetere disciplina triplicem collationem, nempe numeri ad numerum, meriti ad meritum, zeli ad zelum. Prima collatio fiebat inspiciendo numerum suffragiorum, quæ ab electoribus ferebantur. Meriti ad meritum fiebat comparatio inspiciendo electarum personarum merita, id est auctoritatem et dignitatem personarum. Zeli ad zelum collatio fiebat inspiciendo intentionem ab electoribus in edendo suffragio mani-

festatam, an scilicet suffragium dedissent ob finem legitimum vel potius ob humanum finem. Hæc triplex collatio fiebat, ut appareret, quinam esset, in quem convenisset major et sanior Capituli pars. Abbas in c. 42. h. t. n. 10. Non enim electio valebat, nisi concurrisset major capituli pars, licet minor pars fuisset sanior c. 50. h. t., sed ad novam electionem deveniendum erat. Excipiebatur casus quo major pars elegisset *scienter* indignum; quia pro illa vicê privabatur jure eligendi, et sustinebatur electio facta a minori et saniori parte Capituli c. 53. h. t. Hæc collatio vero non fiebat in casu unanimis Canonicorum consensus in aliquem eligendum, vel si quis a duplo majori parte Canonicorum electus fuisset, quia hæc pars et sanior præsumebatur c. 9. h. t. in 6°. Imo et generatim quando in aliquem eligendum major pars Capituli concurrebat, hæc pars et sanior præsumebatur, ceu adnotat Pontifex in c. 57. h. t. At quandoque præsumptio veritati cedebat, et major pars eligebat minus idoneum; et tunc facta comparatione meriti ad meritum inter electos et zeli ad zelum inter eligentes, apparebat saniorem partem haud convenisse in electionem cujusdam perficiendam; quæ proinde electio cassabatur. Exemplum habemus in ipso cit. 57. h. t et c. 55 h. t. *Modo* autem quando agitur de negotio electionis perficiendæ etiam ad minora officia, major numerus electorum in quendam conspirantium, majorem quam antiquitus præsumptionem inducit etiam potioritatis meriti ad meritum. Unde communiter electus habetur ille qui majoris partis Capituli suffragia referat; nisi ceteroquin indignus reperiatur. At hæc non ex defectu formæ, sed ex qualitate personæ, quæ potiora suffragia retulit, electio caret effectu.

19. Tertia forma electionis est per *compromissum,* quæ locum habet, cum Capitulares uni vel pluribus personis idoneis potestatem eligendi concedunt, ita ut electus a compromissariis censeatur electus nomine et vice capituli. Quod hæc forma sit legitima, apparet ex dispositione capp. 42. et 30. h. t. Porro indifferens est, utrum compromissarii de gremio capituli sint vel extranei, ceu docet gloss. in c. 42. et ab omnibus recipitur. Conditiones compromissi sunt 1° ut compromissarii sint clerici. Laici enim negotia pure ecclesiastica tractare nequeunt c. 2. *de Judiciis* (II. 1). Porrò in c. 8. 'Contigit' *de Arbitris* (I. 43) cavetur expresse, ne in rebus spiritualibus compromittatur in laicum. 2°. Ut inter clericos ipsos persona vel personæ idoneæ eligantur c. 42. h. t.

3°. Ut compromissarii eligantur ex consensu omnium et singulorum, qui jus habent eligendi, ita ut dissensus unius compromissum reddat nullius roboris. Innuitur hæc conditio in cit. c. 42. cum de compromissariis dicatur 'qui *vice omnium* Ecclesiæ viduatæ provideant de pastore'. Et post glossam in d°. capite traditur communiter a Doctoribus ob rationem apertissimam deductam ex natura electionis, quæ tangit jus et negotium singulorum. Hinc valet Reg. 29. Juris in 6°. 'quod omnes tangit, debet ab omnibus probari'. Quod si omnes et singuli probaverint viam compromissi, non omnes vero convenerint circa personas destinandas ad negotium electionis perficiendum; ille vel illi habebuntur legitimi compromissarii, in quem vel in quos convenerit major pars suffragiorum Capituli.

20. Compromissum vero esse potest vel *absolutum* et illimitatum, vel ab aliqua *conditione* moderatum. Primum obtinet, cum libera facultas conceditur compromissariis eligendi personam sibi benevisam. Quo in casu data potestate eligendi censetur data etiam postulandi facultas c. 30. h. t. Secundum, cum aliqua conditio statuitur sive quoad modum eligendi, sive quoad personas determinatas, inter quas electio cadere debeat. Ex. gr. si debeat eligi aliquis de Capitulo. Porro Capitulum non tenetur recipere electionem factam a compromissariis, non servata forma compromissi capp. 32. et 52. h. t. Hic modus in forma conditionata reperitur adhibitus in cap. 32. h. t. Cum vero dubium ortum fuerit, utrum hic modus abrogatus esset a Constitutione Conc. general. Lateranensis, relata in c. 42. 'Quia propter' h. t. *Bonifacius VIII.* in c. 29. h. t. in 6°. declaravit posse adhuc adhiberi, quia non fuit a Conc. Lateran. prohibitus.

21. Quæritur utrum compromissarius *sibi* possit suffragium dare. Certe, si in scrutinio, præsertim per vota *secreta,* unus electioni suæ ab una pari parte eligentium factæ accederet, electio ejusmodi esset nulla; S. C. Concilii in *Veliterna,* 18. April 1885. Deinde si *unus* tantum sit compromissarius, non potest, quia hæc agendi ratio ambitum redoleret; ita glossa in c. 33. h. t. cum auctoribus. Accedit etiam ratio, quia si Capitulum voluisset eligere compromissarium in prælatum, eundem elegisset, nec ei mandatum dedisset ad eligendum. Quod si vero *plures* sint, qui electioni perficiendæ sint a Capitulo destinati, unus ex iis potest in suam electionem consentire per proprium suffragium juxta communem

auctorum doctrinam super c. 33. h. t., licet hoc caput provocet ad «*compromissi tenorem*».

22. Cessat vero compromissum 1°. *revocatione* facta a committentibus re integra c. 30. h. t. In hoc cap. probatur electio facta a compromissariis, quia revocatio fuerat facta 'cum res non esset integra, quia in tractatu processerant electores'. Ex quibus verbis eruitur argumentum, quod dicitur a sensu contrario. Insuper insinuatur, quandonam res desinat esse integra; cum nempe tractatus de electione inceperit. Id est non sufficit præparatio ad electionem ex. gr. celebratio Missæ de Spiritu sancto, sed requiritur, ut compromissarii inceperint tractare de persona eligenda. Communiter docent auctores, re etiam integra, non posse revocari compromissum a minori parte Capituli, arg. c. 1. *de his qui fiunt a maj. parte Capituli* (III. 11).

2°. Perimitur compromissi facultas, si compromissarii eligant *indignum* sive id scienter fecerint, sive ex ignorantia. Quo in casu electio non valet: capp. 7. 8. et 21. h. t. et potestas eligendi revertitur ad compromittentes. Non revertitur vero potestas, quando et ipsi scienter indignum electum a compromissariis recipiant et approbent c. 37. h. t. in 6°. Ratio prioris partis ex eo deducitur quod, peracta quomodocumque electione, compromissarii functi sunt munere suo, ac mandato expleto, nova commissio requireretur ad negotium electionis iterum peragendum. Revertitur autem ad compromittentes facultas eligendi, quia ipsi dignum eligi desiderabant, et si indignus fuit electus, id præter eorum intentionem contigit, nec culpa aliorum debet in damnum committentium retorqueri. Reg. 22. Juris in 6°. Ratio 2ᵃᵉ. partis probatur ex Reg. 10. Jur. in 6°. 'ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari'. Quare etiam ipsi compromittentes ceu indignum eligentes, jure electionis pro illa vice privantur. Compromissarii autem (dummodo compromissarius non sit Episcopus), si in Episcopum aliquem indignum scienter proponant, incurrunt pœnas contra indignum eligentes statutas. Quas pœnas persolvent etiam compromittentes ratam habentes scienter electionem indigni c. 37. h. t. in 6°. et c. 7 §. ult. h. t.

3°. Cessat facultas compromissarii cessante *tempore* in mandato adsignato ad electionem faciendam, aut non servata conditione adjecta in mandato; et facultas eligendi revertitur ad ipsos committentes c. 52. h. t. Quod si vero præterlabatur tempus utile

a lege præfinitum ad electionem perficiendam, jus eligendi non ad committentes, sed ad superiorem devolvitur c. 37. h. t. in 6°. §. 1.

4°. Cessat facultas eligendi in compromissariis *completa* electione, licet non fuerit sortita effectum suum, ob quamcumque causam.

23. Quæstio 6ª. De qualitatibus electionis. — Quædam qualitates ipsam *electionem* respiciunt, quædam vero *locum* et *tempus,* quo celebrari debeat electio.

1°. Electio debet esse prorsus *libera,* ceu traditur in c. 14. h. t. Quare electio facta per abusum *sæcularis* potestatis contra canonicam libertatem decernitur ipso jure nulla c. 43. h. t. Ut hanc libertatem tuerentur Rom. Pontifices, tantopere adlaborarunt cum Principes sæculares intuitu investiturarum conabantur jus electionis quodammodo ad se trahere et electoribus designare personam, quæ esset dignitate decoranda.

Nec ipsi Prælati *ecclesiastici* possunt electorum libertatem coarctare. Species et relativa decisio datur in c. 14. h. t. de Patriarcha Hierosolymitano, qui irritabat electiones in Ecclesiis sibi suffraganeis, nisi electa fuisset una inter duas personas, quas ante canonicam electionem electores debebant eidem indicare. Hanc consuetudinem abolendam esse declarat Pontifex, quia redundabat in perniciem libertatis ecclesiasticæ. Ergo nec jus confirmandi electionem potest secumferre facultatem coarctandi aliquo modo electionem.

2°. Debet esse electio ordinarie actio *collegialis,* seu celebrari debet a canonicis in congregatione adunatis. Nam in cap. 'Quia propter' 42. h. t. celebranda dicitur *omnibus præsentibus.* Cui consonat c. 55. h. t. Quæ forma ab auctoribus dicitur substantialis. Hinc non sufficerent ad rite conficiendam electionem suffragia singillatim ex propria habitatione exquirentibus manifestata.

24. 1°. Quoad *locum* electio Episcopi debet celebrari intra ambitum Ecclesiæ viduatæ c. 28. h. t. et 25. *de Apellat.* (II. 28). Vero in cit. c. 28. adnotat Pontifex electionem juxta canonicas sanctiones, *si fieri potest,* in Cathedrali Ecclesia celebrari debere. Quare, si rationabilis adsit causa, licet non gravis, alius electionis perficiendæ locus de consensu majoris partis canonicorum præsentium determinari poterit.

2°. Circa *tempus* perficiendæ electionis, ut ex dispositione c. 36. h. t. §. 'electionem' adnotavimus, celebrari non debet electio,

antequam demortui Prælati cadaver sepulturæ fuerit traditum, nisi urgeat rationabilis causa. Perfici autem debet electio, si de regulari vel cathedrali Ecclesia agatur, intra *trimestre* c. «Ne pro defectu» 41. h. t. Si vero sermo sit de inferioribus beneficiis, licet dignitatis honore fulgeant, tempus utile *sex* mensibus continetur. Quod tempus debet computari a die habitæ notitiæ mortis Prælati. Expresse traditur hæc limitatio in c. 5. *de concess. Præbendæ* (III. 8) in fin. Quam dispositionem haurire possumus etiam ex c. 3. *de suppl. neglig. Prælat.* (I. 10) Quod insuper tempus legitime impeditis non decurrit. Licet ergo trimestre præterlapsum fuerit nondum celebrata electione, dummodo electores probaverint, se fuisse justo impedimento detentos, poterunt nihilominus electionem celebrare, non computato nempe in tempore utili illo dierum lapsu, quo fuerunt impediti. Cessante autem impedimento, si ultra trimestre vel semestre distulerint electionem, sive omnino non eligendo, sive eligendo indignum, sive eligendo quidem, sed semper distrahendo vota, idquod «abusus» vocatur a s. C. Concilii in *Segovien.*, 8. Aug. 1885, pro illa vice Canonici privantur jure eligendi, quod devolvitur ad superiorem, cui jus confirmandi electum competeret. Hic vero intra trimestre cum consilio capituli sui et aliorum virorum prudentium electionem conficere tenetur. Id vero docet Concilium generale in c. 41. h. t. cui consonat c. 18. h. t. in 6°.

25. Quod si vero electio jam completa proprium non sortiatur effectum, ex parte electi, vel quia electus non assentiatur, vel quia acceptatæ electioni renuntiet, vel moriatur etc., novum ac integrum tempus utile ad electionem iterandam habebunt electores c. 26. h. t. in 6°.

26. Ex exposita theoria sequitur, in electionis negotio posse aliquos accidere *defectus*, qui ejus virtuti et efficaciæ seu valori opponantur. Primus defectus esset personæ *laicæ* admissio ad suffragium ferendum. Duplex in casu fingi potest hypothesis; prima videlicet si laici per abusum electionem ipsi perficiunt, qua in hypothesi electio nulla ipso jure decernitur, et qui huic electioni in sui personam factam consentit, privatur absolute jure electionis passivæ, id est hujusmodi fiunt ineligibiles, nec ad aliquam dignitatem possunt absque dispensatione assumi cap. 43. h. t. Secunda hypothesis est, si laici admittuntur ex canonicorum consensu ad electionem cum ipsis perficiendam, quo in casu pariter

electionem factam nullius esse roboris decernit Pontifex in cap. 56. h. t.

27. Alterum vitium electionis potest dari circa personam electi, si nempe *indignus* eligatur contra decretum cap. 7. h. t. quæ proinde electio non sustinetur. Porro optime distinguenda est inhabilitas simplex seu quæ oritur ab aliquo impedimento, quod in Ecclesiæ dedecus non vergit, ut esset ex gr. si electus gubernaret aliam Ecclesiam; et vera indignitas subjecti, ex. gr. si eligeretur excommunicatus, suspensus, qui plura beneficia incompatibilia actu possidet sine dispensatione cap. 54. h. t., aut qui debita scientia caret, vel laborat defectu natalium, ordinum, ætatis etc. de quibus supra vidimus. Quo in secundo casu si electio facta est *scienter* de indigno, electores pro illa vice privantur jure novæ electionis, quæ proinde ad superiorem devolvitur, et per triennium suspenduntur ab omnibus beneficiis quæ in Ecclesia illa viduata possident cap. 7. h. t. §. «Clerici», et cap. 25. eod. titulo; quæ pœna suspensionis triennalis non est extendenda ad beneficia, quæ in aliis Ecclesiis forte possidet qui elegit indignum ex cit. c. 37. h. t. in 6⁰. §. 'Restringitur'. Interim vero idest durante triennio eligens indignum non potest ad dignitatem in Ecclesia assumi c. 26. eod.

28. 3um vitium in electione contingit, cum in parte substantiali non servatur *forma* electionis præscripta. Quo in casu et electio nulla est, et pro ea vice devolvitur ad superiorem. At si forma *specialis* observari *nequit*, electio secundum jus commune confecta sustinetur secundum illud: «Casus omissus cadit sub dispositione juris communis» (v. l. «Præcepimus» C. *de appell.*); S. C. EE. et RR. in *Venetiar.*, 28. Nov. 1881.

29. 4^{m}. Defectus est si electionis negotium non compleatur intra *tempus* a jure definitum.

30. Si quæratur vero quinam sit superior, cui devolvitur electio, cum vel ob aliquod vitium in electione admissum, vel ob negligentiam legitimi electores privantur jure eligendi; an scilicet sit superior immediatus, cui jus confirmandi electum competit, vel sit superior Princeps in Ecclesia, responsio datur a *Bonif. VIII.* in c. 18. h. t. in 6⁰. qui distinguit inter casum in quo ex negligentia non completur electio intra tempus a jure definitum, et casum in quo vel scienter eligatur indignus, vel non servetur

forma Conc. Lateran. relata in c. 42. h. t. In 1°. casu tradit Pontifex devolvi jus electionis ad superiorem immediatum, ad quem etiam spectat officium corrigendi negligentiam Prælati inferioris prout in speciali titulo explicabitur. In 2°. autem casu docet Pontifex electionem devolvi ad Romanum Pontificem.

31. Quædam dicenda sunt in specie de electione Rom. Pontificis, qua in re optime conferri potest Antonius Serafinus *Camarda* 1773. *De elect. R. Pont.* qui in unum opus omnes constitutiones collegit quæ de hac materia editæ sunt usque ab initio.

Usque ad sæculum 4um. integrum nulla forsitan edita erat constitutio qua figeretur jus vel norma in electionibus perficiendis Romanorum Pontificum; sed summus Pontifex ad tramitem juris, seu melius consuetudinis a Clero eligebatur accedente consensu populi ferentis testimonium bonæ vitæ personæ eligendæ can. ult. Distinc. 79. Ineunte vero sæc. V. post mortem Zosimi enatum Schisma occasio fuit statuendi ut si duo in discordia ordinarentur Pontifices, uterque muneri nuncium dare teneretur, et nova celebraretur electio. Dispositio hæc refertur in c. 2. dist. 97, et can. 8. distinc. 79. Sub fine sæc. V. an. 499. cautum fuit ut ille censeretur electus qui majoris partis eligentium suffragia referret cc. 2. et 10. dist. 97. Sequioribus annis a VI. circiter sæculo fere usque ad sæc. X. invaluit forma electionis quæ in «diurno Romanorum Pontificum» legitur. In hac forma hoc præcipue adnotatur, quod nempe, peracta electione, relatio de ea ad Imperatorem fiebat, ut ejus assensus exposceretur. Hæc autem indulgentia erga Imperatores adhibita fuit ob specialem protectionem qua Imperatores Romanam Ecclesiam prosequebantur. Deinde processu temporis præsertim ex *Nicolai II.* constitutione ad vitanda vitia simoniæ et seditionum pericula invalescere cœpit mos ut, licet Clerus et populus in negotio electionis tractando admitteretur, tamen præcipuas partes sibi Cardinales vindicarent can. 1. dist. 3. et cann. 1. et 9. distinc. 79.

32. Tandem inducta est disciplina quæ in Decr. *Gregorii IX.* refertur sub c. 6. h. t. quæ est *Alex. III.* in Conc. Later. III. Hic legitime electus ex adverso tres antipapas habuit, qui favore Imp. Friderici suffulti Ecclesiam per octodecim annos divexarunt. Quare ut schismata removerentur, constitutionem edidit, quæ tria decernit 1°. ut electio R. Pontificis a solis *Cardinalibus* perficeretur,

2°. ut is electus haberetur, qui *duarum* ex *tribus* partibus suffragia referret, 3°. ut si quis a paucioribus quam a duabus partibus eligatur nisi major concordia patrum accedat, debeat abstinere a munere pontificali, ita ut secus excommunicationi subjaceat, et totius sacri ordinis *privatione* mulctetur. Ex qua constitutione nova inducta est disciplina electionis, quæ adhuc servatur.

33. *Gregorius X.* in Conc. Lugdun. an. 1273. aliam edidit constitutionem pro celebranda electione Rom. Pontificis et legitur in c. 3. h. t. in 6°. In quo cap. designatur locus celebrationis electionis, et est, si fieri potest, vel urbs vel Diœcesis in qua demortuus est Pontifex, designaturque disciplina Conclavis circa victum et circa prohibitionem commercii Cardinalium cum extraneis personis a Conclavi. Confirmata fuit hæc constitutio a *Clemente V.* in Clem. 2. *de elect.* (I. 3), a *Clemente VI.* Const. «*Licet*» an. 1351. a *Julio II.* an. 1503. in Const. «*Cum tam divino*». Præterea novam edidit constitutionem *Paulus IV.* 17. Kal. Jan. 1558. «*Cum secundum Apostolicum*» qua prohibuit ne vivente adhuc Pontifice, de electione novi Pontificis tractaretur. Insuper de electione sum. Pontificis egerunt *Pius IV.* in Const. «*In eligendis*» 1562., *Gregorius XV.* in Const. «*Æterni Patri*» 1621., et *Innocentius XII.* in Const. «*Romanum decet*» an. 1692.

34. Ex hisce constitutionibus tria in electione Rom. Pontificis observanda in specie sequuntur. Primum singulare est ut etiam Cardinales excommunicati, suspensi aut interdicti admittantur ad electionem faciendam Clem. 2. h. t. In Const. autem *Pii IV.* quæ incipit «*In eligendis*» decernitur prætextu censuram Cardinales privari non posse jure activæ vel passivæ electionis, quæ censuræ suspenduntur ad effectum electionis ipsius. — Secunda animadversio refertur ad tempus. Ex Const. *Gregorii X.* in c. h. t. in 6°. et ex Const. Pii IV. «*In eligendis*» lapsis decem diebus ex morte Pontificis, Cardinales in Curia præsentes Conclave ingredi tenentur, atque illico in negotio electionis procedere, absentibus ex quacumque causa non expectatis. Qui absentes cum venerint si nondum electio facta est admittuntur, si vero jam fuerit completa, eam revereri ac acceptam habere debent. Tempus autem intra quod electio debeat compleri definitum non est. Jus enim eligendi Rom. Pont. proprium est et exclusivum S. R. E. Cardinalium, quod jus devolvi non potest ad aliquem superiorem saltem ordinarium, qui suppleat negligentiam eorum. Ad summum enim posset ab

aliquibus objici Concilium generale tempore sedis vacantis repræsentare posse superiorem potestatem in Ecclesia. Attamen generale Concilium (omissa etiam tantisper quæstione, utrum sede apostolica vacante, concilium œcumenicum dari possit) non offerret medium ordinarium quo brevitati electionis consuleretur. Nam concilium generale solummodo ex peculiaribus circumstantiis extraordinarie adunatur. Cum vero electio Pontificis sit ordinaria, quemadmodum ordinaria res est vacatio Romanæ sedis, non potest relinqui sub incerta dispositione medii extraordinarii, prout est Concilium œcumenicum. Hodie autem juridica quæstio resoluta est a *Pio IX.* S. M. in Const. «*Cum Romanus Pontifex*» edita pridie Nonas Decembris 1869. In ea statuitur, ut si quibuscumque futuris temporibus, Romanus Pontifex demoriatur pendent alicujus Concilii generalis celebratione, electio novi Pontificis a Collegio S. R. E. Cardinalium exclusive perficiatur. Insuper ut hujus juris exclusivi observantiæ consuleretur, in eadem Constitutione decernitur, ut accepta certa notitia de morte Pontificis, *suspensum* intelligatur ipsum Concilium, et tamdiu dilatum, quoadusque novus Pontifex canonice electus illud iterum coadunari et continuari mandaverit. Igitur exclusa hodie prorsus est via devolutionis ad Concilium in casu quo diu protrahatur a Cardinalibus electio Pontificis, et per consequens dicendum est in jure non definiri tempus utile et peremptorium ad electionem Pontificis explendam. Grave autem onus urget Cardinales, ut citius quo fieri potest negotium electionis persolvant. *Gregorius* insuper *X.* in cit. c. 3. h. t. in 6°. decernit ut si post triduum ab ingressu Conclavis electio facta non sit Cardinalibus unius ferculi prandium et cœna relinquatur ad alios quinque dies, quibus transactis, infecta electione, panis, vinum et aqua usque ad perfectam electionem iisdem tantummodo administretur.

35. Tertia specialis dispositio in electione Romani Pontificis respicit accessum. Ipse *Alexander III.* in c. 6. h. t. tradit eum qui retulit minorem præ duabus tertiis partibus suffragiorum posse eligi, si alii accedant suffragio suo Cardinales usque ad binas tertias partes suffragiorum. Hanc rem fusius enucleavit et definivit *Gregorius XV.* in Const. quæ incipit «*Æterni Patris*». In hac Constitutione decrevit, ut publicatis a scrutatoribus suffragiis in schedis descriptis Cardinales possint accedere scripto suffragio in nova scheda in electionem illius qui aliquod saltem suffragium obtinuit.

In accessu autem non possunt Cardinales iterum dare suffragium illi, cui jam dederant in scrutinio. Si computatis suffragiis habitis in prioribus schedis, et in novis, quis in eodem scrutinio referat binas tertias partes suffragiorum, censetur electus, secus schedæ comburuntur, et iterum negotium electionis in alio scrutinio suscipitur. Accessus hic solummodo in electione Rom. Pontificis observatur. In aliis enim electionibus Prælatorum, publicatis suffragiis, si nemo fuit a majori et saniori parte electus, iterum renovatur scrutinium. Quoad jus eligendi passivum notandum est: ab electione *Bonifatii IX.* (1389) nullus Pontifex e collegio Cardinalium, ab electione *Clementis VII.* (1523) nullus e natione Itala non est assumptus, licet nullum *humani* juris, quominus quis eligatur, impedimentum adsit excepto simoniæ et hæresis reatu: *Julius II.* in const. «*Cum tam divino,*» 14. Jan. 1505.

36. De electione Prælatorum Regularium. — Principii loco statuendum est in hac electione servandas esse peculiares cujusque ordinis constitutiones a S. Sede confirmatas, exceptis iis, quæ a jure communi in omnibus ordinibus servanda præcipiuntur, nec auctoritate apostolica correcta fuerunt. — Et 1⁰. ut quis jus eligendi habeat debet esse *professus* in Conventu cujus Prælatus est eligendus arg. c. 1. h. t. 2⁰. Debet esse saltem in sacro *subdiaconatus* ordine constitutus Clement. 2. *De œtat. qual.* (I. 6) et ex c. 4 sess. 22. *De ref.* in Conc. Trid.

Excluduntur autem 1⁰. Conversi *laici* nisi sermo sit de ordine in quo soli essent conversi laici ex. c. 32. h. t. in 6⁰. et glossa in v. 'cum Clericos'. 2⁰. *Mendicantes* qui etiam cum apostolico beneplacito ad ordinem non mendicantium transierint Clem. 1. *de Reg.* (III. 9). — 3⁰. Ex c. 2. sess. 25. *de Regul.* per biennium privantur facultate eligendi Religiosi qui votum *paupertatis* violaverunt.

Ut vero quis possit in prælatum assumi præter qualitates generales eligendorum, necesse est ut sit in eodem ordine professus c. 49. h. t. Quæ professio debet esse expressa, nec tacita sufficeret. c. 28. h. t. in 6⁰. et Conc. Trid. sess. 25. *De Reg.* c. 21.

37. De Monialibus. — Norma electionis Abbatissæ vel Priorissæ quæ regimen exercet in Monasterio traditur in c. 43. h. t. in 6⁰. in quo statuitur ut moniales eligentes debeant saltem 12 annorum ætatem habere, quæ professionem vel tacitam vel expressam fecerint. Porro ea censetur electa, quæ *duas tertias* par-

tes suffragiorum retulerit. Facto autem scrutinio dari potest *accessio* aliarum monialium, ut eligatur monialis, quæ aliqua suffragia obtinuit. Correcta hæc constitutio est a Conc. Trid. sess. 25. de *Reg.* c. 15. ubi ætatem professionis 16. completum annum constituit.

Quoad vero eligendam statuit cit. c. 43 ut electa expleverit annum 30. et *expresse professa* fuerit ordinem regularem. Concilium vero Trid. c. 7. sess. 25. de Reg. decernit ut Abbatissa vel Priorissa eligatur non minor ætate annorum *40* quæ octo saltem annis post professionem expressam in Monasterio laudabiliter vixerit. Quod si idonea in Monasterio non reperiatur, potest ex alio ejusdem ordinis assumi. Quod si id videatur incommodum illi qui electioni præest, concedit eidem S. Synodus facultatem ex eodem Monasterio idoneam eligendi, quæ tamen trigesimum ætatis annum expleverit, ac quinque annis in religione post factam professionem laudabiliter vixerit.

Tandem forma electionis perficiendæ tum Prælatorum Regularium tum Abbatissarum vel Priorissarum determinatur a Conc. Trid. sess. 25. *de Reg.* c. 6. Et est ut perficiatur per vota *secreta,* ita ut eligentium nomina nunquam publicentur.

38. De publicatione scrutinii. — Præter publicationem votorum quæ fuerint collecta juxta c. 42. h. t. ubi dicitur 'vota cunctorum in scriptis redacta mox publicent in communi', datur alia publicatio scrutinii, et perficitur cum, cognito suffragiorum legitimo numero in aliquem concurrente, decretum de peracta electione scribitur et solemniter promulgatur juxta cap. 42. cit. in §. fin. Hoc decretum peractum intra octo dies debet electo intimari, secluso tamen impedimento legitimo; alias a prosecutione electionis prohibentur electores pro ea vice et per triennium ab omnibus beneficiis in eadem ecclesia suspenduntur ipso jure c. 16. §. «cæterum» h. t. in 6^{0}.

39. Porro electus intra mensem debet declarare utrum assentiatur an non, secus ab omni jure excidit quod sibi ex ipsa electione obvenerat. Ita in eodem c. 16. h. t. in 6^{0}. Si vero electus a superiore suo veniam exposcere teneatur, hanc quam cito exquirere debet c. 6. h. t. in 6^{0}. et Extrav. 2. h. t. inter Communes, et mensis ad deliberandum incipit decurrere ab obtento superioris assensu. Electus præstito electioni in suam personam consensu, oneri subjicitur petendi confirmationem; tempus autem utile et

peremptorium est trimestre c. 6. h. t. in 6°. Pœna peremptionis electionis est latæ sententiæ; ut enim adnotat Glossa v. 'vacuetur' in d. cap. Pontifex ait 'eo ipso viribus vacuetur' electio. Quare confirmatio posterius obtenta nihil valet. Quod si agatur de electione ad Cathedralem vel Regularem Ecclesiam cujus confirmatio est propria S. Sedis, electus intra mensem post acceptatam electionem, iter aggredi tenetur ad S. Sedem cum omnibus actibus, vel saltem deputare debet specialem procuratorem satis instructum, qui electi nomine expostulet confirmationem c. 16. h. t. in 6°. et Clem. 2. §. ult. h. t.

40. Competit vero electo 1°. jus ad petendam confirmationem a Superiore c. 3. h. t.; qui si renuerit, poterit per alium Superiorem adstringi ad electum confirmandum, si nihil canonicum obviet. Nihil autem obviat a) quando electio rite celebrata est, idest juxta formam sacrorum canonum, et b) quando electus indignus non est. — 2°. Electo competit jus ad ipsam prælaturam. Quærunt auctores utrum jus electi respiciens ipsam prælaturam sit in re, vel solum ad rem. *Jus in re* confunditur cum dominio rei, et is hoc jure potitur, qui rem habet uti propriam, nec ab altero legitime, eo invito, possideri potest. *Jus ad rem* est illud quo quis petere potest ut res sibi adjudicetur et concedatur, quamvis ab alio fortasse legitime possideatur. Communior inter Doctores sententia obtinet, qua statuitur electionem tribuere jus ad rem, seu ad habendam prælaturam, nec esse prælatum verum proprietarium. Si enim attendamus ad juris expressiones, habemus in c. 16. *de Accusationib.* (V. 1) electum non appellari promotum sed promovendum. 2°. Si electus ante confirmationem supremum obeat diem, non ex ejus morte vacare dicitur prælatura, sed censetur adhuc perdurare prima vacatio arg. c. 6. h. t. in 6°. et docet Glossa in Clem. 1. *Ut lite pendente* (II. 5.) v. «Collatio». 3°. Matrimonium adhuc ratum seu legitimum et verum inter electum et Ecclesiam non censetur per electionem initum fuisse c. ult. 4. *de transl. Episcopi* (I. 7). Hinc potest libere renunciare, nec tenetur superioris acceptantis renuntiationem assensum expectare c. 26. h. t. in 6°. et Glossa ib. Sed quod magis est, ipsi contrariæ sententiæ patroni fatentur electo competere jus in re solummodo in habitu, non autem in actu, ita ut electio conferat jus, non vero juris exercitium. Porro hujusmodi expressiones in negotio electionis satis superque demonstrant, electum censeri non posse ceu verum Prælatum, nec

sese uti talem gerere posse, sed solummodo habere jus ad prælaturam.

41. Hinc electo non confirmato interdicitur administratio prælaturæ c. 18. *de Præb. et Dignit.* (III. 5) et c. h. t. in 6°. Hinc c. 17. h. t. reprobatur electus nondum confirmatus quia receperat juramenta a laicis vel clericis, et in c. 9. eod. concessiones beneficiorum factæ ab electo irritæ declarantur. Hinc etiam qui ante confirmationem præsumpserint sese ingerere in administratione dignitatis etiam titulo œconomatus aut titulo procuratoris, ipso jure privantur dignitate ipsa c. 5. h. t. in 6°. Quæ pœna privationis saltem ferendæ sententiæ jam fuerat constituta ab *Innocentio III.* in c. 17. h. t. Quod de electione et de interdicta electo administratione diximus, a fortiori dicendum de persona juxta hodiernos mores præsentata a supremis Principibus ut ad Episcopales Cathedras promoveantur a Rom. Pontifice. Exceptio datur in c. 44. h. t. §. 'Cæterum', quoad Episcopos qui immediate dependentes a Sede Apostolica ab eadem confirmationem exposcere tenentur. Hi enim si in remotis regionibus versentur, idest ultra Italiam, possunt in spiritualibus et temporalibus propter necessitatis et utilitatis rationem administrare Diœcesim ante confirmationem, dummodo tamen electi fuerint in concordia. Alienatio autem bonorum ecclesiasticorum penitus iisdem interdicitur. Hæc porro dispositio licet dicatur ab *Innoc. III.* facta dispensatione, tamen quia inclusa est in Corpore Juris, habetur ceu dispositio ordinaria et exceptio.

42. At objici potest sententia *Bonif. VIII.* in Extrav. 'Injunctæ' 1. h. t. inter communes, in qua cautum est ne Episcopus vel Abbas vel Prior Monasterii qui apud S. Sedem promoventur vel confirmationis, consecrationis aut benedictionis munus recipiunt, accedere ad propriam Ecclesiam, vel ad Monasterium proprium vel bonorum ecclesiasticorum administrationem suscipere audeant absque literis apostolicis, in quibus promotio, confirmatio, consecratio vel benedictio accepta exprimatur. Quod si hasce litteras non exhibeant, prohibet Pontifex quominus quis eosdem recipiat vel eis obtemperet. Difficultas vero non subsistit; nam hæc constitutio Bonifacii respicit ordinariam et non præcariam Diœceseos administrationem. Atque eo dirigitur ut nemo qui se jactat promotum vel confirmatum ab Apostolica Sede, ceu talis habeatur, nisi literas apostolicas in forma authentica præsentet. E converso dispositio c. 44. respicit præcariam administrationem Diœceseos,

quam suscipit electus in concordia ex legali consensu Pontificis quoadusque negotium confirmationis in Curia romana fuerit completum. Qua accepta confirmatione electus præsentat literas apostolicas et agnoscitur ceu verus Episcopus.

43. Hodie autem præ oculis habenda est dispositio expressa in Constitutione *Pii IX.* *'Romanus Pont.'* data V. Kal. Septem. 1873 circa electi potestatem. Traditur: a) Capitulum Cath. non posse *removere* Vicarium Capitularem ab officio suo quando fuerit rite constitutus, et hunc permanere in suo officio *quoadusque* novus Episcopus literas apostolicas de oblato sibi Episcopatu Capitulo juxta Constit. 'Injunctæ', vel deficiente Capitulo ei exhibuerit qui ad normam sacrorum canonum vacantem Diœcesim administrat, vel ejusdem Vicario. — b) Constitutionem *Gregorii X.* in c. 'Avaritiæ' h. t. in 6^{0}. applicari etiam *nominatis* et *præsentatis* a supremis reipublicæ civilis moderatoribus cujusque generis sint; adeoque abolitum esse usum vel abusum quo Capitulum Ecclesiæ Cathed. vacantis obsequens invitationi seu mandato supremæ civilis potestatis, concedebat et transferebat in nominatum vel præsentatum ad eandem Ecclesiam curam et regimen et administrationem Ecclesiæ ipsius. Quam administrationem nominatus et præsentatus suscipiebat sub nomine provisorii vel vicarii generalis antequam exhibuisset literas apostolicas de propria ad Episcopatum promotione. — c) Vacante quomodocunque officio Vicarii, Capitulum vel eum ad quem pertinet electio Vicarii debere *novum Vicarium* eligere, ita tamen ut electio non cadat in personam electi vel nominati ad dignitatem Episcopi illius Ecclesiæ. Quod si deputatus fuerit in Vicarium Capitularem iste, qui est electus in novum Episcopum, deputatio nullius est valoris. — d) Dignitates et Canonicos transferentes curam et regimen sub quovis titulo in nominatum vel præsentatum, incurrere ipso facto pœnam *excommunicationis* et privationis fructuum beneficiorum quæ possident et aliorum proventuum ecclesiasticorum si habent. Hæc autem pœna reservata est R. Pontifici *speciali* modo. — e) Easdem pœnas incurri ipso facto ab ipsis nominatis et præsentatis ad Ecclesias vacantes quando earum curam suscipere audeant ex concessione et translatione dignitatis aut capituli in eos peracta; simulque ab iis qui paruerint his rebus vel consilium vel favorem præstiterint cujusque dignitatis fuerint has pœnas incurri et reservatas ut supra incurri. — f) Nominatos et præsentatos admi-

nistrationem acceptantes amittere jus quod quæsiverant per nominationem vel præsentationem, et si aliquis ex prædictis personis charactere episcopali sit insignitus incurrere *suspensionem* ab exercitio pontificalium nec non pœnam *interdicti* ab ingressu in Ecclesiam; et utramque pœnam reservatam esse Rom. Pontifici. — g) Nulla esse et omnino irrita ea omnia quæ geruntur in administratione Ecclesiæ a nominatis, electis, præsentatis qui administrationem susceperint ante præsentationem literarum apostolicarum.

44. De confirmatione Prælatorum. — Ut plebs Christiana de bono pastore provideretur, jus canonicum constituit ut non solum Capitulum personæ promovendæ qualitates agnosceret, et nonnisi eum in pastorem eligerent quem cognovissent idoneum; sed voluit ut superior maturo consilio electionem examinaret, ac negotium quasi de novo expenderet c. 44. h. t. omniaque rite processisse, optimamque factam fuisse electionem dignoscens, eam ratam haberet ac probaret.

Porro spectato jure communi Decretalium nisi specialis daretur exceptio, confirmatio pertinebat ad superiorem proximum et immediatum. Ita ut Abbates non exempti Ecclesiis præficerentur per confirmationem Episcopi; Episcopi confirmarentur ab Archiepiscopo; et ita porro de gradibus superioribus dicendum est capp. 13. 21. et 32. h. t. nec non can. «Nullus omnino» C. 16. q. 7. Unde etiam in Oriente praxis inducta fuit, ut electi ad Ecclesias Patriarchales, non reciperentur nisi antea eorum electio a S. Sede fuisset confirmata. In confirmatione idem ordo graduum servatus est, qui servabatur circa gradus judiciales, seu ordo graduum appellationis juridicæ, ita ut ille jus confirmandi electum haberet qui recipere debebat immediate appellationes a sede cujus Prælatus erat confirmandus.

45. Duo autem antequam confirmatio pronuncietur sunt præmittenda 1°. Si electus non sit electus in concordia et habeat contradictorem, hic nominatim est citandus ut possit rationes suas et animadversiones exponere contra factam electionem. Vel si nemo adsit contradictor, nihilominus per edictum generale ad valvas Ecclesiæ cui præficiendus est electus, citari debent si qui sunt, qui electionem impugnari posse existimant, ut infra determinatum et peremptorium tempus compareant; quæ citationes si omittantur, confirmatio inde secuta est irrita c. ult. 47. h. t. in 6°.

2°. Confirmationi præmitti debet examen circa electionis formam, ipsamque personam electi. Superior scilicet antequam confirmationem proferat diligenter inquirere tenetur utrum norma sacrorum canonum fuerit servata, et utrum persona electa habeat qualitates præsertim recensitas in c. 7. h. t. vel potius indignus sit. Quod si superior hoc examine omisso confirmet electum, privatur non solum jure confirmandi successorem electi, sed etiam suspenditur a perceptione fructuum beneficii proprii quoadusque censeatur sufficienter punitus c. 44. h. t.

Cæterum tempus ad dandam confirmationem in jure non est determinatum, sed si nimium protrahatur confirmatio, vel si absolute denegetur, appellari potest ad superiorem confirmantis.

Facta confirmatione electus constituebatur tamquam verus Prælatus Ecclesiæ, et consequebatur plenam jurisdictionem et administrationem Diœceseos, exceptis iis, quæ ministerium consecrationis exigunt. Quare corrigere, censuras ferre, facultatem concedere poterat absolvendi c. 15. h. t. Excipitur autem Archiepiscopus, qui actus jurisdictionis seu muneris archiepiscopalis exercere non potest etiam post acceptam confirmationem, nisi etiam pallium obtinuerit c. 28. h. t. §. «super eo.»

46. Quoad hodiernam praxim ordinariam postquam provisio Episcopatuum reservata fuit Rom. Pontifici, confirmationis locum tenere videtur solemnis promulgatio electi vel præsentati in Consistorio Rom. Pontificis. Verum jurisdictionem exercere non potest novus Episcopus in Diœcesi, antequam literas apostolicas promotionis suæ capitulo exhibuerit. Ita in Const. 'Injunctæ nobis' h. t. inter Extrav. Commun. Præterea in Const. '*Apostolicæ Sedis*' edita Idibus Octob. an. 1869, inter suspensiones latæ sententiæ summo Pontifici reservatas sub 1. legitur: 'Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum vel illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Literas Apostolicas de sua promotione'. Accessit Constitutio *Pii IX.* quæ incipit '*Romanus Pontifex*' edita quinto Idus Septem. an. 1873. quam superius per summa capita retulimus.

Tandem in præsenti materia opportunum est referre dispositionem c. 7. h. t. §. 'Cum vero', juxta quam post confirmationem

et possessionem pacificam Episcopatus, vacant ipso jure omnia beneficia, quæ novus Episcopus habebat. Unde in praxi inductum est, ut si novus Episcopus aliquod beneficium retinere velit, debeat a Romano Pontifice per expressam concessionem illud obtinere.

47. De Consecratione. — Ea quæ sunt Ordinis Episcopalis electus et confirmatus in Episcopum acquirit per consecrationem. Cum vero ministerium Ordinis in Episcopo sit maximi momenti, ac sæpe exercendum, hinc in jure definitum est, ne diu protrahatur susceptio consecrationis. Et Conc. Trid. sess. 23. c. 2. *de Ref.* statuit ut electus licet sit S. R. E. Cardinalis, post Confirmationem non debeat *ultra tres menses* consecrationem differre, secus teneatur ad fructuum perceptorum restitutionem. Quod si vero per aliud trimestre neglexerit consecrari, Tridentinum decernit, eum Ecclesia sibi adsignata, idest episcopatu ipso jure privari. Porro quoniam ipse electus tenetur ad restitutionem fructuum, hæc obligatio in conscientia urget etiam ante sententiam declaratoriam judicis. Quoniam vero pœna privationis a munere episcopali externam executionem importet, hinc merito *P. Thesaurus: De pœnis* cap. 2. v. «Episcopus,» docet hanc pœnam non obligare ante sententiam judicis declaratoriam.

48. Consecratio autem Episcopi jure communi fiebat ab Archiepiscopo, qui hoc munus alteri poterat committere. Archiepiscopus a suis suffraganeis consecrabatur. Inter hos autem senior eligebatur. Si Episcopus nulli subjiciebatur Archiepiscopo, consecrabatur a Viciniore. Ad corrigendos præsertim abusus Metropolitanorum qui exigebant a suffraganeis juramenta et obedientiam ultra canones, factum est ut consecrationem sibi reservaverint Romani Pontifices; quam consecrationem vel per se perficiunt, vel alteri faciendam committunt, quæ si Romæ est celebranda, generatim committunt alicui ex S. R. E. Cardinalibus vel Patriarchis majoribus titularibus.

49. Porro consecratio perficitur a tribus Episcopis quorum unus consecrator appellatur, alii duo conconsecrantes seu adsistentes. Quæ ratio consecrationis perficiendæ non divinæ institutionis esse traditur, sed ex disciplina simpliciter apostolica inducta dicitur. Quare suprema potestas in Ecclesia potest in ea dispensare, ac facultatem concedere, ut unus tantummodo Episcopus consecrationem perficiat cum duobus presbyteris adsistentibus, qui si fieri potest dignitate ecclesiastica fulgere debent. Confertur vero con-

secratio vel die dominica vel die natali alicujus Apostoli, et intra Missæ celebrationem, in qua Episcopus consecrandus sacrum peragit cum Episcopo consecrante.

Per consecrationem Episcopus fit vere sponsus Ecclesiæ suæ conjunctus cum ea in vinculo spiritualis conjugii c. 4 *de Transl. Episcopi* (I. 7).

TITULUS V.

De Postulatione Prælatorum.

1. Cum titulus de postulatione plura habeat communia cum titulo jam explicato de electione; cumque postulatio censeatur subsidiaria electionis, hinc optimum factu duximus tractatum de electione præponere tractatui de postulatione. Ex principiis capp. 20. et 23. *De Elect.* (I. 6) potest postulatio *definiri* 'capituli petitio destinata superiori, ut ad prælaturam ecclesiasticam dispensative dignetur admittere illum qui ob aliquod canonicum impedimentum eligi non potest'. Convenit postulatio cum electione in scopo, utraque enim est modus juridicus designandi pastorem pro ecclesia viduata.

2. Differunt vero in pluribus: 1°. Electio cadere non potest nisi in *idoneam* personam nulloque impedimento ligatam; postulationis vero subjectum est persona inhabilis ad talem prælaturam ob aliquod impedimentum canonicum a quo debeat dispensari. Ex quo sequitur 2ª. differentia, scilicet electio *jus* ad prælaturam tribuit confirmatione supplendum, postulatio autem nullum jus tribuit postulato, nec superior tenetur admittere petitionem. Actus enim hujusmodi in jure dicitur potius actus gratiæ quam justitiæ, dum confirmatio electionis est potius actus justitiæ c. 3. h. t. Unde in hac Decretali *Innoc. III.* non admittit postulationem S. R. E. Cardinalis et Episcopi Imolensis ad sedem Ravennatensem. Quod si aliquando postulatio a superiore debet, ipso jure disponente, admitti ob publicam causam, hæc dispositio procedit ex Ecclesiæ necessitate, et non in gratiam postulati quatenus aliquod jus acquisierit. Ipse enim defectu sive impedimento laborat quominus de prælatura provideatur. Quare postulatus per acceptationem absolutam consentire non potest in postulationem, nisi preces jam a superiore fuerint admissæ. — Hinc 3ª. datur differentia. Juxta c. 58. *de Elect.* (I. 6) completo negotio de electione per scrutinii publicationem, electores

nequeunt electionem revocare. Postulatio autem *revocari* potest quia quæsitum jus non parit postulato. At revocari nequit postulatio si fuerit superiori præsentata, quia si revocaretur post præsentationem, injuria inferretur superiori cujus judicium frequenter illuderetur c. 4. h. t. 4°. Differentia respicit *numerum* suffragiorum. Postulatio enim si cum electione concurrat, necesse est ut postulantium numerus sit duplo major eligentium c. 40. *de Elect.* (I. 6). Si vero omnes Canonici postulare cupiant, discriminentur autem circa personam, illa postulata censebitur in quam concurrit major Capituli pars. E. gr., si ex 21 votis 11 postulant unum, 10 alterum, postulatio prioris valet, si 11 postulant unum, 10 eligunt alterum, valet electio alterius.

3. Postulatio dividi solet in *solemnem* et non solemnem seu *simplicem*. Solemnis postulatio seu postulatio proprie dicta, cui definitio superius allata convenit, tunc obtinet cum ab electoribus preces admoventur superiori, ut dignetur dispensare circa defectum et impedimentum canonicum alicujus personæ, quæ esset ad prælaturam promovenda. Postulatio non solemnis locum habet cum exposcitur solummodo licentia et consensus superioris postulati, qui assumi non posset absque consensu proprii superioris: ceu contingit in Religiosis si velint promoveri ad Episcopatum.

4. Porro ex hac notione sequitur proprie dictam postulationem fieri ordinari debere ad *Romanum Pontificem*; cum enim dispensatio ab impedimento importet relaxationem juris communis, postulatio proprie dicta admitti nequit nonnisi ab eo qui est jure ipso communi superior. At extraordinarie admitti potest ab immediato superiore si hic ex privilegio speciali vel ex consuetudine legitime præscripta jure polleat dispensandi circa defectum quo postulatus laborat.

5. Quæstio instituitur: quinam postulare, qui postulari possunt. — *Postulare* possunt omnes qui habent jus eligendi. Postulatio enim ad eundem scopum dirigitur ac electio, et inducta est in subsidium electionis; ut scilicet cum quis ob defectum canonicum eligi non posset, preces admoverentur superiori, ut, dispensatione facta, eum in Prælatum admittat. Principium vero a nobis expositum ab omnibus communiter auctoribus recipitur, ac sufficienter innititur in cc. 1. §. fin. et 4. h. t. et cap. 20. *de Elect.* (I. 6). Roboratur autem in consequentibus. Nam in mandato generali ad eligendum censetur inclusa facultas ad postulandum. c. 30. et glossa

ibi *de Elect.*; et præscripto jure eligendi, censetur etiam præscriptum jus postulandi. Quare prima pars quæstionis solvitur juxta principia explicata in tit. *de Elect.*

6. *Postulari* autem possunt qui eligi nequeunt, et possunt simul promoveri ad prælaturam. Et primo quidem postulatio prorsus cadere non potest in personam quæ potest eligi, et nulla est c. un. h. t. in 6°. Quia jus determinat quandonam postulatio fieri debeat; idest quando persona eligi nequeat. Igitur si persona eligi potest, aut eligenda est, aut excludenda. Ut autem postulatio valeat, persona in ea conditione versari debet, ut possit ad prælaturam promoveri.

7. Quod ut rite intelligatur, distinguenda est *indignitas* ab *inhabilitate.* Indignus in vero sensu quis constituitur ex crimine. Hinc ex crimine indignus est hæreticus, homo delictis communibus adsuetus, excommunicatus, suspensus, et is qui non observat interdictum c. 1. h. t. cum glossa v. «Personam». Inhabilis ille censetur qui laborat defectu, qui opus ministerii sacri tantummodo impedit. Porro postulari non possunt indigni. De inhabilibus autem videndum est utrum defectus qui impediat opus sit juris divini vel ecclesiastici tantum. Si juris *divini* sit defectus, persona illo laborans postulari nequit; e. gr. femina ob inhabilitatem ex sexu derivantem; amens, furiosus perpetuo, ob defectum usus rationis. Humana enim auctoritas in jure divino dispensare nequit. Si autem juris *ecclesiastici* sit defectus, poterit fieri postulatio, quoties defectus non impediat, quominus postulatus perficiat opus ministerii sui honeste simul et utiliter. *Honeste* non perficit opus spurius, procreatus ex connubio incestuoso vel adulterino, imo etiam bigamus. *Utiliter* opus perficere nequit illiteratus; minor 27 annis expletis, iuxta Extravag. un. h. t. inter Com.; notabili corporis deformitate vel etiam epilepsia laborans. Quare super hisce defectibus, licet sint juris humani, non solet a Sum. Pontifice dispensari, ergo neque postulari possunt.

8. Postulari ergo possunt 1°. qui laborant *simpliciter* defectu natalium, idest sunt illegitimi naturales c. 20. *de Elect.* (I. 6) cujus species hæc est: cum a Capitulo Vigoriensi electus fuisset in Episcopum quidam natus extra legitimum Matrimonium a viro tamen et muliere omni vinculo solutis, *Innocentius* electionem irritam dixit; admonuit vero Canonicos posse ipsos eundem postulare, qui virtutibus et scientia fulgebat. 2°. Postulari potest qui Ordinis ad

prælaturam requisiti defectu laborat arg. c. 22. *de Elect.* (I. 6). 3°. Qui major annis 27, minor vero est anno 30. ætatis suæ arg. Extrav. un. h. t. inter Commun. 4°. Qui vinculo Episcopali cum alia Ecclesia obligatur c. ult. 6. h. t. Qua in re aliqua declaratio est facienda. a. Innocentius III. conjunctionem inter Episcopum et Ecclesiam propriam spirituali connubio comparat, c. 4. *de translat. Episcop.* (I. 7), quod «in electione initiatum, ratum in confirmatione et consecratione intelligitur consummatum». Quare quia ratum sine illius auctoritate solvi non potest, qui successor est Petri et Vicarius Christi, omnis Episcopus saltem confirmatus non potest eligi, sed debet postulari; electus autem tantum eligi potest, non postulari; item Episcopus qui legitime renuntiavit episcopatui, quia jam solutum est illud connubium. b. Pariter eligi non possunt sed postulandi sunt qui titulum tantummodo Ecclesiæ habent, quin ejusdem negotia administrent, quique 'in partibus infidelium' Episcopi vocabantur; hodie autem ex decreto S. C. de Prop. Fid. 27. Febr. 1882. sublata appellatione 'in partibus infidelium' vocantur Episcopi *titulares* talis vel talis Ecclesiæ. Episcopi enim isti, quia in hanc sedem, licet titularem, sunt confirmati, in jure *veri* Episcopi sunt, Conc. Trid. sess. 14. cp. 2. *de ref.* c. Pariter Episcopus in *Archiepiscopum* postulatur et non eligitur.

9. Occasione hujus tractationis aliquid dicendum est de S. R. E. Cardinalibus. Certum est, Cardinales, qui ad Ordinem episcopalem pertinent, ob spirituale conjugium cum Ecclesia sua, eligi non posse, sed postulari debere; cæteros vero eligi posse, vel potius postulari minus solemniter. Minus vero solemniter postulatur qui per se idoneus est et habilis sed acceptare nequit Episcopatum absque alterius licentia. Jamvero S. R. E. Cardinales eligi possunt ex c. 57. *de Elect.* (I. 6) nec suis titulis ita conjunguntur, ut plene verificetur ratio conjugii spiritualis, quo Episcopi obligantur. At ipsi constituunt senatum Romani Pontificis ac in executione sacerdotalis officii illius coadjutores sunt c. 13. §: 'sunt autem sacerd.' t. *Qui filii sunt legitimi* (IV. 17). Ergo a Romana Curia divelli et discedere nequeunt, nisi obtenta a Romano Pontifice facultate et assensu. Hinc eligentes S. R. E. Cardinalem Papæ admovere preces tenentur, ut licentiam Cardinali electo concedat exeundi de Curia ac episcopale munus subeundi. Quam licentiam summus Pontifex potest denegare, et electio effectum suum non sortitur. Exemplum affert caput 3. h. t. in quo Cardinalis Presbyter S. Praxedis dici-

tur postulatus, postulatione nempe minus solemni in sensu exposito in Archiepiscopum Ravennæ, et Papa noluit Cardinalem a Curia divelli.

10. Postulatio etiam minus solemnis obtinet cum aliquis ex regularibus familiis eligitur, qui acceptare nequit, nisi petita et obtenta superiorum licentia; speciali enim et solemni obedientiæ voto adstringuntur. In utroque casu non obtinet solemnis et proprie dicta postulatio, quia persona quæ assumitur non ligatur vinculo spiritualis conjugii; quæ minus solemnis postulatio est revera electio conditionata, nempe 'si superior licentiam concesserit'.

11. *Pœna* contra postulantes scienter indignum ex cap. 40. *de Elect.* (I. 6) circa fin. est ut pro illa vice careant jure alium vel postulandi vel eligendi. Quod erui potest etiam ex c. 1. h. t. in fin. Potestas vero pro ea vice eligendi et postulandi ad innocentes devolvitur quamvis numero pauciores. Ex c. 2. h. t.

12. Quæstio 2ª. *de forma postulationis.* — In postulatione solemni non est absolute necessaria forma scrutinii, ita ut si secus fiat, nullius momenti actus celebretur; nam nullibi hæc forma præscribitur, et insuper postulatio multum differt ab electione, quemadmodum vidimus. Sufficit ergo ut suffragia Capitularium cognoscantur. At præsertim ad evitanda dissidia et lites futuras, tutius est scrutinii normas sequi juxta dispositionem cap. «Quia propter» *42. De Elect.* (I. 6). In postulatione vero maxime observandum est ut ab electione secernatur, nec forma electionis est cum postulatione confundenda; diversum enim est prorsus negotium tum in se tum quoad personam. Electio scilicet est actus legitimus collationis juris ad rem; postulatio nullum jus confert et ad modum deprecationis perficitur. Eligitur autem persona idonea, postulatur vero inhabilis. Quare si in una eademque scheda proferatur suffragium ad eligendum et postulandum, neutrum valet. Hinc ceu nullius effectus rejiciuntur formulæ: 'eligo postulando' vel 'postulo eligendum', vel 'eligo in postulandum', vel 'postulo in eligendum'. Imo nec generatim valet hæc formula 'eligo et postulo prout potest melius de jure valere'. Excipitur tamen casus dubii probabilis, an persona quæ vellet assumi sit habilis vel non. Hoc in casu permittitur ultima formula. Sed habita notitia electus vel postulatus debet declarare an viam electionis vel viam postulationis prosequi malit, et una electa, ad aliam redire nequit. Hæc omnia in c. un. h. t. in 6º. perhibentur.

13. Convenientibus Capitularibus in aliquem postulandum, idest completa postulatio debet infra octo dies postulato patefieri; et postulatus infra mensem suam voluntatem pandere tenetur, utrum nempe renuat acceptare, vel acceptet sub conditione obtinendæ dispensationis defectus vel impedimenti quo detinetur. Arg. c. 6. *de Elect. in 6⁰*. Hæc dispositio posita est in jure, ut provideretur citius quo fieri potest novus pastor, et ne diu protrahatur Ecclesiæ viduitas.

Titulus VII.

De Translatione Episcopi.

1. Ecclesiis jure canonum præficiuntur Prælati vel Electione vel Postulatione. Postulantur autem inter alios qui conjugio spirituali alicui Ecclesiæ conjuncti sunt, idest Episcopi. Scilicet per postulationem Episcopus ab una ad aliam Cathedralem Ecclesiam transfertur. Quare tractationem de postulatione Prælatorum excipit tractatus de translatione Episcoporum. Licet etiam sacerdos de canonicatu ad canonicatum, de parœcia ad parœciam transferri possit, tamen vocabulum *translatio* reservatum est in jure ad exprimendum transitum Episcopi de una ad aliam sedem, qui transitus definiri potest *'alicujus personæ de una ad aliam sedem seu Ecclesiam auctoritate superioris ex legitima causa facta mutatio'* can. 34. C. 7. q. 1.

2. Dicitur *mutatio;* nam cum unus Episcopus non possit duabus Ecclesiis ordinario jure præesse, vacat prior Ecclesia cum novæ Ecclesiæ gubernacula suscipit. Quare translatio duplicem complectitur terminum, a quo nempe et ad quem. Additur *auctoritate superioris.* Nam inter Episcopum et Ecclesiam jus ecclesiasticum censet ortum fuisse vinculum spiritualis conjugii, quod solummodo per dispensationem superioris resolvi potest. Et merito. Si enim christianum Matrimonium repræsentat unionem Christi cum Ecclesia vinculo indissolubilis amoris firmatam, relatio inter Episcopum et suam Ecclesiam optime haberi potest ad instar spiritualis conjugii. Relatio enim hæc efficit ut Episcopus jure divino idest vice et nomine Christi sibi devinciat Ecclesiam suam particularem vinculo amoris spiritualis adeo firmi et efficacis ut Episcopus ceu bonus pastor animam suam dare debeat pro ovibus suis. Hinc

Episcopus quoad particularem Ecclesiam suo modo repræsentat et perpetuam reddit cum effectu unionem Christi cum tota et universali sua Ecclesia. Dici ergo Episcopus potest sponsus Ecclesiæ suæ. Hinc qui proprio arbitrio translationem peragit, carebit utraque Ecclesia 'ut sic nec illis præsideat quos per superbiam sprevit, nec illis quos per avaritiam concupivit' c. 3. h. t. et c. «Si quis Episcopus,» 31. C. 7. q. 1. Quinam vero erit superior? Ex integra doctrina tituli, solus est Romanus Pontifex qui translationes Episcoporum peragit. Translatio enim hæc inter causas majores computatur, quæ S. Sedi reservantur. Id vero sive ex jure nativo ceu tradit c. 1. h. t. idest ex privilegio divo Petro a Domino concesso in plenitudine potestatis primatialis, sive ex jure reservationis, quo Romani Pontifices soli voluerunt translationes Episcoporum perficere. Competit vero Romano Pontifici translatio non solum Episcopi consecrati et actualiter Ecclesiam gubernantis, sed etiam Episcopi confirmati post Electionem cap. 1. et cap. 2. h. t.

3. Quæstio solvenda proponitur, quæ proprie instituti nostri rationem attingit. *Innocentius III.* in cap. 2. h. t. insistens in conceptu conjugii spiritualis inter Episcopum et Ecclesiam, ut probet Romanum Pontificem solummodo posse solvere Episcopum a vinculo prioris Ecclesiæ et ad aliam sedem transferre, comparationem assumit a Matrimonio carnali cujus solutionem sibi Deus reservavit, et Romano Pontifici concessit, tamquam suo in terris Vicario; atque insuper adnotat fortius esse vinculum spirituale Episcopi cum Ecclesia, quam inter virum et mulierem; 'corporalia enim facilius destruuntur quam construantur, spiritualia vero facilius construuntur quam destruantur'. Ex qua theoria hoc exsurgit argumentum: Romanum nempe Pontificem qui solvit conjugium carnale, posse etiam solvere spirituale, et viceversa; immo si solvit spirituale a fortiori solvere posse carnale. Verum inde maxima oriri videtur difficultas; nam idem Innocentius in cap. 4. h. t. urgens comparationem conjugii spiritualis et carnalis, docet spirituale conjugium inchoari per electionem, ratum fieri per confirmationem, consummatum vero per consecrationem. Ex quo infertur, quod scilicet vel Innocentius deneget Romano Pontifici jus episcopum *consecratum* in una Ecclesia ad aliam transferendi, quod falsum esset, et idem Innocentius affirmat in cap. 1. et in cap. 2.; vel quod a pari immo a fortiori Innocentius tribuat Romano Pontifici facultatem solvendi vinculum Matrimonii carnalis *consummati,*

quod evangelicæ doctrinæ et ecclesiasticis institutis a diametro adversaretur.

4. Nonnulli ut Innocentium tueantur, dicunt Innocentium non loqui de vera *paritate* inter utrumque conjugium, sed comparationem et similitudinem solummodo exhibuisse. Jam vero similitudines non sunt nimium et ad minima quælibet urgendæ. Quare tenendam esse ajunt, doctrinam de potestate exclusiva Romani Pontificis circa jus translationis Episcoporum, quæ clarissime traditur, nec comparationi nimium esse insistendum. Verum licet in comparationibus ea quæ accessoria sunt non attendantur, tamen ea quæ principaliora sunt, debent observari. Præcipuum vero comparationis elementum est virtus probationis et demonstrationis quæ ex similitudine eruitur. Videlicet similitudines sperni non possunt, sed recipi et urgeri debent in eo in quo fundatur ipsa probatio veritatis alicujus desumpta ex similitudine. Jamvero in casu nostro demonstrationis virtus consistit præcipue in relationibus inter conjugium spirituale et conjugium carnale. Ergo hæ relationes super quibus innititur demonstratio, verificari debent ut sensus argumenti sit integer et efficax.

5. Quidam animadvertunt in Decretalibus pontificis distingui partem *dispositivam* ab *exornativa.* Prior constituit proprie dictam dispositionem capitis et a legislatore procedens obtinet vim legis, exornativa autem ab extensoribus *Capellanis* plerumque posita, de substantia capitis non est. Quandoque rationes prorsus ridiculæ afferuntur. In casu autem comparatio ad partem exornativam pertinet; constituit enim rationem allatam ad probandam dispositionem juridicam ejusdem capitis. Quod si vero ratio dispositionis tribui debeat Innocentio, nec in hoc difficultas plus nimio urgenda est. Nam uti doctor *privatus* potuit in probatione veritatis errare, non erravit autem circa veritatem ipsam, idest circa Romani Pontificis potestatem quoad Episcoporum translationem. Verum neutrum admitti potest. Non primum; nam in specie nostra sermo non est de ratione incidentali et ab extranea manu inducta, sed agitur de ratione quæ totum caput informat. Non secundum; quia ratio adducta a Pontifice pertinet ad ipsam doctrinam speculativam circa res prorsus spirituales. Non enim est sermo de aliqua physica aut mathematica theoria, sed agitur de theoria prorsus theologica ac sacra. Quare indifferens non est præsens materia, ita ut error Romani Pontificis informans juridi-

cam et publicam decisionem non læderet ejus infallibile magisterium.

6. Ut quæstio rite solvatur, quædam prænotanda sunt: 1⁰ Summus Pontifex potest transferre Episcopos, non solum electos et confirmatos, sed etiam consecratos. Hoc apparet ex ipso capite 2. h. t. 2⁰. Summus Pontifex non potest dissolvere matrimonium ratum (i. e. christianorum) *et* consummatum, cum econtra matrimonium ratum tantum et matrimonium infidelium, etiam consummatum, non nunquam dissolvatur. His præmissis, notandum est: 3⁰. *Scopus* hujus comparationis Pontificiæ (c. 2. h. t.) erat monstrare: translationem Episcoporum, uti dissolutionem vinculi spiritualis inter Episcopum et Ecclesiam propriam, spectare non minus quam dissolutionem vinc. carnalis ad Papam, Christi Jesu in terris Vicarium. 4⁰. Hæc demonstratio procedit *a minori ad majus*, i. e. si carnalis dissolutio matrimonii jam reservatur Deo ejusque Vicario, a fortiori spiritualis. Nam cum «corporalia facilius destruantur, quam construantur, spiritualia vero facilius construantur, quam destruantur», translatio vero cum aliquid spirituale sit, sequitur connexionem inter Episcopum et Ecclesiam ipsius difficilius destrui quam construi. — Non ergo fit comparatio inter matrimonium spirituale et carnale *absolute*, sed *relative* ad eorum constructionem et destructionem; nempe si matr. carnale quod tamquam corporale quid facilius destruitur, reservatur Deo ejusque Vicario, a fortiori spirituale, quod difficilius destruitur quam construitur. Cujus rei Innocentius affert exempla v. gr. «Episcopi a Metropolitanis suis munus consecrationis accipiunt, qui tamen non possunt nisi per Rom. Pont. condemnari». Et revera Episcopi juxta canones, cc. 13., 21., 32 *de elect.* (I. 6) confirmabantur a Metropolitanis, qui tamen non poterant nisi per Rom. Pont. transferri. 5⁰. Summus Pontifex dein non loquitur in dicto capite de matrimonio sive carnali sive spirituali *consummato,* sed *rato tantum.* Si denique in c. 4. h. t. comparationem istam ad omnes gradus perduxit, dicta quoad vinculum, c. 2. h. t., non sunt urgenda ad omnes hos gradus. Cfr. de hac quæstione: *Eman. Gonzalez Tellez, comm. perpetua* in l. I. t. 7. cap. 1. n. 15. — Si auctores quidam, ut *Reiffenstuel* in l. I. t. 7. nn. 14. 15. 16., quæstionem tractant, quomodo spirituale matrimonium fortius sit carnali, solutiones quas excogitant minus probandæ sunt. «Inprimis,» ait Reiffenstuel l. c., «matr. carnale ratum, nondum consummatum, dissolvitur etiam

quoad vinculum, altero solo volente, per contractum matr. spiritualis, seu per professionem religiosam, c. 7. *de convers. conjug.* (III. 32). Non sic fœdus conjugii spiritualis inter Episcopum et Ecclesiam, quod per confirmationem intelligitur esse ratum;» hoc conjugium non solvitur nisi accedente auctoritate Romani Pontificis. — Hæc solutio minus probanda est, quia 1⁰ matrimonium carnale ratum tantum quoad dissolutionem omnino *æquiparatur* matr. spirituali; nunquam enim solvitur nisi auctoritate Romani Pontificis. Sed dices: Nequaquam, sed dissolvitur etiam professione religiosa. Verum est, matrimonium ratum tantum dissolvi etiam professione religiosa solemni; at dissolviturne virtute hujus professionis *interna* an *externa?* Utique externa; nam voti solemnitas, quæ solvit matrimonium ratum tantum, ex *sola* constitutione *Ecclesiæ* est inventa», *Bonifacius VIII.* in c. un. *de voto et voti red.* (III. 15) in 6⁰. Atqui constitutiones Ecclesiæ creat Summus Pontifex aut solus aut in consilio generali. Ergo matrimonium carnale ratum tantum non solvitur nisi accedente auctoritate Sum. Pontificis, licet mediante solemni professione. Ergo in hoc matr. spirituale fortius non est carnali. 2⁰. Si revera fortius esset vinculum spiritualis matrimonii præ carnali (in sensu ab illis auctoribus explicato), facile deducimur ad dissolutionem matr. non solum rati, sed etiam consummati, id quod nemo contendet. Nam in consummatione matrimonii ad vinculum carnale *animorum* accedit non spirituale, sed tantum carnale *corporum*.

7. In definitione translationis diximus eam fieri *ex legitima causa*. Etenim in Ecclesia stationes quodammodo positæ sunt, ac distincta cuique ministro sedes ministerii sui, a qua recedere non potest nisi legitima detur ratio. Quod a fortiori verificari debet in mutatione Episcoporum ob vinculum spirituale quod constituit Episcopum sponsum Ecclesiæ suæ. Causæ autem sunt necessitas vel utilitas ex can. 34. et can. 35. C. 7. q. 1. 'mutationes Episcoporum scitote communi *utilitate* atque *necessitate* fieri licere . . alia est enim causa utilitatis et necessitatis, alia avaritiæ ac præsumptionis, aut propriæ voluntatis'. Porro necessitas verificatur quoties Episcopus ob *persecutionem* hostilem vel ob *odium* malæ plebis, vel ob adversam *valetudinem* ex aeris adversitate provenientem diu non potest in sua sede prout decet commorari. De Episcopo hostiliter vexato agunt cann. 42. et 44. C. 7. q. 1. In c. 44. traditur ratione hostilitatis non solum transferri posse Epis-

copum, sed etiam ipsam sedem. Secunda causa est utilitas, quæ locum obtinet quoties ex translatione major fructus, idest *bonum spirituale* speretur vel pro universali vel pro particulari Ecclesia. Hic fructus ex. gr. adesset si bonum pacis et concordiæ sperari posset, si concorditer electores postularent in prælatum alterius Ecclesiæ Episcopum.

8. Posita legitima causa translationis, quia nempe translatio esset vel necessaria, vel evidenter utilis, possetne summ. Pontifex *invitum* transferre? In Clem. 1. §. fin. *Ut lite pend.* (II. 5). Romano Pontifici tribuitur plena et libera dispositio ex suæ plenitudine potestatis omnium Ecclesiarum et Beneficiorum ecclesiasticorum. Ex quo sequitur Rom. Pontificem posse obligare Episcopum ut suam sedem relinquat, et aliam gubernandam assumat Ecclesiam. Quod si obstiterit pertinaciter Episcopus, obstinatio reputatur causa sufficiens ut ei subtrahatur Episcopatus in sua Ecclesia et solvatur vinculum spirituale cum ipsa; glossa in can. «Omnis» C. 7. q. 1. Sed omnino invitus non potest ad aliam Ecclesiam assumi ita ut novum conjugium spirituale cum eadem contrahat: glossa in can. «Episcopus» C. 7. q. 1. Translatio autem coacta nunquam præsumitur nisi probetur, idest non præsumitur generatim Rom. Pontificem velle Episcopum transferre ad aliam Ecclesiam præter vel contra ejus voluntatem.

9. Præter causam in translatione servatur etiam *ordo.* Hinc ordinaria translatio fit a minori ad majorem sedem, et major parvificari non debet, ceu docet c. 1. h. t. Quare in eodem c. 1. h. t. translatio facta a Patriarcha Antiocheno reprobatur etiam ex eo quod a superiori ad inferiorem sedem facta fuerit. Et ratio est ne videatur quis inferiorem sedem concupiscere vel avaritiæ intuitu, quia fructus majores sperantur in minori, vel ob desidiam ad fugiendum laborem majoris Ecclesiæ. Hinc si detur rescriptum ut quis, propria relicta ad aliam transferatur ecclesiam, de transitu ad majorem et non ad æqualem est intelligendum. Si ad æqualem, translatio fieri non potest ad minorem. Major enim ordinarie non præsumitur minorari. Extraordinarie autem fit cum, legitima concurrente ratione, et præsertim necessitate, quis ad æqualem vel minorem sedem transfertur. Exemplum habemus in *c. 9. de Renunc.* (I. 9) ex quo deprehendimus Archiepiscopum *Ragusin.* ob mortis periculum ex insidiis absolutum fuisse a vinculo ecclesiæ suæ, et assecutum fuisse beneficium in Ecclesia quadam Episcopatus *Car-*

leoli, in qua absque usu pallii, auctoritate Pontificis exercebat jura et officia episcopalia, et habitus est ceu Episcopus suffraganeus Archiepiscopi *Eboracensis*.

10. *De effectibus translationis.* — Quemadmodum diximus, translatio est actus complexivus, qui terminum a quo et terminum ad quem comprehendit. Ideo effectus est duplex termino duplici respondens. Privatur nempe Episcopus juribus omnibus sive quoad jurisdictionem spiritualem, sive quoad fructus et proventus prioris Ecclesiæ, et acquirit jura omnia episcopalia et fructus alterius Ecclesiæ ad quam assumitur. Solvitur enim vinculum spirituale cum prima Ecclesia et contrahitur cum nova. Si quæratur autem quandonam censeatur prius vinculum absolvi, novumque contrahi, atque effectus translationis incipere, dicendum est ab ipsius translationis in Consistorio publicatione per Pontificem facta, ita ut fructus prioris Ecclesiæ percipere possit Episcopus usque ad illum diem, ac restituere teneatur si quos inde perceperit. Hinc Episcopus statim ac acceperit notitiam peractæ hujus publicationis etiam ex testimonio secretarii sacri Collegii Cardinalium, debet abstinere ab exercitio suæ jurisdictionis, et sedes illico incipit vacare, licet nondum fuerint expeditæ litteræ apostolicæ, et non fuerit accepta pacifica possessio alterius Ecclesiæ. Ex decreto *Urbani VIII.* diei 20. Martii 1625.

De hac re agit *Benedictus XIV. Synod. Diœces.* Lib. 13. c. 16. num. 7. et seqq.

Titulus VIII.

De auctoritate et usu Pallii.

1. Quoniam Pallium est signum distinctivum significans potestatem supra-episcopalem, hinc postquam actum est de modis quibus aliquis constituitur vel Episcopus vel Archipiscopus vel Primas vel Patriarcha merito B. Raymundus tractat de auctoritate et usu hujus sacri ornamenti ecclesiastici. Pallium in sua materia consideratum nil aliud est quam *fascia seu zona quædam lanea albi coloris sex (quattuor) crucibus vel nigris vel rubris decorata, quæ circumvolvitur humeris et pectori, cujus extrema aliquantulum defluunt.* Diximus crucibus nigri vel rubri coloris; nam ante sæc. XIII. in Ecclesia Latina adhibebantur rubri coloris, nunc autem nigri coloris cruces adhibentur; in Ecclesia autem Græca

prius rubri coloris adhibebantur cruces, nunc autem Pallio Græcorum seu Homophorio inseruntur cruces purpureæ contextæ auro. Pallium habitum est et habetur in Ecclesia ceu signum ecclesiasticæ jurisdictionis, et hoc sub aspectu definiri potest ut sit: 'principale ornamentum ecclesiasticum de Corpore B. Petri desumptum a Rom. Pontifice Archiepiscopis et superioribus Dignitatibus concessum exprimens potestatem supra-episcopalem'. Ornamentum quod vocabatur pallium, non ad eandem originem deducitur, merito; nam ex historia ecclesiastica constat, *duplex* fuisse pallium: unum cui consonat definitio, alterum quod et Rationale vocatur, de quo plura sub n. 2. Quædam et nos de significatione pallii breviter dicimus.

2. Est aliquorum opinio Pallium esse vestem sacerdotalem inductam ab Ecclesia ad imitationem *Ephod* et *Rationalis,* quæ ornamenta a summo sacerdote adhibebantur in V. T. *Exod.* XXVIII. 6 seq.; XXXIV. 2. seq. Verum hæc opinio non placet; nam 1°. Ephod et Rationale Judæorum prout a rerum judaicarum peritis exhibetur, non referunt figuram Pallii ecclesiastici; et 2°. in Rationali quod ad pectus summi sacerdotis appositum erat, duodecim gemmæ habebantur, in quibus insculpta erant nomina duodecim tribuum populi judaici; pariter Ephod quod in utroque onyche, quo humeros ornabat, referebat nomina duodecim tribuum; hæc autem inscriptio significabat summum sacerdotem habendum esse ceu mediatorem inter Deum et populum judaicum. Jamvero Pallium ecclesiasticum assumptum est ceu signum jurisdictionis, non autem ceu signum mediationis inter Deum et populum. Quod confirmatur ex eo quod si esset signum mediationis in Ecclesia, vel Pallium esset solummodo a summo Pontifice gestandum, vel simul ab omnibus etiam Episcopis; non enim minus sunt mediatores inter Deum et homines Episcopi ac sunt Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ. Revera antiquis temporibus pallium *quoddam* hoc mediationis munus significabat secundum imaginem boni pastoris, qui ovem quae perierat humeris suis impositam, portat (Luc. XV.) ideoque a multis etiam Episcopis gerebatur, sed hoc non est p. *archiepiscopale.* Pallium illud mediationis etiam nunc super vestibus Pontificalibus a nonnullis Episcopis portatur, sed ordinarie vocatur *Rationale* eo quod hoc Rationale ephod et rationale Vet. Test. externa forma melius repræsentat quam Pallium Archiepiscopale. Ceterum nostris temporibus Rationale V. T. i. e. *scutum pectorale,* nonjam adhibetur, sed solum

vestis loco ephod, quæ tamen Rationale vocatur. Oratio dicenda ad induendum Rationale — «Da nobis, Domine, veritatem tuam firmiter retinere et *doctrinam veritatis* plebi tuae digne aperire» — optime originem demonstrat, quia Urim et Thummim i. e. doctrina et veritas (Lev. VIII. 8) circa Rationale applicabantur. Conf. *Benedictum XIV. de syn. diœc.* l. 2. c. 6. n. 3; l. 13. c. 15. nn. 10—11; ejusque *bull.* tom. I. n. 133.

3. Aliorum opinio est Pallium *civilem* habere originem et fuisse distinctivum honoris concessum Archiepiscopis ab Imperatoribus; et afferunt documentum ex quo eruitur, Constantinum Magnum donasse Silvestro Rom. Pontifici superhumerale, seu Lorum quo Imperator ipse decorabatur. Verum neque hæc opinio acceptari potest; 1.° enim hoc documentum non est antiquius Sæc. IX. et per consequens ceu suppositum non probat existentiam factæ donationis superhumeralis a Constantino. 2°. etiam adest ratio juridica quæ hanc opinionem excludit. Etenim Pallium etiam in antiquitate habitum est tanquam signum jurisdictionis ecclesiasticæ. Hinc auctores etiam contrariæ sententiæ, uti *Berardius* tom. 1. sui operis *Commentar. in Jus Ecclesiast. univers.* testantur temporibus RR. Pontificum Vigilii et Gregorii Magni Pallium fuisse concessum Vicariis Romani Pontificis in signum vigilantiæ quam supra Episcopos vice Pontificis exercere debebant. Jamvero Ecclesia in signum jurisdictionis ecclesiasticæ profecto nunquam sumpsisset ornamentum civile, idest ornamentum imperiale, ne videretur potestas supra-episcopalis originem civilem habere, et ab Imperatoribus derivare, præsertim cum jam a temporibus Imp. Constantini *Hosius* Cordubensis Episcopus aliique Ss. Patres conclamaverint ac tantopere adlaboraverint ne confunderetur potestas Ecclesiæ cum potestate imperiali, ne Princeps laicus, ut ait Hosius, ad se pertraheret ea quæ ad Ecclesiæ potestatem pertinent, scribens 'Tibi Deus imperium dedit, nobis autem ecclesiastica concredidit'. Hinc origo civilis excludenda est a Pallio.

4. Verior sententia circa Pallium *Archiepiscopale* hæc est, quam proponit et tuetur *Vespasiani* in dissertatione *de sacri Pallii origine* edita *Romæ* typ. S. Congr. de Prop. Fid. an. 1856. Penes orientales populos mos fuit et consuetudo gestandi vestem quandam superimpositam humeris, quæque pro lubitu operiret etiam partem anteriorem personæ. In musivis operibus antiquis Christus Dominus et Apostoli Pallio contecti apparent. Ab ipso more autem Vet. Test. consuetudo inducta fuit, ut demortuo aliquo sancto viro, successor

in ejus locum Pallium ejusdem mortui viri assumeret sive obsequii et imitationis causa, sive etiam ut in persona successoris quodammodo appareret perseverans auctoritas, dignitas, et si ita fas est dicere, ipsa persona demortui viri. Ita Eliseus assumpsit pallium Eliæ 4. Reg. II. 9 seq. Quoad vero historiam ecclesiasticam, præter narrationem S. Hieronymi in vita S. Pauli Eremitæ de Pallio ab Eremita Paulo accepto ab Athanasio antistite Alexandrino, habemus Nicetam narrantem usum transferendi Pallium S. Jacobi fratris Domini in successores Episcopos Hierosolymitanos. (Nicetas in Hist. Eccles.) Liberatus autem Diaconus in historia Nestorian. et Eutich. describit ordinationem Theodosii in sede Alexandrina, et simul tradit morem ordinarium servatum in assumptione Episcoporum Alexandrinorum, qui mos in eo consistebat, ut demortuo Episcopo Alexandrino qui erat electus in locum ejus excubias exercere deberet, idest per integram noctem vigilare deberet ante cadaver demortui Episcopi, et orationes in vigiliis fundere; deinde assumeret pallium demortui Archiepiscopi, quod pallium erat illud idem quod fuerat a S. Marco relictum; atque ita censeretur, personam assumptam in episcopale ministerium quodammodo locum tenere S. Marci, cujus persona in pallio repræsentabatur. Eusebius Cæsariensis in sermone de Epiph. Domini tradit B. *Linum* Romanum Pontificem assumpsisse Pallium S. *Petri*, atque ita habuisse signum plenitudinis potestatis primatialis in universa Ecclesia. Quapropter pallium quod fuerat vestis usualis et communis B. Petri, cœpit esse typus, signum et ornamentum ecclesiasticum significans conservationem potestatis primatialis Petri in successoribus suis. Cum vero Pallium B. Petri tractu temporis consumptum fuerit, ne ipsa significatio simul evanesceret, inductum est, ut fimbriæ in formam extremitatis antiqui pallii assumerentur loco vestis longioris; quæ fimbriæ circumducerentur et advolverentur humeris et pectori, ita ut extremitates aliquantulum defluerent. Quare hinc hujusmodi fascia repræsentans fimbrias vel vittas, quæ jussu Domini in V. T. magno honore habebantur substituta est in locum Pallii, seu vestis longioris.

5. Pallium non solum fuit proprium Romani Pontificis, sed etiam ab eodem *missum* fuit ab antiquitate quibusdam Episcopis qui habiti sunt ceu Vicarii Romani Pontificis; hinc in antiquitate, quemadmodum *Pelagius I.* mittens Pallium Arelatensi Episcopo testatur, Episcopi qui a Romano Pontifice Pallium recipiebant, cen-

sebantur gaudere potestate superiori et speciali præ aliis Episcopis. Quare cum præter duos gradus ordinariæ jurisdictionis ex jure *divino*, singulorum nempe Episcoporum et Romani Pontificis, introducti sint gradus intermedii jurisdictionis supra-episcopalis, id est gradus Metropoliticæ, Primatialis et Patriarchalis jurisdictionis, inductum est ut Metropolitis seu Archiepiscopis, Primatibus seu Exarchis, et Patriarchis Pallium a Romano Pontifice mitteretur, quod habitum est ceu signum supra-episcopalis jurisdictionis et partialis sollicitudinis Romani Pontificis in universam Ecclesiam, quam Romanus Pontifex commisit et committere solet aliquibus Episcopis in ordine ad aliquam provinciam ad regnum vel patriarchatum. Pallium autem dicitur sumi de Corpore B. Petri ut significetur supra-episcopalem potestatem esse participationem potestatis primatialis Petri residentis in Romano Pontifice. Hinc ritus benedicendi et custodiendi Pallium in Romano Ecclesia apprime significat intentionem esse Romani Pontificis ut Archiepiscopi, Primates et Patriarchæ cognoscant eorum potestatem supra-episcopalem ex potestate Petri procedere.

6. *Ritus* autem benedicendi hic est. Nimirum, antiquitus in die anniversario martyrii B. Petri, hodie autem in pervigilio ejusdem diei post Vesperas ipse Romanus Pontifex Pallia confecta operâ monialium in «Turre Speculorum» degentium ex lana duorum agnorum festo s. Agnetis, die 21. Januarii cujusque anni, in ipsius s. Virginis et Martyris ecclesia extra muros benedictorum benedicit, et eadem deponit per suos Capellanos id est auditores S. Rotæ in confessione Basilicæ S. Petri prope locum in quo custoditur corpus ejusdem Apostoli. Electus est autem dies iste pro Palliis benedicendis, quia dies est in quo B. Petrus deposuit Pallium suum suscipiendum inde a successoribus et transmittendum personis in Ecclesia, quæ majoribus dignitatibus decorantur.

7. Hinc facta historica optime demonstrant originem Pallii esse ecclesiasticam, eamque referre *conceptum* quemdam *dogmaticum*, id est potestatem primatialem Petri in universa Ecclesia et comparticipationem aliquarum personarum in eadem potestate ex concessione speciali Romani Pontificis. Adnotandum vero est ex usu inductum fuisse ut aliquando Pallium concederetur honoris tantum causa quibusdam Episcopis, sive intuitu sedis, sive intuitu etiam Episcopi qui sedem tenet. Exemplum novissimi temporis exstat in literis Apostolicis, quibus usus s. pallii ex peculiari privi-

legio *personæ* Episcopi Ratisbonensis, non dignitati et successoribus concedebatur die 1. Maii anni 1892. In specie quoad Græcos animadvertendum est in Ecclesia orientali quatuor Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum, Constantinopolitanum et Hierosolymitanum, unumquemque in suo patriarchatu Pallia Archiepiscopis et Exarchis concedere, et hoc ex can. 17. Concilii Oecumenici VIII. nec non ex cap. 23. *de Privilegiis* (V. 33). Verum in cap. 23. cit. statutum est ut nemo ex illis Patriarchis Episcopis sibi subditis Pallium conferat nisi antea ipse a Romano Pontifice Pallium assecutus fuerit; quæ dispositio optime exprimit in Romano Pontifice existere centrum auctoritatis supra-episcopalis, eamque communicari servato ordine in jure statuto variis sedibus atque personis.

8. Hisce positis, quædam dicenda sunt de auctoritate Pallii. Cum Pallium sit signum conferens auctoritatem supra-episcopalem 1°. Archiepiscopus antequam Pallium a Romano Pontifice assequatur non potest appellari absolute *Archiepiscopus*. Ita in c. 3. h. t. 2°. Pariter licet fuerit consecratus in sua Ecclesia non potest Archiepiscopus ea *Ordinis* officia exercere in quibus, ut ait Pontifex agere videtur tanquam Archiepiscopus. 3°. Sic pariter ante Pallii assecutionem prohibetur Archiepiscopus actus *jurisdictionis* ponere qui proprii sunt archiepiscopalis potestatis. Et quoad exercitium ordinis episcopalis, non accepto Pallio, Archiepiscopo prohibetur sacrum conficere chrisma, Clericos ordinare, Episcopos consecrare, et Basilicas dedicare: ita in c. 28. §. 'super eo' *de Elect. et Elect. pot.* (I. 6) cui etiam adhæret c. 3. h. t. Et ratio est quia istæ sacræ functiones licet sint ordinis episcopalis, tamen peraguntur ab Archiepiscopo tanquam Episcopo i. e. peraguntur intra Missarum solemnia, et in vestibus pontificalibus adhibito Pallio archiepiscopali. Cæterum ex dispositione c. 9. *de Elect. et Elect. pot.* (I. 6) Archiepiscopus post acceptam confirmationem etiam non accepto Pallio potest suffraganeo suo committere ut supradictas functiones sacras peragat. Pariter Archiepiscopus ante acceptum Pallium potest ea officia Ordinis episcopalis peragere in quibus non requiritur usus Pallii et celebrantur etiam extra Missarum solemnia adhibitis superpelliceo et stola uti sunt confirmatio Baptizatorum, Benedictio sacrorum indumentorum et vasorum sacrorum et cœmeterii. Quoad jurisdictionem Archiepiscopus ante receptum pallium non potest synodum provincialem convocare: ita in cit. c. 28. *de Elect. et Elect. pot.* (I. 6) nec potest Provinciam

i. e. Diœceses suffraganeorum visitare, quia actus hujusmodi sunt proprii archiepiscopalis potestatis. Canones citati ob particulares species Pontificibus propositas, mentionem faciunt solum de Archiepiscopis quando sermo est de auctoritate Pallii; sed ob paritatem rationis quæ de Archiepiscopis dicta sunt, Primatibus etiam et Patriarchis merito applicanda esse videntur.

9. Cum ad exercitium potestatis supra-episcopalis pallium requiratur, hinc est quod Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ post eorum Confirmationem et juxta hodiernam praxim post eorum promotionem in consistorio Pontificis tenentur quamprimum proponere petitionem Pallii. Possunt autem Pallium petere eoque vestiri etiam per procuratorem. Petitio autem juxta mentem c. 2. D. 100. fit sub hac formula ut Pontifex *instanter, instantius, instantissime* dignetur Pallium concedere: quæ formula etiam hodie servatur.

10. Nunc de usu Pallii. — Hanc materiam de usu Pallii tria quodammodo principia determinant. Principia hæc sunt 1°. Pallium non est signum plenitudinis et supremæ potestatis quoad Archiepiscopos, Primates et Patriarchas, sed est signum quo Archiepiscopi, Primates et Patriarchæ vocantur in *partem* sollicitudinis pontificiæ in universalem Ecclesiam. 2°. Pallium est signum *territoriale*. 3°. Pallium est etiam signum *personale*. Ex 1. principio sequitur Archiepiscopum non posse omnibus in locis omnibusque temporibus Pallio suo uti, sed solummodo in iis locis illisque temporibus quibus permissum est a jure. Ita in cc. 4. et 7. h. t. Quoad *locum* Archiepiscopus extra Provinciam Pallio uti non potest, Primas extra Nationem, Patriarcha extra limites Patriarchatus. Quoad *tempora* usus Pallii, potest Archiepiscopus uti Pallio diebus solemnioribus in anno qui inveniuntur in Pontificali Romano (ed. typ. Ratisbonæ 1888) I. 94, necnon in Cæremoniali Episcoporum l. I. c. 16. n. 4.; l. II., c. 34. n. 2; ex generali decreto S. C. Rituum, die 9. Sept. 1883 n. 5894. Festis pallii adnumerantur festum Immaculatæ Concept. B. M. V. et s. Josephi (19. Martii). Ad dandam bened. Papalem (ex delegatione) pallium non adhibetur nisi quando in missa antecedenti adhiberi licebat; S. C. Rit. in *Neapolitan.* 23. Februarii 1874. n. 5907 ad 12. et 13. Ex eodem principio sequitur etiam Archiepiscopum uti posse Pallio solummodo intra Ecclesiam, quia hoc concessum est a jure. Ita in c. 1.

h. t. Quod si processionem peragat *extra* Ecclesiam Pallio decorari non potest.

Secundum principium est ut Pallium sit signum *territoriale:* hinc potest Pallio uti Archiepiscopus non solum in Ecclesiis suæ Diœceseos, sed etiam in Ecclesiis Provinciæ suæ; in Ecclesiis autem extra Provinciam non potest, nisi et privilegium habeat et accedat consensus Archiepiscopi provinciæ illius. Ex eodem principio sequitur, Pallium unius Provinciæ non posse ab Archiepiscopo adhiberi, si in aliam sedem archiepiscopalem transferatur, sed pro nova sede archiepiscopali novum pallium petere debet.

Tertium principium est Pallium est *personale.* Hinc ex c. 2. h. t. Archiepiscopus non potest illud alteri Archiepiscopo commodare aut donare, sed secum retinere debet tamquam signum personale dignitatis, ita ut quando Archiepiscopus demoriatur debeat cum pallio proprio sepeliri, videlicet pallium cadaveri imponitur. Quod si Archiepiscopus de una in aliam sedem archiepiscopalem fuerit translatus, sepelitur cum utroque pallio, ita ut pallio recentioris Ecclesiæ cadaver decoretur, aliud autem antiquioris sedis vel debeat collocari sub capite, vel extendi supra corpus. Ita Ostiensis et Abbas in c. 2. h. t.

Singulare prorsus privilegium competit Episcopo Ostiensi, cui *Marcum* Summum Pontificem, ut «consecrando Episcopum Urbis pallio uteretur,» concessisse anno 336. testatur liber Pontificalis.

Titulus IX.

De renunciatione.

1. Definitio. Explicatis modis, quibus prælati constituuntur in dignitate ecclesiastica, et signo jurisdictionis, quo quidam eorum decorantur, modus describitur quo dignitas plerumque amittitur. Renunciatio quæ etiam dicitur resignatio capp. 5. et 8. h. t. definitur: *'spontanea cessio seu dimissio proprii Beneficii facta ex aliqua justa causa coram legitimo superiore illam acceptante'.* Hæc definitio satis clare exprimit conceptum rei definitæ: eam tamen melius explicabimus cum qualitates renunciationis exhibebimus.

2. Interim de divisione renunciationis agendum est. Renunciatio alia est *tacita,* alia *expressa.* Tacita renunciatio obtinet

cum quis censetur Beneficio renunciare voluisse per liberam positionem alicujus facti, quod de animo renunciandi explicare debet, et aliter explicari nequit. Ut vero tacita resignatio habeatur, duo requiruntur 1°. ut factum libere ponatur; si enim ex coactione ponatur, non potest considerari ceu judicium voluntatis renunciandi Beneficio. 2. Requiritur ut factum sit concludens, i. e. aliter explicari nequeat, saltem ex dispositione juris illud factum interpretantis tanquam indicium renunciationis.

3. Hæc vero facta plura sunt. Primúm factum describitur in capp. 2. et 3. de Clericis Conjug. (III. 3), si nempe Clericus minor qui beneficium possidet matrimonium ineat. Conjugalis enim status saltem in Ecclesia Latina incompatibilis censetur cum clericali militia et officio sacro beneficiorum; cap. 5. *de Clericis Conjug.* Beneficium enim constituit stationem seu positionem qua persona divino servitio in particulari ecclesia mancipatur. Qui autem cum uxore est sollicitus est quæ sunt mundi quomodo placeat uxori et divisus est 1. Cor. VII. 33. Quare ipso jure vacat Beneficium. — 2°. Si quis Beneficium possidens Religionem approbatam ingrediatur, ibique vota nuncupet, ex tit. *de Regul. et trans. ad Relig.* (III. 31) censetur renunciasse Beneficio. Cui facto simile est aliud, si nempe Clericus factus sit miles, et militiæ statum serio assumpserit. Glos. in cap. ult. *de Cleric. non resid.* (III. 4). Censetur enim beneficium suum habere pro derelicto. — 3um. factum quod inducit tacitam Beneficii renunciationem est acceptatio alterius Beneficii cum priore incompatibilis c. 28. *de Præb.* (III. 5) et Extrav. «Execrabilis» eodem tit. inter Commun. Non potest enim dari juridica possessio simultanea duorum beneficiorum, quorum utrumque intentione juris clerici stationem defigit. Hæc tria facta exhibent renunciationem tacitam ex *præsumptione juris,* ita ut positis hisce factis retinenda sit renunciatio etiam contra invitum.

4. Duo exempla tacitæ renunciationis traduntur, quæ revera positivam renunciandi voluntatem demonstrant. Primum exemplum affert *c. 3. De his. quæ fiunt a major.* (III. 11) in quo lite pendente inter duos ut præposituram Augustensem consequerentur, traditur Pontificem uni præposituram adjudicasse ex tacita alterius renunciatione; hic enim alter priori obsequium et reverentiam Præposito debitam præstiterat. — Secundum exemplum exhibet c. 3. h. t. Quidam Clericus Ecclesiæ alicui adscriptus bona sua eidem contulerat. Vitam inde monasticam eligens, in quoddam monaste-

rium recipi cupiebat, fecitque sibi restitui bona, quæ priori Ecclesiæ tribuerat. Hoc factum bene exprimit contrariam intentionem redeundi ad illam Ecclesiam, ac proinde explicandum est et recipiendum ceu tacita renunciatio. Hinc mutato consilio de vita monastica suscipienda, Clericus ille jus non habet ad Ecclesiam pristinam revertendi ut inter Clericos qui de bonis Ecclesiæ ejusdem sustentantur recipiatur.

5. Expressa renunciatio est quæ vel verbis vel scriptis perficitur voluntatem beneficium resignandi declarantibus. Res per se nota est. Indifferens est autem utrum quis per se ipsum perficiat, vel per alium id est per procuratorem, qui ad renunciandum specialiter sit constitutus *cap. 14. de Procurator.* (I. 38). *Speciale* autem mandatum requiritur; procurator enim etiam ad universitatem causarum seu negotiorum constitutus cum alienare non possit, nec cedere juri, nec Beneficium nostrum resignare potest.

6. Renunciatio est vel *pura* vel *conditionata.* 1. est cum nulla conditio adjicitur aut pactum. 2. quæ habet adjectam conditionem vel pactum vel modum. Ex. gr. si renunciaretur Beneficium cum pacto aliud obtinendi, vel cum conditione ut ab aliqua determinata persona obtineatur etc.

7. Primum explicabimus *qualitates renunciationis* in genere et præsertim puræ, deinde de conditionatis renunciationibus distincte agemus.

Ex ipsa definitione patet quatuor dotibus fulciri debere renunciationem: 1°. ut sit *libera*, 2°. *proprii* beneficii, 3°. ex *justa causa*, 4°. *acceptetur* a superiore legitimo. — Debet esse *libera*; nam secus deesset consensus resignantis, saltem plenus. Quod si aperte *violentia* facta est, renunciatio nulla prorsus est ex Clem. 2. *de pœnis* (V. 8). Si vero *metu* aut *fraude* extorta fuerit, licet per se sustineatur et valeat, tamen ex judicis sententia rescinditur: arg. c. 5. h. t. Cui consonat dispositio juris civilis in L. 1. 7. et q. ff. *Quod metus causa.*

2°. Renunciatur *proprio* beneficio. Loquimur in titulo de proprie dicta renunciatione, quæ nempe importat recessum a statione ecclesiastica quam quis jure possidet, quæ proinde renunciatio exigit superioris consensum. Quo posito hæc renunciatio locum habere non potest nisi quis pleno jure habeat beneficium tanquam proprium; secus enim non est in juridica statione ecclesiastica a

qua recedat auctoritate superioris. Hinc qui habet tantum jus ad rem per electionem, potest recusare illud, nec adstringitur ad renunciationem formalem in sensu tituli edendam; hinc qui est a patrono præsentatus, et nondum institutus in beneficio; quoniam jus completum in beneficio non habet, si illud recipere nolit, non tenetur formalem emittere renunciationem, sed sufficit si declaret se velle abstinere a beneficio acceptando.

8. Quæritur utrum quis *semper* possit proprium beneficium resignare? Quandoque resignatio prohibetur ita ut sit invalida. Et 1⁰ quidem in sess. 25. c. 16. Conc. Trid. *de Regular.* constitutum est ut qui *ingressi sunt Religionem* non possint valide perficere quamcumque renunciationem nisi fiat intra *duos menses* proximos ante professionem, et accedat *licentia* Episcopi vel ejus Vicarii generalis, quæ renunciatio habere non potest effectum nisi post editam professionem. Hinc si ante duos menses qui professioni præcedunt, novitius renunciationem perficit absque Episcopi vel ejus Vicarii consensu, nulla est, licet fuerit jurata. Porro hæc dispositio respicit novitium, et inducta est ad tuendam libertatem professionis, quæ forsitan libere non fieret post cessionem plenam bonorum suorum. Quare non respicit resignationes factas ante assumptum habitum religiosum, licet factæ fuerint intuitu ingressus in religionem futuri, quæque videantur factæ in fraudem decreti conciliaris. Nam pœnæ sunt strictæ interpretationis.

2⁰. Ex Const. *S. Pii V. 'Quanta Ecclesiæ'* diei 1. Aprilis 1568 nullus sacro ordini mancipatus valet ullo modo beneficium vel officium ecclesiasticum resignare nisi aliunde ei præsto sint media, quibus possit commode *sustentari.*

3⁰. Ex dispositione Conc. Trid. sess. 21. c. 2. *de Ref.* clericus nequit resignare beneficium quod constitutum fuit in *titulum* sacræ ordinationis, et non valet renunciatio nisi in renunciatione hæc qualitas exprimatur, et aliunde commode vivere possit.

4⁰. Beneficia litigiosa in favorem *tertii* ex quolibet titulo etiam permutationis non possunt resignari. In fraudem enim collitigantis fieri præsumitur resignatio, ut scilicet potentior adversarius opponatur. Arg. c. 1. *de alien. judicii mut. caus.* (I. 42) et c. 2. *Ut lite pend. in 6⁰.* (II. 8). Possunt vero resignari in favorem *collitigantis.* Cessat enim ratio descripta. Cæterum non prohibetur renunciatio pura et simplex beneficii litigiosi facta superiori qui

eam acceptet. Beneficia autem dicuntur esse litigiosa, cum causa cœpta est coram judice; ita ut talia non fiant per extrajudicialem prohibitionem possidendi vel fructus percipiendi. Clement. 2. *Ut lite pend.* (II. 5).

5° Quinto loco prohibita est renunciatio beneficii, quæ adversatur vel juri *reservationis* Rom. Pontificis, vel juri *unionis* quod competit Episcopis. Competit sane Rom. Pontifici jus reservandi sibi collationem aliquorum beneficiorum, quæ bene de ecclesia universali meritis concedat. Proprium etiam est Episcoporum jus uniendi quædam beneficia sine præjudicio eorum qui ea actu obtinent, vel pauperi Ecclesiæ, vel seminario. Primum jus Episcopi traditur in c. 5. sess. 21. *De Ref.* in Conc. Trid. Constat secundum jus ex c. 18. sess. 23. *de Ref.* Hisce juribus Rom. Pontificis, vel Episcoporum adversatur renunciatio beneficii vel reservati, vel uniti ab Episcopo pauperi ecclesiæ aut seminario, si renunciatio fiat ex causa permutationis, vel in favorem tertii. Posita enim hac renunciatione beneficium vel serius vel nunquam forsan sub dispositione Pontificis, aut Episcopi esset. Dixi nunquam posset esse sub dispositione dicta; cum eludi posset si unus alteri, hic alter tertio atque ita porro beneficium resignaret successione indefinita. Hinc horum beneficiorum fieri potest solummodo resignatio pura absque conditione.

9. Tertia qualitas renunciationis est legitima ejus causa. Justa vero causa requiritur in renunciationis negotio; nam cum clerici beneficio aliquo instructi veluti in propria statione esse censeantur in qua Dei servitio aut animarum bono mancipantur, non debent irrationabiliter et pro libito beneficium relinquere; nec a superiore admitti debet irrationalis renunciatio, ne facile foveatur vagandi et permutandi cupiditas. Hinc in c. 1. h. t. ab *Alexandro III.* rejecta est renunciatio Episcopi Londinensis quia ratione commendabili non fulciebatur. Adducebatur enim senectus, et summus Pontifex præ oculis etiam habens specialem conditionem illius temporis in regno Angliæ, renunciationem exclusit *'quia in te'*, ajebat, *'vigor devotionis et fidei, etiam corpore senescente non deficit; sed vergente deorsum conditione corporea, fervor spiritus in sublimiora conscendit'*. Imo ex cit. Bulla *S. Pii V.* n. 58. *«Quanta Ecclesia Dei»* videtur interdicta Ordinariis acceptatio renunciationum sine legitima causa propositarum sub pœna nullitatis earumdem; cfr. S. C. Concilii responsum 10. Sept. 1881. — Causæ

autem renunciationis quæ communiter adsignantur præsertim pro episcopatibus uti legitimæ describuntur ab *Innocentio III.* in c. 10. h. t. duobus versiculis continentur, et in summa capitis ejusdem referuntur:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

10. Prima causa est *debilitas* seu *imbecillitas corporis* quæ ex senectute vel ex morbo procedit. 'Nec tamen', ait Innocentius in eod. c. 10., 'omnis debilitas corporis, sed illa solummodo, per quam impotens reddatur (Episcopus) ad exequendum officium pastorale'. Quare si sufficienter adhuc persolvi possit pastorale officium ob solam rationem senectutis, vel alicujus infirmitatis, præsertim si de Episcopo agatur, renunciatio admittenda non est. Quemadmodum enim animadvertit *Alexander III.* c. 1. h. t. 'vergente deorsum conditione corporea, fervor spiritus in sublimiora potest conscendere'; et quemadmodum notat *Innocentius III.* in c. 10. h. t. 'interdum non plus hortatur senilis debilitas aliquem cedere, quam moralis maturitas, quæ in senibus esse solet, ipsum (Episcopum) in suo suadet officio permanere . . . quia nonnunquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat'.

11. Secunda causa est defectus *scientiæ* competentis, quem quis experitur in exercitio sui muneris. Competens autem, idest mediocris scientia toleratur; quam, ut ait Pontifex in c. 10., supplere potest perfectio charitatis.

12. Tertia causa est conscientia admissi *criminis,* quod etiam post peractam pœnitentiam non sineret esse honorabile ministerium atque executionem officii in Ecclesia. Hujusmodi traduntur esse crimina homicidii, simoniæ, uno verbo crimina quæ *infamiam* in populo pariunt.

13. Quarta causa est conscientia *irregularitatis* in qua non solet facile dispensari, ex. gr. bigamia. — Quatuor hæ causæ ipsum renunciantem potius respiciunt, sequuntur binæ quæ potius sunt ex parte subditorum, qui pastoris sui solatio amplius non fruuntur, nec emolumenta spiritualia ex ejus ministerio habent.

14. Prima est *odium malæ plebis,* quæ verificatur, quoties Episcopus vel inferior pastor non sit benevisus populo, scilicet, ut ait *Innocentius III.* in c. 10. h. t. 'si plebs adeo duræ cervicis existat ut proficere nequeat apud ipsum', præsto est Prælato ratio

sufficiens recedendi ab officio. Ex quo deduci potest, odium malæ plebis non esse causam deponendi Episcopum; sed solum cum non unus sed plurimi ex populo ob malam voluntatem et falsas opiniones Episcopi vel pastoris inferioris recipere salutaria monita recusent, potest uterque recedere ab officio suo, præsertim si spes effulgeat conversionis populi per alium pastorem obtinendæ.

15. Secunda causa est *grave scandalum* quod populus patitur a suo pastore, quod scandalum non potest removeri, nisi Episcopus vel pastor inferior a loco suo recedant, beneficium resignantes. At Innocentius in c. 10. h. t. bene distinguendum esse ait inter scandalum pharisaicum, quod nempe procedit totum ex invidia malaque voluntate improborum hominum, et scandalum pusillorum. Primum dicit despiciendum esse, dicente Domino *Matth. XV. 14. 'sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum'*. Secundum vero dicit esse impediendum, teste Domino *Matth. XVIII. 6.* ubi ait: *'Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut . . . . demergatur in profundum maris'*. Unde Paulus *1. Cor. VIII. 13.; 'si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum'*. Quare causa legitima renunciationis erit quidem scandalum pusillorum, non vero pharisaicum, nisi in odium malæ plebis excrescit.

16. Porro hæ causæ præsertim respiciunt *Episcopi* renunciationem, imo ex doctorum sententia non taxative sed demonstrative enunciatæ fuerunt ab Innoc. in c. 10. h. t. et possunt etiam aptari renunciationi inferiorum dignitatum vel Beneficiorum curam animarum adnexam habentium et etiam aliorum Beneficiorum. Cæterum, ut quisque videt, non eadem gravitas causæ requiritur ad dimittendum canonicatum aut aliud Beneficium quodcumque quæ ad Episcopatum resignandum necessaria perhibetur.

17. Quarta qualitas renunciationis est ut a legitimo Superiore acceptetur. Necessitas hujus acceptationis derivat ex eo quod in Beneficiis reperiatur etiam notio oneris et officii, ad quod quis assumitur auctoritate Superioris. Expresse autem traditur necessitas hujus acceptationis in c. 4. h. t. Nec induci potest per consuetudinem ut quis propria auctoritate beneficium relinquat; consuetudo enim hæc esset potius corruptela juris c. 2. *de consuet.* (I. 4). Ex capite vero 1. h. t. in 6°. deprehendimus solummodo *Rom. Pontificem* posse supremo pontificatui ex se ipso nuncium dare, nec requiri acceptationem alicujus, ut valeat renunciatio. Et

merito; nam nullum alium in Ecclesia Rom. Pontifex habet Superiorem a quo dependeat. Pariter receptum est, reliquos clericos posse Beneficio libere renunciare, ut regularem ordinem ingrediantur, quia cuilibet clerico datum est statum perfectionis eligere; episcopum vero ut ingrediatur religionem indigere licentiam Rom. Pontificis c. 10. h. t. Et hoc ob specialem relationem Episcopi cum sua Ecclesia et cum Romano Pontifice, qui habet sollicitudinem omnium Ecclesiarum. In ordine autem ad Clericos inferiores Beneficium possidentes, animadvertendum est: 1^0. juxta probatos Auctores, *conveniens* non esse, ut Clericus inconsulto Episcopo a Beneficio recedat ut religionem ingrediatur. Stationes enim Clericorum, idest officia sacra ordinationi Episcopi subduntur. 2^0. Ex decreto S. Congr. super statu Regularium auctoritate *Pii IX.* publicato die 25. Jan. 1848, neminem in religione recipi posse nisi *testimoniales* literas proprii Ordinarii exhibet. 3^0. Renunciationem etiam Beneficii factam a novitio non valere, nisi fiat cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii Gen. intra duos menses proximos ante professionem, et ita ut renunciatio hæc viribus careat nisi sequatur professio ipsa religiosa. Ita, teste *Fagnano, com.* ad cap. 23. *de Regular.* (III. 31) n. 19. ad sensum c. 16. sess. 25. *de Regul.* in Trident. tenuit S. Congregatio Concilii.

18. Quæstio solvenda proponitur. Quinam est *legitimus* Superior qui excipiat renunciationem? Ex c. 8. h. t. resignatio facta in manu *laici* vel laicæ potestatis *nulla* est. Quod si Clericus resignaverit in manibus laici beneficium suum, illudque iterum ab eodem laico receperit, spoliandus est beneficio hujusmodi c. 8. h. t. Hæc autem dispositio facta est ad compescenda vitia Clericorum quorumdam qui beneficia in manibus baronum regumque resignabant, ut eorumdem favorem consequerentur. Quare solummodo ecclesiasticus superior potest beneficiorum renunciationem acceptare. Et primo quidem si sermo sit de episcopatu, *solus Rom. Pontifex* jure nativo et ordinario renunciationem excipere potest c. 10. h. t. et c. 2. *de translat.* (I. 7). Quoniam vero gubernia civilia nostris temporibus causa fuerunt episcopos ab officio removere, hinc in *Syllabo* an. 1864. sub n. 51. refertur damnata propositio sequens: '*Laicum gubernium habet jus deponendi ab officio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Rom. Pontifici in iis, quæ Episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem*'. Quid vero dicendum de renunciatione beneficiorum inferiorum? Ut determi-

netur Superior etc. distinguenda est resignatio pura et conditionata.

19. De *pura* resignatione valet regula, ut ille possit eam recipere, qui potest beneficium conferre, et ab eo Clericum deponere; Gloss. in Clem. un. h. t. verbo 'manibus' et communis Doctorum sententia. Hinc qui ex præscriptione vel privilegio acquisivit solummodo jus conferendi aliquod beneficium, nequit excipere renunciationem, quia caret jurisdictione supra Clericum beneficiarium, ut eum possit beneficio destituere. Censentur enim pari gressu procedere collatio et depositio a jure beneficium possidendi; prout erui videtur ex c. 14. *de Præb.* in 6°. (III. 4). Hoc posito, cum ordinarius collator beneficiorum in Ecclesia sit Episcopus, dicendus est *Episcopus* ordinarius superior qui acceptare potest renunciationes beneficiorum diœceseos; ceu expresse docet c. 4. h. t. Cum vero quædam Beneficia Romano Pontifici reservantur, ab eoque ordinario more conferuntur, horum renunciationes Romanus Pontifex recipere debet.

20. Diximus ad *Episcopum* spectare jus recipiendi resignationes. Hinc non *Vicario Generali,* nisi ex licentia *speciali* Episcopi hoc illi fuerit concessum c. 3. *de Off. Vic.* in 6° (I. 13). Cum etiam Capitulum sede vacante et hodierno more Vicarius *Capit.*, licet habeat potestatem destituendi Clericum delinquentem a beneficio, quoniam vero non potest beneficia conferre liberæ collationis, quia privativi juris sunt Episcopi; hinc sequitur eundem non posse recipere resignationem beneficiorum *hujusmodi.* Arg. cap. 1. *De rebus non alien. in 6°* (III. 9). Ita *Pirhing* n. 74. *Reiffenst.* h. t. n. 7. et alii. Ex eadem ratione e converso accepta sequitur, sede vacante Vicarium Capitularem recipere posse renunciationem in beneficiis quæ sede plena conferuntur *simul* ab *Episcopo et a Capitulo.* Ex jure enim non decrescendi, deficiente Episcopo, hæc beneficia conferre potest Capitulum; et cæteroquin Vicarius Capitularis potest Clericum beneficio privare. Unde in Vicario Capitulari concurrunt duo extrema quæ requiruntur in superiore ad recipiendam renunciationem. Sequitur pariter, Vicarium Capitularem posse acceptare renunciationem beneficiorum juris patronatus, quorum institutio spectat ad Episcopum. Beneficia enim hæc non sunt liberæ collationis, et institutio Clerici præsentati non censetur actus liberalitatis, novo Episcopo reservatus, sed est actus necessariæ et ordinariæ jurisdictionis, quæ Vicario Capitulari competit.

21. Communiter ab Auctoribus refertur dispositio cit. Const. *S. Pii V. 'Quanta Ecclesiæ'* edita 1. Aprilis 1568. quam fuse interpretatur *Benedictus XIV.: De Syn. Diœces.* L. 13. c. 24. In hac constitutione S. Pius V. prohibuit, quominus Episcopus vel alius ordinarius collator in cujus manibus resignatio beneficii facta est, beneficium hujusmodi conferat suis aut resignantis consanguineis vel affinibus aut familiaribus. Sacra autem Congr. Concilii interrogata ab Episcopo *Cremonensi*, cujus resolutio probata *a Gregorio XIII.* ex Lib. 1. *Decretor.* pag. 445. excerpta refertur *a Bened. XIV.* l. c. n. 4. tenuit, sub Piana prohibitione comprehendi etiam beneficia *parochialia*, ita ut «ne ad concursum quidem possint admitti». E contra vero juxta mentem ejusdem S. Congr. in quæstione proposita ab Archiepiscopo *Mechliniensi* an. 1683. pro certo teneri potest, sub prædicta prohibitione non comprehendi *permutationes* beneficiorum quæ fiunt coram Ordinario, dummodo non fiunt contra sacros canones et fraus omnis absit. Ita *Benedictus XIV. De Syn. Diœces.* loc. cit. n. 8. et seqq. Præterea teste *Pirro Corrado* lib. 5. *Praxis beneficior.* cap. 1. n. 50. eadem S. Congr. Concilii, approbante *Gregorio XIII.* declaravit, Pianam constitutionem non extendi ad resignationes beneficiorum *jurispatronatus.* Quoad enim hæc beneficia jure communi receptum est, ut ille instituatur qui fuerit præsentatus a patrono, dummodo sit idoneus.

22. Huc referenda est etiam regula Cancellariæ Apostolicæ 19. quæ dicitur *De viginti* vel *de infirmis resignantibus.* In ea ad evitandum præjudicium S. Sedis et Ordinariorum, quod derivare posset ex renunciationibus in favorem tertii factis ab infirmis, quæ solent fieri ex fraude, statutum est, ut si quis infirmus resignet beneficium vel commendam sive in Romana Curia sive extra, et intra viginti dies ex eadem infirmitate moriatur, collatio beneficii facta consequenter ad renunciationem sit nulla, et beneficium censeatur vacare per obitum infirmi resignantis.

23. Nunc de renunciationibus *conditionatis.* Et primo quidem in renunciationibus conditiones seu pacta de aliquo temporali dando prohibita sunt tanquam simoniaca c. 5. h. t. et c. 23. *de Simonia* (V. 1) et Extrav. 'Cum detestabile' eod. inter commun. Unde Doctores tradunt simoniacum esse pactum inter resignantem et resignatarium de reficiendis expensis resignanti, quas toleravit aut litigando aut ob alias causas in assecutione beneficii et tolerabit

in dimissione beneficii ipsius. Hisce præmissis, videamus, quid dicendum sit de aliis conditionibus.

Conditio potest esse in favorem *renunciantis*, vel in favorem *tertiæ* personæ. Pariter conditio vel potest respicere *integrum* jus beneficii, vel partem fructuum, idest *pensionem*.

24. Conditio in favorem renunciantis respiciens jus beneficii sub triplici denominatione enunciatur, nempe *accessus, ingressus et regressus*. Conditio *accessus* adest, cum quis renunciat juri quod in facto completum non habet, et hoc jus inchoatum sibi reservet; *ingressus*, cum jus quis habet beneficii completum, sed beneficium revera non possidet; *regressus* verificatur, cum quis beneficii juridicam etiam possessionem nactus fuerit. Accessus ad Beneficium illi competit qui patronatus passivi jure 'munitus est, vel nominatus a patronis, potest petere a Superiore ecclesiastico ut in Beneficio instituatur. Hinc *accessum* sibi reservat, qui juri ex vocatione vel ex nominatione sibi derivanti renunciat, et permittit ut alius Beneficium consequatur sub ea conditione, ut ad ejus nutum Beneficium relinquere teneatur, ut ipse ad Beneficium illud accedat. Reservat *ingressum* qui legitime nominatus et institutus vel provisus per collationem de beneficio, eidem renunciat ut alius beneficium consequatur sub ea conditione beneficium ipsum relinquendi, cum priori placuerit, qui possit beneficium assequi, et in possessionem ingredi beneficii ejusdem. Reservat sibi regressum qui nominatus et institutus vel provisus Beneficium possidet et legitime renunciando sinit illud ab alio obtineri sub conditione, ut illud ad ejus voluntatem deserat, ut iterum regredi possit ad idem beneficium.

25. Præter conditionem in favorem renunciantis, dantur etiam conditiones in favorem *tertii*, quæque dicuntur fieri cum clausula «*non aliter.*» Scilicet renuncians non intendit velle se spoliare jure suo, nisi in illud jus succedat determinata ab eo persona.

De hisce omnibus renunciationibus dicendum est, fieri non posse jure communi coram Episcopo vel Superiore qui summo Pontifice sit inferior. Nam quod spectat ad conditionem pensionis, ea interdicitur ex rubrica tituli 12. in Lib. 3°. qui inscribitur '*Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur*', quæ dispositio roboratur capp. 26. et 36. *de Præbend.* (III. 5).

26. Quoad vero conditiones accessus, regressus et ingressus prohibitio aperta exhibetur in C. Trid. sess. 25. *de Ref.* c. 7. Ex

lege ergo generali vetantur hæ conditiones, nec ab auctoritate quæ in jure communi nequit dispensare, possunt admitti. Idem dicendum de conditione in favorem tertii. Ratio vero prohibitionis harum conditionum in sui et aliorum favorem deducitur ex earundem conditionum ordinaria indole, quæ videtur induere rationem haereditariæ successionis in beneficiis, a qua successione vehementer Ecclesia abhorret: cap. «ad extirpandas» *de Filiis Presbyt.* (I. 7) et cit. sess. 25. c. 7. *de Ref.* in Conc. Trid.

Omnes ergo supra expositæ renunciationes conditionatæ nonnisi illi superiori, qui in jure communi potest dispensare, legitime proponi possunt, ab eoque acceptari. Ergo non Episcopus, non alius Superior Papæ inferior potest istas renunciationes acceptare. Animadvertendum vero est, hic sermonem esse de vera conditione, quæ nempe dirigitur ad actum suspendendum, et ponitur ea intentione ut nisi servetur, renunciatio fieri nolit. Nam vetitum non est, renunciationem pure proponere ac simul enixe episcopum adprecari, ut determinatam personam ad beneficium promoveat.

27. Quæritur, utrum idem dicendum de renunciatione conditionata ex causa *permutationis*; id est cum beneficium possidentes renunciant sub ea tantum conditione ut unus in alterius beneficium instituatur. Certe si fiat permutatio hæc auctoritate *privata*, non solum non valet, sed permutantes amittunt sua beneficia saltem post judicis sententiam c. 7. *De rerum permut.* (III. 19) Verum valet hæc renunciatio si fiat coram loci Ordinario et ex legitima causa sine præjudicio tamen, id est cum consensu eorum qui jus haberent conferendi, eligendi, præsentandi. Quia loci Ordinarius potest permutationem permittere ex cap. 5. *De rerum permut.* (III. 19) ex cap. un. eod. tit. in 6°., et ex Clem. un. eod. tit. Animadverti vero debet permutationem talem intelligendam esse de beneficio ad beneficium, idest, ut ait cap. 5. cit. *De rer. perm.* de loco ad locum, non vero de beneficio ad pensionem. Porro beneficiorum permutatio non admodum odiosa censetur in jure quemadmodum aliæ renunciationes conditionatæ; fieri enim potest ad majorem spiritualem utilitatem ipsorum clericorum et fidelium, quam beneficiarius ratione sui muneris potest respicere.

28. Excipiuntur tamen renunciationes reciprocæ in *filios illegitimos presbyterorum* et renunciationes quæ dicuntur *triangulares* vel *quadrangulares* licet permutationis speciem induant. Reci-

procæ generice in suos renunciationes contingunt, cum ex. gr. Titius resignat beneficium in favorem propinqui Caji, et hic resignat beneficium suum in favorem propinqui Titii. Concilium Trid. sess. 25. c. 15. *de Ref.* absolute reprobavit hasce resignationes si ageretur de filiis illegitimis clericorum, quos eorum parentes in propria beneficia immittere vellent contra sacror. canonum decreta, quæ hæreditariam successionem in beneficiis condemnant. Resignationes triangulares et quadrangulares ex causa permutationis fiunt, cum tres Clerici vel quatuor sibi mutuo resignant beneficium proprium cum hac lege, ut prior cedat beneficium in favorem secundi, secundus in favorem tertii atque ita porro, et ultimus in favorem prioris. Hæ pariter permutationes prohibentur quia redolent speciem pactionis præviæ inter privatas personas, quæ conventio labem Simoniæ saltem juris ecclesiastici redolere videtur c. 5. *De rer. permut.* Licet vero permutationes istæ reciprocæ prohibeantur; tamen potest tractatus prævius fieri a clericis, ita tamen ut obligatio ulla ex eo non oriatur. Quare Clerici isti debent in manibus Episcopi Beneficium proprium pure et simpliciter renunciare. Possunt vero eidem prævium tractatum exponere, illumque adprecari ut beneficia iterum eisdem renunciantibus juxta prævium tractatum concedat c. 7. *de transact.* (I. 36).

29. Ex Constitutione *Gregorii XIII.* quæ incipit '*Humano vix judicio*' edita nonis Januarii 1583. resignationes et permutationes quæ fiunt in manibus Ordinarii debent intra *mensem* vel admitti vel rejici, et provisi tenentur eas *publicare* et beneficii possessionem capere intra *tres menses* a die factæ provisionis sub pœna ipso facto secutura nullitatis provisionis et beneficii. Gregorius XIII. in eadem constitutione præscripsit etiam specialem publicationis formam, quam stricte observandam inculcavit S. C. Concilii in *Firmanâ*, 20. Jan. 1894. Qui providentur de beneficio vel per resignationem vel per permutationem factam apud S. Sedem, debent sub eadem pœna prædictam publicationem exequi et possessionem capere intra sex menses citra montes, intra novem menses ultra montes a data concessionis gratia. Ita in cit. Const. Gregorii XIII. quam constitutionem confirmavit *Benedictus XIV.* in Const. quæ incipit '*Ecclesiastici*' diei 15. Junii 1740. At *Reiffenstuel* h. t. n. 135. notat cum *Garcia* part. II. *de Beneficiis* cap. 3. n. 289. Gregorianam constitutionem quoad resignationes et permutationes Beneficiorum non esse ubique usu receptam.

30. *De effectibus renunciationis.* — Primarius effectus ex quo omnes fere alii inferuntur est ut acceptata per Superiorem renunciatione, censeatur beneficium vacare. Quare renuncians amittit titulum beneficii et omne jus quod habebat, ita ut quoad beneficium reputetur tanquam mortuus. Hinc 1°. renuncians solvitur ab omnibus *obligationibus* beneficio adnexis, sive quoad pensiones quibus fortasse beneficium gravatur, sive quoad officium et residentiam. Hinc 2°. non amplius sese immiscere potest in beneficii *administratione,* nec *fructus* percipere, nec *officium* exercere. Et si nolit recedere a beneficio, potest compelli ad deserendum beneficium resignatum c. 12. h. t. Immo nec renuncianti datur pœnitentiæ locus, qua possit ad beneficium regredi c. 3. h. t. et can. 'Quam periculosum' C. 7. q. 1. Ratio datur ex principio generali admisso in c. 16. *De Elect.* (I. 6). Qui juri suo semel renunciat, non potest postea ad illud redire. Cæterum hæc dicta sunt de renunciatione spontanea prout statuit c. 6. h. t. Nam si renuncians petat iterum suum beneficium, impugnans factam renunciationem quatenus ea fuerit vi vel metu extorta, audiri debet cap. 5. h. t.

31. Renunciatio autem acceptata non impedit quominus renuncians ex *novo titulo*, ex. gr. ex electione possit beneficium iterum consequi. At id non intuitu prioris possessionis et juris, cui nuncium dederat, sed ex nova vocatione et nova collatione canonica capp. 2. et 3. h. t. Ex quo consequitur Clericum ad beneficium iterum admissum non consequi jura præcedentiæ vel prioritatis in tempore, sed ultimum locum inter æquales occupare debere.

Titulus X.

De supplenda negligentia Prælatorum.

1. Cum negligentibus Prælatis inferioribus in Clericis ad beneficia vel munia ecclesiastica assumendis, ex ecclesiastico jure, Prælati superiores beneficia conferant hinc in tractatu de personis ad officia ecclesiastica promovendis agit B. Raymundus de supplenda negligentia Prælatorum. Ut vero res plenius tractaretur non tantum agit in titulo de negligentia Prælatorum supplenda, in collatione beneficiorum, sed etiam in administranda justitia. In sensu autem tituli non est negligentia confundenda cum cri-

mine Prælati, nam ad abusus corrigendos ex crimine aliquo ortos dantur alia remedia juris. Sic etiam est distinguenda ab excessu in usu potestatis. De excessibus enim Prælatorum corrigendis agit tit. 31. in Lib. 5. Hic ergo negligentia significat objective *negotia neglecta ad quæ tenetur Prælatus sive ex jure sive ex consuetudine ratione beneficii sui, ac potestatis qua gaudet.* C. 'Negligere' C. 2. quæst. 3. Negligentia corrigenda vel respicit collationem beneficiorum, vel administrationem justitiæ. Ex quo sequitur in titulo nomine Prælati seu Superiorum proprie non quemlibet Prælatum intelligi, sed eas personas intelligi quæ jurisdictione vel administratione in Ecclesia gaudent, vel jure aliquo pollent in beneficiis conferendis.

2. Hisce positis sit primum de supplenda negligentia Prælatorum *in collatione beneficiorum.* Cum diu beneficia vacare non debeant, persolvenda enim sunt officia sacra in Ecclesia; definitum est tempus in jure sive ad præsentandam personam idoneam, sive ad electionem Prælati celebrandam, sive ad collationem beneficii perficiendam. Videlicet ex cap. 2. et 5. *De Concess. Præb.* (III. 8) tempus utile ad conferenda beneficia liberæ collationis est *semestre.* Ex cap. 41. *De Elect.* (I. 6) tempus utile ad eligendum Episcopum vel Prælatum Regularem est *trimestre.* Tempus hoc sive sex sive trium mensium incipit decurrere a die habitæ certæ *notitiæ* vacationis beneficii c. 3. h. t. Quoad vero beneficia juris patronatus, patronus laicus habet menses *quatuor*, ecclesiasticus vero habet *sex* menses ad præsentandum c. 1. *De jure patr.* (III. 19) in 6°. §. 2. Qui autem jure suo intra tempus definitum uti negligit, nec legitime impeditus fuerit, pro ea vice eodem jure uti prohibetur, et illud jus ad Superiorem devolvitur; ita ut elapso tempore utili, non detur moræ purgatio, sed ipso facto jus devolvatur ad Superiorem, et dies, ut aiunt, interpellat pro homine c. 2. *de Concess. Præb.*, (III. 8) Gloss. finalis in c. 3. h. t. et *Abbas* com. in idem caput. n. 5. Hinc qui de beneficio disponere poterat, elapso tempore disponere amplius nequit c. 3. et 5. h. t. Porro legitime impeditus censetur et ille qui ob suspensionem qua detinetur, non potest jura sua exercere c. 5. *De Concess. Præb.* Dispositio autem c. 2. *de Concess. Præb.* non applicatur illis Ecclesiis, in quibus determinatus non est numerus canonicorum c. 10. eod. tit.

3. Quibus positis, quæritur, quid sit dicendum si ordinarius collator post tempus utile elapsum conferat beneficium. Estne

nulla collatio per se, an est *declaranda* irrita per judicis sententiam? Dicendum est, per se collationem esse nullam, eo quia collator si negligat conferre beneficium intra tempus juridicum, pro ea vice ipso jure privatur potestate conferendi c. 2. *de Concess. Præb.* (III. 8). Quare collatio inde facta, non valet ex defectu potestatis in collatore. At juxta c. 4. h. t. ex patientia et benignitate Ecclesiæ tolerari potest; ita ut in casu applicari possit principium juridicum cap. «Cum jam» 18. in fin. *De Præb.* (III. 5) *'Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debent tolerari'.* Unde collatio nulla, post manifestatam tolerantiam superioris eam approbantis, convalescit ex dispositione juris expressa in c. 4. h. t. Quoniam vero collatio de jure naturali est valida, et indulgentia et patientia superioris præsumi potest, quousque contrarium non constiterit; hinc juxta Doctores: *Layman* q. 11. et com. in c. «literas» 4. h. t. et *Pirhing* h. t. n. 5. not. 4. licet collatio talis sit irrita, vel saltem irrita declarari possit a judice, tamen provisus tuta conscientia beneficium retinere potest quoadusque nemo canonice provisus sese opponat.

4. Porro superior ad quem devolvitur collatio seu provisio de beneficio est ordinarie qui immediate præest et beneficia ordinarie confert. Hinc in Diœcesi est Episcopus qui supplet negligentiam patronorum et aliorum collatorum. Quare si Capitulum negligat beneficia conferre, quæ privativi sui juris sunt, provisio ad Episcopum devolvitur. Quod si Episcopus negligat, distinguendum est an sermo sit de beneficiis quorum collatio pertinet jure *proprio* ad Episcopum, et an sermo sit de beneficiis quæ Episcopo subduntur jure vel *privilegii* vel *delegationis,* vel *devolutionis.* Negligente Episcopo in conferendis beneficiis prioris generis, potestas eadem conferendi jure *decretalium* devolvitur ad Capitulum propter juridicam communionem et comparticipationem in regimine Diœceseos, quæ jure decretalium intercedebat inter Capitulum tanquam corpus et Episcopum tanquam caput. Traditur hæc dispositio in c. 2. *de Concess. Præb.* (III. 8). Negligente autem capitulo ad Metropolitanum jus conferendi devolvitur eod. c. 2. In secundi generis vero beneficiis negligentiam Episcopi non Capitulum, sed Metropolitanus illico supplet. Hisce autem negligentibus ad Rom. Pontificem devolvitur jus collationis. Verum hodie quoniam Capitulum Cathedralis Ecclesiæ communi consuetudine non administrat Diœceseos negotia cum Episcopo, in facto non supplet negligentiam Episcopi in colla-

tione beneficiorum; sed negligente Episcopo, beneficium confert alius Superior cui subest Episcopus negligens.

5. Si vero agatur de Ecclesiis *exemptis* deque beneficiis earum, jus devolutionis in casu negligentiæ ad Rom. Pontificem spectat c. 32. *de Præb.* (III. 4) in 6°. Si sermo sit de Prælatis Regularibus, qui jus habent conferendi beneficia vel sæcularia vel regularia hæc distinctio facienda est. Si intra semestre Prælatus non conferat beneficium, vel *Prælatus* est Episcopo *subjectus*, et tunc Episcopus supplet ejus negligentiam, vel *Prælatus* est *exemptus* et *beneficium* pariter est *exemptum*, et in hoc casu jus collationis devolvitur ad Sum. Pontificem, vel Beneficium *non* est exemptum et in hac hypothesi Episcopus loci negligentiam Prælati auctoritate *apostolica* supplet. Clem. un. h. t.

6. Speciem collationis beneficii induit quodammodo *benedictio* quæ *Abbati* confertur ab Episcopo. Consequitur enim Abbas ex benedictione potestatem exercendi munia abbatialia quæ sine benedictione exercere non posset. Talis est potestas conferendi lectoratum in monasterio ex c. 11. *de ætat. qual. præficiend.* (I. 14). Talis est potestas benedicendi suos monachos. Hinc merito de negligentia Episcopi in hac benedictione impertienda loquitur c. 1. h. t. et statuit, Episcopo ter humiliter rogato renuente Abbatem benedicere, huic licere monachos benedicere et reliqua officii proprii peragere, donec Episcopus in melius consilium mutaverit. Accessit Const. *Bened. XIII.* quæ incipit «Commissi nobis» edita die 6. Maj. 1725. In ea decernitur §. 1°. ut *omnes* Abbates etiam perpetui intra annum ab electione benedictionem suscipiant ab Episcopis in quorum Diœcesibus monasteria existunt, servato ritu Pontificalis Romani; statuit insuper Pontifex ut Abbates postulent humiliter et devote ter ab Episcopo benedictionem ad normam c. 1. h. t. Si secus fecerint, decernitur contra ipsos suspensio ipso jure ab officio per annum; deinde ut durante præfato termino et interim Abbates possint exercere omnia munia abbatialia, et ut Abbas semel benedictus non sit iterum benedicendus, licet ad aliud monasterium etiam extra diœcesim transferatur. In §§. 2°, 3°, et 7°. omnia *privilegia* contraria, etiam speciali mentione digna tolluntur, nisi quod Abbates qui *directe* ab Apostolica Sede non vero aliter, e. gr. communicatione privilegiorum, acceperunt facultatem recipiendi benedictionem a quocunque catholico Antistite *post* petitionem benedictionis humilem Episcopo in cujus territorio mona-

sterium existit, ter frustra porrectam, libere a quolibet Episcopo catholico recipere benedictionem possunt. §. 4°. Nihil innovatur circa privilegium quibusdam Abbatibus directe a S. Sede concessum ut reciperent benedictionem a suis superioribus *regularibus*. Nihil etiam innovatur circa speciale indultum quod Abbates aliqui obtinuerint ut electi haberentur pro benedictis ab ipso *Summo Pontifice*.

7. De supplenda negligentia Prælatorum *in administratione justitiæ*. — Servanda est hodie dispositio Conc. Tridentini in c. 20. sess. 24. *de Ref.* Constituit Concilium ut omnes causæ ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes debeant in prima instantia coram locorum *Ordinariis* dumtaxat cognosci. Excipiuntur autem causæ quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ, vel quas ex urgenti rationabilique causa judicaverit summus Pontifex per speciale rescriptum signaturæ Sanctitatis Suæ manu propria subscribendum committere, aut avocare. Causæ autem coram locorum Ordinariis propositæ debent terminari infra *biennium* a die motæ litis; quod si terminatæ non fuerint intra hoc tempus, liceat utrique vel uni ex collitigantibus auctoritatem superioris competentis invocare, qui causam in eo statu in quo reperitur assumit, et quamprimum terminare tenetur. Superior ergo supplet negligentiam Ordinarii inferioris in causarum cognitione. At hæc potestas Superioris respicit casum litis jam *inceptæ*. Quod vero dicendum si Ordinarius inferior detrectet causam *suscipere*, et aggredi cognitionem causæ hujusmodi? Non videtur esse locus supplendæ negligentiæ ex parte superioris, ut causam ad se trahere possit. Etenim Concilium solummodo admittit casum in quo lis incepta non finiatur intra biennium, et absolute edicit ut causæ omnes in prima instantia coram locorum Ordinariis tractentur. Quare magis menti Patrum Tridentinorum consona videtur sententia, quæ tenet, in facta hypothesi superiorem posse monere et efficaciter inducere Ordinarium inferiorem ad causam suscipiendam, non vero posse causam ad suum tribunal avocare.

8. Mentio specialis facienda est dispositionis capitis 3. h. t. in 6°. in quo statuitur, ut «si Episcopus a paganis aut schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed capitulum, ac si sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus et temporalibus administrare debeat, donec vel Episcopus fuerit libertati restitutus, vel Ecclesiæ

utilitati a Rom. Pontifice de hac re per Capitulum consulto fuerit provisum». Ut autem verificetur Capituli jus, requiritur ut Episcopi absentia æquiparetur morti civili, ceu notat glossa in cap. hoc v. 'Capitulum' ita ut Episcopus absens Diœcesim nequeat administrare, idest neque *per literas* mandata indicere, nec suorum fidelium per literas audire querelas. Si enim hæc non impediantur, Episcopi jurisdictio non suspenditur, nec ad Capitulum devolvitur. Sane proposita quæstione in S. Congregatione Concilii die 7. August 1583. in causa Hiberniæ administrationis Ecclesiarum *'an casu, quo Episcopus ab hæreticis captus detineatur, non ita tamen arcte custoditus ut ipsi, ejusque Diœcesanis, facile non sit, saltem per literas inter se agere, ejusdem Episcopi jurisdictio intelligatur suspensa et ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis devolvatur'*, responsum est, *'jurisdictionem non esse suspensam'*. De hac re agit *Benedict. XIV.* De Synod. L. 13. c. 16. n. 11. Porro rationabilis prorsus est hæc decisio; nam novum non est in ecclesiastica historia, Episcopos Diœceses gubernasse per literas, licet captivi ab hostibus detinerentur. Tales fuere ex. gr. S. Ignatius Antioch., S. Polycarpus et S. Marcellus Summus Pontifex. Ex quo apparet decipi prorsus qui arbitrantur posse capitulum eligere Vicarium Capitularem qui Diœcesim administret in absentia Episcopi expulsi a Diœcesi ex civilis auctoritatis decreto. Et quidem in hac re habemus *Breve Apostolicum Gregorii XVI.* d. 26. Dec. 1837, quo jure merito vituperabat capitulum Coloniense, quod Archiepiscopo a gubernio Borussico capto detentoque in carcere, se misit ad Vic. Capitularem eligendum, licet communicatio inter Archiepiscopum et diœcesim non omnino intercluderetur, et Decretum *Pii IX.* per organum S. Congreg. Episcop. et Regul. diei 3. Maji 1862, quo irritas dixit electiones nonnullorum Vicariorum Capitularium factas ab aliquibus Capitulis ditionis neapolitanæ in Italia, cum Episcopi exulare cogebantur et vicarios, seu delegatos reliquerunt. Conf. *Collect. Cardin. Bizzarri* pag. 167. Nam etiam in exilio potest saltem per epistolas necessitatibus Diœcesis subveniri.

9. Casui proposito in c. 3. h. t. in 6°. auctores comparant etiam statum amentiæ in quam incidat Episcopus vel infirmitatis vel senectutis, donec ab apostolica sede provideretur de administratore vel de novo Episcopo. Comparant etiam Auctores huic casum Episcopi diu in longinquas regiones peregrinantis, quin Diœcesi administrandæ vicarium designaverit.

10. Tandem sede vacante Archiepiscopus sese ingerere non potest in administrationem Diœcesis provinciæ suæ visitatorem designando, nisi negligenter aut perperam capitulum administret. Quo in casu Archiepiscopus supplet negligentiam vel malitiam Capituli c. 4. h. t. in 6°. Immo nec ob excommunicationem qua forte ligatur Episcopus, ejus jurisdictio ad Archiepiscopum transit, ita ut fideles illius Diœcesis quæstiones ad metropoliticum tribunal deferre debeant, sed per aliud remedium suppleri debet c. 1. h. t. in 6°. Archiepiscopus enim supplet negligentiam Episcopi, non vero culpam criminis. Remedium autem in hujusmodi casu ordinarium est, ut res deferatur ad Romanum Pontificem, qui juxta circumstantiarum exigentiam congruenter providebit.

Titulus XI.

De temporibus Ordinationum et qualitatibus Ordinandorum.

1. Cum locuti simus de modis quibus personæ assumantur ad ecclesiastica ministeria, et ad prælaturas ecclesiasticas, opportunum est de ordinatione Clericorum agere, qua et ministri consecrantur in religionis officiis, et in gradibus ecclesiasticis constituuntur, qui necessarii sunt ut Clerici ad primas dignitates promoveantur.

Quemadmodum Theologi ita et Canonistæ de Sacramento Ordinis loquuntur. Ordinem esse unum ex septem N. L. sacramentis in s. Theologia demonstratum fuisse supponimus. De ejus natura et divisione aliqua in sensu canonum dicemus. Ordo dupliciter sumi potest: 1°. ut significet *conditionem permanentem* clericorum qui vi ordinis sui constituuntur in gradu præeminenti seu in dignitate quadam in Ecclesia Christi; 2°. ut significet ipsam sacram *ordinationem*, seu ritum quo homo in eo gradu permanenti dignitatis constituitur. Qua in significatione ordo est vere sacramentum. Ordo in præsenti titulo præsertim in hoc secundo sensu accipitur. Ordo quamvis in se sit unus, sacerdotale enim officium in Ecclesia respicit; tamen consideratur veluti quoddam genus plures species complectens. *Septem* porro Ordines a Concilio Tridentino numerantur in sess. 23. cp. 2. *De sacram. Ordinis.*

Non pauci Canonistæ post glossam in C. «Clerus» D. 21. docuerunt Ordines esse *novem* ad formam cœlestis Angelorum

Hierarchiæ; quique propterea et Tonsuram et Episcopatum inter Ordines recensendos esse putarunt. At quoad tonsuram, licet hic ritus in sortem Domini deputet hominem, ordo tamen dici nequit. Nam nullam potestatem confert actum aliquem specialem exercendi ecclesiastici ministerii, et inter Ordines a Conc. Trid. sess. 23. c. 2. non numeratur, sed dispositio ad ordines dici debet. Quod vero in cap. 11. *de Aetat., Qual. et Ord. Præficiendor.* (I. 14) dicatur simpliciter ordo clericalis, intelligi potest de deputatione illa quam per susceptionem primæ tonsuræ ex institutione Ecclesiæ acquirit homo ad conditionem permanentem seu ad statum clericalem. Nec difficultas fieri potest ex privilegiis et juribus ecclesiasticis obtentis ex tonsura; nam privilegia et jura possunt esse ex sola concessione Ecclesiæ, quæ tribuit etiam illis privilegia, qui jure divino illa non haberent, ex. gr. laicis professis in approbata Religione.

2. De Episcopatu communior est canonistarum sententia, quæ eum esse ordinem a presbyteratu distinctum docet. Ex mente Conc. Trid. sess. 23. *de sacr. Ordinis* arbitrantur se rem conficere posse. Nam 1°. Trident. in ead. sess. c. 4. distincte loquitur de Ordinatione Episcoporum, sacerdotum et ceterorum Ordinum. 2°. In can. 7. ejusdem sess. docet, Episcopos esse Presbyteris superiores. 3°. In can. 6. ejusdem sess. sub pœna excommunicationis definit, admittendam esse sacram hierarchiam divina ordinatione institutam quæ constet ex Episcopis, Presbyteris et Ministris. Tandem Trident. peculiaria munera taxative tribuit Episcopis.

3. Verum tenendum esse videtur Episcopatum in suo esse formali consideratum non esse ordinem per se distinctum et a presbyteratu prorsus separatum. Nam inspectus Episcopatus in suo formali conceptu seu quoad potestatem Ordinis, relationem dicit ad Sacrificium eucharisticum, ac proinde in se ordinem presbyteratus includit, et potest sub generico ordine sacerdotii comprehendi. Hinc Conc Trid. dum in c. 2. sess. 23. *de sacr. Ordinis* septem Ordines numerat, de Episcopatu mentionem non habet, sed generatim Sacerdotium nominat. Quod etiam in can. 2. ejusdem sess. repetit. Dici ergo potest Episcopatum esse complementum sacerdotii, quod novum characterem non imprimat, sed ipsum presbyterorum characterem augeat perficiatque. Ex quo sequitur, per consecrationem episcopalem jus novum acquiri personæ nova munia in Ecclesia explendi, ac quædam sacramenta ceu propria administrandi. Ex

quo etiam eruitur, Episcopos esse Presbyteris superiores. Hinc *Anacletus* Papa in Ep. 3. c. 1. tradit ordinem sacerdotum bipartitum esse, scilicet Episcoporum et Presbyterorum.

4. Aliquam certe difficultatem facit canon Tridentinus 6. citatæ sessionis in quo s. Synodus definit sacram Hierarchiam Ordinis idest sacrum principatum existere in Ecclesia qui constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris; nam ubi adest principatus inter Episcopos et Presbyteros, duplex adesse etiam videtur sacer ordo distinctus Episcopatus et Presbyteratus. At notandum est 1°. mentem fuisse concilii condemnandi tantummodo novatores qui destruentes sacram hierarchiam omnes christianos promiscue sacerdotii jure pollere docebant. Noluit vero scholasticam quæstionem dirimere quæ vigebat de distincto ordine Episcopatus et Presbyteratus. Præterea ex historia scimus in concilio paratum fuisse canonem, in quo asserebatur, Episcopos *jure divino* superiores esse Presbyteris; sed canon hic receptus non fuit, et potius alia expressio adoptata est, nempe *divina ordinatione;* quæ stricto sensu secum non fert jus divinum. Nam divina ordinatione institutum dici potest sive quod immediate a Deo sive quod solum mediate procedit, id est per Ecclesiam interpretantem intentionem juris divini. Ergo definitum non est, adesse in Ecclesia jure divino hierarchiam inter Episcopos et Presbyteros. 2°. Verba hæc Tridentini possunt explicari non de principatu omnimodo et in formali conceptu sumpto, quatenus ordinem peculiarem et distinctum constituat, sed quatenus id quod est magis perfectum antecellat quod est minus perfectum. Quo in sensu complementum sacerdotii quod est in Episcopatu præstat et superest Presbyteratui.

5. De Ordinum qualitate et diversitate agit Tridentinum etiam in can. 2. cit. sess. 23. *De sacram. Ordinis* hisce verbis concepto: 'Si quis dixerit præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines et majores et minores, per quos veluti per gradus quosdam ad sacerdotium tendatur, anathema sit'. Qui canon statuens existentiam ordinum in Ecclesia non tangit quæstionem, utrum ordines *omnes* sint sacramenta. Si sermo sit de minoribus ordinibus, non omnino certa videtur esse sententia negans; immo affirmans probabilior auctoritate et interna et externa. Præter textum enim Florentini (in decr. *pro Armenis*) et Tridentini Concilii favet sent. affirmanti factum historicum, quod in Tridentino *omnes* patres præter unum in subdiaconatu et ord. minoribus sacramenti notam agnos-

cebant (*Acta genuina* Conc. Trid. II. 135—150 edidit Aug. Theiner). Si Ecclesiæ Græcæ desunt aliqui ordines, hoc nihil probat; nam 1° antiquitus aderant; nam in Conc. Antiocheno can. 10. (anno 341.) commemorantur præter diaconos etiam lectores, hypodiaconi et *exorcistae*; in Laodiceno (s. 4. cn. 24.) et in Trullano (a. 692. cn. 4.) cantores, exorcistae, *ostiarii*. 2°. Si nunc non jam omnes existunt *expliciti*, adsunt tamen *impliciti* secundum s. Thomam. summ. theol.: suppl. q. 37. a. 2. ad II^um^. Porro Ordo Subdiaconatus, qui in Ecclesia Græca adhuc inter minores computatur, in Latina juxta aliquos, intra quos recensetur *Morinus 'De sacr. Ordinat.'* part. 3. exerc. 12. factus est major sæculo XI. ab *Urbano II.* qui in Concilio Beneventano an. 1096. subdiaconis concessit ut de licentia Romani Pontificis, vel Metropolitani, exigente opportunitate, possent saltem rarissime eligi in Episcopos, et declaravit eosdem lege continentiæ teneri, cap. 9. *de ætat. qual. et ord. Præficiendor.* (I. 14). Juxta autem *Thomassinium 'De Vet. et Nov. Eccles. discipl.'* part. 1. lib. 2. c. 3. *Innocentius III.* elevavit Subdiaconatum ad conditionem ordinis majoris, cum cit. cap. 9. *de æt. et qual. Præficiendor.* absolute decrevit ut subdiaconus posset eligi in Episcopum sicut diaconus et sacerdos.

6. De temporibus Ordinationis. — Ad normam *Pontificalis Romani* in tit. *De clerico faciendo,* omnes Doctores fatentur, *tonsuræ* conferendæ neque tempus neque locum fuisse adsignatum. Hinc etiam extra Missarum solemnia, quavis hora et quovis honesto loco tonsura conferri potest. — *Ordines minores* conferuntur non solum in solemnibus ordinationibus, sed conferri etiam possunt omnibus diebus *festis*, horis *matutinis*, etiam *extra* Missam. Quemadmodum docet idem Pontifical. in tit. *De Minorib. Ordin.* et cap. 3. h. t. Sub his diebus intelligi festa *fori,* declaravit S. C. Conc. e. gr. in *Brixien.* 15. Jan. 1689; in *Tiranson.* 11. Mai 1872. — *Majores* vero *ordines* ab Episcopis conferri nequeunt nisi in 6 *Sabbatis:* sc. quatuor temporum et in Sabbato immediate ante Dominicam Passionis et in Sabbato sancto; cit. c. 3. h. t. et Trid. sess. 23. c. 8. *de Ref.* et c. ult. D. 75. Ex antiqua enim Ecclesiæ praxi ab ipso Apostolorum ævo, prout traditur in Actibus Apostolorum, ordinationes Ministrorum ceu negotium magni momenti sunt habitæ, ac oratione et jejunio præparandæ. Adeo autem Ecclesia rigida olim fuit in observatione horum temporum in sacris ordinationibus, ut consuetudo contraria prorsus reprobaretur ceu institutioni ecclesiasticæ inimica, et si quæ ordinatio in

majoribus secus fieret, clericus promotus deponeretur ab ordine, et Episcopus suspenderetur a potestate ordinum conferendorum. Ita *Alex. III.* in c. 2. h. t. Nostris temporibus nonnunquam conceditur Episcopis dispensandi facultas super «extra tempora». — Pro consecratione *Episcopi*, ut supra diximus, est designatus dies dominicus ex Ecclesiæ consuetudine c. 5. D. 75.; ex Pontificali vero Romano: part. 1. tit. 13., etiam dies natalis sanctorum Apostolorum est adsignatus, in memoriam successionis qua gaudent Episcopi in Apostolorum munus Ecclesiæ regendæ. Quare nisi aliter Romanus Pontifex indulserit, dies consecrationis Episcopi est vel dominicus vel dies natalis alicujus Apostoli.

7. De qualitatibus Ordinandorum. Qualitates requiruntur in ordinandis: et ad valide et ad licite suscipiendum ordinem. Ad *valorem* susceptionis ordinis requiruntur: 1°. sexus masculinus; 2° baptismus; 3° intentio; 4° recta materiæ applicatio. Ad *liceitatem* requiruntur multa: præter statum gratiæ in ordinibus saltem qui sunt sacramenta, et vocationem divinam, præcipue: 1° libertas ab irrigularitatibus et censuris; 2° interstitia; 3° Episcopus *proprius;* 4° titulus pro majoribus ordinibus. — De irregularitatibus sermo erit in diversis titulis, item de censuris, hic solum tractamus irregularitatem ex def. ætatis requisitæ.

8. Quod ætas legitima requiratur ostenditur ex c. 14. h. t. Ad primam tonsuram recipiendam ac minores ordines ætas præcisa defixa in *canonibus* non reperitur; sed solummodo in Concilio Tridentino sess. 23. *de Ref.* c. 4. constitutum est, ut prima tonsura non initientur, nisi qui sacramentum Confirmationis receperint, quique fidei rudimenta edocti fuerint, ac legere saltem et scribere sciant. Ex quo inferunt Doctores usum rationis satis evolutæ requiri, ut status clericalis dignitas et obligationes sufficienter percipiantur; ac proinde saltem *septennium* requiri. Animadverti vero debet in sess. cit. c. 6. a beneficio assequendo excludi Clericos etiam tonsura initiatos vel in minoribus constitutos ante annum 14. ætatis suæ. Igitur ordines minores recipi possunt etiam ante 14. ætatis.

9. Pro Ordinibus vero majoribus major etiam ætas requiritur ab Ecclesia. Et ex Clement. 3. *de Aet. et Qual.* (I. 6) ad Subdiaconatum olim 17., pro Diaconatu 19. completus requirebatur. Pro Presbyteratu autem ætas 30 annorum in Christi exemplum necessaria antea reputabatur; ceu liquet ex can. 1. 2. et 4. D. 78. Deinde relicta illa ætate 30 annorum pro Episcopo, ætas Pres-

byterorum ad annum 25. coarctata est; ita Clem. cit. In can. vero 12. sess. 23. *de Ref.* in Tridentino ætas ad Subdiaconatum suscipiendum definita est annus 22. idest requiritur annus 21. completus; ad Diaconatum est annus 23. idest 22. completus; et pro Presbyteratu est annus 25. idest 24. completus. Receptum enim est principium 'In favorabilibus, dum lex non obstat, annus inceptus habetur pro completo'. Pro Episcopis vero perseverat antiqua dispositio ut nempe Episcopus non eligatur ante annum 30. completum; cfr. supra tit. V. n. 8. Dispensatur super defectu ætatis a Summo Pontifice et potestate delegata etiam ab Episcopis, præsertim pro recipiendo presbyteratu.

10. Generatim si quis ordinaretur ante legitimam ætatem superius determinatam, illicite ordinaretur, et usque ad ætatem legitimam ministrare nequiret in suo ordine. Suspensio vero *Pii II.* in const. «*Cum sacrorum*», 17. Nov. 1461, quia non renovata in const. «Apost. Sed.», sublata est. Episcopus autem ordinans dicitur vel non esse compos sui, vel scientiam canonum prorsus ignorare cit. c. 14. h. t. Verum nemo negabit collationem ordinis esse validam, si in ea fiat ætate in qua homo percipiat quod in ipso agatur, nempe Ordinis collatio.

11. Quæstio proponitur de Ordinatione collata in infantia. Reprobatur hæc ordinatio a *Bonif. VIII.* in c. 4 h. t. in 6°. (I. 9). Eritne autem invalida? Quidam tenuerunt esse invalidam. At quæstio soluta est a *Bened. XIV.* in Instructione super dubiis ad Ritus Ecclesiæ et Nationis Coptorum pertinentibus, quæque refertur in ejus *Bullario* tom. 1. sub num 129. Enarrat ipse Pontifex ex peritorum sententia, veteri disciplina inter Coptos qui Nestorianis castris addicti erant, invaluisse morem etiam immediate post baptismum parvulis tonsuram et Ordines conferendi excepto presbyteratu. Qua in ordinatione parentes accedere soliti fuerunt veluti sponsores quoad obligationes ordinibus adnexas. Hic vero mos inductus est ut copia sufficiens ministrorum haberetur, quæ ex disciplina illius sectæ requiritur in solemni pontificali Missa Episcopi. Difficile autem erat tantam copiam ministrorum habere, si ministri in adulta ætate fuissent assumendi. Exorta quæstione quoad illos qui ordinati in infantia convertebantur ad veram fidem, Bened. XIV. cit. loc. tradit validam fuisse ordinationem, dummodo defectus nullus occurrerit substantialis in materia, forma et in ministerio Episcopi ordinantis. Ratio vero deducitur ex natura

sacramenti Ordinis, quod cum characterem imprimat, induit naturam sacrament. Baptismi et Confirmationis, quæ vi ipsius collationis imprimunt characterem, dummodo positivum obstaculum ex parte subjecti non opponatur. Quapropter quemadmodum hæc duo Sacramenta, ita et sacr. Ordinis in infantia collatum valet. Et hoc dicendum est etiam quoad ordines minores, qui ex probabili præsertim Theologorum sententia non sunt sacramenta. Nam in eorum institutione et juridico effectu sequuntur indolem et naturam ordinum hierarchicorum, ut nempe in eorum collatione dicant relationem ad quamdam dispositionem et capacitatem stabilem et permanentem in subjecto ad modnm saltem et similitudinem characteris.

12. At quod de valore ordinis suscepti dictum est, non idem dicendum esse docet Benedictus de obligationibus suscipiendis et de ministerio. Namque animadvertit obsolevisse disciplinam veterem obligandi ad onera statui clericali adnexa ferenda eos qui inviti aut coacti ad Ordines assumebantur. Hinc ait ordinatos in infantia clericalibus obligationibus non adstringi. Nec valet comparatio ex baptismate deducta. Nam obligationes, quæ ex baptismate fluunt, sunt prorsus necessariæ et hominem adstringunt qua homo christianus factus est, et inseparabiles sunt ab homine baptizato; obligationes vero Ordinibus adnexæ cum non sint absolute ad salutem necessariæ, homini invito imponi nequeunt, et cæteroquin possunt separari a valore Sacramenti Ordinis. Quare obligationes hujusmodi ordinatos in infantia non adstringunt nisi vel expresse vel tacite propriam ordinationem ipse ordinatus ratam habuerit. Hinc cum Concilium Trid. in can. 14. sess. 7. *de Baptismo* sub pœna anathematis condemnavit doctrinam illorum qui tenent, baptizatos in infantia cum ad ætatem adultam pervenerint esse interrogandos utrum velint ratum habere, quod patrini eorum nomine polliciti sunt; Benedictus XIV. e contra docuit cit. loco n. 27. ordinatos in infantia juxta præscriptionem Conc. Toletani II. relatam in c. 'De iis' 5. D. 28. cum ad sufficientem discretionis ætatem pervenerint esse interrogandos, utrum in sancto proposito perseverare cupiant, an non. Si negent, remanent soluti a quocumque vinculo ita ut et matrimonium inire queant, et ad preces et officium recitandum non teneantur. Ad Coptos ita interrogandum determinat Pontifex ætatem annorum sexdecim completorum.

13. Quod dictum est de obligationibus adnexis ordinibus quoad ordinatos in infantia dicendum etiam est de illis qui sub *metu gravi*

sacros Ordines susceperunt. Diximus *sub metu*. Nam si ordinatio collata esset per vim, nulla esset ob defectum voluntatis, seu melius ob contrariam voluntatem in subjecto. Ad rem facit cap. «Majores» 3. *de Baptis*. (III. 42) §. «item» et glos. ibi v. «conditionaliter». Sub metu autem suscepta ordinatio valida est, eo quia, instante metu voluntas licet trepidet, tamen non tollitur. Facit ad rem can. «Merito» C. 15. q. 1. et Glos. in c. «Ubi ista» verb. «honorem» D. 74. Verum si subdiaconatus et reliqui majores ordines suscipiantur sub metu gravi externo injuste et directe incusso ad ordines suscipiendos, ordinatus summo jure inspecto non contrahit obligationes servandi cœlibatum et recitandi horas canonicas. Nam ex una parte obligationes istæ non sunt de substantia Ordinis, nec in se inspectæ sunt necessariæ ad salutem æternam; ex alia autem parte præsumi non potest, Ecclesiam velle eas imponere clericis ordinatis sub metu gravi. Ecclesia enim requirit liberam voluntatem, qua cessante non obligat, ceu firmat *Rota* in Dec. 870. n. 1. et 2. coram Emerix juniore. Quæ præsumptio fortior evadit, si animadvertatur, obligationem cœlibatus ordinibus majoribus adnexam referre indolem *voti* cap. un. De voto in 6°. (III. 15). Nam votum est promissio deliberata, idest voluntaria et libera. Unde votum emissum sub metu qui cadit in constantem virum cum aliis conditionibus supra enuntiatis non obligat *c. 1. De his quæ vi metusque* (I. 40). Cfr. *Engel* Lib. 3 t. 34. n. 5. Porro metus in casu non consideratur ceu causa quæ semel posita, semper et pro semper nullas reddit obligationes ordinibus sacris adnexas. Nam si metus cesset, et clericus ratam habeat suam ordinationem ex gr. libere ministrando in ordine suscepto, metus censetur *purgatus*, et obligationes ex metu prius susceptæ validæ et efficaces fiunt. Ita Doctores.

14. Præterea licet metus intervenerit in ordinatione, nec fuerit purgatus, tamen nemo potest auctoritate privata ab obligationibus eximi, sed saltem quoad actus fori externi requiritur *judicium* Ecclesiæ. Porro ex praxi S. Congr. Conc. deprehendimus, S. Sedem in quæstionibus particularibus sententiam non pronunciasse de nullitate obligationum in casu ordinationis ex metu susceptæ, sed potius secutam fuisse regulam consulendi Summo Pontifici pro dispensatione ab obligationibus iisdem. Ita in *Iprensi* diei 16. Dec. 1719. et in *Parisien*. diei 12. Julii 1721.

15. In ordinationibus ministrorum secunda qualitas est ut servari debeant interstitia. Interstitia sunt tempus illud intermedium quod decurrere debet a susceptione unius ordinis ad susceptionem alterius. Servanda vero sunt interstitia, ceu docet *Innocent. XII.* in Const. '*Speculatores domus Israel*' ut non alii quam qui sanctitate et justitia per ecclesiasticæ militiæ gradus ambulaverint, ac pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad Sacerdotium assumantur. De interstitiis loquuntur cc. 13. et 15. h. t. et capita 11., 13 et 15. sess. 23. *De Ref.* Concilii Tridentini.

16. Vetus Ecclesia sollicita admodum fuit ut hæc lex servaretur, prout patet ex decreto Synodi Sardicensis an. 347. quod refertur a Gratiano in c. 10. D. 61. Porro Romani Pontifices *Siricius*, *Cœlestinus* et *Leo Magnus* sanxerunt ut per duos annos in Lectoratu atque Exorcistatu, per quinquennium in Acolytatu ac Subdiaconatu, ac per aliud quinquennium in Diaconatu Clerici permanerent. Cfr. *Benedictus XIV. Institut. Eccl. 58.* Sed ex circumstantiis temporum immutata etiam fuit hæc disciplina prout tempore *Gelasii* I., R. P., contigit ob barbarorum incursiones, cujus dispositio refertur a Gratiano *c. 9. D. 77.*

17. Concilium vero Tridentinum temporum iterum mutatis abjunctis, novam probavit statuitque super hac re disciplinam, et de minoribus Ordinibus in cit. sess. c. 2. c. 11. sic jubet: 'Minores Ordines iis qui saltem latinam linguam intelligunt, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur'. Quibus verbis licet commendet Conc. Trid. interstitiorum observantiam, tamen negotium omne prudenti Episcoporum arbitrio remittit. Qua in re quæcumque causa rationalis sufficit, nec reprobari potest *consuetudo* ubi vigeat duos aut quattuor etiam minores ordines eadem die conferendi. Romæ autem praxis est ut ordines minores non plures quam duo eadem die conferantur. *Honorante:* Praxis Vicariatus cap. 1. not. 4. Cfr. *Fagnanus* in c. 3. h. t. n. 41. Ratio mutatæ disciplinæ videtur esse, quia in veteri Ecclesia non tantum erat necessaria potestas quæ in ordinibus minoribus confertur, sed etiam requirebatur ut in bonum fidelium officium cujusque ordinis exerceretur. Ex. gr. Ostiarii Officium pro januis custodiendis etc. Hodie vero requiritur utique potestas quæ confertur in Ordinibus minoribus; est enim quodammodo pars potestatis ministerialis quæ in Presbyteris residet; non vero necessarium est exercitium hujus potestatis in unoquoque or-

dine distinctum ob immutatam disciplinam et temporum circumstantias.

18. De ordinandis in Subdiaconos statuit Trid. in cap. 11. ejusd. sess. 'Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat'. De assumendis ad sacr. Diaconatus Ord. *c. 13.* ead. sess. ait: 'Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur'. De ordinandis tandem in Presbyteros loquitur in *c. 14.* ejusd. sess. statuens ad minus per annum integrum versatos esse debere in Diaconatu, nisi ob utilitatem et necessitatem Ecclesiæ aliter videatur Episcopo. In quibus dispositionibus duo sunt animadvertenda: 1°. integrum annum interstitiorum servandum esse in ordinandis ad ordines majores; 2°. Episcopis vero concedi dispensandi facultatem ex legitima causa. Quoad primum, annus integer sumitur *semper* in *favorem* Clerici promovendi ad ordines, ita ut non requiratur annus solaris, sed sufficiat *annus ecclesiasticus,* ex. gr. a Paschate resurrectionis ad aliud Pascha resurrectionis, licet secundum hoc Pascha anno consequenti anterius recurrat; nec requiratur integer annus ecclesiasticus, si sit major anno solari. Si ex. gr. quis promoveatur ad Subdiaconatum in Sabbato sancto, poterit ordinari Diaconus in Sabbato «*Sitientes*» sequentis anni, si eo tempore completus effluxerit annus solaris, nec tenetur Pascha expectare. Cfr. *Reiffenstuel* h. t. n. 145. —

19. Quoad secundum. Licet Episcopis detur facultas dispensandi in interstitiorum observantia; tamen absolute vetitum est ne duo *sacri* Ordines *eadem* die conferantur cit. c. 13. sess. 23. *de Ref.* Immo nec duo nec a fortiori quattuor *minores* Ordines possunt *eadem* die cum *Subdiaconatu* conjungi. Nam de duobus minoribus ordinibus cum Subdiaconatu conjunctis proposita quæstione in *Bovcusi* 7. Maj. 1707. s. Congr. Concilii pœnam imposuit ordinato, ac graviter Episcopum ordinantem reprehendit, ac plus deliquisse quam ordinatum dixit. Regest. S. Congregat. Lib. 57. f. 23.

20. Porro nec dispensatio ab integro anno interstitiorum sua justa causa carere debet. Nam præsertim de assumendis ad Subdiaconatum et Presbyteratum ait Conc. Trid. necessitatem requiri vel Ecclesiæ utilitatem. Ecclesiæ utilitas consulit dispensationem

interstitiorum cum pauci habeantur ministri qui decenti ministerio fungantur; necessitas vero habetur, cum deficiant ministri, qui honestati cultus vel bono animarum mancipentur. Ad utilitatem vel necessitatem Auctores reducunt etiam rationabiles causas quæ directe ipsum ordinandum afficiunt, si conjungantur cum vitæ honestate et commendabili studiorum peritia. Tunc enim spes est futuræ utilitatis obtinendæ ex opere, quod ordinandus præstabit. Utilitas etiam adest cum cuidam Clerico Parœcia vel Beneficium conferatur, sub lege ut infra annum sacrum Ordinem Subdiaconatus vel Presbyteratus suscipiat. Episcopus vero qui dispensandi jus habet, est Episcopus proprius qui nempe non ex commissione sed ex *proprio jure* Ordines confert. Hinc qui alienos ordinat ex commissione, idest ex literis dimissorialibus, non potest dispensare, nisi facultas in commissione tradatur. Episcopus enim proprius solummodo censetur dignoscere utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ suæ juxta dispositionem capp. 11. et 14. sess. 23. *de Ref.* De regularibus, inspecta mente Tridentini, dicendum videtur dispensationem non superioribus regularis familiæ, sed Episcopo ordinanti remissam esse. Ut autem jus hodiernum bene intelligatur, distinguendum est inter Regulares, qui post Tridentinum speciale S. Sedis privilegium impetrarunt, et inter Regulares, qui ejusmodi privilegio non gaudent. Quoad priores *judicium*, quia *exempti* sunt a lege interstitiorum, pertinet non ad Episcopum, sed ad superiores regulares; *dispensatio* non est necessaria ob rationem allegatam. Quoad posteriores *Benedictus XIV.* in sua *Institutione* 58. affert nonnullas S. C. Concilii resolutiones, ex quibus deducit sequentia: 1°. Regulares ordinarie «comprehenduntur in lege interstitiorum Tridentina». 2°. «Remissio ejusmodi interstitiorum non ad Generales aut Provinciales Ordinum pertinet, sed ad solum Episcopum». 3°. Episcopus vero in horum remissionibus debet quoad causas deferre judicio et attestationi Superioris Regularis Ordinandi».

21. Inter qualitates ordinandorum tertia est, ut a legitimo Ministro sacra Ordinatio conferatur. Hinc quæritur 1°. quinam sit minister ut valide conferatur sacra Ordinatio, 2°. quinam ut licite? Minister ordinarius sacræ ordinationis ut valide conferatur est omnis et solus Episcopus. Nam licet in Ecclesia plures institutæ sint comparationes inter potestatem Episcoporum et Presbyterorum, tamen semper retentum est Episcopos esse qui munus et potestatem a Domino acceperunt ordinandi. Dubium vero omne

hac in re removet Conc. Trid. in c. 4. sess. 23. *de Sacram. Ord.* et in can. 7. ejusdem sess. Quibus in locis hoc esse proprium ait officii Episcopalis ut sacramentum Confirmationis conferant, ministros ordinent, quam potestatem nullo modo habent Episcopi cum Presbyteris communem. Præstat afferre verba *can. 7.* 'Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi vel ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris *communem* . . . . anathema sit.' At Episcopi non habent hanc potestatem ita propriam ut nullo modo saltem ex delegatione ordinaria vel extraordinaria Ecclesiæ non possint etiam simplices presbyteri *minores* ordines conferre. Et revera ex c. 11. *de Aetat. et Qual. et Ordin. præficiend.* (I. 14) et ex cp. 10. *de Ref.* sess. 23. Tridentini patet Abbates presbyteros et ab Episcopo benedictos conferre posse primam tonsuram et Ordines minores. Id vero concessum est ex delegatione, ne monachi facile ex prætextu Ordinum suscipiendorum vagarentur extra monasterium.

22. De Ordine *Subdiaconatus* certum est antiquitus illum fuisse inter ordines minores computatum, etiam in Ecclesia latina. Cum vero Subdiaconis indicta fuerit lex continentiæ, ceu patet ex c. «Nullum» 1. D. 28. et ex c. «Ante» 1. D. 31. qui canones *S. Gregorio Magno* tribuuntur, cumque deinde ab *Urbano II.* et ab *Innocentio III*°. in Conc. Later. IV. fuerit decretum ut Subdiaconi possent eligi in Episcopos, cap. 9. *De Aet. Qualit. et Ord. Præfic.* (I. 14) dum antea Subdiaconi postulari debuissent; hinc Subdiaconatus cœpit inter majores Ordines recenseri. Ex hoc inferunt Doctores ante ætatem Innocentii III. vel etiam Urbani II. potuisse Abbates conferre Ordinem Subdiaconatus.

23. Quoad Presbyteratum receptum semper est ut nonnisi ab Episcopo conferretur, nec ejus collatio simplici presbytero delegari posset. Ratio enim juridica nos edocet solum Episcopum, qui *Pater* appellatur, posse sibi *pares* ordinare; nec exemplum aliquod delegationis Abbati factæ adduci ex adverso potest.

24. Quoad Diaconatum etiam, cum sit Ordo qui ad sacram hierarchiam divina ordinatione institutam pertinet, communis sententia docet ejus collationem delegari non posse Presbytero; ac proinde nec Abbati qui presbyter sit, et benedictionem ab Episcopo receperit. Contra hanc sententiam afferunt Bullam *Innocentii VIII.* qua concessa fuisse fertur Abbatibus Cisterciensis Ordinis potestas

conferendi Diaconatum. Hanc bullam refert Emmanuel *Rodericus* in collectâ Bullarum Apostolicarum pro Regularibus, quæ incipit 'Exposcit tuæ' et data dicitur V. Idus Aprilis an. 1489; item Gabriel *Vazquez*, S. J. tom. 3. *Disputationum* in III.am D. Thomae, Disp. 243, cp. 4., n. 39. testatur: «Nos vero (Vazquez) vidimus Bullam, in qua. Innocentius VIII. prædictum privilegium Abbatibus Cisterciensibus concedit et habetur in nova compil. privilegiorum, privil. 118. et in quodam vetusto codice, qui inscribitur «Collecta Bullarum ord. Cistercien.» atque in Bibliotheca hujus nostri Collegii *Complutensis* servatur.....; et *Navarrus* in Conciliis, l. 5., conc. 13. dicit Abbates Cistercien. ord. ante Conc. Trident. semper fuisse usos eo privilegio et facultate; et P. *Lud. Engel*, O. S. B. cujus verba in l. I. t. 11. n. 12. sunt sequentia: «ipse scio quaedam Monasteria Ordinis s. *Benedicti* similia (sc. privilegiis Ord. Cisterc.) habere», multique alii apud *Reiffenstuel* in l. I. t. 11. n. 18. At auctoritas cit. bullae Innocentianae respectu *diaconatus* vehementer est concussa responso, quod clarissimus *Gasparri* ex archivis Vaticani recepit, nempe «facta inspectione in Archivis ... bulla quidem ibidem est *reperta*, sed mentio de *diaconatu* in eadem deest,» (*Gasparri*: tractatus can. *de s. ordinatione* vol. II. n. 798). Quæstio certe soluta esset, si in facto constaret de hac delegatione Pontificis. Nam factum juridicum summi Pontificis explicans et determinans jus, statuit quid sit in concreto tenendum. Sed revera, licet respectu *subdiaconatus* de tali delegatione possit constare (cfr. Franc. a *Victoria*: Summa sacr. Ecclesiæ, Venetiis 1586, n. 237), certe non constat respectu *diaconatus*.

25. Practica vero quæstio *post* Conc. Trid. fieri amplius non posse videtur, cum in c. 10. sess. 23. *de Ref.* abrogatis omnibus privilegiis, præscriptionibus, etc., reliquit Abbatibus quamvis exemptis potestatem conferendi primam tonsuram et Ordines minores suis tantummodo subditis regularibus. Quæ dispositio si connectatur cum cap. 4. ejud. sess. 23. *de sacr. Ord.* in quo Conc. tradit Episcoporum proprium esse officium ministros ordinandi ita ut hujus functionis 'potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habeant', patet 1°. relictum fuisse Abbatibus regularibus privilegium conferendi ordines solummodo *minores* et primam *tonsuram* subditis suis regularibus; 2°. hoc privilegium esse proprium Abbatum *regularium*, non vero aliorum Abbatum sæcularium nisi post Trid. novum et speciale privilegium fuerint a Rom. Pontifice assecuti, quemadmodum de

pluribus refert *Bened. XIV. De syn. Diœc.* L. 2. c. 11. n. 10 3⁰. Abbates regulares si sint nullius et proprium territorium habeant in quo exerceant jurisdictionem ecclesiasticam et quasi episcopalem, non possunt conferre tonsuram et Ordines minores subditis suis *sæcularibus*. Nam Conc. Trid. restrinxit potestatem ad subditos regulares. Quod fuse probat inter alios Fagnanus com. in cap. 28. *de Rescript.* (I. 3) a n. 20 ad ult. et in cap. 1. *De suppl. neglig. Præl.* (I. 10). Quare hac etiam in re speciale privilegium impetrare debent Abbates. Immo cum quæsitum fuisset a S. Congr. Conc. die 14. Maji an. 1689. 'an sub nomine subditorum regularium veniant novitii et oblati, qui nempe vel professionem sunt tantum perseverandi in instituto religioso, non autem cum intentione sese obligandi per vota solemnia', responsum est '*negative*'. Subjectio enim importat obligationem obediendi ex una parte, et jus imperandi ex altera; quæ omnia nonnisi per professionem gignuntur. 4⁰. Pariter exorta quæstione inter Episcopum Cataniensem et Monachos S. Benedicti Congr. Cassinensis, sacra Congr. Conc. die 23. Nov. 1641. aliis resolutionibus inhærens, resolvit, Abbates cujuscumque Ordinis vel instituti habentes etiam jura episcopalia et quasi-episcopalia, et facultatem primam tonsuram et minores ordines conferendi, non posse primam tonsuram et minores ordines conferre nisi *suis* subditis regularibus, non autem regularibus alterius Congregationis, Ordinis vel Instituti, etiamsi habeant literas dimissorias suorum superiorum.

26. Sponte sua fluit dissolvenda quæstio utrum nempe Abbates qui suis subditis Regularibus possunt ex Trid. ordines minores et tonsuram conferre, si ordinent personas in suis privilegiis minime comprehensas, hæc collatio sit tantum *illicita*, vel etiam *invalida*. Ut quæstio rite tractetur, distinguendum est cum *Benedicto XIV.* in *syn. Diœc.* l. 2. cp. 11. n. 13. in fine: «Aut Abbas *nullo* fruitur privilegio conferendi primam Tonsuram et minores Ordines, aut privilegio potitur illos conferendi *certo* personarum *generi*. Si primum, nec *licite*, nec *valide* potest quemquam ad primam Tonsuram minoresque Ordines promovere. Si alterum, *illicite* profecto, attamen *valide*, primam Tonsuram, minoresque ordines etiam *aliis* confert, qui ceteroquin inter personas non numerantur in privilegio designatas». Hac distinctione facta decisiones s. C. Concilii non dissonant inter se, sed unam aut alteram partem superioris propositionis firmant ac probant.

Secundam partem citatæ distinctionis — Abbates privilegio quidem gaudentes, sed ultra hujus privilegii fines ordinantes — illicite quidem, tamen valide agere roborat Benedictus XIV. c. l. et doctrina Doctorum et responsionibus s. C. Concilii, uti in *Conimbricen.*, 26. Junii 1655 (lib. decret. 19., pg. 484); in *Panormitana*, 16. Martii 1647; in *Catanien.*, 23. Novembr. 1641 (l. 18. decr., pg. 311); in *Lucan.*, 16. Martii 1726 (Thes. resol. tom. 3. pag. 288 et 296), e quibus solam Conimbricen. proferimus. Cum quæsitum fuisset: «An Abbates Congreg. s. Bernardi et s. Benedicti conferre potuerint Ordines minores Regularibus sibi non subditis, necnon Sæcularibus etiam habentibus literas dimissorias suorum Superiorum», respondit S. C. Conc. 26. Jun. 1655, id fieri nequaquam potuisse, sed simul addidit: «Promotos ab illis *non indigere alia collatione* dictorum *Ordinum*, sed absolutione et ratihabitione a Sanctissimo obtinenda». Ratio validitatis haec esse videtur: Cum conceditur Abbatibus privilegium seu delegatio ejusmodi, illud conceditur eis jure *delegato*, quod Episcopis competit jure *proprio* et originario; ergo quemadmodum Episcopi ordines conferentes subditis non suis, illicite quidem agunt, sed valide, ita etiam Abbates conferentes ordines personis, quæ in proprio privilegio non continentur.

27. Ad primam vero distinctionis partem referuntur responsiones S. C. Concilii post Benedictum *XIV*. datæ, quibus utuntur nonnulli Doctores ut omnes Abbatum ultra privilegia ordinationes sive quoad valorem in *dubium* vocent, uti *De Angelis* h. t. n. 2. §. «Quæsitum», sive omnino *invalidas* declarent, e. gr. *Lucidi*: *De Visitatione ss. Liminum*, p. 1. vol. 1., cap. 6. §. 1. n. 31. — Immerito sane; nam in tribus casibus decisis agitur de Abbate qui Tonsuram primam vel Ordines minores contulit nullo fultus privilegio, ergo theoria Benedicti XIV. prorsus inconcussa manet. — De singulis aliquid.

In causa *Olivetana*, d. 20. Septemb. 1788, agebatur de ordinibus minoribus collatis ab Abbate post dimissam Abbatiam; ergo privilegio omnino carebat; similiter in responso, dato d. 8. Aprilis 1859, agebatur de prima Tonsura collata a Priore s. Mariæ Misericordiæ, de cujus privilegio conferendi Tonsuram et minores Ordines a *Nicolao V*. anno 1454 concesso non constare S. Congr. ad I[um] declaravit.

In causa vero *Collensi*, d. 24. Jan. 1795, agebatur de Abbate Vallis Umbrosæ qui clerico sæculari tonsuram contulerat non vi

privilegii quod Abbatibus ex jure *communi* competit, sed *præcise* ex *peculiari* privilegio, quod asserebat se habere, ordinandi omnes, etiam extraneos. Cum vero dein constiterit, Abbatem hoc privilegio caruisse, nil mirum si s. Congr. responderit tonsuram esse iterum secreto conferendum. — Ex his allegatis apparet S. C. Concilii sibi minime contradixisse, utique ob oculos posita semper distinctione supra enarrata.

28. Quæstio secunda proponitur, quinam sit Minister *licitæ* ordinationis? — Ex conceptu potestatis supremæ quæ in *Rom. Pontifice* residet dubitari non potest posse ipsum conferre ordines tum minores tum majores fidelibus cujuscumque loci vel Diœceseos. Immo ordinati a Papa præstant aliis honore ex c. 7. *de Majorit. et Obed.* (I. 33) atque id in obsequium Sedis Apostolicæ quæ dignata est honorare personam collatione ordinis. Si vero sermo sit de aliis Ecclesiarum Pastoribus, respondet pro omnibus Conc. Trid. in c. 8. sess. 23. *de Ref.* ubi statuit unumquemque a *proprio* Episcopo ordinandum esse. Proprius vero Episcopus quoad ordines suscipiendos ex quadruplici titulo constituitur. Scilicet proprius Episcopus esse potest 1°. ratione originis, 2°. ratione domicilii, 3°. ratione beneficii, 4°. ratione familiaritatis. De tribus prioribus loquitur c. 3. h. t. in 6°.

29. Ratione *originis* ad ordines recipiendos ille est proprius Episcopus in cujus territorio et jurisdictione quis non casu nascitur, sed ex eo quod parentes ejus ibi habuerint domicilium. Hinc si alicubi quis natus fuerit ex accidentali causa et precaria commoratione ex. gr. ob causam itineris, legationis, mercaturæ vel cujusque temporalis moræ ejus parentum in illo loco; non sortitur ibi Episcopum proprium ad ordines suscipiendos. Nam non fortuita nativitas, sed vera et stabilis parentum commoratio attenditur, uti in multis casibus decidit S. C. Conc., e. gr. 12. Martii 1718; 27. Apr. 1820; novissime in *Castri maris*, d. 25. Maji 1895. Quod si vero in loco ubi natus est filius, pater inde commoretur adeo ut acquirat ibi de jure verum domicilium, proprius nati filii Episcopus pro ordinibus suscipiendis erit Episcopus hujus loci ubi filius natus est. Immo quamvis pater in loco ubi filius natus est non contraxerit domicilium, sed tandiu cum filio ibi commoratus est, ut filius potuerit contrahere aliquod impedimentum ad Ordines suscipiendos, tenetur filius exposcere ab Episcopo illius loci epistolas *testimoniales* commendatitias, quæ nullum contractum fuisse ab ipso impedimentum ad Ordines suscipiendos testentur. Hæc videri pos-

sunt definita in Const. *Innoc. XII.* '*Speculatores domus Israel*' data die 4. Novem. an. 1694. Animadvertendum est ad originem filiorum determinandam non considerari originem matris, sed *patris*. Excipitur casus *illegitimorum*, qui dispensationem consequuntur a defectu natalium. *Expositi* vero obtenta dispensatione, sortiuntur quoad Ordines Episcopum originis in loco ubi nati sunt, vel si ignoretur locus nativitatis, sortiuntur Episcopum in loco ubi fuerunt expositi. Pro *neophyto* qui in adulta ætate fidem amplexus est, Episcopus proprius ille est, in cujus Diœcesi baptizatus est.

30. 2°. Episcopum proprium quis sortitur ratione *domicilii* cap. 'Cum nullus' 3. h. t. in 6°. Domicilium vero pro Ordinibus suscipiendis est non qualecumque, ex. gr. quasidomicilium; sed est verum et proprie dictum domicilium; idest commoratio in aliquo loco cum proposito ibi perpetuo permanendi. Quare ad domicilium contrahendum requiritur *factum* et *animus*. Factum quidem commorationis, quod deducitur ex capta possessione in loco et ex translatione rerum suarum in eundem locum L. 29. ff. «ad municipalem,» L. 7. Cod. *de Incolis*. Requiritur etiam animus seu propositum stabilis et perpetuæ commorationis. Quod vero propositum non censetur imminutum, licet deinde casu quodam aut ex legitima causa quis alio se transferat; c. 5. *de parochiis* (III. 29) et l. «Ejus qui manu misit §. «Celsus» ff. *Ad municipalem*. Quare licet quasidomicilium ad suscipienda alia Sacramenta sufficiat, et ad contrahendum Matrimonium, tamen non sufficit ad ordines suscipiendos ratione domicilii ab Episcopo loci. Propositum autem alicujus perpetuo manendi in loco ubi natus non est, sed commoratur actualiter cognosci potest vel ex facto commorationis jam ibi per decennium protractæ, vel ex translatione in eundem locum majoris partis bonorum suorum cum instructis ædibus et facta ibidem per aliquod considerabile tempus commoratione. Utroque vero in casu, qui petit Ordines ab Episcopo ratione domicilii, animum in loco perpetuo manendi confirmare debet jurejurando. Ita decernit *Innocentius XII.* in cit. Const. '*Speculatores*'. Subdit vero Innocentius: 'Si quis tamen a proprio originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales literas .... afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum literis facienda erit'.

31. 3°. Proprius Episcopus pro ordinibus suscipiendis constituitur ratione *beneficii*, c. 3. h. t. in 6°., qui Episcopus juxta cit.

Const. 'Speculatores' est ille in cujus Diœcesi ordinandus habet beneficium sufficiens ad sui sustentationem. Porro hoc beneficium indifferens est, utrum sit duplex vel simplex, utrum residentiam requirat vel non, dummodo sit sufficiens et proprium personæ. Hinc non sufficit promissio aut solum ipsa collatio seu titulus beneficii, sed et possessio beneficii requiritur, immo et *pacifica possessio*, nec sufficit litigiosa possessio. 2°. Requiritur ut beneficium sit *sufficiens* ad honestam Clerici sustentationem, ita ut suppleri non possit per adjectionem seu constitutionem patrimonii in supplementum tituli beneficii. Quidquid enim sit de generica dispositione c. 3. h. t. in 6°. et Concilii Trid. in sess. 21. *de Ref.* c. 2. statuentis, neminem posse ordinari ex titulo beneficii nisi ad vitæ honestam sustentationem illud sufficiat; ea quæ diximus aperte definita leguntur in eadem Const. 'Speculatores'. Sufficientia vero beneficii ex eadem Const. determinatur juxta taxam synodalem, vel si ea non adsit determinatur juxta morem regionis in promovendis ad ordines, detractis tamen oneribus.

Notandum a. quod S. Congr. Conc. remisit arbitrio Ordinarii qui videat utrum onera Missarum detrahenda sint vel non a beneficio ut congrua determinetur. In *Ariminen.* proposita die 17. Julii 1723. Cfr. *Bened. XIV. De syn. Diœc.* Lib. 12. c. 9.

b. Quod si vero unum beneficium sit insufficiens, potest suppleri per *aliud* beneficium, in eadem tamen Diœcesi; quia non prodesset collatio beneficii in altera Diœcesi. Hæc conclusio deduci potest ex ipsa cit. Const.

c. Demum animadvertendum est, a. s. Congr. Conc. fuisse quæsitum die 1. Julii 1746. 'an sub nomine beneficii veniret etiam Coadjutoria vera, idest cum futura successione'. Responsum est coadjutoriam Canonicatus vel Dignitatis sufficere ut Coadjutor possit ordinari ab Episcopo loci ubi beneficium illud existit. In *Terraconen.* autem Ordinationis diei 1. Julii 1741. s. Congregatio mentem suam explicans, respondit Coadjutoriam Canonicatus vel Dignitatis sufficere ut Coadjutor dicatur habere domicilium requisitum in Const. Innocentii XII. incipiente 'Speculatores'. Unde Coadjutor in casu ordinari potest ab Episcopo loci in quo existit Canonicatus vel Dignitas ex titulo domicilii.

d. S. C. Con. in *Beien.*, d. 26. Jan. 1895 declaravit *Thesaurarias* i. e. annuas pensiones a gubernio solutas non esse vera et

propria beneficia; ergo non sufficiunt ad constituendum proprium Episcopum.

32. 4°. Episcopum proprium aliquis sortitur etiam ratione triennalis *familiaritatis:* Conc. Trid. sess. 23. c. 9. *de Ref.* Nomine familiaris ille intelligitur, qui dominicæ potestati Episcopi subditur, et ejus expensis tamquam domesticus alitur. Ut Episcopus alienum subditum ratione familiaritatis possit ordinare plura requiruntur. 1°. Ut per triennium integrum cum Episcopo tamquam familiaris fuerit commoratus, non vero sufficit si *alibi* Episcopi expensis vixerit. Computari tamen potest etiam tempus familiaritatis quod incepit et effluxit antequam dominus ad episcopatum promoveretur. Ita respondit s. Congr. in causa *Brugaten.* diei 28. Julii 1580. et in causa *Catanien.* diei 9. Nov. 1589. 2°. Ut ordinandus afferat Literas *testimoniales* Episcopi originis et domicilii. 3°. Ut beneficinm sufficiens *statim* illi conferat Epicopus. Ex cit. Const. Innocentii XII. illud 'statim' valet ac si diceretur 'saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis'. Porro inhærendo verbis sive Conc. Tridentini sive Const. 'Speculatores' dici debet, Episcopum teneri ad conferendum beneficium familiari suo etiam quando eidem contulerit ordines minores vel solam primam tonsuram. 4°. Ut Episcopus propriam habeat Diœcesim, et non sit Episcopus titularis. Conc. Trid. sess. 14. c. 2. *de Ref.*

33. Quæri potest utrum quis ordinatus ab Episcopo qui est proprius ratione unius ex quattuor descriptis titulis, possit alios superiores Ordines suscipere ab alio Episcopo qui etiam proprius sit ex altero titulo, sine licentia prioris. Doctores tenent generatim posse. Requiruntur tamen literæ testimoniales prioris Episcopi sive quoad vitam et mores, sive quoad ordines receptos. Excipiunt casum quo quis Ordines recepit ab Episcopo Beneficii residentiam requirentis, quia Clericus ita ordinatus censetur ordinatus pro Ecclesia Beneficii sui, et prorsus dependat ab Episcopo Diœcesano ejusdem Ecclesiæ. Pariter Doctores excipiunt casum quo quis titulo patrimonii laicalis in aliqua Diœcesi ordinatus est. Nam ex mente Conc. Trid. sess. 23. c. 16. *de Ref.* Episcopus non debet aliquem ordinare titulo patrimonii, nisi pro utilitate vel pro necessitate Ecclesiæ. Quare localis est ratio, cur collata fuerit ordinatio, et Episcopus loci est qui possit judicare utrum ratio adhuc vigeat utilitatis vel necessitatis, ut clericus ad altiores ordines promoveatur.

34. De dimissorialibus literis. — Quamvis Episcopus per seipsum subditis suis ordines conferre debeat ex præscripto Trid. sess. 23. c. 3. *de Ref.* tamen si legitima causa verificetur, ex cit. c. 3. h. t. in 6°. et ex mente Trid. in eod. cap. cit. potest dimittere subditum suum, ut ab alio Episcopo ordinetur. Literæ autem quas Episcopi clericis suis concedere solent, et antiquitus appellabantur *formatæ* vel *reverendæ,* duplicis sunt speciei. Aliæ scilicet dicuntur *dimissoriales,* aliæ autem *testimoniales* seu *commendaticiæ.* Literæ dimissoriales sunt mandata vel preces vel indultum, quibus Episcopus proprius rogat vel dat veniam alteri Episcopo ut Clericum suum ordinet. Quo posito, dimissoriales differunt a literis commendaticiis, et testimonialibus; testimoniales enim nullam licentiam aut facultatem proprie continent, sed vel commendant Clericum, vel «de natalibus ætate, moribus et vita» authenticam fidem faciunt. Dimissoriales committunt revera alieno Episcopo officium quod exercere deberet Episcopus proprius, et ex acceptis hisce literis alienus Episcopus Episcopum proprium repræsentat. Ut divisionis integritati satis fiat notandum est: 1°. *formatas* vocari nostris temporibus testimonia de ordinibus susceptis; 2° *dimissorias* sive *dimissoriales* nonnunquam intelligi literas *excardinationis* (olim «Exeat» inscriptas), quæ *dimissoriales perpetuæ* etiam vocantur. Quas ut clericus recipiat, probare debet se Episcopum *incardinationis* habere. Verum ut revera novæ diœcesi incorporatus censeri possit, non sufficiunt lit. excardinationis, neque promissio incardinationis, sed requiritur factum incardinationis; S. C. Conc. in *Rottenburgen.,* 26. Mart. 1886.

35. Quæstio 1ª. *quis dare possit literas dimissoriales.* — Generale principium statuitur ex c. 1. D. 72. ut nempe ille possit dimissoriales concedere literas, qui potest ordinare. 'Potest enim quis per alium, quod per se ipsum facere potest'. Reg. 68. Jur. in 6°. Hinc quicumque est Episcopus proprius, potest dimissoriales literas dare ad ordines suscipiendos, dummodo non sit excommunicatus c. 2. h. t. in 6°. Licet vero ordinatio sit actus ordinis episcopalis, tamen jus ordinandi ac concedendi dimissoriales literas induit naturam jurisdictionis; oritur enim ex potestate qua Episcopus gaudet supra fideles promovendos ad sacros ordines. Hinc jus concedendi dimissoriales literas sede vacante transit in *Capitulum* et in ejus *Vicarium.* Tamen ex c. 3. h. t. in 6°. §. «Inferiores» et ex c. 10. sess. 7. *de Ref.* in Tridentino, Vicarius Ca-

pitularis non potest hoc jure uti *infra annum* computandum a die vacationis Ecclesiæ nisi sermo sit de Clericis *arctatis* ad ordines suscipiendos sive ex beneficio recepto sive ex recipiendo. — *Vicarius* vero *Generalis* Episcopi non potest, nisi in mandato expresse facultatem receperit, vel ex Doctorum sententia nisi Episcopus in remotis agat, c. 3. h. t. in 6° § «Inferiores». — Si sermo sit de *Abbatibus* quantumvis exemptis etiam regularibus vel de collegiis quibuscumque, nullo modo possunt concedere literas dimissoriales clericis *sæcularibus* eorum jurisdictioni subjectis ex C. Tridentino c. 10. sess. 23. *de Ref.* Sed clerici hujusmodi ordinari ab Episcopo debent intra cujus Diœcesis fines Abbatia vel Prioratus vel Collegium existunt.

36. Quæstio nata est utrum idem dicendum esset de *Abbatibus* qui vere *nullius* Diœcesis dicuntur, quique habent territorium proprium extra fines cujuslibet Diœcesis. At etiam hi comprehenduntur in cit. Decreto Tridentini; loquitur enim Concilium generatim de exemptis Abbatibus idemque docuit s. Congr. C. die 21. Jan. 1619. discusso formaliter dubio. Clerici ergo qui pertinent ad hujusmodi Abbatias nullius habentes distinctum territorium, ordinandi sunt ab Episcopo viciniori. Vicinitas autem ex decisione S. Congr. an. 1602. (Lib. 5. Decretor. pag. 66.) æstimanda est et definienda ratione Ecclesiæ, non vero territorii. Unde attendenda est proximitas inter Ecclesiam Cathedralem Episcopi et Abbatiam, non autem territorii. Cæterum plures Abbates nullius indultum post Trid. consecuti sunt a Rom. Pontifice ad concedendas literas dimissoriales propriis clericis sæcularibus. Conferantur *Benedict. XIV. Syn. Diœc.* L. 2. c. 12. n. 16. et *Fagn.* comm. in c. 8. *de Off. Archid.* (I. 23) n. 12. seq.

37. Quid vero de Superioribus regularibus quoad suos subditos *regulares?* Servandum est decretum *Clem. VIII.* editum die 15. Martii 1596. in quo statuitur quoscumque Superiores regulares literas dimissorias concedere debere suis subditis regularibus directas tamen ad Episcopum diœcesanum intra cujus Diœcesis fines est Monasterium, ut ab ipso Episcopo ordinentur. Quod si Episcopus est *absens* vel *habiturus non* est ordinationes, tunc poterunt dare literas dimissorias ad quemcumque Episcopum. *Exprimere* autem tenentur in dimissorialibus literis alterutram ex dictis causis ob quam oporteat ad extraneum Episcopum confugere, vel quia scilicet Episcopus loci in quo est Monasterium ab-

est, vel quia ordinationem non habet. Ut vero omnis fraudis suspicio removeretur, *Benedict. XVI.* confecit Const. quæ incipit '*Impositi Nobis*' de Ordinationibus Regularium tert. kal. Martii an. 1747. et publicavit die 4. ejusdem mensis, quæque in tom. 2. Bull. ejusdem Pontificis est 27ª. In hac Constitutione statuit, ut in duobus casibus allatis dum superior regularis concedit suo subdito regulari literas dimissoriales ad quemcumque Episcopum, debeat sub pœna nullitatis ipsarum literarum unire iisdem authenticam attestationem Curiæ episcopalis vel secretarii Episcopi, ex qua constet Episcopum Diœcesanum vel abesse, vel ordinationem non esse habiturum legitimo tempore proximo ad ordinationem statuto; minime vero sufficiunt attestationes quibus declaratur ipsum Ordinarium extra tempora (6 sabbata) statuta ordinationem non habiturum; S. C. Conc. in *Lunen. — Sarzanen.* 18. Aug. 1888. —

38. Sciendum vero est aliquas familias religiosas privilegio frui ut possint eorum alumni ordines recipere a quocumque Episcopo catholico Sedis Apostolicæ gratiam et communionem habente. Benedictus XIV. autem in cit. loco declaravit, hoc privilegium valere tantummodo 1⁰. si fuerit illud privilegium concessum vel confirmatum *post* Conc. Tridentinum: nam anteriora privilegia circa hanc rem abrogata esse censentur. 2⁰. Ut fuerit nominatim concessum religiosæ familiæ, et non illi vindicatum ex communione, quam vocant, privilegiorum. Ejusmodi privilegio fruuntur: Societas Jesu (*Gregor. XIII.* Const. «*Pium et utile*» d. 22. Sept. 1585), Congr. ss. Redemptoris (*Leo XII.:* «Inter religiosas», d. 11. Mart. 1828). Maximi momenti est cit. Const. Benedict. XIV. et in ea referuntur, quæ fuerant ab antecessoribus Rom. Pontificibus in hac materia statuta. — Literæ dimissoriales non expirant morte concedentis. Licet enim videantur imitari formam mandati; tamen revera relate ad Clericum continent gratiam jam factam, quæ firma manet etiam mortuo concedente. Cfr. *Reiff.* hoc tit. num. 139. — Quod si Ordinarius dimissoriales injuste recusaret, clerico nullum aliud pateret refugium nisi recursus (non appellatio) ad S. Sedem; S. C. Con. 22. Martii 1878 in una Ordinationis. —

39. Quæritur quandonam requirantur literæ testimoniales, ut licite proprius Episcopus possit subditum suum ordinare. In quadruplici casu requiruntur literæ hujusmodi. 1⁰. Quando clericus ordinatus fuit ab Episcopo proprio ratione unius tituli, et promo-

vendus est ad altiores ordines ab alio Episcopo qui est proprius ratione alterius tituli. Prior Episcopus testimonium ferre debet de ordine collato, de vita, bonisque moribus clerici, nec non de nullius impedimenti existentia, quominus Clericus ad altiores Ordines promoveatur. 2⁰. Requiruntur literæ testimoniales Episcopi originis quando Episcopus beneficii vel domicilii ordines subdito suo conferre velit. 3⁰. Requiruntur literæ testimoniales Episcopi originis et Episcopi domicilii, quando Episcopus familiarem suum ordinare velit. 4⁰. In genere si *subditus proprius* Episcopi *alibi tamdiu commoratus fuerit* ut ibi contrahere potuerit impedimentum canonicum, ad ordines suscipiendos requiruntur literæ testimoniales Episcopi loci ejusdem. — Hoc commorationis tempus decisionibus S. C. Concilii clarius definitum est: in *Firmana*, d. 9. Sept. 1893, in *Urgellen.*, d. 26. Jan. 1895, quarum altera sic se habet: «Pro clericis ordinandis jam *militiæ* addictis, sub pœna a Const. «Apostolicæ Sedis» comminata, requiri literas testimoniales Ordinarii, in cujus diœcesi per trimestre commorati fuerint.» De ceteris clericis militiæ *non* addictis nihil definitur; ergo remanet in suo vigore ac etiam confirmatur testimonio a contrario regula de lit. testimonialibus tunc exhibendis, quando commoratio protracta fuerit ultra *semestre.*

40. Hac in re sciendum est 1⁰. in nuperrima Const. *Apostolicæ Sedis* inter suspensiones latæ sententiæ summ. Pontifici reservatas sub n. 3⁰., et hanc designari: 'suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi literis dimissorialibus, vel etiam *subditum proprium,* qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque ordinarii ejus loci literis testimonialibus'. — 2⁰. Sciendum est in c. 8. sess. 23. *de Ref.* in Trid. hanc esse dispositionem: 'Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus'. Quare etiam quando non requiruntur literæ dimissoriales, tamen necessariæ sunt

testimoniales literæ Ordinarii proprii. — 3°. In cit. Const. Apostolicæ Sedis, in paragrapho in quo numerantur Suspensiones latæ Sententiæ Papæ reservatæ sub n. 7. hæc leguntur: 'Clerici Sæculares externi ultra quattuor menses in *Urbe* commorantes ordinati ab alio, quam ab ipso suo ordinario absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint; nec non Clerici pertinentes ad aliquem ex sex episcopatibus *suburbicariis*, si ordinentur extra suam Diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non præmissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo Urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum s. Sedis ipso jure incurrant: Episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum'.

41. Appendicis loco quæri potest utrum Episcopus possit in *aliena* Diœcesi Ordines conferre. Licet ordinatio sit actus voluntariæ jurisdictionis, quæ jurisdictio regulariter in subditos proprios exerceri potest etiam extra proprium territorium, L. 2 ff. *de Off. Procons.*, tamen hac in re Tridentinæ dispositiones præ oculis habendæ sunt. Primo quidem in sess. 6. c. 5. *de Ref.* traditur: 'Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci *expressa* licentia et in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi'. Item in sess. 7. c. 11. *de Ref.* 'Facultates de promovendo a quocumque (scilicet literæ dimissoriales generales) non suffragentur nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam; et tunc non ordinentur nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo pontificalia exercente, et diligenti prævio examine'. Ex quibus locis inferunt Doctores: 1°. omnes ordines majores et minores conferendi sunt in *propria* Diœcesi Episcopi ordinantis; 2°. Episcopus *alienis* subditis in *propria* diœcesi ordines conferre nequit, nisi tales exhibeant dimissoriales sive generales sive particulares; 3°. Episcopus in *aliena* diœcesi *propriis* subditis ordines conferre nequit nisi de *expressa* licentia Ordinarii loci; 4°. quoad subditos non proprios Episcopus in *aliena* diœcesi ordines conferre nequit nisi de expressa licentia Ordinarii

loci et ejusdem subditis; 5°. *Tertii* Episcopi subditis Episcopus ordines conferre nequit in *aliena* diœcesi, nisi tales exhibeant lit. dimiss. *generales* et Episcopus ordinans pro Episcopo loci pontificalia exercet. Si *particulares* tantum sunt lit. dim., Episcopus probabilius nequit omnino, quia Episcopus loci quippe qui delegatus sit ad *particularem* casum, nequit subdelegare. — Quamvis in cit. locis de prima Tonsura mentio non fiat, tamen ex analogia cum c. 2. *de Ref.* sess. 14. ejusdem Con. Trid. et quia ipsius quoque collatio, licet absque insignibus Pontificalibus fieri possit, est actus pontificalis Episcopi, dicendum est, Episcopum in aliena Diœcesi eam conferre non posse absque licentia Ordinarii loci. — Quid vero dicendum de loco exempto? Si locus exemptus est *intra* limites alicujus Diœceseos, ad licitam collationem Ordinum requiritur licentia Episcopi Diœcesani, et Prælati loci illius. Si autem locus exemptus sit *extra* quamcumque Diœcesim, idest nullius Diœceseos, requiritur et sufficit licentia Prælati superioris loci. Ita Doctores explicantes c. 5. sess. 6. Trid. *de Ref.;* attamen cfr. n. 36. supra. Ratio harum dispositionum est ordinata administratio jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ in concreta conditione Ecclesiæ, ne confusio oriatur, exigit limitationem territorii in exercitio propriæ potestatis.

42. Nunc de titulo Ordinationis qui constituit quartam qualitatem Ordinandorum. — Sciendum est ex primitiva praxi christianæ societatis Episcopos sedem fixisse propriam in civitatibus principalioribus, ibique fundatam fuisse Ecclesiam Cathedralem, idest Ecclesiam in qua aderat Cathedra Episcopalis. Crescentibus vero undique fidelibus, factum est, ut constituerentur Ecclesiæ minores, ad quas de Ecclesia Cathedrali mittebantur Ministri sacri, ut Verbum Dei prædicarent et Sacramenta administrarent fidelibus illarum minorum Ecclesiarum; quique fideles mediantibus sacris Ministris ab Episcopo missis, dicebantur cum eodem Episcopo communicare. Sacri autem Ministri, cum semper iidem destinarentur iisdem Ecclesiis, dicti sunt ministri seu sacerdotes earundem ecclesiarum; immo Cardinales earundem appellabantur, et Ecclesiæ appellatæ sunt *tituli*. Quare cum hæ Ecclesiæ augerentur, dicebantur augeri tituli Clericorum. Quæ ecclesiæ in similitudinem Ecclesiæ Cathedralis inceperunt habere plures Clericos et ministros, qui vivebant et sustentabantur ab iisdem ecclesiis. Quare Clerici dicebantur de titulo talis vel talis Ecclesiæ, eo quod in Clerum ejusdem adsciti erant. Et qui nulli Ecclesiæ adscripti erant, dicebantur vagi et

acephali, quique difficile ordinabantur, sive quia reputabantur inutiles, sive quia congrua ad vivendum sustentatione carebant.

43. Quod vero prius exceptio rara fuit, incepit frequentius contingere, ita ut turbæ Clericorum vagorum augerentur in dedecus status ecclesiastici. Artibus enim alienis a conditione Clericali, vel negotiationi studebant. Quare in Conc. Lateran. 3. sub *Alexandro III.* constitutum est, ceu refertur in c. 4. *de Præb.* (III. 5) ut Presbyteri vel Diaconi ordinati absque titulo Episcopi expensis alerentur, donec de Ecclesia providerentur, nisi de paternis bonis haberent unde viverent. Quam dispositionem *Innoc. III.* ad Subdiaconos extendit, quemadmodum videre est in c. 16. eod. tit. Porro mens Patrum Lateranensium erat ut vetus disciplina iterum in usum revocaretur, et Clerici non ordinarentur nisi in ministerium alicujus Ecclesiæ ex cujus bonis alerentur. Attamen verba Concilii ita accepta sunt ut novus titulus s. Ordinationis induceretur, titulus nempe patrimonii domestici, idest paternorum bonorum. Qui titulus admittebatur cum Clericis Ecclesiæ necessarius vel utilis erat, et simul vel nullum aderat, vel insufficiens beneficium in eadem Ecclesia.

44. Ex tempore Conc. Trid. *quattuor* sunt tituli *præcipui*: beneficii, patrimonii, pensionis, religionis sive paupertatis, inter quos titulus patrimonii et tit. pensionis surrogatorii sunt. De singulis plura dicenda.

De titulo *beneficii.* Conc. Trid. in c. 2. sess. 21. *de Ref.* circa hunc titulum statuit: «Ne quis clericus sæcularis . . . ad ss. ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere».

Juxta textum allegatum 1°. legitime *constare* debet de titulo, secus Ordinans se periculo exponit obligationis sustentandi sic ordinatum; 2°. requiritur *pacifica* beneficii *possessio,* non sufficit litigiosa, multo minus jus tantum ad rem vel promissio beneficii; 3°. requiritur beneficium ad honestam sustentationem *sufficiens.* Quæ sufficientia melius determinatur *taxâ synodali* vel *diœcesanâ.* — Arbitrio *Episcopi* remissum est, utrum onera missarum detrahi debeant in taxa synodali determinanda necne; S. C. Conc. in *Amerina,* 17. Junii 1723 et alias d. 3. Aug. 1822. Cfr. *Benedictum XIV.* in *syn. diœc.* l. 12. c. 9. — Dein præscribit idem Conc. Trid. in eodem c. 2. sess. 21. *de ref.* «Id vero beneficium *resignare* non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque

ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit; et aliter facta resignatio nulla sit». Id quod S. C. Conc. in *Lancianen.*, d. 9. Febr. 1726 accuratius determinavit: I. Ordinatus ad titulum beneficii in illius resignatione individualiter debet exprimere, se ad ejus titulum fuisse ordinatum; non sufficit exprimere: *forsitan* ordinatum. II. Hac in resignatione per *concludentes rationes* constare debet, resignantem habere, unde *commode* vivere possit. Inter concludentes rationes numerari nequit juramentum solum resignantis. Fontes commode vivendi sunt: aut beneficium aut patrimonium per sententiam Episcopi declaratoriam priori beneficio subrogatum. Quodsi beneficium in se solum insufficiens censetur, suppleri potest patrimonio vel pensione; S. C. Conc. 12. Martii 1718.

45. De titulo *patrimonii* et *pensionis*. Patrimonium ut sufficiat ad titulum, debet constitui ex bonis certis, stabilibus et immobilibus vel talibus, quæ immobilibus æquiparantur. Pensio præstari potest vel ex proventibus Ecclesiæ alicujus vel gubernii vel etiam personae privatæ. S. C. Conc. in *Beien.*, d. 26. Jan. 1895 Episcopo facultatem tribuit constituendi thesaurariam, i. e. pensionem annuam a gubernio solutam, dummodo perpetua sit, in s. patrimonium.

Quoad titulum patrimonii vel pensionis haec sunt statuta a Conc. Trid. cp. 2. *de Ref.* sess. 21.: «Patrimonium . . vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro *necessitate* vel *commoditate* ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem *vere* ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut exstingui aut remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.» Ex dictis patet: a. Patrimonium vel pensionem esse titulum *suppletorium;* b. quidquid de possessione vel resignatione beneficii dictum est, analogice valere in possidendo vel abdicando patrimonio vel pensione. Nec *fictitii* ergo patrimonii dispositio sustinetur nec pariter admittitur *pactum* seu *conventio* quâ Clericus qui recepit bona ad constituendum patrimonium, sese obligat ad restituendos vel donandos fructus bonorum patrimonii illi qui eadem bona in patrimonium concessit. Scilicet hoc pactum non tenet; S. C. Conc., d. 11. Maji 1599 et d. 14. Maji 1671; *Benedict. XIV.*: *Inst.* 26. n. 15.

46. De titulo *religionis* vel *paupertatis*. Clerici regulares beneficium ab Ecclesia non recipiebant ob votum paupertatis, sed tamen

ex quasi contractu cum Religione cui mancipabantur, ab eadem recipiebant sustentationem convenientem statui proprio. Quare vi professionis religiosæ qua et renunciatio fiebat temporalibus bonis, et mancipatio simul religioso statui, Clericus Regularis jus acquirebat ad propriam sustentationem. Quare per professionem religiosam consultum fuit convenienti statui Regularium illorum qui Ordines suscipiebant. Unde titulus specialis inductus fuit pro s. Ordinatione Clericorum in ordinibus regularibus. Titulus hujusmodi ob renunciationem factam bonis temporalibus, dictus est titulus *paupertatis*. Huic praxi nihil detraxit jus commune Decretalium vel Tridentini in c. 2. sess. 21. *de Ref.*, nam de Regularibus non loquuntur.

Ut titulus hic religiosæ paupertatis locum habeat, requiritur *perpetua* mancipatio viri in religiosa familia. Necesse scilicet est, ut a Religione ordinando in perpetuum tuta reddatur sustentatio; secus periculum adesse posset ne Clericus major vel mendicare victum vel turpibus negotiis dare operam cogeretur. Quare ad constituendum titulum professio votorum solemnium necessaria est. Hinc Novitii non possunt promoveri ad sacros Ordines nisi habeant titulum beneficii vel patrimonii vel pensionis. Qui tituli requiruntur etiam pro religiosis qui profiteantur in Religione quæ licet probata et recepta ab Ecclesia sit, tamen non habet vota solemnia. Ita decrevit *s. Pius V.* in Const. quæ incipit '*Rom. Pontifex*' edita pridie idus Octobris an. 1568. Hæc dispositio renovata est in Const. «*Apostolicæ Sedis*» in qua inter suspensiones latæ sententiæ Rom. Pontifici reservatas sub n. 4. legitur suspensio per annum a collatione Ordinum inflicta Ordinanti, qui excepto casu legitimi privilegii Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam Religioso nondum professo. Quare cit. Constitutio *S. Pii V.* servanda est etiam in omnibus religionibus approbatis cum votis solemnibus quoad novitios qui licet emiserint vota simplicia, tamen nondum emiserunt solemnia, quæ ex dispositione Summi Pont. *Pii IX.*, de qua in Lib. 3., emitti nequeunt nisi post triennium ab editis votis simplicibus. Ita quæstionem propositam resolvit idem Sum. Pontifex die 20. Januarii 1860.

Ex peculiari autem Const. *Gregorii XIII.* «*Ascendente*» et *Gregorii XIV.* '*Ecclesiæ catholicæ*' excepti sunt Religiosi Soc. Jesu qui post emissionem trium votorum simplicium possunt ad sacros Or-

dines promoveri. Hoc privilegium et aliæ religiosæ familiæ fuerunt consecutæ. Ne autem religiosus post ordines sacros susceptos ex familia regulari dimissus cogatur mendicare vel artes minus convenientes exercere, tradunt Doctores teneri Prælatos eum providere de honesta sustentatione donec canonicum titulum obtineat, prout in specie de religiosis Soc. Jesu respondisse *Sixtum V.* refert *Barbosa: De Off. et Pot. Epis.* par. 2. alleg. 19. n. 7.

47. Notatu dignissimum est decretum generale S. C. Episcoporum et Regularium, d. 4. Novembris 1892, quod in extenso legi potest in appendice I. Quo ex decreto concludes:

1) Quidquid supra n. 46. §. «Ut titulus» dictum est de vera et propria religione, analogice valet de quocunque instituto votorum simplicium sive perpetuorum sive temporaneorum, «ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum *literas dimissoriales* concedere pro ss. Ordinibus vel quomodocunque ad ss. Ordines alumnos *promovere* titulo Mensæ communis vel Missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta quæ ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ... omnibus indultis ac privilegiis necnon dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a s. Sede Apostolica approbatæ». — Magna differentia inde resultat inter tempus ante et post hoc decretum: *Prius* Superiores poterant lit. dimissoriales dare vel quomodocunque promovere alumnos suos ad titulum Mensæ vel Missionis *nullo* habito professionis temporis respectu, *nunc* autem eorundem Institutorum alumni nullo modo promoveri possunt nisi post professionem vot. simplicium aut *perpetuorum* aut *temporalium* quidem, ubi simplicia tantum emittuntur vel perpetua ultra triennium differuntur, sed elapso saltem *triennio.*

Decretum hoc citatum *nihil* immutavit circa potestatem vel privilegium dandi lit. dimissoriales vel promovendi ad ss. ordines, uti S. C. Epp. et RR. in *Parisien.*, d. 9. Febr. 1894, declaravit, sed in hac materia valet jus quod etiam ante hoc decretum valebat. Nonnulli enim inauditas facultates inde deducere nitebantur, sed immerito prorsus, nam S. C. hypothetice loquitur: *Si omnino possunt,* non possunt ante triennium; si omnino non possunt, nunquam possunt, neque post triennium. —

2⁰. Si interdum speciales circumstantiæ dispensationem ut ss. Ordines ante tempus recipiantur, suadent, dispensatio non datur super requisito professionis solemnis vel simplicis perpetuæ, sed potius super requisito temporis ita ut «Clericus vota solemnia ante triennium vel vota simplicia perpetua ante tempus a respectivi Instituti Constitutionibus præscriptum nuncupare possit».

3⁰. «Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint — de jure et modo expellendi cfr. decr. gen. 4. Nov. 1892 in app. n. III., — perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac præterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint».

4⁰. «Qui in ss. Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, *sponte* dimissionem ab Ap. Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis *dispensati* fuerint: ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, *secus* suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium qui *quovis* professionis vinculo jam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata».

5⁰. Requisita «ut Episcopum benevolum receptorem inveniant et patrimonium ecclesiasticum constituant» sumenda esse *collective* i. e. utrumque requiri, non sufficere «Episcopum benev. receptorem invenisse», S. C. EE. et RR. in *Abulen.*, d. 20. Nov. 1895 ad I^um^., dub. I^um^. respondit.

6⁰. Suspensio quæ ejusmodi clericos majores a votis solutos et extra claustra degentes obligat, non tollitur *ipso facto,* i. e. invento Episcopo benevolo receptore et constituto s. patrimonio, sed ab *Apostolica Sede* tantum idque impleto utroque hoc requisito; taliter respondit S. C. EE. et RR., d. 20. Nov. 1835 ad I^um^., dub. II^um^.; cfr. Suspensionem 5. Constitutionis «Apost. Sed.». Suspensio 4. cit. Const. *Apostolicæ Sedis* in decr. «Auctis admodum» *non* extenditur ad Episcopum conferentem majores ordines clerico nondum professo vota simplicia perpetua vel nondum per triennium versato in votis simplicibus temporaneis.

7⁰. Quid de miserrimo ejusmodi clericorum majorum suspensorum statu, si Episcopum invenire patrimoniumque sibi consti-

tuere nequeunt? — «Unus ex illis», ait Episcopus Abulensis, «jam Presbyter, in agrariis laboribus occupatus, victum sibi comparat». — S. C. EE. et RR. Episcopo talium clericorum (Abulensi) «tribuit facultatem, quatenus nihil aliud sibi obstet, permittendi præfatis alumnis ss. Ordines exercere ad tempus sibi benevisum, donec maneant in sua Diœcesi, firma obligatione sibi inveniendi Episcopum benev. receptorem et constituendi sibi s. patrimonium ad formam Decr. *Auctis admodum* aut Rescriptorum S. C., si quæ obtinuerint;» S. C. EE. et RR., d. 20. Nov. 1895 ad IIum.

48. Ut materiam de ordinationis titulo integre tractemus, dicendum est præter hos 4 titulos *primarios,* sc. beneficii, patrimonii vel pensionis, professionis religiosæ sive paupertatis, non deesse alios titulos quasi secundarios inter quos præcipuus est titulus *Missionis.* Cum Missiones ad fidem propagandam statutæ sint ad instar Diœcesium ita ut sacri ministri alantur ex ipsa Missione, inductus est novus titulus s. Ordinationis idest titulus *Missionis.* Urbanus vero VIII. Alumnis collegii de Propag. Fide die 18. Maj. 1638. et Alumnis Seminarii Pragensis die 13. Martii 1640. concessit privilegium ut ordinari possent ad titulum Missionis. Similiter concessit *Clemens X.* alumnis Seminarii Papiensis ordinationem ad titulum *mensæ Seminarii; Sixtus V.* alumnis Sem. Veneti ordinationem ad tit. *servitii Ecclesiæ;* S. C. Concilii, d. 21. Jun. 1879, pro diœcesi Mexicanâ C. sustinuit praxim ordinandi ad tit. *Administrationis,* qui titulus consistit in jure percipiendi portionem ex oblationibus præstandis a fidelibus pro servitio et cura animarum.

Plane extraordinarius est *titulus mensæ* in Germania usitatissimus. Est hic titulus cautio legitima sustentationis competentis clerico majori tunc præstandæ, quando ad obeunda ss. munera inhabilis factus sit. Quæ cautio præstari potest sive a communitate ecclesiastica vel civili sive a personis privatis sive regulariter a principe, ideoque vocatur ultimus titulus mensæ Regiæ, Cæsareæ; cfr. *Reiffenstuel,* h. t. n. 76; *Engel Lud.:* in Collegio jur. can. l. I. t. 14. n. 14. —

49. Quinta qualitas Ordinationis est, ut persona idonea assumatur. Hinc indigni repelluntur. Indigni autem censentur non solum qui aliquo impedimento irregularitatis detinentur, et sufficientis scientiæ defectu laborant; sed etiam qui bonæ vitæ et morum testimonio non commendantur. 2. Quoad scientiam regu-

larium S. C. EE. et RR. d. 4. Nov. 1892 gen. decr. sub n. VI. hæc statuit: «Professi tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad S. Ordines non admittantur, nisi, præter alia a jure statuta, testimoniales literas exhibeant, quod saltem per annum s. theologiæ operam dederint, si agatur de *subdiaconatu*, ad minus per biennium, si de *diaconatu*, et quoad *presbyteratum*, saltem per triennium, præmisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo». — Quoad vitæ bonitatem quæstio proponitur: an Episcopus qui ex *privata* scientia aliquem videat indignum, licet publice appareat dignus, possit eidem Ordines denegare? Juxta veterem Sacrorum Canonum disciplinam Clerici *sæculares* non poterant repelli a susceptione superiorum Ordinum nisi ex causa manifesta et probata in foro externo c. 4. h. t. Hinc privata scientia Episcopo satis non erat ut aliquem, exterius et publice idoneum, ab ordinibus recipiendis arceret. Clerici vero *regulares* ob votum obedientiæ poterant excludi ab Ordinibus ex causa nota superiori c. 5. h. t.

50. Verum nova dispositio facta est a Conc. Tridentino, cp. 1. sess. 14. *de Ref.*, ubi — firma remanente dispositione c. 4. h. t. quoad crimina *publica* clericorum — dispositionem c. 5. h. t. circa crimina regularium applicavit criminibus *occultis* clericorum *sæcularium*. — Dispositio Conc. Tridentini autem hæc est: «Ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Prælato, ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus; aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates, sive honoris restitutio suffragetur». Hæc verba Conc. Trident. s. C. ejusdem Concilii responsionibus illustrantur; quare singulæ decreti Tridentini partes ab invicem separatæ seorsim sunt tractandæ.

51. 1°. *Objectum* hujus suspensionis est et ascensus ad *sacros* ordines et exercitium ordinum, graduum, dignitatum honorumque. Secundam hujus propositionis partem in cit. decreto c. 1. sess. 24. non satis expresse contentam *Benedictus XIV.* in *Syn. Diœc.* l. XII., c. 8., n. 3. decisionibus S. C. Concilii probat.

2°. Suspensio dicta *ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen* ab Episcopo infligi potest. Causam autem seu delictum

suspensionis manifestare ipsi reo Prælatus non tenetur; Benedictus XIV. c. l. n. 4.

Si adest *unum* crimen *occultum*, suspensio infligi potest, nam non requiruntur plura crimina, sed sufficit unum. Sed si adest crimen *publicum* tantum, cui non saltem *conjungitur* occultum, hac via i. e. ex informata conscientia procedi nequit; *Benedicti XIV.* Const. «*Ad militantis*», d. 1. April 1742; S. C. Concilii in *Vercellen.* d. 12. Martii 1643; in *S. Agathæ Gothorum;* d. 26. Februarii 1853.

3⁰. Quoad *modum* procedendi statuit S. Synodus cit. cp.: «Quomodolibet, etiam extrajudicialiter».

Non requiritur ergo monitio triplex vel una peremptoria. Non habet locum *appellatio* via judiciali e. gr. ad Metropolitanum, neque in *devolutivo* neque in *suspensivo*, patet solummodo *recursus* ad S. Sedem, cui Prælatus causam manifestare tenetur; *Benedictus XIV.* in *Syn. diœc.*, c. l. nn. 4. et 5.; S. C. Conc. in *Lucionen.*, die 8. Maji 1848 ad II^um^. Si igitur suspensus ordinem vetitum suscipit vel exercet sive ante sive post recursum, irregularitatem ob violatam censuram contrahit; *Benedictus XIV.* c. l. n. 5; S. C. C. c. l. ad IV^um^.

4⁰. Quæstio exsurgit, respectu *temporis* utrum nempe hæc suspensio perpetua sit an temporanea. Licet olim eadem s. Congr. in causa *Nullius*, d. 3. Febr. 1593, responderit: «C. 1. sess. 14. *de Ref.* locum habere in prohibitionibus et suspensionibus, tam temporaneis quam *perpetuis*,» posterioribus tamen temporibus suspensionem ex informata conscientia non sustinet nisi *temporaneam*: S. C. Conc. in *S. Severini*, d. 19. Sept. 1778; in *Placentina*, d. 26. Febr. 1848; in *S. Agathæ Goth.*, d. 26. Febr. 1853.

52. Ut plenior hujus tituli tractatio reddatur, summario modo describimus pœnas contra male Ordinantes et male Ordinatos. — Delinquere potest Episcopus in ordinum collatione 5 modis, sc. si Ordines conferat: 1⁰. extra tempora canonica; 2⁰. interstitiis canonicis non servatis; 3⁰. personæ nondum in ætate legitima constitutæ; 4⁰. absque titulo; 5⁰. absque licentia vel literis aut dimissorialibus aut testimonialibus, ubi alterutræ requiruntur.

53. Ad I^um^. Ordinans absque privilegio *extra legitima tempora* plectitur *suspensione ferendæ* sententiæ ad tempus a collatione Ordinum *quos* extra tempora canonica contulit, ex c. 2. h. t.

Ad II^um^. Si *interstitia* ab Ordinante *non servantur*, nulla pœna a jure est determinata excepto casu, quo quis duos uno eodemque

die sacros ordines eidem confert; ubi suspensio ferendæ sent. a collatione utriusque ordinis c. 13. h. t. statuitur.

54. Ad III^{um}. Si Episcopus scienter ordinaverit aliquem *ante ætatem* legitimam in majoribus, subjicitur *suspensioni ferendæ sententiæ a collatione ordinum generatim* ex c. 14. h. t.

55. Ad IV^{um}. 1^{0}. Episcopus conferens alicui ordinem majorem *absque congruo titulo,* tenetur *sustentationi honestæ* tamdiu *providere,* quoadusque sic ordinatus non consequatur sufficiens beneficium vel habeat unde honeste vivere possit, ex cc. 4. et 16. *De Præb.* (III. 5). Excipitur casus quo per *falsa* instrumenta clericus Episcopum decepit. Hoc onus alendi Clericum male ordinatum censetur veluti inhærens mensæ episcopali. Hinc, ne mortuo Episcopo ordinante Clericus, contra decus status clericalis, mendicare cogatur, Capitulum, sede vacante, et novus Episcopus tenentur honestam Clerico illi sustentationem subministrare. Nec valet in hypothesi celebre principium: Leg. unic. Cod. *Ne ex delicto defuncti* «successorem non posse conveniri ob culpam antecessoris»; nam 1) culpa in casu non tantum fuit Episcopi, sed etiam Ecclesiæ quæ non restitit Episcopo, c. «Quapropter» C. 2. q. 7. — 2) Quia mendicitas Clerici in dedecus redundaret Ecclesiæ cui mancipatus est, et in cujus sortem seu hæreditatem vocatus fuit c. 16. *de Præb.* (III. 5) et c. «Cleros» D. 21. Cfr. *Fagnani* comm. in cit. c. 16. *de Præb.* ubi hanc materiam fusiori calamo evolvit. 2^{0}. Quod si inter Episcopum et Clericum ordinandum absque titulo intercessit *tractatus et pactio,* qua Clericus promittit se pro sua sustentatione molestias non fore allaturum Episcopo, ex c. 45. *de Simonia* (V. 3), ordinans Episcopus suspenditur per tres annos a potestate ordinum conferendorum. Hæc suspensio renovatur et S. Sedi reservatur expresse in Const. cit. *Pii IX.* «*Apostolicæ Sedis*» sub n. II^{0}. ubi legitur: 'Suspensionem *per triennium* a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum *pacto* ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta'.

3^{0}. In num. autem IV. ejusdem Const. in art. de suspensionibus legitur: 'Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit *absque titulo* beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, *in qua solemnis professio non emittitur,* vel etiam *religioso nondum professo*'.

56. Ad V^{um}. 1°. Episcopus «qui Pontificalia in alterius diœcesi exercet absque expressa Ordinarii loci *licentia* aut in personas eidem Ordinario non subjectas, est *ipso jure suspensus ab exercitio Pontificalium*».

2°. «*Suspensionem* S. Pontifici reservatam per annum *ab ordinum administratione* ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus episcopi literis *dimissorialibus*»; Suspensionum in Const. «Apostolicæ Sedis» n. 3. — Hæc insuper suspensio, inflicta jam in c. 2. h. t. in 6°, potest augeri a Romano Pontifice pro modo culpæ. Ceu expresse tradit *Innocentius XII.* in cit. Const. '*Speculatores*'. Qua in re notabilis est dispositio cap. 2. h. t. in 6°. ubi *Gregorius X.* concessit Clericis Diœceseos Episcopi suspensi in pœnam collatorum Ordinum extraneis, ut, cognita suspensione proprii Episcopi, eo irrequisito possint Ordines recipere ab aliis vicinis Episcopis; quibus tamen probare debent factum suspensionis proprii Episcopi: arg. c. 19. *de Hæret.* (V. 2) n. 6°. Id autem quod de Episcopis dictum est, dici etiam potest de Abbatibus et inferioribus Prælatis qui minores ordines conferre possunt.

3°. Suspensionem eandem quam sub n. 2°., incurrit Episcopus ordinans etiam *proprium* subditum qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci literis *testimonialibus*; videatur etiam supra n. 40.

57. In iisdem capitibus in quibus ordinans, potest delinquere etiam ordinatus. Sciendum autem est in re nostra peculiarem edidisse Const. *Pium II.* quæ incipit '*Cum ex Sacrorum*' et fuit edita die 17. Nov. an. 1461.; deinde non pauca sapientissime fuisse a Conc. Tridentino præfinita. Quæ cum non viderentur sufficere ad evitandos abusus, *Sixtus V.* in sua Const. '*Sanctum et Salutare*' rigorem auxit et pœnas ampliavit contra delinquentes. Rigorem vero hunc temperavit *Clemens VIII.* in Const. '*Romanum Pontificem*' ac disciplinam restituit in pristinam formam juxta Pianam Constitutionem et Tridentini dispositionem. Considerari insuper debent ea quæ statuit *Innoc. XII.* in cit. Const. '*Speculatores domus Israël*'. Quare in exponendis pœnis male ordinatorum de *Sixti V.* Constitutione silemus.

58. Ad I^{um}. Clerici qui se promoveri faciunt *extra tempora canonica*, subjacent suspensioni *ferendæ* sententiæ ab exercitio sus-

ceptorum ordinum ex dispositione cc. 2. et 8. h. t. — Pœna suspensionis *latæ* sententiæ inflicta Constitutione *Pii II.* «*Cum ex sacrorum*», edita anno 1461, *non* jam valet post Const. «Apostolicæ Sedis».

59. Ad II^um. Pœna in clericos *interstitia* non servantes in jure non exprimitur, quare arbitrio Superioris puniri possunt juxta culpæ gravitatem.

60. Ad III^um. Ordinatus *ante legitimam ætatem* in majoribus incurrit suspensionem *ferendæ* sententiæ ex c. 14. h. t. Dispositio *Pii II.* hac in re abrogata censetur Constitutione «Apostolicæ Sedis».

61. Ad IV^um. Clericus absque titulo propriâ culpâ, etiam deceptione Episcopi conficto titulo facta, ordinatus non subjacet pœnæ in jure statutæ; nam pœnas omnes sive decreti Gratiani sive decretalium esse abrogatas, ex sequenti deductione videri potest. Veteres canones relati a Gratiano sub cc. 1. et 2. D. 70. irritam dicunt ordinationem, idest nullius momenti censendam esse quoad suum exercitium, ac proinde ordinatum ipso facto incurrere suspensionem. Hanc vero dispositionem temperaverunt *Alexander III.* in c. 4. et *Innoc. III.* in c. 16. *de Præb.* (III. 5) ita ut ordinatos a pœna eximerent, et Episcopo ordinanti imponerent onus subministrandi congruam sustentationem ordinato quoadusque provideretur de Beneficio, nisi aliunde haberet unde viveret.

Cum vero Conc. Trid. in sess. 21. c. 2. *de Ref.* de titulo s. Ordinationis loquens dicat 'antiquorum canonum pœnas super his innovando' quæsitum est utrum voluerit revocare pœnam statutam in can. 1. «Neminem» et 2. «Sanctorum» D. 70. ita ut post Tridentinum qui sine titulo ordinem sacrum susceperint, sint suspensi, et si in ordine ministraverint, reddantur irregulares. Communiter Canonistæ hanc quæstionem pertractantes docent fuisse quidem innovatas pœnas capp. 4. et 16. *de Præb.* (III. 5) non vero canonum 1. et 2. D. 70. Hos inter eminet *Fagnanus* qui in *comm.* in c. 16. *de Præb.* refert quæstionem in sensu exposito fuisse resolutam a s. Congr. Conc. Ratio autem hujus sententiæ deducitur ex eo quod non præsumitur concilium voluisse innovare pœnas statutas in canonibus a Gratiano relatis, quæ ex posterioribus legibus jam fuerant abrogatæ; sed potius præsumitur voluisse confirmare et in usum revocare pœnam capp. 4 et 16. *de Præb.* quæ rigore juris adhuc perseverare debuisset, quia in corpore legum ecclesiasticarum descripta erat, sed forsan ab usu aliquantisper

recesserat. Quare ex Tridentino qui promovetur ad ordines majores absque titulo sufficienti non est suspensus nec irregularis si ordinem exerceat, sed sustentari debet ab Episcopo quousque non consequatur beneficium competens, vel nisi ex bonis patrimonialibus sustentari possit.

62. At quid est dicendum si Clericus Episcopum falsis probationibus tituli deceperit? *Fagnanus* loco cit. n. 69. et *Bened. XIV. Inst. Eccl. 26.* n. 16. referunt resolutionem s. Congr. Conc. diei 27. Nov. an. 1680. hisce verbis conceptam 'S. Congregatio Concilii proposito suprascripto dubio, omnium sententiis censuit, hoc casu pœnam suspensionis ante Concilium non esse correctam (scilicet a jure Decretalium expresso in capp. 4. et 16.). *De Præb.* (III. 5) et 37. eod. tit. (III. 4) in 6^{0}. et hodie a Tridentino Concilio esse innovatam, et præterea hujusmodi Clericum qui adhibito dolo, confictoque titulo Ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum, carereque Ordinum executione'. Consequenter ad hanc resolutionem notat Benedictus rigorem in præsenti materia S. Sedem adhibuisse adeo ut Clericis exposcentibus remedium, negaret sanationem tituli, et solummodo concederet licentiam sacrum faciendi per aliquod tempus, donec sibi honestam vitæ sustentationem aliqua ratione procuraverint.

Verum quid sentiendum est in *hodierna* disciplina post Const. «*Apostolicæ Sedis?*» Constitutio hæc abrogavit omnes censuras latæ sententiæ præter eas, quas enumerat, et eas, quæ a Conc. Tridentino decernuntur. Jamvero in ipsa Constitutione renovatur solummodo pœna in c. 45. *de Simonia* (V. 3) expressa, idest pœna suspensionis per triennium a collatione Ordinum contra Episcopos ordinantes Clericos absque titulo cum pacto ut Ordinati non petant ab eis alimenta (art. De suspens. n. 2.). Nihil vero decernit Summus Pontifex contra ipsum Clericum, qui ordinatus sit absque titulo, sive id contigerit ex bona fide, sive ex fraude Clerici decipientis Episcopum. Ergo Constitutio Apostolicæ Sedis explicite non decernit pœnam suspensionis contra Clericum decipientem Episcopum quoad titulum. Verum dici posset pœnam suspensionis quoad Clericum qui conficto titulo Episcopum circumvenit implicite decerni in eadem Constitutione. Etenim hæc pœna juxta resolutionem s. C. C. diei 27. Nov. 1610. superius relatam, a Tridentino renovata fuit. At sententia satis certa, quam nos sequimur, tenet, Constitutionem «Apostolicæ Sedis» solummodo confirmasse censuras quas

Tridentinum expresse decernit, non vero censuras latas ab antiquis canonibus quas sub forma generica Tridentinum renovat. Quod confirmatur etiam ex eo quod sum. Pontifex in cit. Const. expresse decernit pœnam suspensionis contra Episcopum ordinantem Clericum absque titulo cum pacto de alimentis non præstandis, quæ pœna jam statuta erat in c. 45. *De Simonia* (V. 3). Porro expressio explicita hujus censuræ necessaria non fuisset, si Const. *Apostolicæ Sedis* confirmasset censuras antiquorum canonum renovatas a Tridentino verbis generalibus. Quibus positis dici debet, Clericum, qui conficto titulo decipit Episcopum, gravis quidem culpæ reum esse, censuram tamen suspensionis non incurrere.

63. Ad V^um^. Clericus qui sine literis *dimissorialibus* proprii Episcopi se promoveri facit, certo subjici potest pœnis *ferendæ* sententiæ secundum Const. «*Speculatores*» *Innocentii XII.* pro modo culpæ a Rom. Pontifice; item certo suspensioni subjacet *latæ* sententiæ a Conc. Tridentino in sess. 23. cp. 8 *de Ref.* inflictæ: Si clericus promoveri se facit, etiam cujusvis generalis aut specialis Rescripti vel Privilegii prætextu, etiam statutis temporibus, quin ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur, taliter ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, *quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire,* sit suspensus».

Sed utrum hæc Tridentini pœna tangat etiam clericum qui *testimonialibus* quidem proprii Ordinarii instructus literis careat tamen literis *dimissorialibus* annon, ex textu cp. 8. sess. 23. *de Ref.* certo concludi nequit. Etiam ad hunc casum extendi pœnam sentiunt *Reiffenstuel* h. t. §. VII. n. 185. et *Avancini* autor *Commentarii romani* Constitutionis «*Apostolicæ Sedis*» n. 50. lit. c. in eodem Commentario. Verum hæc sententia mihi certa esse non videtur ita ut hodierno jure dici possit vigere prædictam pœnam suspensionis contra ordinatum ob sequentes rationes: 1°. Quia de hac censura non loquitur Constitutio «*Apostolicæ Sedis*»; adeoque tota quæstio reducitur ad Concilii Tridentini decretum sess. 23. cap. 8. Jam vero Tridentini patres utique legem generalem statuunt, ut quisque a proprio Episcopo ordinetur; at deinde novam et distinctam dispositionem constituunt, et novam conficiunt periodum de illis qui vi privilegii vel rescripti ordinantur ab alieno Episcopo, cum literis testimonialibus Episcopi proprii. Deinde autem decernunt pœnam suspensionis per verba: «Si secus fiat» etc. Quo posito dubitari potest utrum hoc incisum «Si secus fiat» etc. refera-

tur ad secundam dispositionem et periodum «Quod si quis» etc. tantummodo, vel etiam referatur ad legem generalem prius positam «Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur». Et hoc dubium majus evadit ex subjecta materia. Agitur enim de pœna quæ strictiorem interpretationem patitur. 2⁰. Quia in Constitut. «Apostolicæ Sedis» in Art. de Suspensionibus *n. 3.* infligitur suspensio ab administratione Ordinum per annum Episcopo ordinanti alienum subditum absque literis dimissorialibus Episcopi proprii, idest infligitur eadem pœna, de qua agitur in loco citato Concilii Tridentini. Jam vero si pœna in cit. loco Tridentini sese referret etiam ad primam dispositionem generalem «Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur,» procul dubio *Pius IX.* explicite in articulo de Suspensionibus de eadem pœna non cavisset. Summus enim Pontifex in Const. «Apostolicæ Sedis» confirmavit censuras a Concilio Tridentino latas. Ergo Summus Pontifex pro certo habuit Tridentinam censuram non afficere neque ordinantem neque ordinatum in hypothesi ordinationis peractæ ab alieno Episcopo absque literis dimissorialibus Episcopi proprii. Unde autor commentarii Constitutionis «Apostolicæ Sedis» dum *(§. 163. n. 1.)* recenset censuras suspensionis a Concilio Tridentino latas, quas Constitutio Apostolicæ Sedis confirmavit, ne verbum quidem habet de suspensione cap. 8. sess. 23. *de Ref.* in casu nostro applicanda. Porro certum est pœnam suspensionis ex hoc Tridentini loco incurrere Clericum, qui ab alio Episcopo ordinatur virtute cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii, quin testimoniales literas proprii Ordinarii afferat.

64. Ultimo loco hic referenda est dispositio Const. «Apostolicæ Sedis» in art. *De suspensionibus* n. 7⁰. quam supra exhibuimus, quæ incipit 'Clerici sæculares exteri ultra quattuor menses in Urbe commorantes etc.' Porro sub appellatione 'exterorum' veniunt omnes Clerici qui non pertinent ad Romanam Diœcesim, neque ad aliquam ex sex Diœcesibus suburbicariis.

Delinquere potest præterea Episcopus, si clericum vel laicum *per saltum* promovet, i. e. ad Ordinem superiorem non recepto vel non valide recepto Ordine inferiore, item clericus qui *per saltum* se promoveri facit. Videri potest hac de re l. V., t. 29. — Similiter ordinandus delinquere potest in eo quod *furtive* Ordinem suscipit vel suscipere tentat; cfr. l. V. t. 30. —

Appendix

ad tit. 11. de temporibus Ordinationum et qualitatibus Ordin.

1. Votum pro solvendis dubiis super literis testimonialibus ab Auctore h. libri hic positum ægre prætermisimus: *ægre* quidem, quia pro illo tempore propositam quæstionem clarissime disposuit solidisque argumentis firmavit; *prætermisimus* tamen, quia novis dilucidata est tota res S. C. Concilii decisionibus. — Agitur de 3. suspensione Summo Pontifici reservata in Const. «*Apostolicæ Sedis*» et quidem de ejusdem suspensionis 2. parte, quæ sic se habet: «Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes.... etiam subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci literis testimonialibus».

2. Tres sunt decisiones S. C. Concilii quæ quæstionem nostram illustrant: in *Firmana*, d. 9. Septembr. 1893, in *Parentina et Polen.*, d. 14. Julii 1894, in *Urgellen.*, d. 26. Januarii 1895, quarum hæc ultima maximi est momenti ideoque in toto contextu sequi debet. Episcopus Urgellensis S. C. Concilii exponit: «Frequenter accidere, juvenes scholares percurrere varias diœceses tum ratione servitii militaris, tum aliis de causis; ita ut non raro eveniat, quod morati fuerint in pluribus diœcesibus spatio trium mensium; quin aliquis sit, qui testimonium reddere possit de ipsorum natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, scientia, neque utrum aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretiti sint; cum, ut plurimum, omnibus sint ignoti, præcipue cum populosæ sint civitates in quibus parum temporis morati fuerint.

«Hisce prænotatis, huic S. C. C. sequentia proponit dubia:

«1um. Utrum in omnibus prorsus casibus, ad ordinandum subditum proprium necessariæ sint Literæ testimoniales *omnium Episcoporum locorum* in quibus moratus fuerit, vel relinqui possit *prudenti arbitrio* Episcopi proprii, attentis circumstantiis subditi ordinandi.

«2um. Utrum Episcopus ordinans subditum proprium absque hisce Literis testimonialibus alieni Episcopi, in omnibus prorsus casibus incurrat ipso jure suspensionem per annum ab Ordinum administratione.

«3um. Utrum sufficientes censendæ sint Literæ testimoniales alieni Episcopi, quando testatur nihil constare de ordinando; eo

quia nemo sit qui de ordinando testimonium reddere possit, cum sit, ut judicatur, omnibus ignotus.

«4um. Utrum in casu sufficiat apponere ad valvas parœciæ in qua moratus fuerit ordinandus vel ad valvas palatii Episcopalis Literas Episcopi diœcesani præcipientis omnibus et singulis eas inspecturis, ut ostendant, utrum ipsis constet de aliquo impedimento canonico ordinandi».

S. C. post accuratum examen dubiorum, d. 26. Jan. 1895, rescripsit:

Pro clericis ordinandis jam militiæ *addictis, sub pœna a Const.* Apostolicæ Sedis *comminata, requiri literas testimoniales Ordinarii, in cujus diœcesi per trimestre commorati fuerint; et quatenus Ordinarii literæ plenum testimonium non reddant, Episcopus, obtenta ad hoc facultate ab Apostolica Sede, provideat per juramentum suppletorium.*

Hæc S. C. Concilii Responsio aliquot quæstionibus illustranda est.

3. Quæstio Ia. Literæ testimoniales requirunturne solummodo ad ordines suscipiendos an etiam ad suscipiendam primam tonsuram?

Requiruntur etiam ad suscipiendam primam tonsuram, juxta Const. «*Speculatores*» *Innocentii XII.*, d. 4. Nov. 1694; — S. C. Concilii, d. 11. Junii 1881.

4. Quæstio IIa. *Quid* literæ testimoniales continere debent? Secundum *Innocentium XII.* in cit. Constitutione testimonium ferre debent de «natalibus, ætate, moribus et vita»; secundum vero sensum Const. «*Apostolicæ Sedis*» etiam de libertate ab impedimentis canonicis, sc. a censuris et irregularitatibus. — Testimoniales pro regularibus referre debent: «de natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, ære alieno gravatus vel reddendæ alicujus administratione obnoxius;» ex decr. S. C. super Statu Regularium, 25. Jan. 1848. n. 2. — Per se patet non omnes commorationis locorum Episcopos de singulis his requisitis testificari posse et teneri, sed de singulis testimonium reddere tenentur, *inquantum possunt;* id quod ex sequentibus magis patebit. —

5. Quæstio IIIa. *Quantum* commorationis *spatium* requiritur ad inducendam obligationem dandi literas testimoniales?

Distinguendum est inter ordinandos jam militiæ addictos et inter ceteros ordinandos. Quoad priores ordinandos S. Concilii in *Firmana*, d. 9. Sept. 1893 rescripsit: «Literas testimoniales esse necessarias, quoties promovendus moratus fuerit in aliqua diœcesi saltem per *trimestre*».

Quæ responsio, non consulta Archiepiscopi *Firmani* quæstione, satis generalis esse videbatur, donec citato rescripto ad Episcopum *Urgellen.* clare ordinandis jam *militiæ* addictis restringeretur.

Quoad secundam ordinandorum classem nihil innovatum est; ergo remanet communis sententia quæ requirit commorationem saltem *sex* mensium ad constituendam dictam obligationem exigendi et dandi lit. testimoniales, in suo priore vigore, imo novo augetur robore Responsione, d. 26. Jan. 1895; nam quia S. C. ex duobus illatis unum consensit, necessario alterum tacendo negavit; negavit enim requiri lit. testimoniales pro *trimestri* commorationis quoad *omnes* ordinandos. —

Jam antea a S. C. super Disciplina Regulari instructio data est, d. 27. Nov. 1892, pro religiosis militiæ adscriptis sive adscribendis, qua dicti religiosi obligentur ad afferendas lit. testimoniales omnium illorum Episcoporum, in quorum diœcesibus saltem per *trimestre* commorati fuerint. —

6. Quæstio IV^a^. *A quanam ætate* requiruntur dictæ literæ testimoniales? —

Distinguendum est: Si Episcopus *originis* dictas literas dare debet, de *natalibus* et *ætate* testificari semper potest et debet; ceteri vero Episcopi commorationis testimonium hoc canonicum præstare non tenentur nisi expleto septennio. Hac de re *Honorante* in celebri opere '*Praxis Secretariæ Tribunalis Cardinalis in Urbe Vicarii*' cap. IX. not. X. ita scribit: Expletis infantiæ annis, qui completo septennio explentur, ut colligitur ex Glossa cap. «Cum nullus» *De temporibus Ordin.* in 6°. (I. 9) tenetur ordinandus, qui a prædictis locis excessit, ab eorum ordinariis prædictas literas testimoniales respective obtinere, ac Episcopo ordinanti præsentare; et ratio est, quia pueri, completa infantia, sunt doli capaces, ac omnes et singulas censuras tam a jure quam ab homine incurrere possunt, ut est Canonistarum communis mens sicut et Theologorum cum *Suario* . . . Immo *Navarrus* Consil. 27. n. 230. addit quod irregularitas incurritur a pueris ante septennium, si in ipsis malitia suppleat ætatem'. Hanc sententiam ab Honorante propugnatam

faciunt suam *Lucidi* in cit. loc. operis *De Visit. Sacror. Limin.* et Auctor *Reatinus Comm.* in Const. «*Apostolicæ Sedis*» in explicatione *parag. 3.* ejusdem Const. de suspensionibus latæ sententiæ. Quare dubitari non posse videtur quominus propositæ quæstioni sit affirmative respondendum.

7. Quæstio V^a. *Quis* dare potest lit. testimoniales?

In Const. «*Speculatores*» dicitur has literas dandas esse ab *Episcopo,* ab *Ordinario* et *prælato*, similiter in Const. «*Apostolicæ Sedis*» requiruntur dictæ literæ ab *Ordinario.*

«Appellatione *Ordinarii* venire: Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Prælatos seu Præfectos habentes jurisdictionem cum territorio *separato,* eorumque officiales seu Vicarios in Spiritualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem;» ex decreto S. C. Inquisitionis, d. 20 Febr. 1888. Licet hoc decretum proxime respiciat causas *matrimoniales*, jure tamen applicari potest huic nostræ quæstioni; neque quoad Vicarium Generalem exceptio statuenda est; nam responsum S. C. Concilii contrarium, citatum a *Monacelli* in suo *formularium Legali practico,* p. I., tit. IV., form. IX. n. 9., nihil officit; nam Vicarius Generalis revera est Ordinarius, *Barbosa* in *Jure Universali,* p. I. c. XV. n. 17; huic Ordinario tribuitur in Const. «*Apostolicæ Sedis*» facultas dandi literas *testimoniales,* cum *dimissoriales* expresse Episcopo reserventur (susp. III. c. l.); dein dictum responsum est ceteris præter Monacellium auctoribus ignotum; neque tempus exhibet neque locum quo mittebatur neque contextum ita ut facile possit concludi Vicarium Generalem ideo declarari expertem facultatis testimoniales dandi literas, quia istæ literæ dimissorialibus vel æquiparabantur vel saltem conjungebantur.

Absque dubio autem est, Vic. Generalem tunc literas dare posse *testimoniales,* quando ei licet dare dimissoriales. —

Præter Ordinarium nemo hæc testimonia exhibere potest, licet omnibus dotibus ad id sit instructus, uti e. gr. Rector Seminarii. Antea quidem S. C. Concilii pluribus responsionibus declaravit, sufficere lit. testimoniales Superioris seminarii, sed deinde sententiam mutavit, ita ut nostris temporibus contraria praxis omnino observetur et teneatur; — S. C. C. in *Spoletana* et *Reatina*, 11. Junii 1840; in *Parentina et Polen.*, d. 14. Julii 1894, in qua posteriore S. C. necessario «exigendas declaravit literas testimoniales a respectivis Ordinariis loci», etsi hi Ordinarii — Goritiensis et Ter-

gestanus — notitias haurire poterant solummodo ex relationibus Superiorum respectivi seminarii, quorum Superiorum unus Tergestanus plene subjectus erat Episcopo Parentino, alter saltem in relatione erat cum eodem Episcopo.

8. Quæstio VI[a]. *Quando* exigendæ sunt dictæ literæ testimoniales? Generaliter loquendo exigendæ sunt toties quoties ordinandus in aliena diœcesi saltem per semestre (militaris per trimestre) commoratus fuerit et de *hac* commoratione testimoniales non fuerint impetratæ ad suscipiendum *certum* ordinem, e. gr. subdiaconatum. Exinde sequitur:

1⁰. Si semestre (trimestre) commorationis adest, nihil interest, utrum commoratio fuerit necessaria an voluntaria; quia causa commorandi omnino non respicitur; nihil interest utrum Ordinans optime noverit dignitatem ordinandi necne; quia præter jus naturale adimplendum est jus positivum ecclesiasticum requirens *semper* testimoniales literas.

2⁰. Si clericus post susceptum aliquem ordinem e. gr. diaconatus, iterum per sex (tres) menses commoretur, de nova commoratione novæ impetrandæ sunt literæ; item si susceptio ordinis, ad quem suscipiendum datæ sunt literæ, ultra semestre protrahitur in aliena diœcesi, novæ exigendæ sunt literæ.

3⁰. Literæ testimoniales conficiendæ sunt formaliter ad finem promotionis ad primam tonsuram vel aliquem ordinem; ad *alium* finem datæ non valent; S. C. Concilii in *Pientina* seu *Ilcinensi*, d. 8. Aug. 1733 et in *Burgi s. Domnini seu Cremonensi*, 1. Aug. 1750. Quare testimoniales datæ ad suscipiendum ordinem *superiorem*, sufficiunt etiam ad suscipiendum o. *inferiorem*, quia secundum regulam 35. in 6⁰, «plus semper in se continet quod est minus;» secus e contrario, i. e. datæ ad inferiorem o. non valent pro superiore ordine.

9. *Quæstio* VII[a]. Quomodo lit. testimoniales sunt *supplendæ?* Legem requirendi literas testimoniales in descriptis circumstantiis nonnunquam satis gravem reddi posse, facile intelligitur; imo interdum prorsus nemo de ordinando testimonium reddere potest, cum sit omnibus ignotus.

Duo prostant effugia: unum dedit Episcopis Austriacis S. C. Concilii, sc. facultatem (ad decennium), «ut in casu aliquo particulari, in quo adsit gravis difficultas habendi testimoniales, absque iis conferri possint ordines, dummodo aliunde moraliter constet de idoneitate ordinandorum» (*Aichner*, Episcopi Brixinensis: *Compen-*

dium Juris Eccl., ed. VII^a. §. 63, n. 3. not. 14., pg. 202); alterum continetur in citata responsione S. C. C. ad Episcopum Urgellensem: «Quatenus Ordinarii literæ *plenum* testimonium non reddant, Episcopus, obtentâ ad hoc *facultate* ab Apostolica Sede, provideat per *juramentum* suppletorium». 1°. Plenum testimonium de natalibus, de ætate facile petitur ex libris parochialibus; plenum testimonium quoad vitam, mores, libertatem ab impedimentis adest, quando saltem unus testis omni exceptione major adhibetur.

2°. Facultas ejusmodi petitur a S. C. *Inquisitionis*;*) *Gasparri in tractatu canonico de s. ordinatione* (Paris. 1894) n. 729. circa finem.

10. Quæstio VIII^a. *Qua forma* testimoniales dandæ sunt? R. Forma specialis non præscribitur: testimonium super requisitis reddi potest *viva voce*, *privatis* literis, sed maxime expedit eas dare in forma *publica*, quia reservandæ sunt in archivio diœcesis; exemplum præbet *Gasparri: de s. ordinatione*, t. II. all. II. n. IV. — De lit. testimonialibus impetratis mentio facienda est in lit. *formatis* ex Const. «*Speculatores*» n. 4.

Dubium si exsurgat super literis testimonialibus, authentice solvendum proponatur aut S. C. Concilii quæ ratione c. 2. sess. 14. *de Ref.* et c. 8. sess. 23. item *de Ref.* Conc. Tridentini est competens aut S. C. Inquisitionis, cui reservatur saltem in praxi declaratio Constitutionis «*Apostolicæ Sedis*».

Titulus XII.

De scrutinio in ordine faciendo.

1. Cum de qualitatibus ordinandorum dictum sit in titulo præcedenti, sequitur titulus de scrutinio, idest de examine instituendo, utrum clerici requisitis qualitatibus sint instructi. *Scrutinium* ergo a scrutando nihil aliud est nisi *examen quo constat de immunitate Clerici a censuris, et de ejus qualitatibus ad sacram ordinationem requisitis.*

Scrutinium *triplex* est; primum et secundum omnibus ordinibus commune est, tertium solum aliquos ordines respicit. Primum scru-

*) Cfr. rescriptum S. C. Inq., fer. V. d. 12. Martii 1896: Ss. D. N. D. Leo divina providentia PP. XIII. benigne indulsit ut R. P. D. Episcopus admittere possit Clericos, de quibus in dicto supplici libello, ad juramentum Suppletorium præstandum pro tempore quo Servitii militaris causa morati fuerint in iis diœcesibus in quibus probatio libertatis haberi nequeat per testimoniales literas respectivorum Ordinariorum, vel per alia idonea documenta. Idque ad quinquennium. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

tinium præscriptum est a Conc. Trid. c. 5. sess. 23. *de Ref.* Statuit vero s. Synodus ut qui assumendi sunt ad *minores* ordines afferant bonum testimonium Parochi et Magistri scholæ in qua in studiis instituuntur. Qui vero assumendi sunt ad singulos ordines *majores* per mensem ante ordinationem Episcopum adire debent, qui Parocho aut alteri committat, ut nominibus eorum qui volunt promoveri publice in Ecclesia propositis, diligenter inquirat a personis fide dignis de ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita, et literas testimoniales ad ipsum Episcopum de peracta inquisitione quamprimum transmittat. Exinde inducta est regula de publicationibus promovendorum in propria parochiali Ecclesia faciendis. Hæ autem publicationes ex Const. *Alexandri VII. 'Apostolica solicitudo'* edita die 7. Augusti 1662. Romæ faciendæ sunt in Basilica Lateranensi et in propria cujusque promovendi parœcia.

2. Secundum scrutinium respicit *scientiam.* De hoc examine loquitur Tridentinum in capp. 7. 12. et 14. dictæ sess. 23. Ex quibus locis eruitur, Episcopum non posse ad ordines recipiendos admittere nisi eos, quos præcedente diligenti examine, adhibitis etiam sacerdotibus peritis, doctrina instructos repererit. In cap. autem 3. sess. 23. *de Ref.* Tridentinum jubet Episcopos per seipsos ordines conferre debere, et simul decernit ut si ob ægritudinem subditos ordinandos ad alios Episcopos dimittant, non aliter dimittant nisi jam probatos et examinatos. Ex quo patet, examinis onus spectare ad Episcopum proprium, nec Episcopum cui committitur ordinatio Clericorum teneri ad inquirendum circa scientiam et vitam ordinandorum; quia præsumuntur idonei qui uti tales præsentantur a proprio Episcopo. Creditur enim attestationi Episcopi ejusdem. Sed et quæstio resoluta est a s. Cong. Conc. in responsione relata a *Fagnano in Comm.* in c. 16. de Præb. (III. 5) n. 57. Rem exponam ipsis *Fagnani* verbis: 'Cum fuerit quæsitum an Episcopus ordinans alienos subditos sæculares cum dimissoriis proprii Episcopi asserentis eos examinatos fuisse, et idoneos repertos, hujusmodi attestationi deferre teneatur, vel etiam possit eosdem ordinandos examinare, s. Congregatio censuit esse arbitrarium, et ideo *posse, sed non teneri*'. — Ex dispositione speciali cap. 12. sess. 23. *de Ref.* in Tridentino etiam Regulares diligenti examini ab Episcopo instituendo subjiciuntur; nisi ex speciali privilegio post Tridentinum concesso eximantur. Hoc vero examen juxta responsum datum a *Sixto V.* et relatum in Lib. 4°. Decre-

tor. pag. 108. Congr. Concilii, perfici debet quoad doctrinam ab eo Episcopo qui Ordines confert.

3. Tertium Scrutinium, de quo loquitur Inn. III. in cap. un. h. t. constituit partem liturgiæ in sacra Ordinatione Diaconorum et Presbyterorum, cum Archidiaconus Episcopum alloquens, ait: 'Postulat S. Mater Ecclesia ut etc'. et Episcopo sciscitanti utrum Archidiaconus eos dignos agnoscat, his respondet affirmative, quantum humana fragilitas nosse sinit.

4. Proponitur in cit. cap. un. h. t. quæstio quid agendum in casu quo quis privata notitia cognoverit consecrandum in Episcopum esse indignum, et ratione officii in consecratione teneatur respondere de qualitate ipsius Consecrandi. Innocentius respondet 1°. interrogationem de qualitatibus non fieri in consecratione Episcopi, sed in ordinatione Diaconorum et Presbyterorum. 2°. In casu cognitæ indignitatis consecrandi in Episcopum rem esse ante consecrationem pandendam Archiepiscopo. Quæstio hinc proponitur ab auctoribus, utrum Archidiaconus sciens ex notitia privata indignum esse ordinandum in Diaconum vel Presbyterum, tuta conscientia possit de dignitate testari? Sciendum est, in antiqua praxi Archidiaconum, qui erat Officialis Episcopi, præfuisse sacris ordinationibus et examine instituto solitum fuisse cognoscere an clerici cupientes ad sacros ordines promoveri qualitatibus canonicis honestarentur necne. Quare interrogatus ab Episcopo in die ordinationis, poterat ex certa scientia respondere de Clericorum idoneitate. Immo adnotat Innocentius Archidiaconi responsionem non secum tulisse attestationem positivam de idoneitate, sed potius eam vim habuisse ut non cognosceret promovendos esse indignos. Verum non idem dicendum in hodierna praxi. Non enim amplius Archidiaconus est qui inquirat in mores et qualitates ordinandorum, quos aliquando ne cognoscit quidem, sed supponit jam dignos fuisse habitos a Curia episcopali. Tuta ergo conscientia potest respondere Archidiaconus Clericos ordinandos dignos esse. Quod si vero ex privata notitia agnosceret aliquem revera esse indignum sacris ordinibus, non teneretur in actu ordinationis indignitatem manifestare. Ipse enim Archidiaconus in sacra liturgia gerit personam publicam, nec uti potest privata scientia, sed retinere debet ceu idoneos, quos uti tales excepit a Curia episcopali.

TITULUS XIII.

De ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatui.

1. Cum proprius Episcopus sit minister legitimus s. Ordinationis, quæritur in titulo præsenti quid dicendum de Episcopo qui episcopatui renuntiavit, aut in excommunicationem incidit.

Renunciatio *duplex* est; nempe loco seu sedi, et loco (sedi) et dignitati. Prior verificatur cum Episcopus ob legitimas causas ex. gr. ob odium malæ plebis vel aëris adversitatem in manibus Pontificis resignat administrationem et regimen Ecclesiæ suæ et titulum et dignitatem *episcopalem* sibi retinet. Per hanc renunciationem solvitur vinculum spirituale quo cum Ecclesia sua devinciebatur, et efficitur Episcopus sine Ecclesia; hinc dicitur Episcopus simpliciter titularis. Renuntiatio vero sedi et dignitati procedit, cum Episcopus vel ex spiritu christianæ humilitatis et præsertim ob zelum religiosi instituti ingrediendi, vel ad præveniendam pœnam depositionis resignat ipsum episcopale munus, nomen et dignitatem. Hinc in facie *Ecclesiæ* remanet solummodo *Presbyter* quamvis subjective et in anima retineat caracterem ordinis episcopalis. Episcopus qui simpliciter episcopatui renuntiavit, præsumitur renuntiasse loco et sedi solummodo, nisi ejus renuntiatio procedat ex crimine quod depositionem secumferret.

2. Cum Episcopus qui loco et sedi renuntiavit, administrationis jure privetur, non potest licite conferre ordines sive minores sive majores nisi ex commissione Episcopi proprii Clericorum, idest ex dimissorialibus literis et cum licentia Ordinarii illius loci ubi ordines confert. Quod si renuntiaverit etiam dignitati, tunc nec cum dimissorialibus literis poterit ordines majores licite conferre; sed cum eisdem literis dimissorialibus idest de licentia proprii Episcopi poterit conferre ordines minores. Integra hæc dispositio legitur in c. 1. h. t. Ratio est quia hosce Ordines minores solent ex potestate delegata conferre etiam simplices presbyteri. Quod si quis *scienter* sacros ordines receperit ab Episcopo qui loco et dignitati renuntiavit, «quia indignum se fecit, executionem officii non habebit; ubi autem *non scienter* (nisi crassa et supina fuerit ignorantia), poterit discretus Pontifex dispensare;» c. 1. h. t. Secundum concordem doctorum sententiam verba hujus capitis hæc significant: in utroque casu et scientiæ et ignorantiæ (non supinæ

taliter ordinatus executionem officii non habet; at in casu ignorantiæ requiritur tantum dispensatio quædam i. e. habilitatio, in casu vero scientiæ ad absolutionem impetrandam resipiscere debet sic ordinatus, quia veram incurrit suspensionem. *Reiffenstuel:* l. I. t. 13. n. 6; *Suarez: de censuris,* disp. XXXI., sect. I., n. 7. — Hæc suspensio post Const. «*Apostolicæ Sedis*» non jam existit.

3. In cap. 2. h. t. agitur de ordinatis ab excommunicato. Ad pleniorem vero rerum cognitionem proponitur resolvenda quæstio de ordinatis ab Episcopo sive hæretico sive schismatico sive excommunicato sive etiam suspenso vel interdicto.

4. Canones relati a Gratiano sub cc. 1. 2. 3. et 5. C. 9. q. 1. nullam esse et irritam pronunciant Ordinationem collatam ab excommunicatis qui nunquam, ut ait Glossa ibi, fuere catholici, idest ab hæreticis vel schismaticis. Ordinatio ab Episcopo schismatico collata dicitur etiam irrita in c. 1. *de Schismaticis* (V. 8). Hæ porro expressiones certe non important intrinsecam invaliditatem ordinis collati, et nullitatem caracteris. Nam 1°. Ecclesia agnovit validas ordinationes aliquarum saltem sectarum, uti sunt Ecclesia Græca schismatica et Coptica etc. 2° In cap. 2. h. t. et cap. 2. *de Schismaticis* et in c. 5. C. 9. q. 1. misericorditer idest ex legitima dispensatione admittuntur in exercitio ordinis qui fuerunt in bona fide promoti ab hæreticis vel schismaticis. Porro ratio ignorantiæ ex parte promoti nihil influere potest circa valorem ordinationis schismaticorum, cum validitas vel invaliditas procedit ex potestate quam habet vel non habet hæreticus vel schismaticus minister. Dicuntur ergo irritæ et vacuæ ordinationes hæreticorum et schismaticorum 1°. de illis hæreticis qui formam substantialiter vitiarunt; 2. illis vero qui formam servarunt vacuæ et irritæ dicuntur quoad ordinis executionem, quemadmodum innuit c. 5. cit. C. 9. q. 1. Ratio est quia, uti satis indicant c. 23. C. 1. q. 7. et c. 17. C. 1. q. 1., qui amisit per hæresim vel schisma vel suspensionem usum et executionem ordinum, illam non potest aliis concedere. Hinc ordinatus ab hæretico vel schismatico admitti non potest ad exequendum ordinem, nisi ab auctoritate competenti fuerit dispensatus, ceu docet c. 2. *de schismaticis.* Hæc autem dispensatio a proprio Episcopo dari potest si quis ignoraverit esse hæreticum vel schismaticum Episcopum a quo ordines recepit ex c. 2. h. t. Si vero *scienter* ordines susceperit a tali Episcopo, non poterit dispensari

ab alio quam a Romano Pontifice arg. c. 6. *de Apostatis* (V. 9), et a sensu contrario c. 2. h. t.

Ordinationes hæreticorum, schismaticorum etc. dici possunt vacuæ et nullius momenti etiam in sensu veteris disciplinæ, qua ordinati legitime Ecclesiæ adscribebantur, et assequebantur beneficium in titulum et locum in eadem Ecclesia. Ordinati autem ab Episcopo excommunicato, hæretico etc. nec beneficium nec locum in Ecclesia consequebantur. Quare irrita et vacua dicebatur ordinatio quoad titulum, non vero intrinsece et quoad caracterem.

5. Hodie autem servanda est sanctio Const. «*Apostolicæ Sedis,*» in qua sub tit. de suspensionibus latæ sententiæ summo Pontifici reservatis legimus n. 6. 'Suspensionem ab ordine ipso jure incurrunt, qui eundem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto *nominatim* denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico *notorio;* eum vero qui *bona fide*, a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec *dispensetur,* declaramus'. *Dispensatio* hæc non videtur esse reservata summo Pontifici; nulla enim mentio fit de ejusdem reservatione. Quare dispensatio hæc fieri debet prout de jure, idest juxta cap. 2. h. t. a proprio *Episcopo* concedi posse merito defendere licet.

Titulus XIV.

De ætate, qualitate et ordine Præficiendorum.

1. Completo tractatu de ordine et de qualitatibus ordinandorum, nunc videndum est de qualitatibus eorum qui promoventur ad Prælaturas, beneficia vel ministeria ecclesiastica.

Quænam qualitates requiruntur in promovendis ad beneficia vel ministeria ecclesiastica? In genere c. 4. D. 23. tradit assumendos esse ad ecclesiastica ministeria illos '*qui digne possint dominica sacramenta tractare et melius esse Domini Sacerdotium paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant*'. Hæc regula inculcatur etiam in cap. 14. h. t. In specie autem disserentes, primum de ætate requisita loquimur. Distinguendum vero est inter beneficia simplicia et duplicia, aut habentia curam animarum adnexam.

2. Antiquo jure ætas ad assequenda beneficia *simplicia* determinata non erat. Tridentinum vero de simplicibus beneficiis loquens in c. 6. sess. 23. *de Ref.* statuit nulli concedendum esse beneficium simplex, nisi sit constitutus in ætate annorum 14. Ergo ætas pubertatis requiritur, et discrimen apparet inter ætatem legitimam ad primam tonsuram et minores ordines suscipiendos, et ætatem ad beneficia obtinenda. Ad tonsuram enim et minores ordines sufficit ætas septennio major, ad beneficia vero etiam simplicia saltem annus 14. requiritur. Porro annus hic sufficit, si sit inceptus, prout auctores docent, inter quos *Barbosa: Comm.* in hunc locum *Tridentini* et *Fagnanus* qui tanquam de re hodie certa loquitur *comm.* in c. 35. *de Præb.* (III. 5) n. 15. Uterque auctor refert hanc opinionem fuisse per sententiam s. Congr. Concilii confirmatam. Quod si vero in lege fundationis cautum fuerit ut beneficium possit etiam impuberi conferri, cum Tridentinum per generalem prohibitionem non censeatur derogasse legibus fundationis, quas immo approbat et recipit sess. 25. c. 9. *de Ref.* hinc dici potest, beneficium hujusmodi conferri posse adolescenti qui 14 annorum ætate minor sit, dummodo vero per tonsuram fuerit in statu clericali initiatus. Qua in re *Fagnanus* l. cit. refert decisionem Rotæ, ac ita loquitur ut nullum amplius moveri posse videatur dubium. Excipiuntur tamen ea beneficia quæ ex dispositione juris adnexum habent ordinem sacrum. Hæc de simplicibus beneficiis; nunc de aliis.

3. De *Episcopis* jam vidimus ex c. 7. *de Elect. et Elect. pot.* (I. 6) requiri annos 30 completos. Ad Cardinalatus dignitatem ex c. 1. sess. 23. *de Ref.* in Tridentino videtur necessaria eadem ætas quæ pro Episcopis requiritur. Attamen pro Cardinalibus Diaconis ex Const. *Sixti V.* ea ætas requiritur, quæ ad sacrum Diaconatus ordinem recipiendum necessaria est, idest an. 23. inchoatus. (Const. '*Postquam verus ille*' edita Nonis Novemb. an. 1586.) Pro quibuscumque Dignitatibus curam adnexam animarum habentibus annus 25. inceptus requiritur c. 12. sess. 24. *de Ref.* Concilium vero Tridentinum in cit. loco non loquitur de aliis beneficiis parochialibus. Quare quoad hæc beneficia servanda est antiqua lex expressa in c. 14. *de Elect.* in 6°. (I. 6.) qua cautum est ut clericus promotus ad beneficium parochiale infra annum a die promotionis promoveatur ad Sacerdotium. Quare in istis beneficiis sufficit talis ætas ut promotus possit infra annum presbyteratus ordinem suscipere.

4. Pro assequendis dignitatibus omnibus sive in Cathedrali Ecclesia sive in Collegiata, quibus cura animarum adnexa non est, licet juxta c. 3. h. t. sufficeret ætas annor. 14, tamen hodie ex Trid. c. 12. § 'ad cæteras' sess. 24. *de Ref.* requiritur ætas 22 annorum. Dixi 'etiam in collegiata Ecclesia' quia Tridentinum in cit. loco non distinguit inter ecclesiam cathedralem et collegiatam, et s. Congr. Conc. in *Brundusina* 13. Jan. 1594. et in aliis causis sub decreto Conc. Tridentini comprehendi etiam collegiatas ecclesias declaravit. Nec sufficit inceptus, sed completus requiritur annus 22. ex decisione s. Cong. Conc. data in scriptis Episcopo *Abulensi*, die 24. Sept. 1592. quam citat *Fagnanus* in *Comm.* ad c. 7. *de Elect. et Elect. pot.* n. 37. Excipitur tamen casus, quo dignitati adnexus sit ordo presbyteralis; de qua hypothesi inferius erit sermo.

5. Quoad Canonicatus Ecclesiarum *cathedralium* jure Decretalium ætas defixa non erat, sed solum in Clem. 2. h. t. definitum est ut quicumque canonicus non sit in ordine Subdiaconatus constitutus, vocem in Capitulo non habeat. Qui vero possidet præbendas quibus aliquis ordo adnexus est, statuit *Clemens* infra annum illum ordinem suscipere debere; si negligat suscipere, secluso legitimo impedimento, privari dimidia parte distributionum et voce in Capitulo. Concilium vero *Trid.* hac in re tria statuit in c. 12. sess. 24. *de Ref.* 1°. Ut nemo ad portionem vel Canonicatum aut Dignitatem recipiatur, nisi in eo ordine sacro sit initiatus quem Præbenda vel dignitas requirit, aut saltem intra annum initiari valeat. 2°. Ut in ecclesiis cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones habeant adnexum ordinem Presbyteratus, Diaconatus vel Subdiaconatus. 3°. Episcopis committit ut cum consilio Capituli designent quibus præbendis quisque ordo ex sacris adnexus in posterum esse debeat; ita ut dimidia saltem pars Canonicorum Presbyteri sint, ceteri vero Diaconi aut Subdiaconi. Ex quibus dispositionibus consequitur hodierno jure in Cathedralibus ecclesiis ubi facta est distributio ab Episcopo in præbendas presbyterales, diaconales et subdiaconales, vel laudabili consuetudine hæc distributio reperiatur inducta, eum solummodo posse assumi ad Canonicatum in hisce Ecclesiis, qui in ea ætate sit constitutus ut infra annum possit ordinem adnexum præbendæ suæ suscipere. Hinc ad præbendam subdiaconalem assumi potest qui habet annum 20. completum, idest 21. inceptum, quia infra annum complebit annum 21.

poteritque promoveri ad ordinem subdiaconatus. Ob eandem rationem pro diaconali præbenda sufficit annus 21. expletus, idest 22. inchoatus; et pro presbyterali præbenda sufficit annus 23. completus, idest 24. inceptus. Hæc vero ætas adeo necessaria est in Cathedralibus ubi præbendarum distributio in presbyterales, diaconales etc. viget, ut si secus fiat, provisio sit prorsus *irrita* c. 4. sess. 22. *de Ref.* in fin. Verba hæc Tridentini sunt '*nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis qui jam ætatem et cæteras habilitates integre habere dignoscantur: aliter irrita sit provisio*'. — Quid vero si in aliqua Ecclesia Cathedrali neque ex consuetudine neque ex designatione Episcopi præbendæ canonicales habeant adnexum ordinem sacrum? Hoc in casu quoad ætatem requisitam servandum est jus aliis beneficiis ecclesiasticis commune, ita ut sufficiat ætas 14 annorum; jus autem hoc temperandum est juxta dispositionem Clem. 2. h. t. de qua supra vidimus, ita nempe ut non habeat vocem in capitulo qui saltem Subdiaconus non sit. Hinc proposito dubio in s. Congr. Conc. utrum Clericus qui ætate annor. 18 assecutus fuerat canonicatum in Cathedrali *Ovetensi*, in qua distributio facta non fuerat præbendarum in presbyterales, diaconales etc. privandus esset canonicatu ex eo quod ætatem competentem non haberet qua infra annum promoveri posset ad subdiaconatum, responsum prodiit: *Negative.* Quod responsum refert *Fagnanus* com. ad c. 7. *de Elect.* n. 71. Ratio est quia in casu, nondum peracta præbendarum distributione, locum habere non poterat lex Tridentini.

6. Quoad Canonicatus Ecclesiarum Collegiatarum nihil speciale statutum est in Tridentina Synodo, unde dispositione generali beneficiorum reguntur, idest ad canonicatum non sunt assumendi, qui nondum in anno 14. fuerint constituti; ceu etiam resolutum fuisse refert *Fagnanus* in loco cit. nn. 84. et 85. a. s. Congr. Concilii. Ceterum ex Clem. 2. h. t. qui in Ecclesiis collegiatis mancipati sunt divino servitio nisi saltem constituti sint in subdiaconatus ordine, voce careat in Capitulo.

7. Circa *pensiones* quæ dantur ex fructibus Beneficiorum ætas determinata non est; sed ex Const. *S. Pii V.* quæ incipit '*Sacrosanctum*' et ex alia Constit. *Sixti V.* quæ incipit '*Cum Sacrosanctam*' requiruntur ut nonnisi Clericus idest tonsura initiatus consequi possit talem pensionem. Hinc requiritur ætas necessaria ad tonsuram suscipiendam.

8. Si *quæratur* à quonam possit *dispensari* in ætatis defectu, respondendum est, non dari in jure peculiarem dispositionem expressam, qua facultas hæc dispensandi tribuatur Episcopis. Hinc ea competit solummodo Rom. Pontifici, qui jure communi Superior est. Quod insuper deducitur ex speciali dispositione quæ Episcoporum ætatem respicit. Namque Clerici 30. anni ætate minores non possunt in Episcopos eligi, sed solummodo postulari possunt a Rom. Pontifice qui dispenset super impedimento ætatis. Quid vero si per dispensationem alicui conferatur Beneficium ante legitimam ætatem? Ex sententia cap. 2. h. t. non laicis, sed Clericis committenda est administratio beneficii usque dum ad legitimam ætatem pervenerit Clericus.

9. Quæstio proponitur de ordine requisito in promovendis ad beneficia et ministeria ecclesiastica. 1m. Principium, determinatum in c. 7. *de Rescriptis*, (I. 3), est ut nullum beneficium etiam simplex illis conferatur, qui saltem prima tonsura initiati non sint. Hæc regula traditur etiam in capp. 1. 3. et 5. *De Cleric. Conjug.* (III. 3). Quæ regula ipsas pensiones ecclesiasticas respicit juxta cit. Const. *s. Pii V.* et *Sixti V.* Quod si aliquando etiam laici admittuntur, ut participent de fructibus beneficiorum, id ex speciali dispensatione Summi Pontificis solummodo contingere potest. — 2m. Principium est ut beneficia simplicia in genere non exigant nisi primam tonsuram: cap. 'Ex literis' *de Transact.* (I. 36) et c. 2. *de Instit.* (III. 7) et Const. *Sixti V. 'Cum sacrosanctam'*. Possunt vero habere ordines adnexos, ex fundatione, privilegio, consuetudine, vel statuto. 'Quædam vero', ait *Abbas* in §. «infer.» c. 7. *de Elect.*, (I. 6) est adnexio ordinis respectu aptitudinis, quædam vero est adnexio ordinis respectu actus'. Prima requirit ut tempore promotionis Clericus habeat ætatem qua possit ad ordinem requisitum promoveri: c. 29. *de Præb.* in 6°. (III. 4) et cap. 8. eod. In secundo casu quando adnexio est respectu actus requiritur absolute ut qui assumitur ad beneficium tempore promotionis habeat illum ordinem. Quoad secundum casum nihil est innovatum.

10. Quoad vero primum casum in Clem. 2. h. t. et in c. 4. sess. 22. *de Ref.* et c. 12. sess. 24. *de Ref.* constitutum est ut quando generice ad beneficium obtinendum aliquis sacer ordo requiritur, tunc sufficiat ut intra annum suscipiatur ordo ille. Quid vero dicendum si Clericus non receperit intra legitimum tempus ordinem suo beneficio adnexum? Generatim dicendum est contra

illos adesse pœnam privationis beneficii c. 1. h. t. et c. 7. §. «Inferiora» *de Elect.* (I. 6). Hæc vero pœna urget vel negligentes, vel contumaces; nam eos non tangit qui justo superveniente impedimento, infra annum ordinem, ad quem sunt arctati, recipere nequeant c. 35. *de Elect.* in 6⁰. et Clem. 2. h. t. Pariter annus incipit decurrere ab accepta pacifica possessione beneficii, vel ab eo tempore in quo Clericus promotus ad beneficium potuisset pacificam possessionem consequi, et per eum stetit quominus illam haberet. Qui annus debet esse integer, nec antequam totus elapsus sit, pœna applicari potest, quamvis prævideri posset promotum ad beneficium ordinem intra annum non fore suscepturum: cit. c. 35. *de Elect.* in 6⁰.

11. Quæritur, utrum pœna privationis sit *latæ*, an *ferendæ* sententiæ. Antiquo jure expresso in c. 7. *de Elect.* § 'Inferiora' privatio beneficii perficiebatur per judicis sententiam. Verba sunt *'ab illo removeantur beneficio'*. Hinc referens illud jus *Greg. X.* in c. 14. *de Elect.* in 6⁰. addit, fuisse necessariam præviam admonitionem ad privationem illam decernendam. Verum quoad promotos ad beneficia *curam animarum* adnexam habentia res mutata est a *Greg. X.* in cit. c. 14. *de Elect.* in 6⁰. ubi statuit, præterlapso anno a tempore commissi officii privari ipso jure ab eodem officio et absque prævia monitione illum qui ordinem presbyteratus non suscepit. Cum vero in hoc capite solummodo mentio fiat de ecclesiis parochialibus, sequitur nihil esse mutatum circa alia beneficia quæ ordinem sacrum requirunt. Porro quod de parochialibus ecclesiis dicitur, etiam de Vicariis perpetuis dicendum est; quemadmodum aperte eruitur ex Clem. un. *de Offic. Vicar.* (I. 7).

12. Alia etiam pœna contra negligentem in sacerdotii receptione a *Bonifacio VIII.* in eod. c. 35. *de Elect.* in 6⁰. statuitur. Ut nempe clericus privatus de beneficio non possit pro ea vice etiam suscepto sacerdotio assumi ad idem beneficium. Hoc vero non excludit, eum posse deinde in aliis vacationibus illud consequi. — Quod si vero aliquis non sacerdos officium parochiale assumeret absque proposito suscipiendi infra annum ordinem presbyteratus et eo fine ut fructus perciperet per annum, dimissurus beneficium post annum a capta possessione, tenetur ad fructus restituendos. Ita in cap. cit. 35. *de Elect.* in 6⁰.

13. Quæritur, in quo ordine debeant reperiri qui sunt promovendi ad beneficia *non simplicia*. Et primo quidem si sermo

sit de S. R. E. Cardinalibus, quoniam sacrum Collegium componitur ex Cardinalibus Episcopis, Presbyteris et Diaconis; hinc dignitati Cardinalatus adnexus est Ordo vel Episcopalis vel Presbyteralis vel Diaconatus. Quare juxta regulam generalem pro Cardinalibus sufficit, ut quisque intra annum suscipiat Ordinem proprio gradui adnexum. Verum ex Const. *Pii IV.* '*In eligendis*' §. «Statuimus». 25. data 7. Idib. Octob. an. 1562. et ex Const. *Gregorii XV.* '*Decet Rom. Pontificem*' § «Porro», data 4. Idib. Martii 1621. Cardinales, qui saltem in Diaconatus ordine constituti non sint, voce activa ad eligendum Rom. Pontificem privantur.

14. Ante *Innocentium III.* et Conc. Later. IV. ut quis eligeretur in Episcopum, Diaconus saltem esse debebat; quia constitui non posse videbatur in supremo hierarchiæ gradu, qui nec in infimo ejusdem gradu reperiebatur. Hinc Subdiaconi postulari tantummodo poterant. Sed cum Subdiaconis eædem injungerentur obligationes, quas habent Diaconi, visum erat jam pluribus Doctoribus ut eadem quoad electionem jura subdiaconis tribuerentur quæ Diaconis competebant. Cui etiam accedebat ratio; quod nempe subdiaconatus jam fuerat ab *Urbano II.* in decretali relata a *Gratiano* in c. 11. D. 32. sacris ordinibus aliquo modo comparatus. Hinc quæstionem dirimens *Innoc. III.* in Conc. *Lateran. IV.* statuit, Subdiaconum posse eligi in Episcopum. Hæc Innocentii decisio refertur in c. 9. h. t. Ex decreto autem Conc. Trid. in sess. 22. c. 2. *de Ref.* qui eligitur in Episcopum debuit saltem per semestre sese exercuisse laudabiliter in ministerio ordinis sacri. Ideoque hodie non sufficit ordo Subdiaconatus receptus, sed requiritur ut promovendus in Episcopum fuerit per semestre in eodem saltem sacro ordine constitutus et laudabiliter versatus. Quod de Episcopis dictum est, applicari etiam debet Archiepiscopis, Primatibus et Patriarchis, eo quia quoad episcopalem characterem omnes isti sunt æquales. Porro qui ex Subdiacono eligitur in Episcopum, debet ante consecrationem promoveri ad Diaconatus et Presbyteratus ordines; arg. c. «Quoniam» D. 75. Vetera autem documenta quæ post electionem Subdiaconi in Episcopum loquuntur de consecratione episcopali, intelligenda sunt ita ut non excludantur ordinationes intermediæ. Hinc in antiquis S. Sedis Bullis confirmationis Subdiaconorum in Episcopos hæc expressio habebatur '*postquam ad s. Diaconatus et Presbyteratus ordines promoveri te feceris*'.

Hæc clausula etiam in actuali disciplina apponitur, quando S. Sedes aliquem Subdiaconum ad Episcopatum promovet.

15. Quoad Prælaturas inferiores, idest quoad Abbatias c. 5. D. 93. in quo refertur decisio *s. Silvestri* in Synodo Romana abbatem nominat post omnes Ecclesiæ ordines. Ex quo deduci potest nullo ordine fuisse insignitos Abbates. Licet hic canon ab aliis diversimode referatur, tamen dici potest illum exhibere primitivam disciplinam monachorum, qua nec monachi nec Abbas clerici erant. Verum post legem Concilii *Pictaviensis* in c. 1. h. t. relatam Abbas debet esse Presbyter. Quod etiam probatur ex potestate quam habet conferendi ordines minores. Nam in c. 11. h. t. *Innoc. III.* agnoscit hanc potestatem in Abbate, dummodo fuerit Sacerdos et ab Episcopo benedictus. Quod si vero sermo sit de Abbatibus mere titularibus, quibus cura animarum adnexa non est, nec habent forum pœnitentiale aut jurisdictionale, sed reducuntur ad vacuam dignitatem, idest personatum, tenendum est, hasce Abbatias esse sub dispositione generali dignitatum in cap. 12. sess. 24. *de Ref.* Conc. Trid. vi cujus sufficit ætas 22 annor. completorum, ac proinde ordinem presbyteratus non requirere.

16. Archidiaconatus jure communi in c. 1. h. t. exposito adnexum habet ordinem Diaconatus, sed ubi primum locum obtinet post pontificalem dignitatem, solet conferri cum clausula ut promotus infra annum ordinem presbyteratus suscipiat.

17. Decani, Præpositi et Archipresbyteri ex c. 1. h. t., quia censebantur adnexam habere curam animarum, tenebantur ad ordinem sacerdotalem suscipiendum. Verum ubi curam animarum adnexam non habeant, nec ex dispositione aliqua adnexam habeant ordinem sacrum, videntur comprehendi in lege Tridentina cap. 12. sess. 24. *de Ref.* quæ statuit, ad dignitates recipiendas sufficere annum ætatis 22. quæ ætas excludit necessitatem ordinis sacerdotii. Quod et fuisse a s. Congr. Conc. probatum refert *Fagnanus com.* in c. 1. h. t. n. 5. Ordo vero Subdiaconatus requiritur saltem, ut habeant vocem in Capitulo ex Clem. 2. h. t. et ex Conc. Tridentino sess. 22. c. 4. *de Ref.* Qui ad curam animarum assumebantur ex c. 8. *de Præb.* (III. 4.) in 6^{0}. videntur fuisse antiquitus, qui in s. Ordinibus idest saltem in subdiaconatu erant constituti. Quod clarius deducitur ex c. 5. h. t. in quo constituti in minoribus ordinibus dicuntur assumptos fuisse ad regendas parochiales ecclesias

solummodo dispensative. Verum ex dispositione Tridentini c. 12. sess. 24. *de Ref.* sufficit ut quis sit in clericali ordine constitutus et saltem annum 25. ætatis suæ attigerit, et habilis sit juxta c. 14. et 35. *De Elect.* (I. 6) *in 6⁰.* ut infra annum ad Presbyteratum promoveatur. Hinc teste *Fagnano com.* in c. 5. h. t. n. 8. in praxi parochiales ecclesiæ conferuntur etiam clerico qui fuerit in prima tonsura solummodo initiatus, dummodo tamen habilis sit, ut infra annum, dispensatis interstitiis, promoveatur ad Sacerdotium.

18. Tandem de ordine requisito in canonicatibus et beneficiis sive ecclesiæ cathedralis sive ecclesiæ collegiatæ, ea repetenda sunt quæ superius juxta Clem. 2. h. t. et cap. 12. sess. 24. *de Ref.* in C. Trid. exposuimus quando egimus de ætate requisita iisdem canonicatibus vel beneficiis. Et hæc satis sint de ordine præficiendorum.

19. De qualitate præficiendorum nonnulla sunt enucleanda. Recolendum est principium traditum in c. 22. *de Elect.* (I. 6) electionem nempe indigni ipso jure esse irritam, quamvis requiratur judicis sententia declarans indignitatem revera in persona electa verificari. Quæ dispositio fulcitur cap. 29. *de Præb.* (III. 5) et cap. 2. sess. 7. *de Ref.* in Tridentino. Ut quis ad beneficium vel ad ministerium ecclesiasticum promoveatur, requiruntur qualitates scientiæ competentis et morum honestas, de quibus sermo est in c. 7. *de Elect.* et cap. 2. sess. 22. *de Ref.* necnon capp. 1. et 12. sess. 24 *de Ref.* in Tridentino; immunitas a censuris, et irregularitatibus, necnon juxta c. 16. *de accusation.* (V. 1) etiam ab infamia; quæque communes sunt generatim omnibus beneficiis.

20. In specie quoad *scientiam* hæc præ oculis habenda sunt. Et 1⁰. quidem in cit. sess. 22. c. 2. de promovendo ad *Episcopatum* decernitur: 'Antea in Universitate Studiorum magister sive doctor aut licentiatus in sacra theologia vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si regularis fuerit, a superioribus suæ religionis similem fidem habeat'. 2⁰. *Vicarius Capitularis* constituatur «qui saltem in jure canonico sit Doctor vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit, idoneus,» Tridentinum in sess. 24. *de Ref.* c. 16. — Secundum decisiones S. C. Concilii iteratas Vic. Capitularis eligendus est Doctor vel saltem Licentiatus in *jure canonico,* non in s. theologia; S. C. C. in *Asten.,* d. 11. Jul. 1626,

in *Oriolen.*, d. 24. Mart. 1627, in *Capuana,* d. 19. Jun. 1636 etc., idemque promotus in aliqua Universitate publica auctoritate Pontificia erecta, non sufficit laureatus ex gratia vel privilegio; S. C. C. in *Elesina,* d. 21. Febr. 1682. Quæritur denique utrum existentibus doctoribus in capitulo possit etiam «alias idoneus» elegi in Vic. Capitularem? Negative, nam «existentibus doctoribus vel licentiatis in capitulo, *necessario* unum ex illis in vicarium esse eligendum, alioquin deputationem ad Metropolitanum devolvi. Sed si in capitulo tales non adsint, sufficere ut unus eligatur, qui sit, quantum fieri poterit, idoneus»; S. C. Concilii, d. 14. Febr. 1594 apud *Garcia:* de *beneficiis,* t. I., c. VII. n. 9—11. — Plura habes in tit. XXVIII. h. l. n. 51. 3°. De *Archidiaconis* agit Tridentinum in sess. 24. cap. 12 *de Ref.* statuens: 'Archidiaconi sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri potest, magistri in theologia, seu doctores aut licentiati in jure canonico'. De scientia requisita in *Vic. Generali* conferatur tit. XXVIII. n. 26. 4°. Pro *Dignitatibus* omni cura et jurisdictione carentibus Lauream doctoralem *de jure* non requiri, S. C. Conc. in *Nolan.*, d. 30. Maji 1891, respondit secundum decisionem in *Nuscan.*, d. 14. Julii 1884, etiamsi Dataria apponat clausulam «Infra annum lauream doctoralem suscipere tenearis». 5°. De *Præbenda theologali:* Tridentinum in sess. 5. c. 1. *de Ref.* decernit, eam esse conferendam personæ idoneæ, quæ per seipsam munus explere possit, ita ut aliter facta provisio nulla sit et invalida, cfr. etiam sess. 24. c. 8. *de Ref.* Quoad Canonicum *Pœnitentiarium* Tridentinum eodem c. 8. decernit ut ille instituatur, qui, 'magister sit vel Doctor aut licentiatus in theologia aut jure canonico et annorum 40 seu alius qui aptior pro loci qualitate reperiatur'. — *Benedictus XIII.* vero in Const. '*Pastoralis*' diei 14. Kal. Junii 1725. pro Italia et insulis adjacentibus statuit, eandem præbendam conferendam esse doctori in s. theologia, vel ei qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat, quam dispositionem ad canonicum quoque Pœnitentiarium extendit. — Tandem quoad scientiam præ oculis habenda sunt quæ Tridentinum tradit in sess. 24. c. 12. circa medietatem *de Ref.* scilicet 'Hortatur . . . . ut ubi commode fieri potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico'. Hæc dicta sint de qualitatibus generalibus.

21. Præter generales requiruntur etiam qualitates peculiares, quæ cuique beneficio in specie adnexæ sunt, quæque ex dispositione Tridentini c. 5. sess. 25. *de Ref.* servanda præcipiuntur. Hæ qualitates possunt esse adnexæ ex lege fundationis beneficii, vel ex Capituli constitutionibus. Quæ peculiares qualitates 1°. poterunt respicere ordinem peculiarem. Hinc indignus reputabitur ad beneficium obtinendum qui eo ordine caret. Possent 2°. scientiam respicere, ita ut reputetur indignus qui aliquo peculiari gradu academico non sit decoratus, vel Universitatis studiorum commendabili testimonio careat. 3°. Possunt qualitates respicere genus aut locum nativitatis personæ. Possunt enim consequi jus prælationis in aliquod beneficium cives alicujus pagi, aut determinatæ familiæ vel cœtus. Hæ qualitates secumferunt jus prælationis illorum, qui iisdem præditi sunt. Porro hæ qualitates in beneficiis non præsumuntur, sed probari debent. Agitur enim de re facti et odiosa; nam hæ qualitates limitant potestatem Ordinarii in collatione beneficiorum.

22. Quæstio nunc facienda est de comparatione *digni* ad *digniorem.* Utrum nempe juxta leges canonicas sustineatur electio digni simpliciter, spreto digniore, an electores, et qui promovent ad ecclesiasticas dignitates, teneantur eligere digniorem. Præmittendum est, in hac comparatione non inspiciendam esse unam aliamve qualitatem singillatim, ex. gr. scientiam et peritiam literarum solummodo, aut dignitatem personalem, sed omnes simul qualitates esse considerandas, quæ muniis beneficii rite obeundis respondent, Tridentinum in c. 18. sess. 24. *de Ref.* §. «Peracto». Hisce positis certum est antiquum jus relatum in c. 19. D. 63. et c. 45. C. 1. q. 1. et in c. 15. C. 8. q. 1. exigere ut optimus, præstantior, et sanctior et doctior assumatur. Quibus accedit c. un. *Ut ecclesiast. benef.* (III. 12) in quo persona magis idonea præscribitur eligenda. Nec minus clare loquitur Trid. in c. 1. sess. 24. *de Ref.* ubi expresse docet, omnes et singulos qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent, 'alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint . . . . præfici diligenter curaverint'. Quæ porro verba adeo generalia sunt ut non solum promovendis ad Episcopatum vel Cardinalitiam dignitatem, de quibus præcipue sermo est in eo capite, sed etiam applicari debeant aliis, et iis præsertim, qui assumuntur ad beneficium curam animarum ad-

nexam habens. Ergo stat firma obligatio eligendi digniorem præ digno simpliciter. Hæc autem obligatio eligendi digniorem præ digno sub pœna culpæ lethalis vere et proprie locum habet in beneficiis quæ vel culmina dignitatum constituunt, vel ad regimen animarum, quod ars artium dicitur in c. 14. h. t., referuntur.

23. Sed valetne electio personæ simpliciter dignæ neglecta digniore? In genere dicendum est, valere electionem hanc; nam canones reprobant ac irritum habent solummodo electionem indigni c. 22. *de Elect.* (I. 6.) —

24. Quid vero, si per concursum deferri debeat beneficium? Quando hoc medium eligitur ad beneficium conferendum, cum qualitatum experimentum fiat, censetur semper illi jus esse ad beneficium assequendum, qui aliis merito et qualitatibus præeminet. In jure tamen aliquid speciale est determinatum de electione per concursum ad parochialem ecclesiam. Etenim Conc. Trid. in c. 18. sess. 24. *de Ref.* cum voluerit eligi digniorem, in præelectione dignioris defert judicium Episcopo; qui ex approbatis ab examinatoribus synodalibus eligit, quem cæteris magis idoneum judicaverit. Circa quam dispositionem hæc animadvertenda sunt: 1°. non pertinere ad examinatores judicare quinam magis sit dignus et idoneus, sed ad Episcopum, vel sede vacante ad Vicarium ipsum Capitularem. Ita resolvit S. Congr. Conc. in responsione data Episcopo *Patavien.* an. 1573. et in causa *Elvensi* 1. Dec. an. 1736. In hac causa s. Congr. censuit, non posse Capitulum limitare jurisdictionem Vicarii Capitularis. 2°. Ita defertur Episcopo ut licet admitti possit appellatio ad tribunal superius contra judicium examinatorum, tamen, posita idoneitate electi cognita per examinatores, visum fuerit non posse appellari a judicio Episcopi, ceu refert *Fagnanus: com.* in c. 14. h. t. n. 53. At aliter tenendum et aliter resolvisse s. Congregationem Conc. refert *Fagnanus* cit. loco ob dispositionem Const. *s. Pii V.* quæ incipit *'In conferendis'* edita 15. Kal. April. 1567. In hac Const. s. Pontifex statuit ut si Episcopus minus habilem elegerit, posthabitis magis idoneis, possint magis idonei appellare ad Metropolitanum, vel si eligens est Metropolitanus vel exemptus ad Episcopum viciniorem ceu Sedis Apostolicæ delegatum, vel alias ad ipsam S. Sedem, et provocare novum examen. Hæc vero appellatio facienda est intra decem dies a collatione beneficii parochialis. Inde facta non valet. Insuper ea servatur in devolutivo et non in suspensivo; idest non impedit quominus electus ab Episcopo pendente ju-

dicio appellationis quoadusque non fuerit rejectus possit parœciam administrare. Ita in Const. '*Cum illud*' *Bened. XIV.* diei 14. Dec. 1742. In qua insuper decernitur ut examen in scripto fiat, et in gradu appellationis novum non conficiatur examen, sed ad tribunal appellationis transmittantur acta prioris examinis. Quare ex dictis in collatione præbendæ per concursum conceditur appellatio tum a judicio examinatorum, tum a mala prælatione Episcopi.

Titulus XV.

De sacra Unctione.

1. Quoniam in ordinatione ad Sacerdotium, et ad Episcopatum, sacra unctione utatur Ecclesia, hinc post titulos præcedentes, in quibus de sacris ministris assumendis sermo est, exhibetur titulus præsens. *Innoc. III.* in decretali epistola missa forsitan Archiepiscopo Trinonitano, Primati totius Bulgariæ, quæ a *B. Raymundo* refertur in c. un. h. t. tradit in Episcopis supplendam esse sacram unctionem in capite et in manibus, si in eorundem consecratione hæc duplex unctio omissa fuerit ex consuetudine Ecclesiæ orientalis. Rationem affert, quia hæc unctio de præcepto *divino* est, et a catholica Ecclesia ex *Apostolorum* exemplo servatur.

Contra Innocentium maximi ponderis difficultas oritur ex græca liturgia; græca enim Ecclesia ab antiquis etiam temporibus usa non est unctione in consecrandis Episcopis, qui nihilominus semper habiti sunt ceu veri Episcopi. Ut purgetur Innocentius animadvertendum 1°. est, ipsum non dixisse sacram Unctionem esse materiam *essentialem* Consecrationis episcopalis; agnoscit enim Episcopum fuisse consecratum, et solummodo supplendam esse dicit sacram unctionem. Si invalidam reputavisset ordinationem, ex integro ritum renovari jussisset. 2°. Animadvertimus Innocentium secutum fuisse c. 1. D. 75. in Decr., qui canon tribuitur *Anacleto* R. P. qui unus ex primis Pontificibus fuit post Petrum. Jamvero hac in re fatemur *Innocentium* in errorem historicum lapsum fuisse. Nam decretum quod nomine Anacleti citat et quod desumptum est ex 2ª. epistola eidem Pontifici tributa, spurium est ac supposititium. Illa enim epistola cum aliis duabus quæ Anacleto adscribuntur inter *merces Isidorianas* rejicienda est, ceu docet *Labbeus* in nota marginali ad primam harum epistolarum. Isidorus namque Mer-

cator vel Peccator plures canones apocryphos in sua collectione refert, quos appingit uni vel alteri Pontifici; cum eisdem nullo modo tribui possint, et ex unitate styli et verborum usu unum communem insinuant auctorem; quem fuisse ipsum Isidorum eruditi homines arbitrantur. Verum licet fatendum sit Innocentium errore historico fuisse deceptum, cum tribuit Anacleto decretalem in c. 1. D. 75. relatam, tamen negandum non est, in Ecclesia Latina reapse antiquissimum esse ritum sacræ unctionis in consecratione Episcoporum, ceu refert auctor opusculi *De Operibus Cardinalib. Christi*, quod *S. Cypriano* inscribitur,*) et inter alios probat *Morinus: De S. Ordinat.* part. 3. exercit. 6. c. 2. 3⁰. At nisi rite intelliguntur alia verba, quæ præceptum *divinum* respiciunt, erroris suspicionem in materia doctrinali possunt ingerere. Sed hæc explicantur, si animadvertatur tum fictum Anacletum, tum Innocentium sese referre ad *Vetus* Testamentum, scilicet ad præceptum Domini in c. 28. Exod. expressum, quo statuebatur ut summi Sacerdotes sacra unctione in capite et in manibus linirentur. Ex quo intelligitur sub eo tantummodo sensu Innocentium divino præcepto episcopalem unctionem adscripsisse, quia nempe sacra sacerdotalis unctio fuit divina auctoritate penes Hebræos instituta. Quo sub sensu *Alexander III.* in c. 14. *de Decim.* (III. 30) docet decimas sacerdotibus debitas a Domino fuisse institutas, ac proinde prorsus præstandas esse. At cæremoniales ritus Veteris Testamenti fuerant instituti pro Hebræis, non vero pro Ecclesia Christi. Ergo ex verbis Innocentii non sequitur ipsum reputasse sacram unctionem ceu materiam essentialem et de jure divino servandam in Episcoporum consecratione.

2. Quoad ministrum episcopalis consecrationis tradit *Innocentius* eam perficiendam esse a tribus *Episcopis*. In hac re sensus est cc. 1. et 7. D. 64. necnon c. 2. D. 66. Hanc porro praxim adhibuit Ecclesia ceu usum disciplinarem, et non ad substantiam consecrationis. Quare consecratio ab uno tantum Episcopo facta valida est, quamvis nisi fiat ex indulto apostolico, sit illicita. Hanc quæstionem pertractat Bened. XIV. *de Syn. Diœc.* Lib. 13. c. 13. n. 4. seqq. ubi refert *s. Pium V.*, *Alex. VII.* et *Clem. XI.* indulsisse ut in regionibus in quibus tres Episcopi non possunt facile

---

*) Opusculum certe non est *S. Cypriani,* sed. sæc. 12. in lucem editum ab Arnoldo quodam; Permaneder: Bibliotheca Patristica, tom. II. §. 698.

simul convenire, consecratio Episcopi fieret ab uno tantum Episcopo, qui duos Abbates, vel duas Dignitates, aut saltem duos Presbyteros simplices adsistentes adhiberet.

3. Tandem sermonem instituens Innoc. in cit. loco de ministro *Confirmationis,* docet exemplo Apostolorum solos summos sacerdotes esse ministros hujus sacramenti; qua de re in c. 4. *de Consuet.* (I. 4) agens idem Innoc. ait confirmationem administratam a Presbyteris umbram quidem habere, sed non veritatem sacramenti. Hæc porro verba Innocentii sunt explicanda juxta sensum Conc. Trid. in cn. 3. sess. 7. in quo definivit ministros ordinarios sacræ Confirmationis esse *solos* Episcopos. Ex quo etiam eruitur Episcopos esse Presbyteris superiores. At hoc non excludit Presbyteros potestate delegata a Rom. Pontifice conferre posse hoc sacramentum. Et reapse *Bened. XIV. in Synod.* Lib. 7. c. 7. et 8. refert pluries datam fuisse delegationem Presbyteris præsertim pro sacris missionibus conferendi sacrum chrisma. Quare sensus Tridentinorum Patrum est, ut minister Sacramenti Confirmationis ordinarius sit Episcopus, qui habet potestatem propriam completam et expeditam, et presbyteri habent solum habilitatem ad delegationem habendam a Rom. Pontifice ut conferre possint hoc sacramentum.

4. Objicitur: potestas jurisdictionis delegari potest, non autem potestas ordinis. — Resp. In ipso charactere ordinis presbyteralis inest capacitas et habilitas ad obtinendam delegationem. Ergo non verificatur proprie dicta delegatio vi cujus quis vice alterius exercet potestatem quam ipse nullo modo haberet. In casu nostro dici potest ordinem presbyteratus habere radicaliter et in actu primo potentiam, carere autem virtute transeundi a potentia ad actum, idest exercendi ipsam potentiam, et hanc virtutem obtineri per delegationem.

Quibus positis optime explicatur Innocentius dicens ministros sacramenti Confirmationis esse solos summos sacerdotes idest Episcopos. Conferatur ad rem *Benedictus XIV.* loco cit.

Titulus XVI.
De sacramentis non iterandis.

1. Titulus præsertim agit de tribus Sacramentis, Baptismate scilicet, Confirmatione et Ordine, quæ cum ex vi ritus sacri creent in anima qualitatem et dispositionem seu capacitatem permanentem, idest imprimant characterem, iterari non possunt. Quemadmodum definitum est in decreto unionis in Conc. *Florentino* et in c. 9. sess. 7. Conc. *Tridentini*.

Præter culpam gravem ex iteratione Baptismi, baptizans et baptizatus necnon ministrans contrahunt irregularitatem ad ordines suscipiendos cap. 2. *de Apostat.* (V. 9), c. 10. C. 1. q. 7. et c. 118. *de Consecr.* D. 4. Ab ignorantibus hæc irregularitas non contrahitur. Cn. 117. *de Consecr.* D. 4. asserens «Bis ignoranter baptizati . . . secundum canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat», vim legis non habet, quia desumptus est ex Pœnitentiali Theodori. Ob paritatem rationis videretur pœna irregularitatis urgere etiam reiterantibus Confirmationem et Ordinem. Verum ex communi sententia contrarium tenendum est. Nam irregularitas in casu indueret naturam pœnæ, quæ proinde ex textu expresso desumenda et probanda est; c. 18. *de Sent. Excom.* (V. 11) in 6°.

2. Quid vero si fiat iteratio conditionata? Quoad irregularitatem doctores conveniunt eam non contrahi ex iteratione baptismi sub conditione, nisi *temere* id fiat, id est absque prævio prudenti examine utrum baptisma fuerit necne antea collatam, in quo casu controvertitur. Ceterum hæc irregularitas ex professo tractabitur in l. V. t. 9. «De Apostatis et reiterantibus baptisma».

Quoad vero *culpam* hæc quæstio ab alia dependet an liceat aliquando sacramenta *sub conditione* iterare. Si enim licet, nulla pœna aderit contra iterantes. Jamvero de baptismo regulam habemus in c. 2. *de baptismo,* (III. 42) quæ applicari poterit etiam Confirmationi et Ordini. Scilicet si prudens dubium occurrat an quis baptizatus fuerit vel non, sub conditionata forma erit baptizandus. Hoc vero prudens dubium vel versatur circa ipsam *existentiam* facti, an scilicet revera ritus externus positus fuerit; vel circa *modum* quo factum positum fuit, an scilicet omnia essentialia

adhibita fuerint. Porro circa exsistentiam facti unus testis sufficit, præsertim si se baptismum ministrasse testetur, dummodo nihil occurrat quod illius testimonio fidem detrahat, cc. 110. et 112. *de Consecr.* D. 4. et cap. 22. *de Testibus* (II. 20). Hanc materiam fuse tractat *Bened. XIV. de Syn.* L. 7. c. 6. Quid autem dicendum si aliqua pars ritus omissa fuerit? Si profecto omissa fuerit pars quæ est *substantialis,* ita ut ea non posita, sacramentum fuerit irritum, nullum dubium est, iterum esse conferendum sacramentum. Quod si vero omissa fuerit aliqua pars ritus, quæ sit solummodo *integralis,* valet principium propositum ab *Innocent.* in c. 1. h. t., «caute scilicet, implendum est, quod incaute fuerat prætermissum».

3. In c. 1. h. t. *Innocentius III.* duas «breviter» tractat quæstiones: «An permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum ad Ordinem Subdiaconatus fuerit assumptus?» «Si Confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus?» — Responsio Papæ ad utrumque communis est: «In talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum». Ex hac responsione sequi videtur: 1°. In ordinatione Subdiaconi manûs impositionem esse faciendam. Sed immerito prorsus; nam verba Pontificis generalia sunt eo modo, ut facile sic intelligi possint: «caute supplendum, *si quid* incaute fuerat prætermissum». — Sed etiam textus incuria librariorum videtur esse corruptus; nam *Innocentius IV.* ait veram literam hic habere *Diaconatus* pro «*Subdiaconatus*», prout etiam in duobus vetustioribus exemplaribus legi potest. — Tertiam difficultatis explanationem, ex c. 11. *de ætate, qualitate* etc. (I. 14) desumptam, tuetur Reiffenstuel: in h. t. nn. 6. et 9. —

Ex responsione c. 1. h. t. sequi videtur: 2°. In sacramento Confirmationis unctionem cum *balsamo* non pertinere ad essentiam hujus sacramenti. At hoc concludi solummodo posset, si Innocentius mandasset, ut solo balsamo ungeretur, in quo unctio olei jam facta erat; sed verba Pontificis facillime de supplendâ *tota* unctione intelliguntur, prætermissâ tamen iteratione rituum ante et post unctionem observandorum.

Ceterum animadvertit *Giraldi: Expositio Jur. Pont.* sect. 113. utique Ecclesiam non condemnasse opinionem eorum qui tenent

balsamum non esse materiam essentialem sacramenti Confirmationis, attamen collationem hujus sacramenti esse iterandam *sub conditione*, si fuerit in collatione adhibitum oleum absque balsamo. Ritus tamen omitti possunt, cfr. S. C. Inquisitionis responsum, d. 22. Junii 1892. Et ratio est, quia Patres omnes loquentes de Confirmationis sacramento, mentionem faciunt de balsamo adhibendo cum oleo. Idem eruitur ex omnibus Euchologiis et Ritualibus.

4. Explicandum nunc venit c. 3. h. t. Verba *Gregorii IX.* in c. 3. sunt hæc: «Presbyter et Diaconus cum ordinantur, manûs impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt. Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos, caute supplendum, quod per errorem exstitit prætermissum. — Suspensio autem manuum debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi». — In Ordinatione Diaconi una adhibetur manûs impositio, cum Episcopus in media Præfatione «manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando» (Pontif. Rom.). Quodsi hæc per errorem exstitit prætermissa, caute supplenda erit... temporibus Ordinationum canonicis. Hæc Gregorii IX. decretalis, cui consonat illa in c. 1. h. t., etiam nostris temporibus a S. Sede observatur id quod concludi potest ex responso S. C. Inquisitionis ad Vic. Apost. *Cochinchinæ Occidentalis*, d. 19. Aug. 1851 (Collectanea S. C. de Prop. Fide, n. 1199. apud *Gasparri:* d. s. *Ordinatione,* t. II. n. 1050). Dictus Vicarius Apostolicus sequentia exposuit: «Juxta jus canonicum in ordinatione presbyteri et diaconi impositio manuum fieri debet tactu corporali: quod si omissum fuisset, caute supplendum esset, quod per errorem omissum esset. Sed dubitatur: 1°. Utrum si facta fuerit impositio manuum sine *tactu corporali*, suppleri debeat impositio manuum *tactu corporali?* 2°. In quantum affirmative, an rumor publicus et mala fama, quæ inde eveniret ordinanti, præsertim in his regionibus, esset ratio sufficiens ad abstinendum ab hujusmodi impositione manuum iterata cum tactu corporali? 3°. Si suppleri debeat tactus corporalis, an iteranda sint verba, quæ simul ab episcopo proferuntur cum impositione manuum, præsertim in ordinatione diaconi, in qua verba: *Accipe Spiritum Sanctum* etc., videntur multis esse forma sacramenti? 4°. Utrum possit suppleri tactus ille corporalis privatim, quando hujusmodi ordines non conferuntur?» S. C. die 19. Aug. 1851 reposuit: «Ad 1um: affirmative. Ad 2um: negative. Ad 3um

affirmative. Ad 4um: affirmative et secreto in actione Missæ atque etiam extra tempora generalis ordinationis».

Si decisionem c. 3. h. t. rescriptique S. C. Inq. reducere volumus ad capita theologiæ dogmaticæ, dicendum est: Tres sunt theologorum sententiæ circa materiam essentialem Ordinis Diaconatus: prima ponit eam in manûs impositione sola, secunda in traditione libri Evangeliorum sola, tertia in utraque sc. in impositione et in traditione simul. Duæ priores sententiæ non exhibent difficultatem, quia aut Ordo demum confertur aut mera cæremonia suppletur. Quoad tertiam sententiam asserendum est: Ordinatio facta per traditionem libri Evangeliorum tamdiu subsistere quasi imperfecta, donec perficiatur suppleta manûs impositione. Ceterum prima sententia longe probatissima est; id quod concluditur cum ex praxi Ecclesiæ Romanæ antiqua et Ecclesiæ Græcæ etiam actuali, tum ex responsione S. C. Rituum ad archiepiscopum *Taurinensem*, d. 16. Junii 1837, in qua præscribit, ut traditio libri Evangeliorum omissa postea suppleatur. Arguitur nempe hic ex potestate S. C. *Rituum*. Nam si quæstio illa tetigisset jus divinum, hæc S. Congregatio non ipsa decidisset, sed ad tribunal S. Officii transmisisset. — Ergo ritus traditionis libri Evangeliorum pertinere videtur ad ambitum potestatis *Ecclesiasticæ*. —

Loquimur deinde de *Presbyteratu*.

In Ordinatione Presbyteri triplex adhibetur manuum impositio: *Prima* immediate post Litanias, cum Episcopus «simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive imponit, nihil dicens, id quod faciunt post eum omnes Sacerdotes qui adsunt;» *secunda* immediate post primam, cum Episcopus omnesque adstantes sacerdotes manus super ordinandum vel ordinandos suspensas tenent; *tertia* post communionem et immediate post symbolum Apostolicum recitatum, cum Pontifex . . . imponit ambas manus super capita singulorum . . . dicens cuilibet: «*Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris*» etc. — De qua ex his tribus loquitur ergo Gregorius IX? Facile concluditur hoc ex verbis ipsius Papæ; loquitur enim de impositione manûs 1. *tactu corporali* facienda, quæ est 2. ritus *ab Apostolis* introductus et distinguit hanc a *suspensione* manuum quæ fit cum effusione orationis super caput ordinandi. Ex his eruitur nullam aliam indicari a Gregorio IX. nisi primam; nam secunda non fit tactu corporali, tertia non est ritus

ab Apostolis introductus. — Si ergo prima tantum manuum impositio prætermissa fuit, prima tantum supplenda erit, id quod eruitur ex Responso S. Officii supra citato, d. 19. Aug. 1851. — Quoad difficultatem dogmaticam conferatur *Benedict. XIV.:* in Syn. Diœc. l. VIII. c. 10. — Gasparri: l. c. n. 1074.

5. Hic operæ pretium est adjungere decisionem S. P. *Leonis XIII.* circa Ordinationes Anglicanas i. e. Ordinationes ritu Eduardino, nempe ritu juxta ordinale a Rege Anglorum Eduardo VI. introductum, peractas. Habes hanc decisionem maximi momenti in Literis Apostolicis quæ incipiunt «*Apostolicæ curæ*», datis in forma Bullæ Idibus Septembr. 1896.

Si «Presbyter Anglicanus» desiderat promoveri ad sacerdotium Ecclesiæ Catholicæ, tota Ordinatio juxta ritum Pontificalis Romani debet eidem applicari idque sine ulla conditione; nam non agitur hic de Ordinationibus *validis* quibus fortasse ritus omissus esset supplendus, non de Ordinationibus *dubiis*, quæ sub conditione iterari deberent, sed Ordinationibus *nullis*. Sic enim Summus Pontifex solemni effatur judicio: *Itaque omnibus Pontificum Decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes, eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate Nostra, motu proprio certa scientia, pronunciamus et declaramus, Ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas.* Ratio autem nullitatis est secundum bullam ipsam «*defectus formæ et intentionis*». Nam decretum *Clementis XI.* circa Ordinationem cujusdam Jo. Clem. Gordonis, d. 17. Apr. 1704, «a defectu *traditionis instrumentorum* nihil momenti duxit; tunc enim præscriptum de more esset ut ordinatio sub *conditione* instauraretur;» quia manuum impositio utique aderat.

Titulus XVII.

De filiis Presbyterorum ordinandis vel non.

1. Quoniam ad ordines et ad beneficia promoveri debent idoneæ et honorabiles personæ, et quædam arceantur ob impedimentum irregularitatis; hinc B. Raymundus subjicit nonnullos titulos qui de irregularitatibus tractant. Cum vero de *criminibus* et eorum effectibus juridicis agat in Lib. V. in præsenti Lib. I. ex-

plicat solummodo irregularitates ex defectu, acturus de iis quæ oriuntur ex delicto in Lib. V.

Irregularitas est *'impedimentum canonicum, quod directe prohibet quominus quis licite ordines suscipiat, et in ordinibus jam susceptis ministret'*. Diximus 'directe'; nam cum beneficia instituta sint in Ecclesia, ut determinentur jura et officia Clericorum; hinc indirecte irregularitas constituit etiam impedimentum quoad beneficiorum assecutionem. Diximus deinde «licite»; nam irregularitas non inducit *invalidam* aut susceptionem aut exercitium ordinum. Ut rationabilitas hujus impedimenti innotescat præ oculis habenda est natura sacri ministerii. Siquidem officium ministrorum, ceu alias adnotavimus, debet esse in Ecclesia utile et honorabile; hinc ex utroque capite vel alterutro quidam arcentur ab ordinibus suscipiendis, et ab exercitio ordinum receptorum. — In præsenti titulo agitur de illis qui rejiciuntur ab Ordinibus, quia eorum opus non esset honorabile. Sunt vero qui irregulares dicuntur ex defectu *natalium;* nam licet in Decretalibus *Greg. IX. 'De Filiis Presbyterorum'* titulus inscribatur, tamen in *VI°. Decretalium* additur *'et aliis illegitime natis'*.

2. Ratione hujus defectus plures classes distinguuntur irregularium. Nam quamvis in genere omnes sub nomine illegitimorum veniant, qui non ex justis nuptiis orti sunt, tamen pro varietate concubinatus, varietas speciei distinguitur. 1°. Dicuntur illegitimi *naturales* qui nati sunt ex parentibus inter quos vel tempore conceptionis vel saltem nativitatis poterat consistere matrimonium christianum. Jure civili ille est filius naturalis qui natus est ex concubina quæ domi loco uxoris detinetur. 2°. Qui nati sunt ex matre certa, sed incerto patre eo quod mater commercium carnale cum pluribus habuit, dicuntur *nothi* vel *spurii*, vulgo *quæsiti* vel *manseres.* Dicuntur 3°. *adulterini* qui nati sunt ex duobus quorum unus vel ambo tempore generationis aut nativitatis filii conjuncti erant legitimo matrimonio cum alia persona. Inter illegitimos 4°. loco adnumerantur *incestuosi*, qui nempe nati sunt ex iis personis inter quas, ob impedimentum dirimens cognationis vel affinitatis (sc. non solum cognationis *naturalis* i. e. consanguinitatis, sed etiam spiritualis et legalis, item non solum *veræ* affinitatis, sed etiam quasi — affinitatis; S. C. Inq. d. 1. Aug. 1866), matrimonium esse non poterat. Tandem 5°. illegitime nati dicuntur *sacrilegi,* qui orti sunt ex commercio carnali illius personæ vel

illarum personarum, quæ vel ordinis majoris vel solemnis religiosæ professionis lege obstringebantur; cfr. de hac irregularitate l. IV. t. 17. «Qui filii sunt legitimi».

Cum titulus de filiis Presbyterorum loquatur, præcise comprehendit illegitimos sacrilegos. Qua in re vero animadvertendum est, sermonem non esse de filiis procreatis in legitimis nuptiis *ante* susceptos sacros ordines, nec comprehendere filios *græcorum* presbyterorum, qui etiam in latina ecclesia possunt ad ordines promoveri ex c. 6. *de Cleric. conjugat.* (III. 3). Loquitur ergo titulus de filiis presbyterorum latinorum post susceptos ordines progenitos. Quos inter comprehenduntur etiam procreati *post* susceptum ordinem sacrum cum uxore *legitime* ante ordines ducta, c. 14. h. t.

3. Porro curnam hi et alii illegitimi ab ordinibus arceantur, multiplex adsignatur ratio. 1°. Præcipua vero est quia eorum ministerium *honorabile* non censetur in societate christiana. Videntur enim ut adnotat Glossa in c. ult. h. t. in 6°. contraxisse maculam turpitudinis parentum, ita ut quodammodo per eosdem filios illegitimos perpetuetur memoria parentum qui sacrilegæ unionis macula sese fœdarunt, c. 16. h. t., Conc. Trid. sess. 25. c. 15. *de Ref.* Hinc in detestatione paternæ turpitudinis crimen parentum aliquo modo punitur etiam in filiis, ut magis quodammodo parentes ipsi puniantur. 2°. Cui rationi accedit etiam alia, nempe *periculum incontinentiæ* horum illegitimorum. Timetur enim ne filii parentum incontinentiam facile imitentur, quemadmodum non raro contingere solet.

4. Quæstio proponitur utrum illegitimis debeant accenseri infantes *expositi* et inventi, quique in hospitiis charitatis excipiuntur et educantur. Profecto non loquimur de illis, quos certe per authenticum testimonium constat ex legitimis nuptiis ortum habuisse, nec de aliis quos pariter certe constat extra matrimonium fuisse progenitos. Quæstio illos tantum attingit, quorum origo *incognita* est. Quidam auctores tuentur ipsos legitimos esse recensendos, et posse sine dispensatione ad ordines promoveri; tum quia jus nemini auferendum est nisi contra probetur, et macula illegitimitatis nulli est adscribenda nisi constet de ejus maculæ existentia; tum quia si admitteretur illegitimitas, præsupponerentur infantes ortum habuisse ex injustis nuptiis, idest ex crimine, quæ præsumptio irrationalis est. Crimina enim non præsumuntur sed probari debent. Verum contrariæ opinioni in tantum indulgetur, ut S. C. Concilii

in *Sulmonensi,* d. 22. Febr. 1710, *ad cautelam* dispensaverit et hæc dispensatio ad cautelam Urbis praxi retineatur. Et sane irregularitas ex defectu natalium, quæ inducta est in honorem ordinis clericalis, eo dirigitur ut status Clerici sit cognitus, nec suspicio oriatur in populo, aut inquisitio instituatur inter fideles circa originem et honestatem natalium sacerdotis vel ministri ecclesiastici. Hæc porro suspicio, hæc inquisitio sponte institueretur circa infantes expositos et incertæ originis. Hinc in curiis episcopalibus non sufficit ostendere legitimitatem negativam, qua nempe non constet aliquem esse illegitimum; sed electa est via *positiva,* ita ut ostendi debeat per documenta legitimitas ipsa idest nativitas ex justis nuptiis. Hinc illi, de quibus ignoratur legitimitas ceu irregulares probabiliter habentur. Cfr. Cardinalis *Petra: Comm.* ad Const. 22. *Sixti IV.* n. 2.

5. Porro defectus natalium sanari potest quattuor modis 1⁰. per subsequens Matrimonium, 2⁰. per legitimationem Principis, 3⁰. per professionem religiosam, 4⁰. per dispensationem legitimi Superioris. Primus modus est, cum vir et mulier ex quorum commercio ortus est filius, matrimonium juxta ecclesiasticam formam ineunt. Contractus hic fictione juris censetur retrotrahi ad tempora nativitatis filii, ita ut filius habeatur ceu natus ex legitimis nuptiis. Ut vero fictio juris locum obtineat, necesse est ut tempore conceptionis vel saltem nativitatis filii inter parentes consistere potuerint justæ nuptiæ. Ex quo patet per subsequens matrimonium legitimari posse et tolli defectum natalium solummodo pro filiis illegitimis naturalibus, non vero pro adulterinis, sacrilegis aliisque illegitime natis, ceu constat ex c. 6. *Qui Filii sint legitimi* (IV. 17). Immo quoad ipsos naturales, licet per subsequens matrimonium parentum legitimati fuerint, aut etiam per dispensationem apostolicam, tamen ex Bulla *Sixti V.* '*Postquam vero*' edita die 3. Decemb. 1586. §. 12. inhabiles perpetuo habentur ad obtinendam dignitatem *Cardinalatus.*

6. Secundus modus est legitimatio Principis, verum si perficiatur a principe laico, vim habet tantum quoad effectus civiles, non vero quoad spiritualia necnon quoad beneficia.

7. Tertius modus est per ingressum et professionem votorum solemnium in religione approbata, ex c. 1. h. t. et c. 1. D. 56. Quoad Religiosos Societatis Jesu ex Bulla *Greg. XIII.* '*Ascendente*' legitimantur ex votis simplicibus post novitiatum emissis. Verum

legitimatio hæc ex eod. cap. 1. h. t. est solummodo ad ordines suscipiendos, non vero ad prælaturas etiam regulares. Illegitimæ etiam mulieres non possunt eligi in Abbatissas vel Priorissas; arg. ex eodem cap. 1. h. t.

8. Quartus modus est dispensatio legitimi superioris, cum nempe a legitimo Superiore non conceditur pura et simpliciter legitimatio; sed sanatur defectus natalium ad aliquem effectum et ad aliquod jus obtinendum vel ad aliquem ordinem suscipiendum. Porro hæc dispensatio est strictæ interpretationis, censetur enim per eam infligi vulnus juri communi c. 1. h. t. in 6°. § fin. Hinc dispensatus ad ordines non censetur pure et simpliciter factus legitimus. Hinc ex Glossa ex c. 29. C. 7. q. 1. v. 'Solemnibus' non valet argumentum a simili ad simile, et a majori ad minus, nisi hoc minus in majori includatur. Quapropter dispensatus ad beneficium, potest unum tantum beneficium assequi dummodo sit sufficiens c. 1. §. «ille vero» h. t. in 6°. Nec per dispensationem irregularitatis ad beneficium intelligitur data facultas ad assequendum beneficium curatum vel dignitatem aut personatum vel etiam canonicatum ecclesiæ cathedralis arg. c. ult. h. t. et c. 4. *de Præb.* (III. 4) in 6°. Et ratio est, quia in materia odiosa sub nomine beneficii non comprehenduntur parochiale beneficium, canonicatus ecclesiæ cathedralis, personatus et dignitates quæ peculiarem excellentiam secumferunt. Cap. 22. *De Elect.* (I. 6) in 6°. Hinc etiam dispensatus ad ordines non censetur dispensatus ad beneficium obtinendum. Excipitur merito dispensatio ad ordines *majores,* in quibus requiritur titulus ordinationis, qui ex lege ordinaria est beneficium c. 6. h. t.

9. Quæritur quinam sit *superior* legitimus ut possit dispensare ab irregularitate ex defectu natalium. Si sermo sit de ordinibus majoribus suscipiendis, vel de dignitatibus, personatibus, aut de beneficiis curam animarum annexam habentibus, solus Pontifex Supremus dispensare potest auctoritate propria cap. ult. h. t. Dignitatibus et personatibus accensentur etiam canonicatus Ecclesiæ Cathedralis ob specialem prærogativam honoris; quibus ex c. 12. sess. 24. *de Ref.* in Tridentino, adnexus esse debet ordo sacer. Quare Doctores tenent quoad hos canonicatus cum illegitimis posse dispensare solummodo Rom. Pontificem.

Quoniam in dispensationibus super irregularitate ex defectu natalium S. Sedes soleat conditionem apponere 'dummodo paternæ

incontinentiæ imitator non sit', s. Congr. Concilii interrogata, in *Sarzanen.* diei 23. Decembr. 1596, respondit, huic conditioni satisfieri per Episcopum executorem inquirendo in moribus personæ, ita ut per integrum decennium persona probe et honeste vixerit, possit Episcopus delegatus rescriptum dispensationis executioni mandare, licet antea de incontinentiæ labe orator suspectus exstiterit. Et merito. Nam experientia laudabilis per decennium integrum constituit sufficiens argumentum pro futura honestate tuenda.

10. Si vero sermo sit de prima tonsura et de ordinibus minoribus ac de beneficiis non duplicibus, nec curam animarum adnexam habentibus, potest Episcopus aut Prælatus alius dispensare, qui jurisdictione quasi episcopali polleat, c. 1. h. t. in 6°. et arg. c. ult. h. t. cum Glossa ib. Non solum autem qui charactere episcopali munitur, sed etiam Abbas seu alius Prælatus dispensare potest; quia dispensatio est actus jurisdictionis, et Episcopo conceditur jus dispensandi ratione regiminis Ecclesiæ; quod competit etiam Abbati qui gaudet jurisdictione quasi episcopali, arg. c. 1. h. t. in 6°. Immo hoc jus dispensandi sede vacante in Capitulo et hodierno Tridentini jure in Vicario Capitulari residet; quia pertinet ad ordinariam Diœceseos administrationem, nec recensetur inter casus a jure reservatos vel prohibitos.

11. Verum in c. 1. h. t. in 6°. in hoc jure episcopali dispensationis limitatio aliqua facienda est quoad beneficia. Ait enim Pontifex 'dummodo *beneficium* sit tale super quo per ipsum Episcopum valeat dispensari'. Quæ verba, ut jacent, non ad defectum natalium referuntur, sed potius ad ipsum beneficium. Hinc limitatio potestatis episcopalis procedit ex qualitate speciali beneficii, ob quam Episcopus in defectu natalium dispensare non potest. Glossa in id. cap. duplicem casum affert: 1°. si agatur de beneficio quod a genitore illius, qui dispensationem exposcit, immediate possidebatur, capp. 10. et 11. h. t. — 2°. Si sermo sit de beneficio, quod ex lege fundationis vel privilegio aut consuetudine ordinem *sacrum* adnexum habeat, c. 6. *de Const.* (I. 2).

12. Occasione c. 6. sess. 24. *de Ref.* in Tridentino ubi datur Episcopo facultas dispensandi ab irregularitatibus omnibus provenientibus ex *delicto occulto,* excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario aliisque criminibus jam deductis ad forum contentiosum, quæritur an possit Episcopus dispensare cum illegitimitas ex defectu natalium est occulta, ad sacros ordines suscipiendos, et ad

assequenda beneficia curata, et dignitates vel personatus. Gravissimi auctores affirmativam sententiam tuentur ob eam præcipue rationem, quia irregularitas in casu procedit ex crimine occulto parentum, ac proinde est revera irregularitas ex crimine occulto. At contraria sententia melior est ac in praxi servanda. Non enim ultra fines a Tridentino statutos facultas extendi debet, nam privilegium continet quod est vulnus legis. Jamvero facultas Episcopo tributa respicit irregulares ex delicto, non vero ex defectu, prout sunt illegitime nati, qui nullam culpam admiserunt. Communis vero sententia Theologorum et Canonistarum semper hoc in sensu intellexit irregularitatem illegitime procreatorum. Insuper Concilium, ut ex sensu obvio patet, locutum est de macula irregularitatis ex crimine *proprio* contracta, non vero ex alieno. Nam loquitur de crimine quod posset ad forum contentiosum pertrahi. Contra vero crimen in hypothesi illegitime natorum deduci ad tribunal non posset. Non tenetur enim filius de paterno crimine coram judice respondere. Deinde criminis occulti specimen exhibens circa quod cadit exceptio facultatis episcopalis, Concilium affert homicidium voluntarium patratum ab ipsa persona quæ exinde facta est irregularis. Cfr. *Giraldi:* Expos. *Juris Pont.* p. 1. sect. 128.

13. Dispensatio super irregularitate ex defectu natalium illegitimorum, generaliter data sive a S. Sede sive ab Episcopo, intelligitur data super *quacunque* illegitimitate: vel naturali vel incestuosa vel adulterina vel sacrilega. Attamen in formulari dispensationis quo utitur S. Sedis, adhiberi solet clausula: nisi «orator sit *adulterinus*». Quare in supplici libello species illegitimatis exprimenda est necnon rationes quæ *talem* suadent dispensationem. Ceterum exempla non desunt dispensationis sive Episcopi sive S. Sedis super illegitimitate *adulterina.* — S. C. C. in *Gratianopolitan.* d. 19. Jan. 1884 — vel illegitimitate *sacrilega* — S. C. C. d. 9. Sept. 1882, qua in causa rescriptum sic se habet: Pro gratia dispensationis et habilitationis ad suscipiendos sacros ordines usque ad presbyteratum inclusive; ita tamen ut si commode fieri possit, orator post ordinationem transferatur in aliquam diœcesis partem, in quâ defectus penitus ignoretur».

14. *De successione filii sacerdotis in beneficium patris.* Et primo quidem de filiis *legitimis* presbyterorum. In c. 7. sess. 25 *de Ref.* Tridentinum refert odiosa esse sacris constitutionibus in beneficiis ecclesiasticis ea quæ hæreditariæ successionis imaginem

referunt. In hisce verbis Tridentinum licet non expresse et distincte, videtur tamen reprobare concessiones beneficiorum quæ redolent successionem *hæreditariam* quemadmodum esset, si filius patri in beneficio succederet. Sed expressius hæc res traditur in capp. 10., 11. et 13. h. t. In c. 1. vero *de Præb.* (III. 5) dicitur in bonis Ecclesiæ non succedi jure sanguinis. Ex quibus capitibus eruitur principium, quod nempe filius non possit proxime consequi et immediate succedere beneficio quod pater ejus habuit; beneficio nempe quod vacavit vel morte vel renuntiatione patris. Hinc non prohibetur 1°. successio *mediata*, si videlicet alia persona beneficium post patrem possederit c. 7. h. t. Quod jus a Tridentino non fuit correctum. Hinc 2°. in eadem Ecclesia pater et filius legitimus possunt habere *distincta* beneficia, c. 12. h. t. Potest 3°. pater succedere immediate filio suo legitimo in beneficio sine ulla dispensatione. S. Congr. C., d. 22. Decem. 1594. Cfr. *Bened. XIV.: De Syn. Diœc.* L. 13. c. 24. n. 15. Quoad vero nepotes, vivente eorum patre videntur posse succedere immediate avo suo in beneficio, secus si præmortuus fuerit eorum pater. Ratio est quia in priori casu cessat ratio successionis, viget vero in secundo casu.

15. De filiis *illegitimis* in relatione ad Ecclesias vel beneficia parentum. — Vetita est uti vidimus immediata successio filii legitimi in beneficium patris ut evitetur in bonis ecclesiæ imago successionis hæreditariæ, et juris sanguinis observantia. A quibus relationibus merito abhorret Ecclesia; nam Dei vocatio in ordinibus, et in beneficiis vel ministeriis ecclesiasticis idoneitas servanda est. At cum sermo sit de assumendis filiis illegitimis sacerdotum vel ministrorum, aliud principium adoptatur a sacris canonibus. Idest ut paternæ incontinentiæ memoria ab Ecclesiis Deo consecratis, quas maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur. Trid. sess. 25. c. 15. *de Ref.* Hinc ex c. 15. h. t. filius illegitimus, licet ad ordines suscipiendos dispensationem retinuerit, tamen præbendam in ecclesia ubi pater est canonicus, consequi nequit. Concordat c. 16. eod. Immo in c. 2. eod. filius presbyteri licet obtinuerit ex literis apostolicis concessionem ut esset Capellanus in Ecclesia ubi pater ministravit, removendus est, idest literæ apostolicæ præsumuntur obreptitiæ vel subreptitiæ. Excipiuntur vero legitimati per subsequens matrimonium. Isti enim ex sensu cap. 6. *Qui filii sint legitimi* (IV. 17) veniunt sub appella-

tione filiorum qui nati sunt ex legitimo matrimonio. Cfr. *Fagnanum Comm.* ad Cap. «Ad extirpandas» h. t. num. 33.

16. Synodus vero Tridentina in cit. loc. sess. 25. *de Ref.* hasce dispositiones juris communis ampliat et melius explicat. Ex verbis vero Tridentini tria consequuntur: 1°. filios clericorum illegitimos in ecclesiis in quibus patres habent vel habuerunt ecclesiasticum *beneficium,* obtinere non posse quodcumque etiam dissimile beneficium; 2°. immo nec in iisdem ecclesiis quoquo modo *ministrare;* 3°. nec habere posse *pensionem* super fructibus beneficiorum quæ parentes eorum obtinent vel obtinuerunt. Ex tenore ejusdem capitis eruitur dispositionem Synodi respicere non solum filios presbyterorum, sed etiam eorum qui tantum Clerici sunt et beneficium in ecclesia possident. Immo ex declaratione s. Congr. Conc. relata a *Garcia* p. 7. *de Benef.* c. 3. n. 15. sub eadem dispositione comprehenduntur non solum filii progeniti in clericatu, sed etiam illegitimi progeniti ante clericatum. Quare dispositio respicit omnes filios illegitimos clericorum quamvis ad ordines suscipiendos dispensationem juridicam fuerint assequuti. Hanc etiam dispositionem Tridentinam explicans S. Congr. Conc. resolvit 1°. per eam prohiberi etiam *mediatam* successionem filii in beneficium patris: annis 1589. et 1608. — 2°. nec posse *audire confessiones* in ecclesia, ubi pater parochus fuit, et demortuus est: In *Oritana* diei 4. Julii 1645. — 3°. Filius illegitimus non potest fieri *rector* ecclesiæ *filialis* et dependentis illius ecclesiæ matricis, cujus pater rector fuit: quemadmodum resolutum fuisse a s. Cong. Conc. refert *Fagnanus comm.* ad cap. 11. h. t. n. 34. Cfr. *Bened. XIV. De Syn. L. 13. c. 24.* Quibus positis quamvis Episcopus aut alius Prælatus jurisdictione quasi episcopali gaudens possit dispensare cum illegitime natis ad ordines minores suscipiendos, et ad obtinenda beneficia simplicia, non potuit tamen dispensare cum illegitime natis ut assequerentur beneficium paternum vel pensionem in sensu exposito, quia contraria prohibitio pendet a jure communi. Præ oculis etiam haberi debet Const. *Greg. XIV.* quæ incipit *'Circumspecta'* quæ prohibet quominus illegitimus possit recipi in ordine religioso in quo pater ejus adhuc vivit. Tandem animadverti debet, prohibitiones canonicas in præsenti materia non egredi ipsas personas parentum et filiorum. Quare nepotes legitimi nati ex filio illegitimo clerici non comprehenduntur in cit. decreto sess. 25. cap. 15. Conc. Trid. *de Ref.* Ita resolvit s. Congr. Conc. in causa *Tricaricen.* diei 23. Jan. an. 1610.

Titulus XVIII.

De servis non ordinandis et eorum manumissione.

1. Servitus a servando derivat, quia servi dicebantur illi qui capti in bello dum potuissent perimi, servabantur. In genere servire dicitur qui operam suam ad alterius arbitrium præstare debet. In stricto vero sensu, prout accipiebantur inter Romanos, Instit. *De jure person.* §. «Servitus», servi sunt, qui dominio alieno contra naturam, constitutione juris, subjiciuntur. Servitus quæ erat juxta leges romanas, et procedebat vel ex nativitate, vel ex captivitate, nempe ex bello, vel ex venditione, quum nempe quis major 20 annor. ad pretium recipiendum se venumdari patiebatur, revera dici poterat contra naturam; nam servorum nulla erat conditio et status, nec ullum proprie dictum jus habebant. Hinc servi non considerabantur uti personæ, sed uti res. Et in dominio Romanorum quemadmodum variæ rerum possessarum classes secernebantur, ita hisce classibus recensebantur servi. E contra cum ingenui et liberi homines in varias classes dividerentur vel ratione status, vel ratione honoris et familiarum, servorum nulla erat divisio; quia servis nullum jus erat. Hinc poterant noxæ dari, et aliquando potuerunt etiam occidi. Quare servitus mortalitati fere comparabatur. L. «servitutem» *ff. de Reg. Jur.* Hic excessus lapsu temporis prohibitus est, non tamen quia servis aliquod jus datum sit, verum solummodo, quia civibus impositus est modus, et rationabilis usus rerum suarum.

2. Qui conceptus servitutis naturæ hominis aperte repugnat. Hunc conceptum reformare aggressa est christiana Religio. Ipsi enim Apostoli docuerunt in Christo omnes esse æquales, nec distingui gentiles et Judæos, liberos et servos; Deumque divitem esse in omnes qui invocant illum. Hinc etiam cum designantur in prædicatione apostolica obligationes servorum, describuntur etiam obligationes dominorum erga servos. Hinc servi incœperunt fieri capaces jurium, et assequi propriam personalitatem.

3. Verum non potuit illico religio abolere servitutem, ne ob peculiarem educationem et mores servorum, nec non ob numerum eorundem, et ob relationem extensam et veluti substantialem cum proprietate civium, et publici regiminis administratione, turbaretur ipsa societas, et servi libertate gaudentes non haberent unde viverent. At privilegia invexit ecclesia et excitamenta adhibuit,

quibus sensim sine sensu servitus fere disparuit. At ubi etiam perseveravit servitus, ea sub influxu religionis, non amplius retinuit conceptum pristinæ servitutis Romanorum. Servi enim et habuerunt propria jura, et ex sacramentorum susceptione facti sunt capaces vitæ æternæ. Quo in sensu servitus non repugnat naturæ. Attamen est semper status humiliationis et servorum est vilis conditio. Hinc ecclesia non omnia jura potuit servis concedere, et eos ab ordinibus arcet tamquam irregulares, idest servitus est species irregularitatis. Indecorum enim est ut qui in conditione servili detinetur ad fastigium ordinis sacerdotalis promoveatur, c. 21. D. 54. et c. 1. h. t. Aliqui addunt etiam rationem ex læsione juris quam paterentur domini, si ab eis auferentur servi et manciparentur divino servitio. At hæc ratio est potius ex conceptu juris romani, non undequaque in hac re probandi.

4. Irregularitas ex servili conditione est ut servi ordinari non possint insciis aut invitis dominis suis cap. 2. h. t. Hæc juris dispositio est etiam quoad ordines minores. Verum consentientibus dominis ordinari possunt servi, immo servi ordinati ex consensu domini libertatem eo ipso consequuntur. Qui enim in servo permittit officium clericale, censetur etiam velle consequens, seu conditionem necessarium ad status decentiam. Quemadmodum qui servum hæredem instituit, censetur illum manumittere: Inst. *Quibus causis manumittere* etc. §. idemque juris. Dominus vero consentire potest pure et simpliciter, vel etiam reservare potest sibi spirituales operas a servo post ordinationem præstandas, c. 4. h. t. Quæ reservatio etiam ab ecclesiis fieri potest si filios servorum suorum ordinaverint, ut sibi in officiis divinis famulatum præstent. Quo in casu non licet ordinatis se ad alias ecclesias transferre; licet vero, si in ordinatione manumittenti ecclesiæ non fuerint obligati, cap. 6. h. t. Si quæratur qui consensus domini requiratur, dicendum est, in genere requiri expressum consensum. Nam in c. 12. D. 54. facultas dominorum pro servis suis ad ordines suscipiendos sub scripturæ testimonio vel per legitimam transactionem danda præscribitur. Verum sufficit etiam consensus tacitus. Hinc si dominus videns servum ordinari, cum posset reclamare et impedire si vellet ordinationem, taceat et silentio suo permittat ordinari, censetur consentire et cedere juri suo c. 20. D. 54. Porro hic domini consensus ad ordines suscipiendos locum tenet manumissionis; nam manumissio in titulo nostro non exprimit illum ri-

tum legitimum quo jure romano servi a dominica potestate solvebantur; sed solummodo significat concessionem libertatis, qua obtenta servi ad ordines possunt promoveri.

5. Quid vero si servus domino ignorante vel contradicente ordines susceperit? Si susceperit ordines *minores* solummodo, et dominus illum sibi vindicet, debet eidem restitui, ac in pristinam revertitur servitutem c. 2. h. t.; quod caput cum generice de ordinibus loquatur intelligi potest et debet etiam de servis ad ordines minores promotis præsertim ex juris concordantia, ex. gr. cc. 9. et 10. D. 54. Quod si vero servus ordines *sacros* susceperit, iterum distinguendum est; si sacerdos ordinatus fuerit, vel susceperit *dia*conatum aut *sub*diaconatum *sciente* Episcopo, Episcopus tenetur duos æquales servos restituere aut æquivalens pretium domino servi ordinati solvere. Servus autem ordinatus efficitur liber et in ministerio perseverat c. 19. D. 54. Canon loquitur de promotis ad sacerdotium et diaconatum; attamen valet dispositio etiam pro subdiaconatis; nam *Innocent. III.* c. 7. h. t. hac in re æquiparat Subdiaconos Diaconis, et Subdiaconatum sacrum ordinem esse dicit. Si vero servus fugiens a domino *deceperit* Episcopum se jactans esse liberum et ad Subdiaconatum vel Diaconatum sese fecerit promoveri, alium servum vicarium loco sui præstabit, aut ex suo peculio si quid habet, tenetur sui pretium domino solvere, atque ita se redimere. Quod si ordinatus servus peculio careat, nec habeat unde redimi possit, instante domino deponendus est, et inde restitui eidem domino debet c. 9. D. 54. et cap. 2. h. t. Si tandem ad *Presbyteratum* fuerit promotus, deponi non potest; sed exspoliatur peculio suo quod domino traditur c. 9. D. 54. Quod si careat peculio, domino suo præstabit opera spiritualia, idest mysteriorum celebrationem c. 10. D. 54.

6. Animadverti autem debet aliquibus in locis in usu esse speciem servitutis aliquantisper distinctæ servitute antiqua romani juris, eamque consistere in obligatione personæ præstandi personalem operam in agro colendo. Qui hac obligatione tenentur dicuntur servi *adscriptitii* vel servi glebæ. De hisce servis meminit *Benedictus XIV.: De Syn. Diœc.* Lib. 9. cap. 11. n. 5. *Engel* autem h. t. n. 6. docet præscriptiones canonicas quoad irregularitatem ad hosce etiam servos extendendas esse. Ex jure enim civili locali servi hujusmodi dominis operas suas præstare tenentur.

Titulus XIX.

De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non.

1. Sunt quædam munia quæ vel directe respiciunt ipsam rempublicam, vel sub juris tutela ita custodiuntur, ut qui ea occupat et exercet, teneatur et juridice cogi possit ad rationem reddendum negotiorum gestorum. Obligati ergo ad ratiocinia dicuntur qui generalem aliquam administrationem exercent, vel exercuerunt, ex qua dominis principalibus rationes reddere tenentur. Tales sunt procuratores, actores seu syndaci, executores ultimarum voluntatum, tutores pupillorum, et curatores minorum. Hi omnes repelluntur ab ordinibus suscipiendis nisi antea officium dimiserint, rationes reddiderint, ac plenam liberationem a dominis principalibus obtinuerint. c. un. h. t. Quibus ob paritatem rationis accensendi sunt publici conductores vectigalium c. 1. et 2. *Ne Clerici vel Monachi*. (III. 50) et generatim qui publicam administrationem gerunt, et rationes reddere tenentur.

2. Ratio hujus ecclesiasticæ præscriptionis multiplex est. 1°. quidem, ut ait caput cit., nec ecclesia infametur. Periculum siquidem esset ne obligatus ad ratiocinia posset suam administrationem congruis probationibus fulcire, et macula infamiæ forsitan in sacrum ministrum injiceretur, quæ in dedecus vergeret clericalis ordinis. 2°. facile aperitur via fraudi et abusibus. Obligatus enim possit facile statum clericalem assumere, ut dominum principalem ad forum privilegiatum pertraheret; immo ut contra ipsum objiceret privilegium competentiæ idest honestæ sustentationis ex cap. «Odoardus», 3. *De Solutionibus* (III. 23). Quare forsitan statum clericalem elegerunt non amore religionis, sed potius intuitu temporalis utilitatis. Hac vero in re Doctores optime animadvertunt prohibitionem, ne ad ordines assumantur, non sese extendere ad eos qui curam gerunt miserabilium aut ecclesiasticarum personarum, aut tutelam habent agnatorum suorum. Quare hi perseverantes in officio possunt ad ordines promoveri. Nam hujusmodi officia possunt cum ecclesiastico statu conciliari, et a Clericis exerceri, c. 26. D. 86.; c. 22. C. 16. q. 7.

3. Quod si vero aliquis obligatus ad ratiocinium inscientibus aut etiam contradicentibus creditoribus fuerit ordinatus, in officio

sacro perseverabit; nec deponendus erit, nec de jure suspensus est; cum in sacris canonibus hæc pœna nullibi statuatur; sed Episcopus ordinans si scienter fecerit, tenebitur ipse eo modo quo poterit indemnes reddere creditores; bona insuper si quæ sunt ordinati in solutum cedunt eisdem creditoribus, quæ nisi sufficiant, per cautionem eo modo quo fieri poterit providebitur ut saltem cum primum fas erit ordinatus satisfaciat suæ obligationi. Quod si vero obligatus ex malitia ad ordines se fecerit promoveri, arbitrio prudenti Episcopi pœnas solvat culpæ suæ. Quæ omnia in Glossa in cap. un. h. t. v. 'infamatur' declarantur. Judicium vero utrum ex simplicitate an ex malitia obligatus ad ratiocinia egerit, non a tribunali laico, sed a tribunali ecclesiastico proferetur, c. 12. *de sent. excom.* (V. 11) in 6⁰.

Titulus XX.

De corpore vitiatis ordinandis vel non.

1. Etiam vitium corporis, quod utile vel honorabile impediat opus ministerii constituit speciem irregularitatis ex defectu. Hic titulus distinguitur ab alio 'De Clerico ægrotante vel debilitato' in Lib. 3⁰. Nam titulus noster considerat infirmitatem vel defectum in relatione ad *exercitium ministerii ordinis*, ille vero considerat infirmitatem vel defectum in relatione ad beneficium ecclesiasticum, quod jam Clericus possidet. Vitium corporis triplex esse potest in sensu tituli; idest debilitatio, mutilatio, deformitas.

2. *Debilitatus* ille dicitur, qui licet nullo destituatur membro corporis sui, tamen unum aut alterum membrum ineptum habet et viribus carens ad exercendam actionem propriam. Hoc vitium dicebatur etiam ariditas. *Mutilati* illi appellantur qui aliquo membro principali et propriam actionem habente carent. Indifferens vero est, an a natura vel a causa alia procedat membri defectus. *Deformes* vero dicuntur qui aliquo defectu notabili laborant, ex quo graviter offenderetur decentia divini cultus, vel quia horror excitaretur aut risus, vel etiam quia admiratio et scandalum in populo oriretur. Pro exemplo afferuntur qui monstruosum gibbum gestant, qui nasum abscissum habent, vel sunt graviter claudicantes. Cum ministerium ecclesiasticum debeat esse utile et honorabile, tamquam regula practica consideranda est: Quicunque sacra munia,

præcipue s. Missam, peragere aut *omnino non* aut *non secure* aut *non decenter* aut *non rite* possunt, irregulares habendi sunt ex defectu corporis. Sic qui mutus omnino est, irregularitate laborat ex defectu corporis, quia formam sacramentorum e. gr. pronuntiare *nequit;* sic qui ex senectute vel infirmitate ita tremulus est ut magnum adsit periculum evertendi calicem, *non secure* agit, ergo irregularis est, similiter abstemius qui vinum haurire nequit absque periculo vomitus; *non decenter* deservire potest Domino, qui e. gr. carendo nares risum populi movet; tandem *non rite* qui ex debilitate corporis motus vel ritus in s. Sacrificio præscriptos peragere non valet; e. gr. genuflexiones, conversiones ad populum, qui stare nequit absque fulcimine; c. 59. D. 50. Quoad mutilatos duæ irregularitates sunt respiciendæ; una ex *defectu* corporis, altera ex *delicto* homicidii vel mutilationis. Si mutilatis regula superior applicari potest, semper sunt irregulares ex defectu corporis sive mutilatio fiebat cum culpa propria sive absque culpa. Si mutilati sub dicta regula non cadunt, non sunt irregulares nisi *delicto* mutilationis, de quo infra sub n. 7.

Quæ irregularitas non solum impedit susceptionem ordinum majorum, sed et *minorum* et *primæ tonsuræ;* quia in hodierna disciplina ordines minores non constituunt statum Clerici, sed considerantur ceu via et medium ad presbyteratum. In genere autem corpore vitiati in cit. c. 59. prohibentur applicari divinis ministeriis.

3. Qua in re distinguendum est, an agatur de eo qui ordines *suscepit,* vel de eo qui *nondum* promotus est ad ordines. Hinc enim alter arcetur prorsus ab ordinibus suscipiendis, primus vero privatur exercitio illius ministerii, quod ei impeditur ex contracto defectu: ita c. 2. *De Clerico ægrotante* (III. 6). Ratio prioris est: Qui non potest esse sacerdos, neque ad alios ordines inferiores promovendus est. Ita Doctores in re communi, et in specie *Garcia: De Benef.* part. 7. cap. 12. n. 28. ubi refert regulam hanc fuisse a S. Congr. Conc. firmatam. Ratio autem posterioris est quia agitur de jure jam quæsito tollendo, et per consequens restrictiva irregularitatis interpretatio adhibenda est. Quare si presbyter debilitetur in manu vel mutiletur in digitis, vel ob contractam deformitatem decens servitium altaris præstare nequeat, poterit confessiones audire et pœnitentes absolvere, baptizare et alia officia propria sacerdotum exequi. Unde etiam sequitur si dispensatio

debeat expostulari, eam esse exposcendam solummodo relate ad exercitium *illius* actus, qui a contracto defectu impeditur, non vero quoad alia officia ministerii sacri, quæ a defectu contracto non præpediuntur. Animadverti etiam potest, praxim S. Sedis esse. ut facilius dispensatio ab irregularitate quoad promotos, idest ab irregularitate superveniente post susceptum ordinem presbyteratus concedatur, quam quoad promovendos, licet agatur de eodem defectu. Si ordinatus jam clericus, e. gr. sacerdos, sentit se sacras functiones peragere aut omnino non aut non secure aut non decenter aut non rite jam posse, abstinere debet ab exercitio illorum munerum et deferre judicio Episcopi; secus crimen committeret ideoque absolutione indigeret, prout desumi potest ex rescripto S. C. C., d. 4. Maji 1878, in causa dispensationis ab irregularitate. —

4. Ex hac dispositione ultima et ex c. 2. h. t. inferunt Doctores *judicium* in dubio circa qualitatem defectus corporei, an videlicet irregularitatem inducat an non, ad *Episcopum* pertinere. In cap. enim 2. h. t. *Alexander III.* suffraganeis et Archiepiscopo Cantuariensi commisit officium inspiciendi, utrum macula in oculo electi cujusdam deformitatem induceret ministerii. Nec dicatur mandatum illud inquirendi naturam defectus valuisse pro illo casu speciali, nam cum relatum fuerit in corpore juris, induit indolem dispositionis juridicæ, ac proinde ordinariam Episcoporum facultatem respicit. Ad rem facit decretum s. Cong. Conc. *in Mexicana* 12. Julii 1721. relat. in Thesauro resolutionum tom. 2. pag. 15. et 41. Et quidem judicium in dubio irregularitatis pertinet ad Episcopum etiam quoad regulares quando agitur de promovendis ad ordines. Nam nullo jure cogitur Episcopus illum ordinare, quem judicat arcendum esse ab ordinibus ob vitium corporis. Aliter vero dicendum esse videtur, si de jam promoto agatur. Videlicet in dubio, judicium reservatum esse videtur Prælato regulari: arg. c. 3. *De Privil.* (V. 7) in 6^{0}.

5. Posita vero existentia defectus corporis super irregularitate inde orta solus Pontifex dispensat. Et ratio est, quia irregularitas inducta est a jure communi, circa quod Prælati summo Pontifice inferiores dispensare non possunt, nisi habeant delegatam potestatem quæ in casibus singulis Episcopis concedi solet his verbis: «Arbitrio et conscientiæ Episcopi cum facultate dispensandi et habilitandi oratorem facto verbo cum Sanctissimo». — Episcopi possunt etiam dispensare super irregularitate dubia sive quoad jus

sive quoad factum. Si postea existentia irregularitatis indubia apparet, dispensatio ab Ordinario — Episcopo, Capitulo sede vacante vel Vicario Capitulari — data sufficiens censetur, sed si non data fuit, petenda est via ordinaria. Vide *Gasparri: tractatus de s. Ordinatione,* t. I. n. 230.

6. Porro in dispensationibus concedendis S. Sedes præ oculis habet *qualitates* laudabiles *personæ* et *necessitatem* vel magnam *utilitatem* quæ ex ministerio ejusdem *Ecclesiæ* etiam particulari derivare potest. Inter qualitates recenseri solent: promptum ingenium vel saltem diligentia in studiis, mores egregii, vocatio indubia, deinde etiam status religiosus (S. C. C. d. 16. Dec. 1882), spes recuperandæ valetudinis fundata (S. C. C. in eadem causa et in *Augustana* d. 10. Sept. 1887). Solet autem cautelas, quibus et scandalum removeatur, et securitati exercitii sacri ministerii consultum sit, apponere. Ejusmodi cautelæ enumerantur: *assistentia* sive alterius sacerdotis sive saltem diaconi, S. C. Concilii in *Florentina,* d. 23. Aug. 1727, in aliâ, d. 4. Maji 1878, in *Ventimilien.,* d. 20. Aug. 1887 etc., celebratio in *Oratorio privato:* S. C. in causâ disp. super irreg., d. 20. Julii 1878 etc.; restringitur dispensatio ad certum tempus, sic in causâ d. 20. Julii 1878 «usquedum ingravescat morbus», vel in causâ diei 4. Maji 1878 «ad triennium et quatenus morbus non ingravescat». —

Hic operæ pretium est, ss. canonibus decisionibusque illustrare rem expositam. Præprimis semper distinguendum inter ordines *suscipiendos* et jam *susceptos,* dein inter ministerium *utile* et *honorabile.* Nunc de singulis corporis vitiis. —

Ob defectum sanitatis *totius* corporis irregulares sunt: 1°. *Epileptici.* Concessa est dispensatio nonnunquam a S. C. C., sed respiciebantur circumstantiæ: a) ut morbus contractus esset absque culpa, b) ne impetus epilepsiæ acciderent nisi *raro, leviter, nocturnoque* tempore, denique ut periculum irreverentiæ vel tædii quam maxime abesset; S. C. C. in *Volaterranâ,* d. 9. Jul. 1825, in *Treviren.,* d. 11. Jan. 1868, in *Tropien.* d. 26. Jan. 1878; in aliâ 29. Jan. 1881. —

2°. *Leprosi* ratione ministerii sive *utilis* sive *honorabilis;* cc. 3. et 4. *de clerico ægrotante* (III. 6); item toto corpore tremuli ratione regulæ supra indicatæ. —

3°. *Pygmæi* vel *nani,* qui nimis brevis staturæ sunt, præsertim si aliæ deformitates sunt adjunctæ, e. gr. caput enorme

S. C. C. in causâ diei 15. Jun. 1878 etiam *mensuram* oratoris expostulavit.

Si agitur de *singulis* membris, hæc sunt statuenda: I⁰. Quoad *oculos*. Duo semper sunt quærenda: a. Quid est de potentia visiva; b. quid de decentia. — Ratione potentiæ visivæ est irregularis, qui quæ legenda vel videnda sunt, etiam aliquo optico instrumento adjutus videre prout oportet, non potest, e. gr. divinum officium, cæremonias sacramentorum, ritum s. Missæ. Distinguendum hic semper est inter ordines susceptos et suscipiendos respectu dispensationis. Sacerdoti e. gr. pene cæco vel etiam cæco data est facultas celebrandi Missam B. M. V. votivam in *Florentina*, d. 23. April 1727. Econtra ordinando vel cæcitati proximo vel cæcutienti quidem, sed cum periculo cæcitatis plenæ, dispensatio denegabatur in *Neapolitana*, d. 13. Sept. 1814, licet cetera oratori faverent; in *Vercellen.*, d. 28. Jan. 1860, in *Colonien.*, d. 13. Sept. 1863. — Sed exempla non desunt, in quibus concedebatur dispensatio, licet potentia visiva esset maxime debilis, e. gr. in causâ irregularitatis, d. 15. Febr. 1879, ubi dextro oculo exstincto sinister maxime debilis erat, in alterâ, d. 16. Dec. 1882, ubi tamen convalescendi spes effulgebat; — in *Augustana*, d. 10. Sept. 1887. — Præter potentiam visivam in se respicienda semper est *decentia*. Quamobrem ille qui, licet omnia necessaria videre bene possit, tamen e. gr. habitu capitis admirationem excitat populi, irregularis censendus est. Inde — semota videndi potentiæ quæstione — irregularis est: 1⁰. saltem secundum communiorem sententiam, cui favet S. C. C. in *Florentina*, d. 19. April. 1823 et in *Hydruntina*, d. 21. Febr. 1824, qui caret oculo sinistro, *oculo canonis* dicto, non autem qui dextro caret; 2⁰. qui legere nequit nisi capite super Missale proclinato illudque vertens de verbo ad verbum; S. C. C., d. 17. Febr. 1879; 3⁰. ille «cui erutus est oculus», cn. 13. D. 55.; 4⁰. qui habet gravem maculam, ex c. 2. h. t. Strabo i. e. qui obliqua vel inæquali acie intuetur per se non est irregularis, nisi vitium est enorme.

II⁰. Quoad *auditum*. Surdus ambabus auribus semper irregularis est pro confessionibus audiendis. Quoad cetera officia distinguendum est inter surditatem supervenientem et antecedentem. Si superveniens est surditas, non adesse censetur irregularitas; secus, si antecedens est ita ut ordinandus ministri vocem non audiret. Data est dispensatio in *Trevirensi*, d. 27. Jan. 1855 usque ad presbyteratum inclusive, denegata est specialibus tamen de causis —

præter auditum etiam vox pene amissa erat idque ex lue venerea — in *Melphicten.*, d. 25. Jan. 1806. — Surdi *alterutra* aure non sunt irregulares; surdastri ad cautelam dispensantur ad ordines suscipiendos; cfr. A. S. S. IV. pg. 595.

III°. Quoad *loquelam*. Qui verba ad formam sacramentorum pertinentia pronuntiare nequit, irregularis est jure *divino*. Notabiliter *balbutienti* etiam exercitium ordinum jam susceptorum a S. C. C. non permittebatur in *Imolen.*, 14. Apr. 1852, a fortiori dispensatio recusari potest quoad ascensum ad ordines.

IV°. Quoad *extremitates superiores* (digitos, manus, brachia) cum c. ult. 7. h. t. distinguendum est — uti supra — inter ministerium *utile* et *honorabile*. Qui in digitis ita est debilitatus ut Eucharistiam frangere nequeat, merito irregularis censetur, arguitur ex c. 7. h. t. A fortiori qui mutilatus in digitis est, iterum a fortiori qui in alterutra manu (præcipue dextera) vel in alterutro brachio similiter deficit, irregularis est. Si adest fortasse vis ad utile ministerium sufficiens, tamen decentia semper respicienda manet. Exemplis novissimi quoque temporis tota res illustratur. S. Congregationem Concilii benignius agere cum jam ordinatis supra dictum est. Sacerdos regularis dispensatus erat super defectu duorum *digitorum* (digiti et medii) manus sinistræ, et cum pollicem quoque amitteret amputatione, novâ dispensatione, quâ indigebat, donatus est; S. C. C. in *Ord. Min. s. Francisci*, d. 15. Jul. 1893. Similiter in *Geruntina*, d. 26. Apr. 1788, ubi sacerdos *omnium* manus sinistræ digitorum expers erat. —

Si manus *sinistra* integra vel brachium sinistrum integrum deest. S. C. C. interdum dispensationem etiam ordinato recusavit, uti in *Mediolanen.*, d. 18. Apr. 1863, nonnunquam autem benigne concessit adhibitis tamen cautelis necessariis — celebratio in oratorio privato, cum assistentia, examen singulis annis — in *Ventimilien*, d. 20. Aug. 1887; in *Olomucen.*, d. 30. Maji 1891. Econtra S. C. Concilii severius agere solet, quando brachium, manus, digiti dexteri ministerio bene inservire nequeunt. «Non expedire» (dispensationem) respondit S. Congregatio in *Legionen.*, d. 15. Dec. 1888, ubi agebatur de juvene promovendo ad ordines, cujus brachium motu erat privatum.

S. C. Concilii autem in causâ dispens. super irregularitate diei 4. Maji 1878 sacerdoti, *perfecto brachii dexteri usu* destituto, rescripsit: «. . . Pro gratia dispensationis et rehabilitationis, arbi-

trio et conscientiæ Episcopi, dummodo celebret cum assistentia alterius Sacerdotis ad triennium et quatenus interea morbus non ingravescat».

V⁰. Quoad *pedes* decentia semper servari debet, licet stabilitas ad officia fortasse sufficiat. Quare irregularis est: 1⁰. Qui pedes habet nimis *distortos* vel aliter *male formatos* ita ut ejusmodi defectus ne talari quidem veste tegi valeat, licet bene incedere possit, 2⁰. qui *sine baculo* incedere aut stare nequit ex c. 57. D. 1. *de consecr.;* 3⁰. qui *multum claudicat* vel ex debilitate pedibus se dirigere nequit *rite* (in genuflexionibus, circulis etc.); S. C. C. in causâ diei 20. Jul. 1878; in *Mantuana,* d. 8. Maji 1886 ad cautelam; 4⁰. qui caret uno pede qui fortasse suppletur altero ligneo vel ex alia materia confecto. Super hoc defectu S. C. C. saltem quoad *promovendos* severe egit. Prostant 4 tantum exempla dispensationis: in *Mathelicen.,* d. 5. Maji 1866 clerico *professo:* in *Bergomen.,* d. 22. Sept. 1866 cum clausula «in exemplum non adducenda»; in *Andrien.,* d. 11. Dec. 1874; tamen in *Mediolanen.,* d. 14. Apr. 1894.

VI⁰. Quoad cetera corporis membra valent quæ usque modo sunt dicta respectu inprimis *decentiæ:* ita quoad faciem (valde maculatam), nasum (mutilatio, deformitas magni momenti), aures (mutilatio), labia, guttur, dorsum. *Gibbosi* si defectus est alicujus momenti, dispensandi sunt; e. gr. S. C in causâ d. 15. Jun. 1878, ubi et imago photographica gibbosi et mensura altitudinis requirebantur. Qui syphili (i. e. morbo «gallico») foris apparente laborant, dispensatione indigent *(Gasparri: de ordinatione,* t. I. n. 260); cum præter defectum integritatis etiam periculum tædii sit vitandum. — Notandum denique est, membrum artificiale per se nunquam amovere irregularitatem; requiri tamen uti conditionem dispensationis sine quâ non.

7. Quid vero si vitium seu defectus ex culpa contrahatur? Distinguendum est: Si vitium seu defectus propria culpa contractus ejusmodi est, ut eo impediatur sive utile sive honorabile ministerium, duplex adest irregularitas: una ex *defectu corporis,* altera ex *delicto mutilationis.* Sin autem utile vel honorabile ministerium non impeditur, irregularitas ex defectu corporis quidem deest, sed irreg. ex delicto mutilationis adesse potest; de hac posteriore vero sermo erit in l. V. t. 12. Pauca hic notamus: Qui immediate se mutilaverit vel se mutilari affectaverit absque justa causa, irregularis censendus est.

Item qui se periculo talis mutilationis absque justa causa exposuerit; arguitur ex cc. 7. et 8. *De homicidio* (V. 12). Non incurrit hanc irregularitatem qui illicitæ quidem rei operam dat, tamen non afferenti per se periculum mutilationis. Irregularitas ex delicto mutilationis semper incurritur sive factum criminosum sit notorium sive occultum; attamen si occultum est, potest Episcopus super irregularitate exinde contracta dispensare vi c. 6. sess. 24. *de Ref.* Conc. Tridentini; nam mutilatio revera homicidium non est. — Ex hisce dictis resolvantur casus: 1°. qui ex nativitate est eunuchus, vel factus est eunuchus in cunabulis irregularis non est c. 3. h. t. — 2°. Qui ex consilio medicorum genitalium sectionem passus fuerit, irregularis non est cc. 6. seqq. D. 55. et c. 5. h. t. — 3°. Si quis ex insidiis hostium vel ex malitia aliorum factus fuerit eunuchus irregularis non est c. 3. h. t. — Quid vero si quis ad sedandam libidinem, reputans se obsequium præstare Deo, virilia sibi amputaverit, vel fecerit amputari? Per se juxta c. 4. h. t. irregularitatem contrahit. Ratio est, quia ad sedandam libidinem alia remedia præsto sunt, nec licet personæ sævire in seipsam. Sed si agatur de eo qui jam sacerdos est, jus bonæ fidei illius aliquantisper parcit, et concedit facultatem Episcopo eundem admittendi per dispensationem ad officia sacerdotalia exercenda, excluso tamen altaris ministerio c. 4. h. t.

Titulus XXI.
De bigamis non ordinandis.

1. Ecclesia, quæ sine macula est, in electione suorum ministrorum non solum a defectu corporis et natalium abhorret, sed etiam declinat defectus illos qui oriuntur ex inspectione qualitatum et relationum supernaturalium, quæ in homine per sacramenta producuntur. Hinc cum matrimonium christianum institutum sit ad significandam unionem Christi cum Ecclesia effectam per Verbi Divini incarnationem, nisi adsit in matrimonio plena hæc significatio, defectus in eodem adesse censetur. Quare bigamia quæ unitati conjunctionis Christi cum Ecclesia aliquomodo adversatur, constituit defectum in persona, qui dicitur defectus significationis seu *sacramenti.* Quare bigamia gignit speciem irregularitatis ex defectu, et appellatur irregularitas ex defectu sacramenti.

Bigamia vi nominis non est aliud quam *successiva* reiteratio matrimonii, et bigamus est vir binorum conjugiorum. Dicitur vero

'successiva iteratio' ut a polygamia distinguatur, quæ lege evangelica absolute proscribitur.

2. Bigamia in *veram* distinguitur, *interpretativam* et *similitudinariam.* Vere et proprie dictus bigamus ille est, qui cum duabus mulieribus successive validum contraxit matrimonium, ac cum utraque consummavit. Ratum matrimonium non sufficit c. 5. h. t. Pariter matrimonium debet esse validum. Hinc qui eodem tempore plures retinet mulieres cum quibus matrimonii contractum ausus est celebrare, vere bigamus non est. Indifferens autem est sive quis duas uxores successive habuerit post baptismum, sive ante baptismum, sive unam ante et unam post baptismum habuerit. Bigamia enim semper locum habet cc. 2. et 3. D. 26. Et ratio est, quia, quemadmodum s. Augustinus in cit. can. 2. innuit, per baptismum remittuntur quidem peccata, non tollitur autem defectus sacramenti seu significationis, qui sequitur ex duplici matrimonio in infidelitate contracto et consummato. Nec obstat, matrimonium infidelitate contractum non esse sacramentum. Nam semper verum est in secundo matrimonio contracto et consummato deficere rationem significationis, quæ aliquo modo est etiam in matrimonio legitimo infidelium; cfr. c. 8. *de divortiis* (IV. 19) et c. 11. *de transactionibus* (I. 36) necnon Encyclicam S. P. *Leonis XIII.* «*Arcanum.*» d. 10. Febr. 1880., § «Attamen Naturalistæ».

3. *Interpretativa* bigamia, quæ fictione juris innititur, tunc obtinet cum quis reapse cum duabus non contraxit, sed interpretatione juris censetur contraxisse. Bigamus nempe interpretative dicitur 1°. qui matrimonium contraxit et consummavit cum *vidua* a priore viro suo carnaliter cognita, vel cum muliere ab alio *corrupta,* c. 2. D. 33. et c. 11. D. 34. — 2°. Qui duo matrimonia invalida, aut unum validum et aliud invalidum contraxit et consummavit; arg. c. 4. h. t. Et ratio est: quia licet hic vere bigamus non sit, propter defectum sacramenti, eo quod saltem unum matrimonium fuit invalidum; tamen bigamus est per *affectum* intentionis cum opere subsecuto. Scilicet quantum in se fuit, duo matrimonia voluit contrahere et consummare.*) — 3°. Tandem qui cum uxore sua ab alio per adulterium cognita maritali consuetudine vivit,

*) Notandum hic est: virum qui cum duabus vel pluribus mulieribus carnaliter quidem, sed non affectu *maritali* vivit, irregularitatem bigamiæ non incurrere, c. 6. h. t. —

id est scienter habet cum ea copulam carnalem; cit. c. 'Si cujus' 11. et 'Si laici' 12. D. 34.

4. Tandem *similitudinaria* bigamia inducta est ab auctoribus in similitudinem iterati conjugii, et locum habet cum aliquis vel obligatus voto solemni castitatis, vel constitutus in aliquo ordine majore attentat et consummat matrimonium; plura de hac «bigamia» inferius.

5. Quod bigamia vera irregularitatem pariat ad ordines patet primo ex Apostolo Paulo *1. Tim. III. 2.* qui ait 'oportet Episcopum irreprehensibilem esse, *unius* uxoris virum', et v. 12. 'Diaconi sint *unius* uxoris viri'. Quibus in verbis Paulus voluit excludere bigamiam, non vero polygamiam. Nam polygamia seu pluralitas simultanea uxorum lege evangelica Matth. XIX. 3. sqq. prohibetur non ministris sacris tantum, sed et ipsis fidelibus; ita ut non potuisset accenseri inter fideles qui Christi legem observabant, illi qui simul plures retinebant uxores. Cum ergo aliquid amplius pro sacris ministris requisivit Paulus, quam pro simpliciter fidelibus, dicendum est ipsum exclusisse a sacris ministeriis qui plures habuerant successive uxores. Sensus hujusmodi confirmatur ex eâdem *1. Tim.* V. 9., ubi agens Paulus de viduis eligendis ad ministerium in ecclesia, scribit: 'Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit *unius* viri uxor'. Ex sacris autem canonibus habemus cc. 1. 2. et 3. h. t. In c. 2. non solum bigamis ordinum susceptio interdicitur, sed etiam prohibetur susceptorum ordinum administratio. Præterea adducci possunt c. 2. D. 33. et c. 1. D. 34. Porro bigamia sive ante sive post baptismum locum habuerit, semper irregularitatem gignit. Nam, uti vidimus, bigamus est etiam ille qui sive duas habuit uxores ante baptismum, sive unam ante et aliam post baptismum. Concordat c. 'Si quis'. 13. D. 34. ubi *Innocentius* scribit 'in baptismo crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur, et quemadmodum filii geniti ante baptismum pro veris filiis habentur, ita et uxor pro vera habetur uxore'.

6. Sed et bigamia interpretativa irregularitatem inducit. Triplex autem est, uti vidimus, bigamiæ interpretativæ species. Quoad primam speciem probant c. 2. D. 33.; cc. 9., 10., 13., 15. D. 34.; c. 8. D. 50. De secunda specie bigamiæ et ejus effectu loquitur c. 4. h. t. cui adjiciendi sunt cc. 11. et 12. D. 34. quibus in canonibus sermo est etiam de tertia specie, idest de viro qui affectu et consuetudine maritali cohabitat cum uxore sua adultera. Sed

quæri potest curnam inducta sit hæc interpretativa bigamia tamquam impedimentum ad ordines, et quonam principio innitatur defectus ex quo enascitur irregularitas. In c. 5. h. t. res tota exponitur. Quæstio proponebatur *Innocentio III.* utrum esset bigamus vir ille qui contraxit et consummavit matrimonium cum vidua, quæ cum alio viro contraxerat jam matrimonium, sed illud *non consummaverat.* Innocentius respondet bigamum non esse. Ita autem ratiocinatur. Verba protoplasti 'hoc nunc os de ossibus meis et caro de carne mea etc.' nonnisi matrimonio consummato applicari possunt; quod matrimonium revera repræsentat unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem Verbi. Hæc vero unio tunc perfecte repræsentatur per matrimonium ratum et consummatum, quando celebratur inter unum et unicam unici, idest inter virum et virginem mulierem. Defectus autem hujus perfectæ repræsentationis locum habet, quoties vir vel viduam a priore viro suo cognitam, vel mulierem ab alio corruptam ducit et cognoscit. Nam hoc in casu mulier carnem suam divisit in plures, nec verificatur quod mulier sit os de ossibus et caro de carne viri sui. Ergo divisio carnis ex parte mulieris in plures viros in matrimonio, sive extra matrimonium, ratio est, cur vir, qui eam ducit, sit bigamus; ejus enim conjugium non refert imaginem perfectam typi, idest unionis Christi cum Ecclesia.

7. At adhuc explicatione indiget caput 5. Videtur enim Innocentius *sacramenti rationem non tribuere matrimonio rato.* Nam in matrimonio duo distinguit: consensum scilicet animorum et corporum commixtionem; primum docet repræsentare charitatem quæ consistit in spiritu inter Deum et animam justam; alteram vero significare unionem Christi cum ecclesia. Ex quo concludit matrimonium tantummodo ratum non pertinere ad illud designandum conjugium, quod per incarnationis mysterium inter Christum et Ecclesiam contractum est. Cum vero ratio sacramenti in matrimonio christiano in eo sita sit, ut repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, videtur Innocentius negare matrimonium solummodo ratum esse sacramentum.

Ut hanc difficultatem diluamus, animadvertimus: 1°. Innocentius alibi, sc. in c. 2. *de Translat. Episcop.* (I. 7), clare docuit matrimonium etiam ratum tantum ita indissolubile esse, ut non possit dissolvi nisi auctoritate *divina* Petro ejusque successoribus communicata. 2°. Hæc indissolubilitas necessario resultat, teste

ipso Innocentio III. in c. 7. *de divortiis* (IV. 19), ex ratione sacramenti matrimonii etiam rati tantum. 3⁰. Si Pontifex in c. 5. h. t. contendit «profecto conjugium illud quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum et Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum», hoc intelligi debet quoad perfectionem *secundam*, quæ consistit in operatione; nam conjugium inter Christum et Ecclesiam liberis abundat, cfr. Gal. IV. 27, nequit autem intelligi de perfectione *prima* quæ consistit in ipso rei esse. Irregularitas ergo ex bigamia secundum Innocentium III. adest tunc solum quando matrimonium alicujus deficit in repræsentanda secunda perfectione Incarnationis mysterii, cfr. S. *Thomam.:* S. Th. III. suppl. q. 42. a. 4. —

8. Quæritur an dari possit dispensatio in defectu bigamiæ. Quæstio principaliter proponitur de bigamia vera, quæ ex Apostoli præcepto, ceu adnotat summ. Pontifex in cap. 2. h. t. constituit impedimentum ad ordines præsertim majores suscipiendos. Affirmativa sententia tenenda est. Nam in sacris canonibus hujusmodi irregularitas juris *ecclesiastici* esse censetur. Præceptum vero Apostoli non inducit jus divinum, sed solummodo jus ecclesiasticum; est enim præceptum ex genere illorum præceptorum, quæ Apostoli ceu rectores Ecclesiæ jubebant pro ordinato decentique gubernio rerum spiritualium; quæque præcepta potestati Ecclesiæ subjiciuntur. Hæc conclusio confirmatur ex eodem loco Apostoli. Ibidem enim excludit percussores, et tamen ex dispensatione admittuntur ad ordines cc. 3. et 4: *De Cleric. percuss.* (V. 25).

9. Quæritur quinam dispensare possit ab irregularitate orta ex bigamia. Summus Pontifex in bigamia cujusvis speciei potest dispensare. Episcopi vero non possunt dispensare in bigamia vera et in interpretativa capp. 2. et 4. h. t. Hæc vero dispensatio ab Episcopis auctoritate propria dari non potest nec ad ordines minores, nec ad beneficium simplex consequendum. Nam de Episcopis in c. 59. D. 50. expresse dicitur 'non confidat quisque Pontificum bigamos divinis servituros applicare officiis', et in cap. un. h. t. in 6⁰. et in sess. 25. cap. 17. *de Ref.* in Tridentino bigamis non permittitur ministrare in minoribus Ordinibus. Cum igitur ex una parte in jure communi prohibita sit promotio illius qui vere aut interpretative bigamus est, ac ex altera parte nulla reperiatur data Episcopis dispensandi facultas, sequitur eosdem non

posse dispensare in utraque specie bigamiæ. Hæc conclusio firmatur ex resolutione s. Cong. Conc. in *Lancianen.* diei 21. Maji an. 1644., relata in Lib. Decretor. 17. pag. 821.

10. Pœna contra spernentes irregularitatem ex bigamia est ut ordinantes privati sint potestate ordinandi in posterum, ordinati vero arceantur ab usu et administratione ordinum susceptorum c. 2. et 4. h. t. Sed et contra bigamos adest pœna specialis indicta c. un. h. t. in 6°. Ibi enim hæc verba leguntur 'bigamos omni privilegio clericali declaramus esse nudatos: coërcitioni fori sæcularis addictos . . . . Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram et habitum clericalem'. Ut hæc verba intelligantur, sciendum est ex cap. un. *De Clericis conjug.* (III. 2) in 6°. clericum in minoribus ordinibus constitutum, si cum unica et virgine contraxerit, et habitum ac tonsuram deferat, gaudere privilegiis clericalibus fori et canonis. Hujusmodi dispositioni inhærens Concilium Tridentinum in sess. 23. *de Ref.* cap. 17. in fine statuit ut si deficiant clerici cælibes pro ministeriis exercendis ordinum minorum possint suffici etiam conjugati, dummodo isti bigami non sint, et tonsuram ac habitum clericalem gestantes Ecclesiæ alicui de mandato Episcopi inserviant. Quo posito si Clericus in minoribus constitutus fiat bigamus, ipso facto, idest per pœnam latæ sententiæ, spoliatur privilegiis fori et canonis, nec non sub pœna anathematis prohibetur deferre habitum et tonsuram. Nec ergo poterit Ecclesiis inservire in minorum Ordinum officiis.

Quod si vero Clericus in majoribus Ordinibus constitutus matrimonium attentet ac retineat mulierem tanquam uxorem, privilegia clericalis ordinis non amittit. Hæc nempe privilegia retinet quoadusque deferre habitum potest; quod ei conceditur quoadusque non degradatur; sed cogendus est ad mulierem illam dimittendam, adhibitis etiam pœnis contra clericos concubinarios statutis. Sed de hac re inferius in Lib. III.

11. Inter species bigamiæ a canonistis et theologis numeratur communissime bigamia similitudinaria, *S. Alphonsus* in *theol. morali:* l. VII. nn. 448—449. Est autem bigamia similitudinaria secundum illos doctores defectus proveniens ex matrimonio a solemniter professis vel in majoribus ordinatis attentato. Bigamia autem vocatur quia ejusmodi persona sacra *spirituali* quodam matrimonio ligata *carnale* matrimonium attentat. At nonnulli doctores, e. gr. *Gonzalez Tellez in comm. perpet.* ad c. 5. h t. n. 9. irregularitatem

quidem a talibus contrahi contendunt, sed illam inter irregularitates ex delicto amandant. — Sed quidquid contendunt doctores, irregularitas ex tali attentato *immediate* proveniens cum *certitudine* probari nequit. Diximus *immediate;* nam *mediate* irreg. in tali facinore locum habere potest: 1°. ex *infamia facti*, quando nempe publico hoc attentato fama in populo christiano amittebatur; 2°. ex delicto *mali usus Ordinis,* quando clericus in majoribus constitutus vel solemniter professus qui matrimonium attentando fit excommunicatus ipso facto, exercet Ordinem suum. Nemo enim ignorat ejusmodi clericum vel professum excommunicatione l. s. Episcopo reservata puniri a *Clemente V.* in Clem. un. *De Consanguinitate et Affinitate* (IV. 1) necnon a *Pio IX.* in Const. «*Apostolicæ Sedis*».

Diximus deinde *cum certitudine.* Nam præter pondus tot tantorumque auctorum loci ex jure canonico adducti non stricte probant. Provocant 1°. ad cc. 4. et 7. h. t.; immerito, nam in illis sermo est de bigamia *interpretativa.* — Provocant 2°. ad cc. 1. et 2. *Qui Clerici vel Voventes* (IV. 6). Agitur in c. 1. de Diacono qui alium Diaconum vulneravit et uxorem accepit. De quo scribit *Alexander III.* in c. 1. X (IV. 6) Episcopo Rhemen.: «*dispensative* poteris ei Diaconatûs officium reddere et si perfectæ vitæ et conversationis fuerit, eum in Presbyterum ordinare». In c. 2. ejusdem tit. (IV. 6) commendat idem Pontifex Episcopo Cenomanen., ut subdiaconum qui quandam sibi in conjugem copulavit, ad majores ordines promovere concedat, si ad monasticum ordinem transire voluerit; in minoribus autem tantum ministrare sinat, si in sæculo remaneat. — At quid certo concludi potest ex his cc. 1. et 2.? Irregularitas ex bigamia certo nequit concludi, nam si bigamus uterque esset, Episcopus cum ipsis omnino non posset dispensare, arguitur ex cc. 4. et 7. h. t. Sed neque ex verbo «*dispensative*» c. 1. potest quidquam concludi; nam *dispensatur* etiam cum «simplici fornicatione notatis»; qui absque dubio «irregularitatem non incurrerunt bigamiæ» ex c. 6. h. t. Item quoad c. 2. X (IV. 6); nam unde differentia illa inter vitam in religione et in sæculo; tolliturne ordine monastico irregularitas ex bigamia? Nequaquam, at tolli potest ingressu in religionem infamia facti. — Provocant 3°. ad c. 4. *de Clericis conjugatis* III. 3), ad c. 24. et 32. C. 27. q. 1., sed utrum merito, quisque qui locos inspexerit, intelliget. — Econtra argumenta pro sententia bigamiam similitudinariam negante non

sunt contemnenda: 1°. Antiquis doctoribus «prorsus incognita erat bigamia *similitudinaria*», ait *Van Espen* in *Jur. Eccl. Univers.:* p. 2. t. 10. cp. 2. n. 31.; revera *S. Thomas* necnon *S. Bonaventura*, quos scripsisse post *Alexandrum III.* et *Innocentium III.* constat, ejusmodi bigamiam non norunt. 2°. Omnes Corporis Juris Canonici loci huc pertinentes explicari etiam possunt, quando pro irregularitate excommunicatio vel suspensio statuitur cfr. c. 1. *de Clericis conjugatis* (III. 3) necnon Clem. un. *de Consang. et Aff.* (IV. 1). 3°. Episcopis jus tribuitur, non solum concedendi exercitium Ordinum jam susceptorum, sed etiam promovendi ad altiores gradus ex c. 4. *de Clericis conjug.* (III. 3) et cc. 1. et 2. *Qui Clerici vel Voventes* (IV. 6.) Sed si de bigamia ageretur, quomodo hoc jus Episcopis tribuitur, cum in bigamia Summus Pontifex ægre dispenset; cfr. cc. 1., 2., 3., 4., 7. h. t. 4°. Si naturam bigamiæ inspiciamus, conceptus bigamiæ nequit applicari matrimonio a Clerico majori vel solemniter Professo cum virgine attentato. Nam natura bigamiæ secundum *S. Bonaventuram* in IV. sent. d. 25. a. 2. q. 3. non in eo consistit quod vir *carnale* et «*spirituale*» matrimonium init, nam hoc posito omnes uxorati essent irregulares, sed in hoc quod *carnale* viri matrimonium aut vere aut fictione juris duplicatur vel multiplicatur; id quod in matrimonio ejusmodi Clerici vel Professi cum virgine attentato nequaquam verificatur. Unde apparet: irregularitatem ex bigamia *similitudinaria* non esse *certi*. sed valde dubii juris; quare applicari merito possunt principia de irregularitatibus dubii juris; cfr. *Gasparri:* tract. de *s. Ordinatione*, t. I. n. 394.

Titulus XXII.

De Clericis peregrinis.

1. Adest in Lib. II. titulus 29. de Clericis *peregrinantibus*. Verum titulus hujusmodi respicit clericos e-propria Diœcesi exeuntes in ordine ad causas *judiciales* tractandas; dum titulus noster considerat Clericos peregrinos relate ad *ordines* suscipiendos, vel ad exercitium ordinum jam susceptorum. Clericus peregrinus in sensu tituli est ille qui extraneus est a Diœcesi et vagus est vel ignotus.

2. Si quæratur utrum liceat Clericum peregrinum ad altiores ordines promovere; respondendum est negative. Nam certum in

jure est ordines esse conferendos a proprio Episcopo, vel de ejus licentia; prout tradit c. 4. h. t. et fusius expositum est in tit. *De tempor. Ordin. et Qualit. Ordin.* (I. 11).

3. Quid vero dicendum de usu et exercitio ordinum quos peregrinus asserat se recepisse? Cum non semel Clerici peregrini jactent se aliquos recepisse ordines quos non susceperunt vel sint innodati aliqua censura aut sint aliqua irregularitate affecti, ad præcavendos abusus statutum est Clericos peregrinos non posse admitti præsertim ad publicum ordinum exercitium nisi Episcopi proprii literas afferant *commendatitias.* Ita Trid. sess. 23. cap. 16. *de Ref.* et c. 3. h. t. Porro literæ commendatitiæ, seu testimoniales literæ continent attestationem Episcopi de ordine suscepto deque exemptione Clerici ab omni irregularitate et censura. Literæ hujusmodi quæ etiam *formatæ* dicuntur, quinque episcoporum sigillis, cum ageretur de Clericis *transmarinis,* munitæ esse debebant c. 1. h. t. Modo vero ab usu recessit rigor hujusmodi, et satis est, si in forma authentica testimonium afferatur proprii ordinarii. Ex cit. autem loco Tridentini lex generalis eruitur ut absque commendatitiis literis proprii ordinarii nullus Clericus peregrinus ab aliquo Episcopo admittatur ad divina celebranda et Sacramenta administranda. Ex quo patet defectum literarum commendatitiarum generaliter non posse suppleri per aliud medium probationis; nec per jusjurandum Clerici ipsius c. 2. h. t. Quod si vero Clericus testimoniales literas habuerit, sed casu vel per injuriam belli aut latronum amiserit, tunc per testes probare poterit existentiam earum. Testes autem confiteri debent se vidisse literas amissas, et Clericum sine malitia eas amisisse. Quod si nec testes adsint, per aliud idoneum medium poterit suppleri probatio c. 2. h. t. ex gr. per famam communem conjunctam cum bona conversatione seu cum testimonio bonæ vitæ clerici.

Peculiaris vero est dispositio c. 3. h. t. Pontifex enim cum necessitatem literarum testimonialium inculcet, aut alterius sufficientis probationis, ait, eum qui his caret, non esse admittendum, si presbyter sit, ad Missæ celebrationem in publico, posse autem admitti ad celebrandum in privato sacello si id postulet solum ex devotione peragere. Ratio est quia cum nemo præsumatur malus nisi probetur, cumque Clericus petat celebrare ob motivum pietatis tantum, seclusa qualibet spe lucri, et mali ambitus affectu

præsumitur clericus nolle decipere. — Porro necessitas præstandi literas testimoniales urget etiam Regulares. Nulli enim regulari Sacerdoti concedenda est facultas Missam celebrandi nisi habeat documenta in quibus ipsius Superior testetur sacerdotium ab eo susceptum nullaque censura irretitum aut affectum esse irregularitate. Ita S. Congr. S. Offic. in encyclicis literis diei 26. Jan. an. 1692. in quibus Episcopi, Vicarii Generales et Foranei admonentur ne etc.

4. Quod si quæstio exoriatur super veracitate vel authentia epistolarum testimonialium, judicium ab Episcopo est exposcendum. Hinc in Diœcesibus bene ordinatis non admittitur ad celebranda divina mysteria Clericus ignotus, nisi prius ejus literæ testimoniales recognitæ fuerint ab episcopali Curia. Quod verificatur etiam de Regularium ecclesiis intra Diœcesis limites existentibus. In quibus potest prohibere Episcopus ne incogniti sacerdotes sæculares admittantur ad S. Sacrificii celebrationem, nisi eorum literæ testimoniales fuerint recognitæ et approbatæ a Curia episcopali. S. Cong. Conc. die 17. Nov. 1594. Cfr. *Instit. 34. Benedicti XIV.*

5. Literas vero testimoniales Clericis ex justa causa petentibus Episcopi denegare non possunt, ceu etiam respondisse constat s. Congr. Conc. in causa *Signensi* 13. Septemb. 1749. Nec obstat Clericos promisisse Episcopo proprio obedientiam, nam subjectio sacerdotum Episcopo non adeo adstringit eosdem ut amittant omnino propriam voluntatem, quemadmodum contingit in Regularibus, qui votum obedientiæ nuncupantes, in jure censentur non habere 'nec velle nec nolle'. Quare debet adesse ratio legitima ut Episcopus literas testimoniales seu formatas deneget Clerico suo. Quæ ratio ex. gr. potest esse si Clericus in Diœcesi possideat beneficium residentiale, si assumpserit obligationes in re spirituali quas non adimpleverit, si ordinatus fuerit Clericus propter necessitatem alicujus Ecclesiæ. S. Congr. *in Amerina* 8. Maji 1756. et alia hujusmodi.

6. Huc spectat decretum S. C. Concilii, d. 22. Decembr. 1894, respectu commorationis peregrinorum clericorum sive sæcularium sive regularium in Urbe Roma quod incipit «Anteactis» et quod in parte legifera sic se habet Sanctissimus Dominus Noster *Leo PP. XIII.*, hæc quæ sequuntur per Sacram Concilii Congregationem præscripsit ac statuit:

1. Clerici et sacerdotes sæculares alienæ diœcesis aut etiam regulares extra claustra degentes nequibunt in posterum stabile

domicilium in Urbe statuere absque expressa venia Summi Pontificis per officium S. Congregationis Concilii impetranda.

2. Qui vero in præsens Romæ degunt, si nullo beneficii aut officii titulo ad residendum adstricti sunt, nec per diuturnam commorationem et tacitam aut expressam suorum Episcoporum licentiam domicilium Romæ acquisierint, post mensem a die hujus decreti elapsum ad suam diœcesim redire debebunt.

3. Nullus ex clericis et sacerdotibus alienæ diœcesis ad ecclesiasticum *officium*, quodcumque sit, aut ad aliud munus quod residentiam in Urbe requirat, eligi a quoquam in posterum poterit, nisi præter testimoniales commendatitias sui Episcopi literas exhibeat quoque veniam a Summo Pontifice jam obtentam Romæ manendi; itemque nemini *beneficium* conferetur, si assensum Ordinarii sui ad hoc non obtinuerit: atque aliter facta beneficii collatio nulla et irrita erit.

4. Qui ad *literarum scientiarum*que studiis operam dandam vel ad *honesta negotia* peragenda, vel ex alia justa causa in Urbe cum Ordinarii licentia versantur, statim ac temporaria hujusmodi causa cessaverit, vel a proprio Episcopo revocentur, ad propriam diœcesim redire debebunt, exclusa omni futili excusatione, ac præsertim, ob peculiarem diœcesium his temporibus conditionem, nullatenus eisdem suffragante exceptione sive ex susceptis studiis sive ex prætensa tenuitate sustentationis ab Episcopo oblatæ desumpta: quod si durante hac eorum commoratione in Urbe sese, uti decet, non gesserint, per Vicariatum Urbis propriis Ordinariis denunciabuntur, et ab Urbe discedere cogentur.

5. Quicumque denique, quolibet modo, præsentibus dispositionibus se non conformaverit, aut, quod Deus avertat, eisdem contraiverit, ipso facto *suspensioni* a divinis obnoxius fiet.

Ceterum Episcopi omnium clericorum suorum æque curam gerant, neque, uti sæpe dolendum, e sua diœcesi eos abire facile sinant qui seu vitæ ratione, seu aliis quibuscumque causis sese reprehensione dignos aut molestos exhibeant.

Hæc itaque omnia Sanctitas Sua ab omnibus ad quos spectat, custodiri et inviolabiliter servari mandavit, contrariis quibuscumque etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

TITULUS XXIII.

De officio Archidiaconi.

1. In Lib. 1. agitur de personis quæ sacram ecclesiasticam hierarchiam constituunt. Postquam actum est de modis quibus personæ hujusmodi in statu suo juridico coram Ecclesia constituuntur, et postquam actum est de qualitatibus sive positivis sive negativis personarum, quæ ad ecclesiasticam hierarchiam assumuntur, nunc de officio agendum est istarum personarum. Ut materia tituli et titulorum sequentium intelligatur, sunt præmittendæ quædam notiones generales.

2. Ex ecclesiastica institutione inductum est ut in Ecclesia præsertim Cathedrali, quæ habita est uti mater aliarum ecclesiarum Diœceseos, haberentur plures gradus personarum, ita ut personæ quo magis appropinquarent Episcopo, eo magis de ejus honore, jurisdictione et administratione participarent. Clerici in ecclesia Cathedrali inservientes ab Ecclesia ipsa congruam sustentationem obtinere debebant sive ex præbendis peculiaribus sive ex adsignatis portionibus fructuum bonorum Ecclesiæ. Porro inductum est, ut istis vel præbendis vel portionibus in Ecclesiis Cathedralibus adfixa esset dignitas, administratio, jurisdictio, uno verbo adfixæ essent qualitates ob quas personæ in gradu suo distinguerentur. Quare in ecclesiis præsertim Cathedralibus factum est ut distinguerentur Dignitates, Personatus, Officia. — *Dignitas* juxta canones nihil aliud erat nisi beneficium quod adnexam habebat aliquam *jurisdictionem et* aliquam *præeminentiam* honoris. *Personatus* erat beneficium cui solummodo *honoris prærogativa* adnexa erat, vi cujus persona inter alios clericos præcedentiam et honorem obtinebat. *Officium* autem nihil aliud erat nisi beneficium quod adnexam habebat aliquam *administrationem* sine honoris prærogativa et sine jurisdictione, quemadmodum antiquitus erat Sacrista et post Tridentinum sunt Canonicus Theologus et Canonicus Pœnitentiarius.

Jure Decretalium dignitates erant Archidiaconatus et Archipresbyteratus; personatus erat Primiceriatus; officium autem habebant Sacrista et Custos. Jure autem Tridentino Præbenda etiam theologalis et Præbenda pœnitentialis officium constituunt. — Sit primo loco:

3. De dignitate *Archidiaconatus.* — Archidiaconus erat vera dignitas in Ecclesia; nam habebat jurisdictionem in Ecclesia et Vicarius natus censebatur ipsius Episcopi. Ita cap. 1. h. t. — Habebat insuper administrationem præsertim relate ad politiam externam clericorum, necnon relate ad bona Ecclesiæ; immo ubi nondum facta erat divisio præbendarum, sed in communi erant bona patrimonii diœcesani, Archidiaconus administrationi patrimonii hujusmodi præerat. Conferri possunt c. 2. et 3. h. t. — Archidiaconus habebat etiam præeminentiam honoris. Licet enim Archipresbyter primum locum teneret inter reliquos Clericos Diœceseos, tamen Archidiaconus præeminentiam habebat ante ipsum Archipresbyterum. Cap. 1. *De Offic. Archipr.* (I. 24).

4. Ut autem materia tituli intelligatur et vetus et nova disciplina cognoscatur, per capita distinguenda sunt jura et officia Archidiaconi. Et 1°. juxta Decretales Archidiaconus erat Vicarius generalis natus simulque perpetuus Episcopi: hinc in Canonibus appellatur etiam 'oculus' Episcopi. Igitur habebat ipse proprium tribunal eo quod in eo residebat jurisdictio *ordinaria* (S. C. Conc. in *Monasterien.*, d. 19. Septembr. 1769) et *perpetua;* hinc a sententia Archidiaconi appellari poterat ad Episcopum. Ex quibus patet ex duplice capite differre ab officio hodierni Vicarii Generalis; nam *a)* Vicarius Generalis non est perpetuus, sed officium ejus totum pendet a voluntate Episcopi illum deputantis; *b)* tribunal Vicarii Generalis censetur idem esse ac tribunal Episcopi; hinc non datur appellatio a sententia Vicarii Generalis ad Episcopum. Verum Archidiaconus non poterat in suo tribunali videre et decernere nonnisi causas minores; causæ enim arduæ ad Episcopi tribunal reservabantur: ita in c. 7. h. t. Quare sine licentia Episcopi non poterat deponere clericos, ecclesias unire aut dividere; c. ult. C. 15. q. 7. Non poterat Archidiaconus videre et decernere causas matrimoniales, nec pariter causas criminales Clericorum, neque causas concubinatus eorundem, quæ omnes causæ Episcopo reservantur a Tridentino sess. 24. c. 20. et sess. 25. c. 14. *de Ref.* Non poterat Archidiaconus de jure communi sententiam ferre suspensionis, interdicti, et excommunicationis c. 5. h. t.; secus vero accedente auctoritate Episcopi aut consuetudine Gloss. in id. c. 5. h. t. nec tandem jurisdictionem exercere in monasteria etiam non exempta nisi quando id obtinebat ex consuetudine legitime præscripta c. ult. h. t.

2⁰. Archidiaconus curam et diligentiam exercebat super vita et conversatione Clericorum, necnon circa eorundem literariam instructionem, ita ut Episcopo interroganti tenebatur respondere ex scientia propria de idoneitate personarum quæ ad sacros Ordines promoveri desiderabant capp. 7. et 9. h. t. et cap. un. *De Scrutin. in Ordin. fac.* (I. 12.) Verum hujusmodi examen circa idoneitatem et scientiam promovendorum ad Ordines Tridentinum reservavit Episcopis c. 7. sess. 23. *de Ref.* in quo statuit: Episcopum examen ordinandorum instituere debere adhibitis etiam secum sacerdotibus sapientibus et prudentibus. Hinc interrogatio proposita Archidiacono in ordinatione ministrorum nihil aliud est hodierno jure, quam pars ecclesiasticæ liturgiæ.

3⁰. Episcopo impedito, quolibet triennio Archidiaconus erat a jure destinatus ad visitandam totam Diœcesim c. 1. h. t. in fin. Poterat item Archidiaconus quolibet anno visitare ecclesias sui Archidiaconatus c. 6. h. t. Hac tamen in re animadvertendum est ex Tridentino in c. 3. sess. 24. *de Ref.* immutatam fuisse disciplinam; siquidem Tridentinum statuit ut solummodo in locis in quibus adest consuetudo possit Archidiaconus sui Archidiaconatus ecclesias quolibet anno visitare, adhibito notario de consensu Episcopi; adjecta tamen obligatione reddendi Episcopo intra mensem rationem peractæ visitationis.

4⁰. Archidiaconus erat qui de licentia Episcopi immittebat novos Canonicos et Beneficiatos Ecclesiæ in corporalem beneficii possessionem c. 4. et 7. h. t. Tandem Archidiaconus erat qui Episcopo ministrare poterat dum solemnia in Ecclesia perageret, quique perlegere poterat Evangelium, et primum locum tenere post Episcopum in Ecclesia.

5⁰. Dignitas hujusmodi Archidiaconorum et magna potestas quam ex jure habebant Archidiaconi causa fuit ut intumescerent quodammodo et ipsis Episcopis molestias crearent. Quare factum est ut ad compescendos abusus Conc. Lateranense IV. speciali dispositione relata in c. 14. *De Off. Jud. Ordin.* (I. 31) concesserit Episcopis facultatem sibi eligendi Vicarium generalem distinctum a persona Archidiaconi. Sensim autem sine sensu factum est etiam ut Archidiaconi alia jura amitterent, et quemadmodum notat Glos. in c. 2. *de Exces. Prælat.* (V. 31) v. „Consuetudines", inductum est ut officia et jura Archidiaconatus regerentur consuetudine potius locorum quam jure communi. Hinc tandem inductum est ut con-

suetudine pæne universali Archidiaconatus non amplius dignitas in sensu stricto dici possit, sed solummodo personatus; id quod decisione S. C. Concilii in *Pinnen.* d. 27. Febr. 1886 illustratur.

TITULUS XXIV.

De officio Archipresbyteri.

1. *Archipresbyter*, qui et Decanus dicitur, idem est ac princeps presbyterorum, idest primus inter presbyteros eisque imperat in iis quæ sunt sacerdotalis officii, necnon peculiarem habet ministerii sacri administrationem. Si quæratur vero in quo differant Archipresbyteratus et Archidiaconatus, respondent auctores in eo differre ut Archidiaconus sit Vicarius Episcopi in externa politia et in temporalibus, Archipresbyter in spiritualibus: id est clarius Archidiaconus repræsentat Episcopum præcipue in politia Diœceseos, in foro judiciali et in administratione bonorum temporalium Ecclesiæ; Archipresbyter autem in foro pœnitentiali, in administratione sacramentorum, in celebratione divinorum Officiorum et in correctionibus paterno more et affectu perficiendis.

2. Archipresbyter alius urbanus dicitur, seu etiam civitatensis, alius ruralis seu plebanus. Archipresbyter urbanus horis canonicis præest et celebrationi divinorum officiorum in Cathedrali ecclesia. Immo in istis officiis Episcopi vices supplet, præsertim in solemni celebratione Missarum, et supra cæteris presbyteris curam animarum gerit, c. 1. et seqq. h. t. Ruralis autem Archipresbyter curam gerit, pastoralem et spiritualem oppidanorum sui ruralis Archipresbyteratus, circumspicit mores aliorum clericorum et parochorum qui in minoribus titulis commorantur. Circa quos Clericos potest Archipresbyter ruralis agere et decernere ea quæ minora, majora vero, licet formam judicii non requirant, debet deferre ad tribunal Episcopi. Nec potest inobedientes censuris plectere sine Episcopi delegatione. Ita ex cap. 3. h. t.

3. Quod vero in c. 3. *De Off. Jud. Ord.* (I. 31) supponitur, Archipresbyteratum nempe posse sententiam excommunicationis ferre, intelligi debet, duce Glossa, de potestate, quam Archipresbyter ex consuetudine antiqua privilegio speciali fuerat sortitus. At ex consuetudine generali dicendum est hodierno jure Archipresbyteratum ad personatum reduci. In aliquibus officiis vero

Archipresbytero rurali suffectus est Vicarius foraneus, qui aliqualem vigilantiam exercet in disciplinam clericorum et observantiam legum ecclesiasticarum; et quoad jurisdictionem in foro interno Archipresbyteri ministerium exercetur per parochos vel per pœnitentiarios.

Tituli XXV., XXVI. et XXVII.

De officio Primicerii, Sacristæ et Custodis.

Auctores hosce tres titulos cumulant, tum quia minoris momenti hodierno jure sunt, tum quia dispositiones juris facile simul componuntur.

1. *Primicerius* forsitan ex more antiquo scribendi in tabulis ceratis, idem significare videtur ac primus scriptus in cera et a capite laterculi. Est vero Primicerius qui primus in censu canonicorum inscribitur; quique in Choro prior est in ordine psallentium. Unde etiam dicitur Præcantor aut Cantor. Officium ejus est ut instruat Clericos in cantu et dirigat, servetque disciplinam in psalmodia divini officii et in cantu tempore sacrificii Missæ: C. «Perlectis» 1. §. «Ad Primicerium» 13. D. 25. Officium autem instituendi Clericos in cantu extensum fuit etiam ad docendum eosdem latinum sermonem, atque ad aliquas tradendas disciplinas. Quod officium in Cathedralibus generatim etiam ipsi Primicerio tributum fuit. Hinc appellatus est etiam 'Scholasticus'; qui ex dispositione Conc. Trid. sess. 23. c. 18. *de Ref.* circa finem debet esse doctor vel licentiatus in s. Theologia aut in Jure canonico. Quare præter prærogativam honoris, Primiceriatus etiam officium poterat importare. Immo juxta locorum consuetudines, et Constitutiones Capitulorum in aliquibus locis fuit etiam dignitas; communiter vero hodie ceu personatus habetur. Videlicet Primiceriatus est beneficium cui solummodo adnexa est præeminentia honoris.

2. Secundo loco *Sacrista* venit, qui etiam dicitur Thesaurarius. Hic curam habet et servat vasa sacra et thesaurum Ecclesiæ. Hanc autem curam exercet dependenter ab Archidiacono c. 3. *De Off. Archidiac.* (I. 24). Etiam hujusmodi officium ferme disparuit, et nomen quod superest adnexum alicui præbendæ honoris prærogativam solummodo secumfert, idest Sacrista vel Thesaurarius personatum possidet; et officium servandi thesaurum Ecclesiæ uni vel alteri Canonico committitur.

3. Tertio loco venit *Custos*, de quo loquitur *tit. 27.* qui censetur quasi minister Sacristæ. Ejus officium est pallia et utensilia, necnon vasa aut instrumenta minus pretiosa custodiendi, et insuper parandi quæ ad divinum altaris ministerium necessaria sunt cc. 1. et 2. h. t. Hoc etiam officium hodie non amplius adnexum reperitur alicui præbendæ, sed exercetur ab uno vel altero Canonico ad illud explendum electo, vel extraneæ personæ persolvendum committitur. De hisce officiis ergo, quod de dignitatibus diximus, repetendum est, idest servandas esse laudabiles locorum consuetudines.

4. Post Conc. Tridentinum præsertim duo dantur revera officia in Ecclesiis Cathedralibus et in aliquibus etiam Collegiatis insignibus: Officium nempe *Canonici Theologi* et *Pœnitentiarii.* De primo loquitur Trid. in sess. 5. *de Ref.* c. 1. ubi statuit ut nisi in Ecclesiis esset præbenda adsignata officio Theologi, adsignaretur in perpetuum præbenda proxime vacatura. Theologus vero onus habet explicandi per lectiones sacram scripturam. Ex constanti praxi S. Congr. Conc. receptum est ut Canonicus Theologus pro integra die qua legit sacram scripturam possit a Choro abesse et suos facere *fructus:* immo percipere potest etiam *distributiones* quotidianas. Ita in causa *Tropien.* 7. Maji 1597. Ita in *Mediolan.* 29. Apr. 1593. Ita in *Corien.* 26. Aug. 1848. et aliis omissis in *Perusina* 30. Julii 1859. Excipiuntur tamen distributionis quæ ex voluntate fundatorum solis actu præsentibus Canonicis solvuntur. De Canonico Theologo fusius agimus in Lib. V. Tit. *de Magistris 5.* Modus vero collationis hujus præbendæ pro Italia et insulis adjacentibus determinatus est in Constitutione *Bened. XIII.* quæ incipit '*Pastoralis*', et est ut conferatur per concursum.

5. Secundum officium est Canonici *Pœnitentiarii* de quo loquitur Tridentinum in c. 8. sess. 24. *de Ref.* In hoc loco Conc. statuit ut in qualibet Cathedrali Ecclesia per unionem præbendæ proxime vacaturæ Pœnitentiarius instituatur, qui in Ecclesia confessiones audiat, et interim censeatur Choro præsens. Porro tum præbenda theologalis, tum pœnitentialis, dignitatem aut personatum adnexum non habere censentur, cum nec honoris præeminentiam secumferant ex jure Tridentino, nec jurisdictionem publicam, excepta jurisdictione in foro sacramentali pro Canonico Pœnitentiario. Hinc utraque præbenda officium adnexum habere solummodo censentur.

Titulus XXVIII.
De officio Vicarii.

1. Vicarius in genere et vi vocis est qui vices alterius gerit: idest qui ministerium alteri competens exercet. Diversa fuit Ecclesiæ disciplina pro temporum varietate. Ope Vicariorum incœperunt Episcopi sibi reservare jura liberæ administrationis independenter a Dignitatibus Capituli, quæ jure proprio sibi vindicabant partem sollicitudinis ecclesiasticæ in Diœcesi. Potuerunt enim Episcopi e dispositione Conc. Lat. IV., uti vidimus, personis sibi bene visis officia et administrationem committere. Hinc opportunum reputavimus hac in re totum jus exponere, quod nempe tum in Decretalibus *Gregorii IX.* exhibetur, tum etiam quod sequioribus sæculis inductum fuit et obtinuit.

2. Vicarius alius est *in divinis*, alius est *jurisdictionis*. Primus est qui alterius officium exercet in actibus ministerii sacri et in iis, quæ ad forum internum pertinent. Vicarii autem jurisdictionis sunt qui directe destinantur ad externam politiam regendam et potestatem directe habent in foro externo. Ad genus Vicariorum in divinis præsertim pertinent Vicarii Curati, seu qui ad curam animarum exercendam designantur nomine alterius. Diximus 'præsertim'; nam etiam dantur Vicarii Episcoporum qui suffraganei vel Episcopi auxiliares vocantur, qui dantur vel ob causam precariam ad tempus, vel ad vitam Episcopi ut ejus loco sacramenta administrent, et functiones sacras in Ecclesia peragant. In titulo sermo est de Vicariis curatis.

3. Vicarius in divinis est vel *temporaneus* vel *perpetuus*. Temporaneus qui ad tempus, idest ob causam precariam, vel ad nutum constituentis exercet officium; perpetuus qui Vicariam in titulum habet, et ab ea removeri non potest nisi ob causam in jure expressam. Vicarius jurisdictionis vel est *natus*, ceu jure Decretalium erat Archidiaconus, vel *datus*, quem nempe Episcopus, aut is qui jurisdictionem habet quasi-episcopalem, sibi eligit, et constituit, quemque potest pro sua voluntate removere. Vicarius datus vel assumitur in partem ministerii totius Diœcesis, et dicitur *Generalis*, vel in partem vigilantiæ alicujus oppidi vel regionis, et dicitur *Foraneus*. Tandem est etiam Vicarius *Capitularis*.

4. De Vicariis in divinis vel beneficiis. — Vicarius in divinis ille est, qui in divinis ministeriis et præsertim in cura animarum aut in aliis rebus quæ ad forum internum spectant alterius vices gerit. Hinc Vicarius in divinis potest etiam dari in adimplendo munere Beneficiati, quemadmodum est Coadjutor, qui loco Beneficiati titularis choro adsistit, et reliqua munia beneficii adimplet. Præsertim vero, Vicarius in divinis constituitur ad curam animarum exercendam. De hoc ergo altero Vicario in divinis loquimur præcipue; et in primis quidem de causis ob quas Vicarius in divinis constituatur. — 1ª. Ex juris dispositione cura animarum residere potest penes personam *moralem*, idest Capitulum aut monasterium aut aliud ecclesiasticarum personarum collegium. Jam vero cum ad rectum regimen animarum 'una Ecclesia unius debeat esse sacerdotis', c. 15. *de Præb. et Dignit.* (III. 5), ne cura in communi existens, a nullo ceu propria efficaciter exerceatur, inductum est, ut vel unus de gremio, vel extraneus assumatur, qui relicta cura *habituali* in persona morali, curam animarum *actu* adimpleat. — 2ª. Causa est si officium curæ animarum spectat ad *Episcopum*, qui sibi reservavit administrationem alicujus Parœciæ, vel si cura spectet ad Abbatem Monasterii qui regimen Monasterii ipsius teneat. Quo in casu, cum rector principalis non facile adimplere posset munia parochialia, nec quandoque expediat ut eadem munia per seipsum adimpleat; in jure provisum est ut alteri vices suas committat. — 3ª. Causa locum habet, cum parochia in censu suo dives nimia amplitudine locorum extenditur, ac numeroso populo constat; quo in casu Ecclesia *filialis* erigitur, in qua Sacerdos Episcopo approbante constituitur, qui vices gerat rectoris principalis in administratione sacramentorum et in aliis divinis officiis exequendis c. 3. *de Eccl. ædif.* (III. 48). Hæ causæ sunt ob quas constituitur Vicarius perpetuus, ille nempe qui canonice deputatus et institutus censetur ceu verus et legitimus possessor beneficii curam animarum adnexam habentis, nec removeri potest, nisi reus fiat alicujus criminis, quod secumferat vel depositionem vel privationem beneficii c. 3. h. t.; Clem. un. h. t. et S. C. Concilii in causa circa *Vicarios perpetuos*, d. 15. Febr. 1879.

5. Ad constituendum vero Vicarium *temporaneum*, qui nempe parœciam non retinet in titulum, et potest ad nutum removeri, sequentes dantur in jure causæ: 1ª. *Vacante* Parochia, donec novus instituatur Parochus, juxta juris dispositionem in c. 4. *de Off. Jud.*

Ord. (I. 31) et in c. 18. sess. 24. Conc. Tridentini *de Ref.* ab Episcopo statim ab habita notitia vacationis, si opus fuerit, idoneus Vicarius, congrua fructuum portione assignata, constitui debet. — 2ª. Causa est, cum Parochus ob *imperitiam* honorabile ministerium et regimen animarum exercere non potest. Tunc enim ex dispositione Tridentini c. 6. sess. 21. *de Ref.* Episcopus etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus potest, qualibet vel appellatione aut exceptione remota, constituere Vicarium et eidem adsignare partem fructuum pro congrua sustentatione, donec Parochus idoneus reddatur. — 3ª. Causa est *infirmitas* vel longa *absentia* Rectoris a parœcia etiam ob legitimam causam, ex. gr. si Parochus absit ob studia, quorum cursum nondum explevit c. 28. *de Apell.* (II. 28) et cap. 'Cum ea' *de Elect.* (I. 6) in 6⁰. et c. 1. sess. 25. *de Ref.* — Tandum constitui potest Vicarius temporaneus, quoties ob supervenientem precariam circumstantiam ex substitutione Vicarii incrementum religionis sperari possit. Ex. gr. si ex agendi ratione parochi titularis, licet reus non fuerit alicujus criminis, odium aut etiam aversio animorum excitata fuerit contra ipsum in populo, quibus mederi posse prævidetur, quoties ad tempus Parochus removeatur, et resipiscentiæ argumenta præbeat: Cfr. S. Congr. in causa *Suspens., Irreg. et Privat. Paræc.* die 5. Dec. 1863., 30. Jul. 1864, 8. Jul. et 12. Aug. 1865. Ex quibus omnibus patet constitui posse ad normam juris Vicarium temporaneum, quoties adsit vel necessitas, vel evidens utilitas spiritualis fidelium.

Etiam pro persona morali, uti capitulo, constituebatur antiquis temporibus aut turnus, quo exercebant capitulares curam animarum, aut vicarius ad nutum amovibilis. Sed nostris temporibus a S. C. Concilii, nisi speciales circumstantiæ aliud suadeant, præfertur constitutio *perpetui* vicarii constitutioni *temporanei;* cfr. responsa S. C. Concilii, d. 26. Jun. 1875 in *Neapolitana*, item in causa *Vic. perpetui*, d. 5. Aug. 1876, item in *Curæ animarum*, d. 26. Apr. 1879.

6. De *muneribus, obligationibus et juribus* Vicarii perpetui et temporanei. — Quoniam Vicarius perpetuus censetur in jure ceu verus Parochus, hinc tota actualis cura idest exercitium curæ animarum ad eundem pertinet, remanente habituali cura penes Rectorem principalem. Inde sequitur eum *teneri* ad omnes *obligationes,* quæ Parochos urgent in bonum spirituale plebis cui præest. Quare vel est actu Sacerdos, vel infra annum Sacerdos fieri debet:

tenetur ad legem residentiæ, c. 1. sess. 23. *de Ref.* in Tridentino et c. 6. h. t. nec simul potest plures retinere Vicarias perpetuas c. 2. h. t. et c. 28. *de Præb.* (III. 5.) Tenetur Verbum Dei prædicare, pueros in rudimentis fidei instituere. Onus insuper eidem inest sacrificium pro populo offerendi, et sacramenta administrandi: Clem. un. h. t. Immo nec rector principalis potest sese hisce rebus immiscere, inconsulto aut invito Vicariò perpetuo. Cfr. Bulla *Benedict. XIV. 'Cum semper oblata'.* Præterea omnes Constitutiones Apostolicæ quæ de Parochis loquuntur respectu habito ad bonum populi fidelis, Vicariis perpetuis etiam applicandæ sunt.

7. *Jus* autem Vicarii perpetui traditur in c. 27. *de Rescr.* (I. 3) ubi dicitur 'non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ Vicariæ proventibus est provisum'. Hinc Vicarii perpetui censentur esse veri beneficiati perpetui, et habent canonicum titulum, et jus habent congruæ portionis fructuum percipiendæ ex bonis ecclesiæ parochialis. At differunt in aliquibus Vicarius perpetuus et titularis Parochus. 1ª. Differentia est ut qui possidet beneficium ex juris dispositione fructus *omnes* percipiat; cum præceptum sit ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur. Vicarius vero habet *congruam portionem*, idest sufficientem quantitatem fructuum ad vitam honeste sustentandam. Beneficium enim proprie competit rectori principali, cui spectat habitualis cura animarum, ad quam exercendam cum assumat aliam personam seu Vicarium, tenetur eidem præstare congruam sustentationem ob spirituale ministerium. — 2ª. Differentia est in eo, ut Parochus titularis teneatur *protueri* jura beneficii sui, non ita vero Vicarius perpetuus. Nam ipse assumitur ad gerendam vigilantiam et curam spiritualem animarum; ad rectorem vero principalem pertinet exercitium juris parochialis in iis quæ respiciunt *externam defensionem,* et vindicationem beneficii, necnon onus, fabricam ecclesiæ parochialis conservandi et reparandi. Unde S. Congr. Conc. in *Eugubina* diei 11. Maji 1594. resolvit 'Vicarium perpetuum Abbatiæ debere subire omnia onera respicientia curam animarum, et administrationem Sacramentorum, cætera vero omnia ad Abbatem, seu commendatarium ejusdem Ecclesiæ spectare'.

8. Vicarius perpetuus præsentatur Episcopo a Parocho habituali, et Episcopus postquam dignum in examine repererit, eum instituit in Vicaria. Ita ex Bulla *S. Pii V. 'Ad exequendum'* data die 1. Nov. 1567. Unde non urget in casu lex concursus; hæc vero

est 3ª. differentia inter parochum et vicarium perpetuum. Romæ autem quoad Vicarios parochiales Ecclesiarum sæcularium ex lege imposita a. S. Pio V. in Motu proprio an. 1571. et in Constit. *Leonis XII.* diei 1. Nov. 1824. forma concursus servanda est ita ut parochus habitualis inter approbatos in concursu penes Curiam Cardinalis Vicarii unum debeat eligere, illumque eidem Cardinali præsentare. Solet autem Cardinalis Vicarius Capitulis habentibus curam habitualem tres ex concurrentibus digniores proponere, inter quos Capitulum novum Vicarium Parochum eligat.

9. De Vicariis *temporaneis.* — Si sermo sit de obligationibus, quoadusque persona vicariam exercet, tenetur ea omnia præstare, quæ præstat Vicarius perpetuus. Nam et ipsi revera commissa est cura animarum, et ob hujusmodi scopum stipendium consequitur. Hinc Vicarius temporaneus tenetur in loco vicariæ residere, prædicationis ministerium obire, pro populo sacrificium diebus festivis etiam absque præcepto audiendi missam offerre. Const. *Pii IX.* '*Amantissimi Redemptoris*' diei 3. Maji 1858. Et quidem hoc onus adeo Vicario incumbit ut licet in ea ecclesia adsit Capitulum seu alius rector habitualis non hic, sed Vicarius temporaneus Missam pro populo celebrare teneatur. Ita in Const. *Bened. XIV.* '*Cum semper oblata*' §. 'cum enim' et tenuit s. Congr. Concilii die 7. Maji an. 1808. Pariter Vicarius temporaneus tenetur sacramenta administrare et cætera implere quæ ad officium parochiale pertinent. Hinc non potest idem duas vicarias temporaneas simul retinere.

10. Quid vero dicendum est de Vicariis Apostolicis et Missionariis in suis Missionibus quoad onus applicandi Missam pro populo? Viderentur teneri eo quod *Pius IX.* in cit. Const. '*Amantissimi*' dicat hoc onere obligari 'parochos aliosque omnes animarum curam gerentes'. At S. Congr. De Propaganda Fide proposito dubio 'an Vicarii Apostolici et Missionarii, qui quovis modo curam animarum in certo aliquo loco assumunt, omnes indistincte obligentur ex justitia ad applicandam Missam pro populo diebus festibus?' die 23. Martii an. 1863. respondit '*Negative*, dummodo non agatur de locis in quibus Sedes episcopales ac parœciæ canonicæ erectæ jam sint, atque ad eas Vicarii Apostolici et Missionarii missi sint, ut legitimorum pastorum vices gerant'. Porro Sedes episcopales eriguntur et constituuntur per actum solemnem S. Sedis, parochiæ autem constituuntur vel ab ipsa S. Sede, vel ab Episcopo vi Tridentinæ dispositionis in sess. 24. *de Ref.* c. 13. Unde quoad-

usque Vicarius Apostolicus et Missionarii nihil aliud sint quam Verbi Dei præcones, non obligantur ex justitia ad Missam pro populo applicandam. — — Quoad vero beneficium, non tenetur Vicarius temporaneus illius jura protueri, sed rector principalis, vel administrator ab Episcopo adsignatus.

11. Si sermo sit de juribus Vicarii temporanei, dicendum est ipsum vere et proprie non esse beneficiatum, sed habere solummodo actum et functionem beneficii, et esse veluti mercenarium rectoris principalis cum jure percipiendi congruam portionem fructuum pro honesta sua sustentatione. Unde Vicarius temporaneus nedum titulum beneficii possidet, sed neque habet titulum in beneficio. Amovibilis enim est ad nutum, c. 28. *de Apell.*, (II. 28) c. 34. *de Elect.* (I. 6) in 6⁰. et *Clem. un. h. t.*

12. At amovibilitas ad nutum est rite accipienda. In genere Ecclesia in suo regimine abhorret ab arbitrio, et ordinatam exigit in omnibus disciplinam. Hinc in genere amovibilitas ad nutum non potest æquipararari arbitrariæ remotioni personæ ab officio quo fungitur. Distinguenda tamen est amovibilitas Vicariorum temporaneorum qui ob precariam prorsus causam per meram deputationem alterius functiones et vices gerunt, ab amovibilitate Clericorum qui officiis de se perpetuis præficiuntur sub clausula tamen, ut ad nutum removeri possint. Si de Vicariis ob causam precariam deputatis ad tempus sermo sit, doctores tradunt communiter ipsos posse removeri ab officio etiam absque gravi causa, dummodo tamen remotio non fiat ex fraude vel odio. Hoc in sensu loquitur *Bened. XIV. De Syn.* l. 12. c. 1. *n. 2.* Quod si sermo sit de Clericis præpositis alicui officio de se perpetuo, ex. gr. Cappellaniæ aut curæ animarum sub conditione amovibilitatis ad nutum, ex praxi s. Congr. Concilii receptum est, ut remotio Clerici non sustineatur, si fiat nulla existente causa. Siquidem honor clericalis status, et bonum animarum non bene componuntur cum facili et frequenti mutatione personæ quæ officium sacrum de se cæteroquin permanens et perpetuum exerceat. Conferri possunt resolutiones S. Congr. diei 11. Julii 1626, 6. Aug. 1791. in causa *Farfen.*, et aliis omissis in causa *Messan.* 18. Martii 1854, et in causa *Vicarii Curati quoad remotionem* dierum 27. Junii 1867. et 11. Januarii 1868. Quo ergo in sensu Clericus ab officio suo dicitur amovibilis ad nutum? Amovibilitas in casu sumitur in oppositionem ad perpetuitatem. Beneficia in Ecclesia perpetua esse

dicuntur, quia repræsentat antiquos titulos idest stationes illas Clericorum in quibus Clerici divino servitio per ordinationem mancipabantur, adscribebantur in censu seu in canone Ecclesiæ particularis, et ab eadem Ecclesia congruam sustentationem assequebantur. Tituli hujusmodi perpetui erant, et per mortem personæ vacare dicebantur. Unde vetitum erat, ne clericus a sua ecclesia ad aliam transiret. Ita *S. Leo Magnus* in Epist. 1. ad *Aquilejensem* Episcopum et in Epist. 8. ad Episcopos Illyrici. Quare beneficia quæ antiquis Clericorum titulis subrogata fuerunt, et ipsa perpetua dicta sunt. Hinc quando beneficium alicui conceditur, non tribuitur ad tempus determinatum, sed ut semper in vita sua illud possideat. Quapropter personæ in beneficio institutæ inest jus, ut non possit invita a beneficio removeri, nisi ex causa a legibus ecclesiasticis contemplata, et nonnisi servata canonica forma, idest regulari processu in remotione perficienda. Quorum si alterutrum deficiat, remotio non sustinetur. Hæc duo sunt elementa perpetuitatis beneficiorum. Ergo cum beneficia manualia, cujus rector est amovibilis ad nutum perpetua non sint, sequitur, ad removendum rectorem beneficii manualis a beneficio non requiri causam aliquam a jure recognitam idest *causam canonicam* nec formam canonicam idest *processum regularem.* Attamen quia etiam beneficia manualia originem suam ab antiqua firmitate titulorum et beneficiorum aliquo modo repetunt, in praxi ex æquitate canonica, quæ a Card. *De Luca* in part. 1. *de Beneficiis* Discur. 96. n. 13. dicitur 'non scripta', inductum est, ut ad removendum Clericum a beneficio manuali requiratur causa aliqua rationalis, ne facilis daretur occasio labefactandi famam sacerdotum, et spiritualis utilitas fidelium exularet. Unde causa levis non sufficit, quemadmodum tenuit S. Congr. EE. et RR. in causa *Urbinaten.* diei 11. Septembr. 1584, relata a *Pignatelli,* tom. 9. consult. 115. n. 92. Idem deducitur ex resolutione s. Congr. Conc. in *Messanen.* diei 18. Martii 1854.

13. Ex dictis concludi potest, etiam Vicarium ad nutum absque rationali causa ab officio removeri non posse, si vicaria constituat officium stabile, quod conferatur ad nutum. Vicaria enim in casu beneficiis manualibus accensenda est. His positis quæritur, an et quod remedium competat possessori beneficii manualis et Vicario ad nutum amovibili, si ex arbitrio superioris vel rectoris principalis a beneficio vel vicaria removeantur? Primo quidem

dicendum est, contra decretum remotionis a jure non concedi remedium ordinarium appellationis proprie dictæ. Etenim decretum remotionis personæ ab officio quod non possidebat in titulum, non constituit sententiam judicialem, quæ ferri debet juxta acta et probata, prævio processu in forma juris confecto. Remotio enim per sententiam judicialem perficitur in beneficiis perpetuis, quæ constituunt canonicam Clericorum stationem a jure recognitam, et sub juris tutela positam, non autem in beneficiis manualibus et in Vicariis ad nutum, quæ non habent positionem a jure determinatam. At, quoniam Ecclesia in regimine suo ab arbitrio et injusto damno personarum vehementer abhorret; hinc clericis, qui persentiant se graviter læsos esse ob factum remotionis, concedit remedium recursûs ad S. Sedem. Probatur id ex constanti experientia, ex qua deprehenditur Summum Pontificem excipere solere querelas Clericorum contra decretum privationis beneficii manualis et remotionis Vicarii amovibilis, quemadmodum frequentes s. Congr. Conc. resolutiones ostendunt. Porro extra dubium est, Ordinarium vel Rectorem habitualem, qui removit possessorem beneficii manualis vel vicarium amovibilem, seriem actorum et causas remotionis tribunali S. Sedis exponere debere, ut S. Sedes decernere possit, utrum recursus admittendus sit an rejiciendus. Unde remotio ut sustineatur, talibus debet fulciri causis, ob quas S. Sedes rationabiliter debeat rejicere querelas seu recursum coram se propositum. Doctores vero sequentia principia tradunt:

1°. Nullo modo sustinetur remotio, si constiterit, eam ex causa *odii* vel ex *fraude* processisse. Ita Card. *de Luca: De Beneficiis* part. 1. discuss. 97. n. 11. et *Bened.XIV. De Syn. Diœc.:* L. 12. c. 1. n. 2. Et quidem hæc regula valet etiam, si agatur de meris officiis, et de simplici et temporali deputatione personæ in aliquo servitio, in quo scilicet Clericus deputatus nihil agit nomine proprio, sed omnia gerit nomine deputantis.

2°. Remotio non sustinetur, si fiat *absque rationabili causa,* et Clericus ex remotione patiatur grave vulnus in *fama* coram populo, vel aliud grave *præjudicium:* ex. gr. si senex vel ægrotus sine causa removeretur a beneficio vel officio amovibili, ex quo sustentabatur. Et ratio est: quia nemini injuria aut damnum ex arbitrio irrogari potest.

14. De *stipendio* Vicarii ad congruam vitæ sustentationem. — Patres Conc. Tridentini sess. 7. c. 7. *de Ref.* intentionem suam

manifestant, ut quoties cura animarum commissa sit corpori morali, Ordinarii sollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi pro bono animarum aliter expedire videatur, cura animarum exerceatur; simulque arbitrio Episcopi committunt, ut determinet stipendium sive in tertia parte fructuum beneficii curati, sive in minori, sive in majori prout viderit opportunum pro laudabili exercitio curæ animarum. *S. Pius V.* vero in Const. *'Ad exequenda'* edita kal. Nov. 1567. ut facilius induceret Capitula et alia Collegia personarum ecclesiasticarum ad exequendam dispositionem Concilii Tridentini pro constituendis Vicariis in actuali cura animarum exercenda, ne persentirent grave admodum incommodum, voluit limitibus circumscribere arbitrium Episcopi ita ut portio Vicariis adsignanda quamvis minor esse non posset annuis scutatis 50, non excederet vero annua scutata centum, computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus. Porro s. Congr. Conc. in *Astensi* diei 28. Octobris an. 1585. et in *Papiensi* diei 2. Martii an. 1722. nomine emolumentorum et obventionum venire declaravit ea emolumenta et obventiones quæ, licet quoad quantitatem incertæ sint, tamen aliqua certitudine gaudent quoad exactionem in genere. Unde juxta s. Congregationem computanda non sunt in congruum ea incerta quæ dependent ex labore personali, ut sunt eleemoysnæ altaris atque similium. Voluit etiam Summus Pontifex, hanc defigens normam, veteris juris speciem servare, quo beneficium parochiale fuerat unitum Cathedralibus Ecclesiis aut Monasteriis; ex quo beneficio utilitas proveniret eisdem. Quam utilitatem studuit saltem partialiter conservare, præservando Rectoribus principalibus aliquam partem fructuum beneficii ejusdem, et concedendo Vicariis portionem determinatam. Et quidem ex declaratione s. Congr. Visitationis Apostolicæ diei 25. Novemb. an. 1693. hæc regula a *S. Pio V.* statuta applicanda etiam est Vicariis amovibilibus. Consonat resolutio s. Congr. Conc. in cit. *Papiensi* 2. Martii 1722.

15. Verum ex praxi et ex Doctorum sententia visum est non posse hac in re ubique eandem regulam, iisdem limitibus circumscriptam, servari. Quare *Benedict. XIV.* in celebri Const. *'Cum semper oblatas'* diei 19. Aug. 1744. pro Italia pristinam Conc. Tridentini dispositionem renovavit, atque arbitrio Episcopi remisit, ut juxta temporum et locorum circumstantias, necnon pro populi multitudine, possit majorem etiam pecuniæ vim quam centum scu-

tata Vicariis adsignare. Romæ autem servanda est regula statuta in Const. *'Super Universum' Leonis XII.* diei 1. Novemb. an. 1824. circa divisionem proventuum et obventionum in medietate inter Capitula et Vicarios perpetuos, exceptis peculiaribus conventionibus approbatis vel a Summis Pontificibus vel a s. Congregationibus. Porro hac in re adnotandum est, portionem fructuum Vicario perpetuo auctoritate vel consensu Ordinarii adsignatam non posse minui a Rectore principali qui eum constituit, nec ab ejus successore c. 3. h. t. et s. Congr. Conc. in *Consentina* diei 31. Julii an. 1693. et in causa *Burgi S. Sepulchri* diei 7. Septembris an. 1699. Excipi tamen debet casus quo notabilis mutatio contigerit. Et ratio est, quia congrua portio adsignata Vicario censetur esse ad instar canonicæ portionis, quæ induit naturam perpetui beneficii.

16. De Vicariis jurisdictionis. — Quattuor præcipue numerantur Vicarii qui ecclesiastici magistratus loco et vice jurisdictionem exercent. Nempe Vicarius Generalis, Vicarius Foraneus, Vicarius Capitularis et Vicarius Apostolicus.

De Vicario generali.

17. Vicarius generalis ille est, qui ex Episcopi mandato vel deputatione jurisdictionem exercet in tota Diœcesi. Sciendum vero est, ex cap. ult. h. t. in 6^{0}. et ex praxi in aliquibus locis distinctum fuisse Vicarium generalem ab Officiali Episcopi; cum illius auctoritas versaretur in iis quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, Officialis vero præesset jurisdictioni contentiosæ et in negotiis forensibus vices Episcopi gereret; atque idem esset, qui olim dicebatur *Missus Episcopi,* c. 1. *de Frig. et malef.* (IV. 15) et Glos. ad c. 2. v. «Officialem» *de Offic. Vic.* in 6^{0}. Verum juxta communem acceptionem Vicarius generalis est idem ac Officialis, et unum nomen pro alio indiscriminatim sumitur, quo idem officium designatur.

18. Ex notione a nobis data sequitur Vicarium generalem ab Episcopo constitui; eum enim repræsentat c. 2. *de Cons.* (I. 4) in 6^{0}. atque adjuvat in administratione Diœcesis eidem Episcopo commissæ. Constituit vero Vicarium generalem Episcopus auctoritate propria, atque ipse eadem auctoritate removet, nec utroque in casu indiget consensu Capituli. Hæc facultas instituendi Vicarium generalem primum concessa est Episcopis a Conc. Lateranensi IV.

cujus dispositio refertur in c. 14. *de Off. Jud. Ord.* (I. 31). Necessaria autem fuit dispositio juris communis ut Episcopi Vicarium generalem instituerent; nam agebatur de novo officio instituendo cui generalis jurisdictio committeretur, ac locum et jura quodammodo ingrederetur illius potestatis, qua Archidiaconus ex juris dispositione fruebatur.

19. Quærunt DD. 1°. an *teneatur* Episcopus Vicarium generalem constituere. Absolute et ex lege explicita non tenetur Episcopus Vicarium generalem constituere, quemadmodum Auctores ostendunt duce *Barbosa* in Alleg. 54. n. 125. *de Off. et pot. Episcopi* et in Lib. 1. *Jur. Eccl.* c. 15. n. 16. ubi pro sua sententia nonnullas s. Rotæ Rom. decisiones affert. Verum inspectis gravibus negotiis, quæ persolvere debet Episcopus, et variis occupationibus ministerii sacri quibus distrahitur, dici potest juxta sensum cap. 15. *de Off. et pot. Jud. Ord.* (I. 31) illum generaliter teneri. Quod si vero Episcopus Vicarium non habens, Diœcesis administrationi non faciat satis, esse potest locus negligentiæ, quam superior suppleat; idest superior ipse immediatus aut Rom. Pontifex constituere potest pro Episcopo Vicarium generalem. Quin immo si Episcopus non paruerit admonitionibus s. Congregationis super negotiis Episcoporum et Regularium, destinatur ei Vicarius, qui appellatur Vicarius Apostolicus, quem Episcopus removere non potest, et in negotiis peragendis procedit auctoritate sibi a S. Sede commissa.

20. Quæritur 2°. cujus *naturæ* sit potestas Vicarii generalis an ordinaria scilicet, vel delegata. In genere ordinariam potestatem habet, qui eam habet non ex mandato quodam speciali, sed ex eo solummodo quod assumatur ad aliquod officium, et eam retinet quoadusque in officio perseveret. Delegatam vero ille habet qui ex mandato committentis potestatem possidet, et exercet non tanquam propriam, sed tanquam alienam et nomine committentis. Aliqui asserentes jurisdictionem Vicarii generalis esse delegatam contendunt probari posse ex eo quod hic nomine Episcopi regat Diœcesim, causas decernat vice ejusdem, ita ut ejus auditorium seu tribunal sit idem ac illud Episcopi, nec ab ejus sententia possit appellari ad Episcopum; et tandem jurisdictio Vicarii cessat cessante jurisdictione Episcopi. Qui autem tenent, esse ordinariam, ajunt hanc potestatem officio cuidam esse adnexam, ita ut donec retineatur officium, perseveret in persona jurisdictio. Insuper si

esset delegata, appellari posset a sententia Vicarii Generalis ad tribunal Episcopi delegantis. Glos. in c. 2. *de Consuet.* (I. 4) in 6⁰. per text., in cap. 27. *de Off. Deleg.* (I. 29) et cap. 66. *de Appell.* (II. 28). Quemadmodum a sententia Vicarii foranei appellatio datur ad Episcopum. Clem. 2. *De Rescr.* (I. 2). Appellatio enim instituitur ab inferiore ad superiorem. Gl. notabilis in cit. Clem. 2. de rescr. v. «foraneo».

21. Neutri autem harum opinionum pure et simpliciter subscribere possumus. Nam potius tenemus jurisdictionem Vicarii generalis esse sui generis, ac utriusque simul ordinariæ et delegatæ jurisdictionis indolem aliquomodo referre. Sciendum namque est omnem potestatem ordinariam in Ecclesia ita constitutam fuisse, ut adnexa esset beneficio vel magistratui. Considerabatur enim potestas regendi populum Christianum ceu pars officii ad quod assumebatur persona divino servitio mancipata. Hinc ideo Episcopus, ideo Archidiaconus, et Archipresbyter jurisdictione ordinaria gaudebant, quia beneficium Episcopatus, Archidiaconatus etc. possidebant. Quare Vicarius generalis qui non distinguebatur ab Archidiacono etiam ipse titulo suo beneficiali adnexam habebat jurisdictionem. Ob abusum vero Archidiaconorum Ecclesia eorundem jurisdictionem abolevit, ac substituit Vicarium generalem. Ergo jurisdictio Vicarii generalis induit naturam jurisdictionis ordinariæ, quia substituta est potestati Archidiaconi, et in similitudinem ejus fuit inducta. Hinc eo ipso quod Clericus sit ab Episcopo constitutus Vicarius generalis, ex dispositione juris ratione officii sui beneficio conjungitur, nec titulo perpetuo, sed ab Episcopi voluntate regitur et perseverat. Hinc Vicarius generalis non habet titulum proprium sui ministerii, nec magistratum distinctum constituit, sed titulum ministerii episcopalis et magistratum Episcopi repræsentat. Ex quo patet ejus potestatem referre indolem potestatis delegatæ, quæ nempe procedit ex commissione alterius et fundatur in titulo alienæ potestatis. Hinc optime explicatur quomodo non detur appellatio a Vicario ad Episcopum, et quomodo cessat potestas Vicarii generalis, cessante potestate Episcopi. Quia nempe in Diœcesi titulus et magistratus est unus qui residet penes Episcopum, ministerium vero seu executio potestatis residet penes Episcopum et ejus Vicarium generalem. Hinc si Rom. Pontifex vel s. Congregationes executionem rescripti committant Episcopo, tunc solus Episcopus exequi poterit rescriptum, si vero diri-

gant Ordinario loci, tunc exequi potest rescriptum vel Episcopus vel Vicarius gen. quia in exercitio jurisdictionis Vicarius repræsentat potestatem Ordinarii in Diœcesi. Igitur jurisdictio Viçarii generalis de ordinaria simul et de delegata jurisdictione participat.

22. Quæstio 3ª. An Episcopus possit *plures* Vicarios generales constituere? — Dicimus *'generales'*, idest qui vocantur in partem sollicitudinis episcopalis in tota Diœcesi. Nam Vicarius non dicitur generalis qui pro aliqua parte Diœcesis constituitur, licet mandatum habeat generale quoad illam Diœcesis partem. Hinc Vicarius hujusmodi non posset executioni mandare Literas Apostolicas, quemadmodum censuit S. Congr. in una *Nullius* diei 22. Dec. 1628. Quod si vero Episcopus duabus Diœcesibus æque principaliter unitis præsit, pro unaquaque Diœcesi suum ac distinctum Vicarium generalem constituere potest; immo aliquando etiam debet, et cogi potest ut constituat distinctos Vicarios generales. Ita resolvit s. Congr. EE. et RR. in *Sutrina* diei 7. Junii an. 1594. et s. Congr. Conc. in *Gerundinen.* et *Cariaten.* diei 2. Octobris 1706. Ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ pro quadam parte alicujus diœcesis proprius Vicarius Generalis ita constituitur ac si hæc diœcesis pars esset propria diœcesis alteri æque principaliter unita. Id quod fit specialibus ex rationibus; sic ex Const. *Pii VII.* «*Ex imposito*», d. 9. Maji 1818 pro districtu Vorarlbergensi proprius Vic. Generalis Episcopo Brixinensi constitutus est, quia erectio propriæ pro illo districtu diœcesis impediebatur difficultatibus pecuniariis; sic fit præcipue ob linguæ ritusque diversitatem; cfr. de hac re *Benedictum XIV.* in *Syn.* l. 2. c. 12. nn. 3. et seqq.

23. His positis, in præsenti quæstione triplex hypothesis fieri potest: 1ª. si *dividantur* negotiorum genera, et ex. gr. uni Vicario committatur jurisdictio contentiosa, alteri autem voluntaria. 2ª. Si *in solidum* jurisdictio omnis committatur singulis, ita ut detur locus præventioni. 3ª. Si jurisdictio *collegio* Vicariorum committatur, ita ut negotia explere collegialiter teneantur. Quoad 1ᵃᵐ. hypothesim jam vidimus praxim inductam fuisse in aliquibus regionibus ut Officialis daretur et Vicarius generalis, et prior jurisdictionem contentiosam, idest partibus citatis et in forma judiciali exerceret, alter præesset negotiis extrajudicialibus et jurisdictionem voluntariam exequeretur. Profecto hæc praxis a jure non reprobatur; bene vero non plenissime aptatur intentioni juris. Nam in jure præsertim Tridentino sermo est non de Vicariis, sed de Vi-

cario generali Episcopi. Conferri potest *Bened. XIV. De Syn. Diœ.* Lib. 3. cap. 3. n. 2.

24. 2'. Hypothesis nec ipsa expresse reprobatur a jure communi. Nam nullam legem ecclesiasticam habemus, quæ illam excludat. Verum nec ipsa intentioni juris plenissime respondet. Jus enim de uno Vicario generali loquitur. Cæterum ubi adsit consuetudo, ut, præsertim ob multitudinem negotiornm, duo aut plures constituantur Vicarii, qui negotia omnia possint explere, et ille videat, qui prior est, idest qui præoccupaverit negotium, condemnari non debet. Ita tenuit s. Congr. Conc. in *Lancianen.* 23. Martii 1599. et 21. Februar. 1614. Ratio autem est tum quia Jus canonicum in specie judicum delegatorum admittit casum commissionis in solidum, tum quia hæ consuetudines cognitæ sunt legislatori supremo, et eas non reprobat, immo quandoque positive approbat. Romæ enim expediuntur Literæ Apostolicæ 'Episcopo et *Vicariis* ejusdem in spiritualibus constitutis'. Quare concludit doctissimus antecessor noster *De Angelis* h. t. n. 9.: 'Hodie solet ita a juristis solvi hæc quæstio, scilicet: ubi consuetudo jam viget, jus patitur ut plures Vicarii in solidum constituantur; at ubi hæc consuetudo non est, non permittitur introduci'. Talis consuetudo viget e. gr. in Gallia. Quare Em. Præfectus S. C. Concilii, d. 14. Jul. 1858, ad Cardinalem Gousset poterat scribere: «Capitula cathedralia unum dumtaxat Vic. Capitularem, non autem duos vel plures deputare debere, *quemadmodum de Vic. Generalibus agere licitum est*». In Italia non posse *duos* Vicarios Generales constitui, S. C. Concilii in *Romana,* d. 6. Maji 1893, Regenti s. Pœnitentiariæ expresse respondit. — Quando — uti interdum mos est — et Vic. Generalis et Officialis quidem constituitur, posterior tamen eo fine, ut matrimonialia tantum tractet negotia, cum prior negotia in generali mandato contineri solita administret, Officialis ejusmodi Vic. Generalis non est, sed Judex delegatus ad certum genus causarum; unde hæc praxis a jure communi non discrepat.

25. 3um. Hypothesim inspicientes, eam a jure difformem videri dicimus. Nam quamvis negotia peculiaria, et causæ singulares melius et tutius a collegio personarum pertractentur et definiantur; tamen non idem videtur contingere in universalitate causarum, et in generali negotiorum gestione. Ubi enim omnia negotia ab omnibus cognosci et videri debeant, ob opinionum differentiam, et ordinariam desidiam in rebus communibus gerendis, facile con-

sequitur, negotia in expeditione retardari. Quare licet cum de uno alterove negotio agitur, illud facile committitur videndum et explendum collegio personarum; cum vero agitur de generali jurisdictione exercenda, et ordinaria negotiorum administratione gerenda, uni personæ solet committi. Exemplum habemus in præscriptione Concilii Tridentini de regimine Diœceseos, sede episcopali vacante. Conc. enim sess. 24. c. 16. *de Ref.* voluit, ut in rebus spiritualibus regimen et administrationem Diœceseos non Capitulum, sed Vicarius electus ab eodem Capitulo exerceret.

26. De *qualitatibus* Vicarii generalis. — 1ª. qualitas est ut sit saltem *Clericus,* idest primam habeat tonsuram. Nam sufficit status clericalis ut quis fiat capax ecclesiasticæ jurisdictionis; ergo non requiritur, ut assumatur Vic. Generalis e gremio Capituli. Hinc non potest Episcopus laicum sibi eligere in Vicarium generalem, quia laicus incapax est ecclesiasticæ jurisdictionis c. 2. *de Judiciis* (II 1). Potest vero Episcopus laico committere munus adsessoris vel Consultoris in suo tribunali, ut nempe referat ea quæ sunt juris, non autem ut, præsertim in Clericos vel in causis ecclesiasticis, sententiam pronunciet.

2º. Clericus vero ut in Vicarium adsumatur saltem debet esse constitutus in *ætate 24.* anni completi; eo quod ad curam spiritualem in Diœcesi exercendam assumitur, et in jure receptum est, ut infra illam ætatem Clericus non assumatur ad beneficium curatum, cap. 7. §. 'Inferiora' *De Elect.* (I. 6) et Sess. 24. c. 12. *de Ref.* in Concilio Tridentino.

3º. Esse *non* potest *conjugatus,* licet habitum et tonsuram deferat: s. C. EE. et RR. in *Tregurien.,* 11. Septemb. 1612.

4º. Debet esse vel *doctor* vel *licentiatus in jure Canonico,* aut alias, quantum fieri potest, idoneus. Arg. cap. 16. sess. 24. *de Ref.* in Tridentino. Ex hac mente Conc. factum est, ut s. C. EE. et RR. in quæstionibus ad eam delatis super idoneitate Vicarii generalis, Episcopis solita fuerit præcipere, ut doctorem ad hoc officium assumerent, licet aliquando permiserit, ut Clericum academicis gradibus destitutum sibi Vicarium haberent.

27. Quoad *regulares,* conveniunt auctores, fratres ex ordine mendicantium excludi ab officio Vicarii generalis. Clem. 1. *de Reg.* (III. 9) §. 'Ad prioratus', ubi ait Pontifex 'Ad prioratus quoque, administrationes aut quæcumque in antea non assumi officia, etiam tamquam Vicarios seu ministros'. Hæc vero dispositio saltem

ex praxi ad omnes regulares extenditur; cum ex Decretis *Clementis VIII. De Reformatione Regularium §. 32.* invaluerit principium 'Regulares extra claustra monasterii sui absque licentia Sedis Apostolicæ degere non posse'.

28. Ex resolutione autem s. Congr. Conc. diei 3. Febr. 1685. (rel. XLII. 29.) non potest assumi ad officium Vicarii generalis dignitas aut canonicus ecclesiæ Cathedralis cui adnexa est *cura animarum.* Hinc in genere dici potest, parochum Vicarii generalis munere fungi nequire. Ratio est: quia parochus potitur officio quod assiduam assistentiam et operam exigit. Ob eandem rationem nec Canonicus *pœnitentiarius* videtur deputari posse ad officium Vicarii generalis; S. C. EE. et RR. in *Arimin.*, d. 18. Maji 1611. (*Bizzarri: Collect.* pg. 271.)

29. Quidam porro auctores arbitrantur Vicarium generalem eligi non posse ex *Clero Diœceseos*, sed esse eligendam personam extraneam ab eadem. Certum est jure antiquo, Vicarium generalem non solum fuisse de Clero Diœceseos, sed immo fuisse de ipso Clero Cathedralis, videlicet Archidiaconum. Pariter Tridentinum non præscripsit extraneum esse eligendum. Sed plerumque factum est, ut extraneus eligeretur. Card. *de Luca* in *Adnotat. ad Concil. Trid.* Discur. *31.* n. *14.* exponit praxim S. Congr. EE. et RR. 'a qua', ait, 'quando recursus habetur, demandari solet Episcopo, ut teneat Vicarium generalem doctorem et non diœcesanum'. Item *Lucius Ferraris* in *Bibliotheca Canonica* v. 'Vicarius generalis' plures resolutiones affert s. Congr. Concilii quæ viderentur ostendere necessitatem assumendi personam extraneam ad officium Vicarii. Qua in re animadvertimus, opportunum quidem esse ut persona extranea assumatur in Vicarium, ne in causis definiendis et in ministerio præsertim disciplinari exercendo aliquo modo Vicarius trahatur a motivis sanguinis et necessitudinis familiæ et generis sui; verum id non procedere ex stricto jure. Nam nullibi habemus expressam hac super re dispositionem juris. Praxis autem citata a Card. *De Luca* et resolutiones a *Ferrario* allatæ respiciunt casus speciales in quibus præcipitur Episcopo ob odium Vicarii Diœcesani et ob loci peculiares conditiones, ut extraneum Clericum eligat. Ita ex. gr. recentiori ævo, nempe mense Februar. an. 1859. factum est in una *Terracinen.*; in qua a s. Congr. Conc. injunctum est Episcopo ut in Vicarium generalem Terracinensem eligeret virum extraneum a tribus Diœcesibus unitis

quibus ipse præerat, ob rationem cujusdam pacti, quo municipium se obligaverat ad pensionem præstandam Vicario, dummodo esset extraneus. Quapropter mos incœpit invalescere, ut eligeretur in Vicarium vir etiam ex Diœcesi, quique solet appellari, licet inepte, Provicarius generalis'. — Quidquid hic dictum est de electione clerici *diœcesani* in Vic. Generalem, a fortiori valet de electione clerici Episcopo propinqui; S. C. EE. et RR. in *Comen.*, d. 2. Dec. 1578; in *Tortonen.*, d. 12. Nov. 1666.

30. De *potestate* Vicarii generalis. — Potestas Vicarii generalis induit naturam jurisdictionis ordinariæ; quare eo ipso quod aliquis constituatur Vicarius generalis, vi officii sui acquirit potestatem ordinariam administrationis Diœceseos. Hæc potestas dicitur procedere ex generali mandato. Quare generale mandatum nihil aliud est, quam ipsa deputatio personæ ad munus Vicarii generalis gerendum. Verum potest etiam aliquod jus, seu facultatem assequi ex *speciali* commissione Episcopi. Primum ergo videndum est quid possit et quid non possit Vicarius gen. ratione officii sui seu vi *generalis* mandati.

Commemorandum præ primis est Vicarium gen. esse Vicarium jurisdictionis, hinc mandatum generale complectitur exercitium potestatis jurisdictionis, non vero potestatis *ordinis* episcopalis: Hinc quamvis Vicarius generalis charactere episcopali muniretur, non posset vi accepti mandati sacrum Chrisma conficere, sacram ordinationem habere, pontificalia peragere atque alia ordinis episcopalis, nisi constitutus esset etiam Vicarius in divinis seu pontificalibus, quemadmodum contingere solet quando titularis Episcopus assumitur in auxiliarem Episcopi Diœcesani, qui etiam appellatur Suffraganeus. Ad potestatem ergo jurisdictionis sermonem coarctamus, quæ et facultatem causas judicialiter decernendi complectitur et regimen spirituale quod sine forma judicii exercetur.

31. Qua in re quoniam Vicarius generalis in Diœcesi est Ordinarius, et idem cum Episcopo auditorium seu tribunal constituit, sequens regula et principium ab auctoribus proponitur 'Vi generalis mandati potest Vicarius ea omnia negotia exequi quæ Episcopus potest, nisi vel a jure excipiantur expresse, vel adeo gravia existimantur, ut præsumatur Episcopus noluisse ea peragi absque sua scientia et judicio'. Etenim in Reg. 81. Juris in 6°. 'In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset in specie verosimiliter concessurus.' Et ipsæ leges civiles nobis offerunt exemplum in

procuratore qui ad universalitatem negotiorum solet constitui; quique alienare, donare et beneficio renunciare nequit. Quare ut limites potestatis vicariatus dignoscantur, determinandi sunt casus, quos ab eadem potestate vel excipit jus. in specie, vel excipiendi sunt ob eorum gravitatem ex intentione juris.

32. 1°. Quamvis ex cit. c. 2. h. t. in 6°. in Vicarium per commissionem generalem officii causarum cognitio transferatur, tamen generatim *causas criminales* videre et decernere non potest absque speciali mandato. Nec *pœnas privationis* a beneficiis, officiis et administrationibus alicui potest applicare cit. c. 2. h. t. in 6°. et c. 20. sess. 24. *de Ref.* in Trid. Verum Vicarius potest in crimina inquirere ut referat Episcopo vel etiam ut remediis disciplinaribus cohortationis nempe vel minarum vel etiam levium pœnarum a criminibus deterreat, et scandala removeat. Ita Doctores innixi L. ult. in fin. *ff. De Off. ejus cui mandat. est jurisd.*, juxta quam omnis jurisdictio præsertim ordinaria ut efficax sit in sui exercitio, aliqua saltem moderata coërcitione indiget. — 2°. Nec absque speciali commissione videre et decernere potest Vicarius causas *matrimoniales*, quia in cit. loco eas Conc. Trid. Episcopo reservavit. Potest tamen Vic. Generalis vi generalis mandati dispensare super denuntiationibus; c. 1. »Tametsi« *de Ref. matr.* sess. 24., et ex eod. c. »Tametsi« valide assistere matrimonio ineundo, uti declaravit S. C. Concilii (l. 10. decret. p. 36.): »Censuit S. Congr. coram Vicario Eppi matrimonium contrahi posse perinde ac coram parocho.« 3°. Nec *beneficia* conferre potest, *c. ult. h. t. in 6°*. nec beneficia unire aut supprimere; uno verbo non potest mutare conditionem beneficiorum aut ecclesiarum; nec recipere renuntiationes beneficiorum ob rationem contrariorum. Potest vero Vicarius instituere in beneficio Clericum præsentatum a patrono. Institutio enim censetur in jure actus necessitatis et justitiæ c. 3. *De Instit.* (III. 7.) et Glossa ibi. — 4°. Nec Clericis potest literas *dimissoriales* concedere ad ordines suscipiendos c. 3. *de temporib. Ordinat.* (I. 11). Excipitur casus quo Episcopus in longinquis regionibus versetur. Attamen potest dare, saltem probabiliter, literas *testimoniales*, uti probavimus supra, in appendice ad t. XI., n. 7., pg. 157. — 5°. *Synodum* convocare aut Diœcesim *visitare* non potest. — 6°. Non potest *dispensare* in irregularitatibus ex crimine occulto, quarum dispensatio a Conc. Trid. sess. 24. c. 6. *de Ref.* tribuitur Episcopo ita ut eam concedant 'per seipsos aut per Vicarium ad id *specialiter*

deputandum. Nec potest dispensare in votis, juramentis aut legibus, in quibus Episcopus dispensare potest. Hæc enim omnia induunt speciem remissionis et gratiæ, quæ in generali mandato non continentur. At si præsertim ex casuum frequentia in hisce et aliis similibus rebus, sciente et tacente Episcopo, introducatur consuetudo, qua Vicarius dispenset et procedat, poterit hæc consuetudo eam vim habere ut quædam negotia sub dispositione mandati generalis constituat. Item non potest consensum canonicum dare ad erectionem confraternitatis in diœcesi, uti quoad confraternitatem Ss. Rosarii specialiter declaravit S. C. Indulg., d. 2. Aug. 1888. — 7°. Nec potest absolvere a casibus Episcopo reservatis arg. c. 2. *De pœn. et remis. peccat.* (V. 10.) *in 6°*. nec in casibus procedere in quibus Episcopus procedit tamquam Sedis Apostolicæ delegatus. Cfr. in hac materia *Ferraris: Bibl. Can.* v. »Vicarius gen.« art. 2. Potest vero Episcopus potestatem suam delegare per *speciale* mandatum Vicario, excepta tamen absolutione a crimine hæresis, quæ soli Episcopo reservatur ex dispositione Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. *de Ref.* Ceterum quid ex generali mandato Vic. Generalis possit, quid non possit peragere, undequaque conquisitum reperies in cl. opere *Leurenii: De Episcoporum Vicariis,* c. III., p. I. qq. 107. et sqq.

33. Porro speciale mandatum *duplex* esse potest: scilicet aliud est quod data occasione Episcopus Vicario suo tribuit ad aliquod peculiare negotium peragendum, aliud quod post deputationem personæ ad officium Vicarii generalis, eidem Episcopus tradit per folium scriptum in quo facultates designantur, quas idem Episcopus Vicario tribuere intendit. Quoad primum mandatum nulla difficultas oriri potest; nam Vicarius mentem mandantis cognoscit ex commissione sibi data, et unice debet cavere, ne limites obtentæ facultatis excedat.

34. Si sermo sit de mandato speciali secundi generis, pauca sunt animadvertenda. 1°. Equidem potest Episcopus sibi reservare quædam negotia, quæ Vicarius posset peragere vi mandati *generalis.* At moderatio hac in re adhibenda est, ne potestas Vicarii, quæ ceteroquin a jure procedit, inanis et quasi illusoria reddatur. 2°. Ita debet concipi speciale mandatum, ut non destruatur mandatum generale. Scilicet limitatio facultatum ita debet fieri, ut semper remaneat generalis facultas administrandæ Diœceseos, secus enim immutaretur indoles officii, et qui debet esse Vicarius a jure

recognitus, redderetur simplex personalis delegatus Episcopi. 3°. Ex c. 4. *de procurat.* (I. 19) *in* 6°. et Reg. 81. Jur. in 6°. non censetur data facultas Vicario agendi ea quæ requirunt speciale mandatum, quamvis in concessione generali dictum fuerit posse Vicarium expedire ea quæ requirunt speciale mandatum. Nam in cit. locis juris hæc clausula ceu nimis generalis habetur. In iis autem quæ exorbitant a jure clausulæ generales nihil operantur. Ita Doctores. Quod si in mandato aliquod peculiare negotium nominetur, et adjiciatur clausula 'cum cæteris quæ requirunt speciale mandatum', poterit Vicarius negotia expedire sive ejusdem momenti sive minora, non autem graviora. Cit. c. 4. *de Proc.* (I. 19.) in 6°. et Clem. 2. *de Proc.* (I. 10).

35. Cum Vicarius gen. eandem habeat jurisdictionem cum Episcopo, ac idem tribunal, *cessat* ipso facto et absque juridica declaratione potestas Vicarii illis omnibus modis, quibus cessat potestas Episcopi illum constituentis. Hinc morte Episcopi, renuntiatione ejusdem acceptata a Superiore, translatione, et morte civili Episcopi, finitur jurisdictio Vicarii. Ob eandem rationem si suspendatur jurisdictio Episcopi, suspenditur etiam jurisdictio Vicarii. Ex. gr. si Episcopus excommunicatus aut suspensus existat. Verum, pendente suspensione jurisdictionis episcopalis, Vicarius generalis potest exequi Literas Apostolicas sibi commissas. Ratio est: quia ipse habitu remanet Vicarius, et in exequendis Literis Apostolicis non utitur potestate Episcopi, sed potestate Summi Pontificis. Cfr. *Corradum: De Dispens.* L. 7. c. 4. n. 47. — 2°. Cum jurisdictio Vicarii non sit adnexa alicui titulo perpetuo nec institutionem canonicam secumferat, sed procedat ex nominatione et mandato Episcopi, cessat per revocationem mandati. Qua in re adnotandum est 1°. revocationem hanc faciendam esse ex *rationabili causa*, ne lædatur honor Vicarii, ita ut secus dari possit redintegratio, ceu tenuit s. Congr. EE. et RR. in *Spalaten.* diei 3. Julii 1610. et *in Trecoren.* diei 8. Octobr. 1649. 2°. Revocationem hanc esse intimandam Vicario ipsi, nec sufficere simplicem voluntatem Episcopi aliis etiam manifestatam. Ex præfata notione sequitur etiam, posse Vicarium vel expresse vel tacite renunciare officio suo, nec necesse esse ut renunciatio acceptetur ab Episcopo.

36. De præeminentia honoris Vicarii generalis. — De hac materia fuse pertractat *Jacobus Pignatelli*: tom. 3. Consult. 64.

et non paucas refert ss. Rituum Congregationis, et S. Congr. Conc. responsiones. Præ primis vero hic auctor n. 3. et 10. ex communi sententia Doctorum statuit sequens principium: Vicario generali etiam præsente Episcopo præcedentiam publice privatimque competere in omnibus actibus ac locum eminentiorem super quibusvis Dignitatibus et Canonicis; ipse enim est Superior et habet post Episcopum jurisdictionem super omnibus. Roborat autem hanc regulam responsione s. Congr. in una *Montis Regalis,* 20. Aug. 1586. Ut autem expositum principium melius intelligatur, præstat aliquas exhibere s. Congr. resolutiones, quas idem auctor refert. Et primo quidem Vicarius generalis præcedit Dignitatibus et Canonicis, qui incedunt in habitu ordinario canonicali. Ita in *Nolana* et *Lauretana,* 25. Martii 1610. Eosdem insuper præcedit Vicarius, licet incedant in habitu protonotarii, ex bulla *Pio IX.* »*Apostolicæ Sedis officium*«, d. 29. Aug. 1872, n. V. Non præcedit vero Vicarius Dignitates et Canonicos qui vestibus sacris, idest sacris paramentis induti ministrant. Ita S. R. Congr. in *Egitanien.* diei 3. Aug. 1602. et in *Lauretana* diei 7. Septemb. 1603. et in aliis resolutionibus. Ut autem Vicarius in Choro et in processionibus præcedentiam habeat, habitu *vicariali* indutus esse debet. Ita in resol. S. R. Cong. diei 11. Maji 1641. et in una *Civit. Plebis* diei 26. Aug. 1645. Si canonici specialibus a S. Sede gaudent privilegiis, e. gr. utendi canone et palmatoria, Vic. Generalis, si non est et ipse canonicus, ex sua dignitate non est consors eorundem privilegiorum; S. Rit. C. in *Asculana,* d. 11. Dec. 1885. n. 5954. ad 5. et 6. Præterea præcedentiam obtinet Vicarius, dummodo ipse non sit Dignitas vel Canonicus Ecclesiæ, sin minus nolit tanquam Dignitas vel Canonicus in choro assistere, distributiones quotidianas lucrandi causa. Quia si velit distributiones percipere, tunc sedere debet in stallo seu loco suæ dignitatis vel canonicatus. Ita eadem s. Congr. in una *Civit. Pennæ* diei 12. April. 1603. Insuper animadverti debet, absente vel impedito Episcopo, in sacris functionibus peragendis subintrare primam Dignitatem Capituli, non vero Vicarium generalem qui solummodo potest præesse, ut omnia suo ordine procedant. Ita resolvit in pluribus quæstionibus sibi propositis s. Congr. EE. et RR. Ita in *Turitana,* d. 14. April. 1592. in *Spoletana,* diei 22. Decem. 1611. et in aliis.

De Eminent. Cardin. Vicario Generali Romani Pontificis in Urbe, ejusque districtu.

37. Occasione c. 5. h. t. hæc tractatio proponitur. Soliti fuerunt Romani Pontifices in eorum absentia aliquando in civilibus et in ecclesiasticis negotiis, aliquando solummodo in negotiis ecclesiasticis Romæ relinquere proprium Vicarium cum amplissimis mandatis. At præter hosce Vicarios soliti fuere RR. Pontifices habere et revera constanter habent Vicarium qui eosdem non quoad regimen universalis Ecclesiæ, sed qua Episcopos Romanos repræsentat, cum plena jurisdictione episcopali exercenda sive præsente sive absente Romano Pontifice pro tempore. Antiquitus munus Vicarii in Urbe committebatur aliquando etiam alicui Episcopo. At *Paulus IV.* in Consistorio diei 18. Nov. 1558. edidit decretum, quo statuit, hoc munus alicui S. R. E. Cardinali conferendum esse.

38. Porro Urbanus Vicarius non solum est Vicarius jurisdictionis, sed etiam Vicarius in divinis. Hinc 1°. exercet etiam munia episcopalia. 2°. Ejus jurisdictio censetur ordinaria. Hinc non cessat morte Pontificis, sed etiam sede vacante perseverat. 3°. Quamvis ex dispositione c. 5. h. t. videatur concludi inter mœnia Urbis Romæ; tamen hodie de jure protenditur ad quadragesimum ab Urbe lapidem. Verum ab hac jurisdictione excipiuntur loca, quæ quamvis hoc perimetro quadragesimi lapidis contineantur, aliis vero Diœcesibus subjacent. Const. '*Romanæ Curiæ*' 22. Decemb. 1755, quæ est 115ª. *Bened. XIV., §. 21.* Præterea cum ex Const. *Innocentii XII.* '*Romanus Pontifex*' d. 17. Septemb. 1692. jurisdictio Cardinalium in suis titulis coarctata fuerit ad servitium Ecclesiæ et ad internam disciplinam ecclesiasticam, factum est ut tituli cardinalitii populo separato carerent. Quare cessavit jurisdictio quasi episcopalis Cardinalium in propriis ecclesiis, et jurisdictio Cardinalis Vicarii extensa est ad totam Urbem. 4°. Licet vicario nomine, tamen ad instar Ordinarii Diœcesani, ea omnia gerit Cardinalis, sive quoad potestatem ordinis, sive quoad potestatem jurisdictionis, quæ gerit Episcopus in sua Diœcesi. Excipitur visitatio pastoralis, quæ speciali Congregationi commissa est, cujus præfecturam sibi reservat Rom. Pontifex, et excipitur collatio beneficiorum, quæ reservata est S. Sedi vel Cardinalibus in suis titulis. 5°. Ex Const. insuper *Pauli III.* an. 1542. quæ est de facultatibus ordinariis Cardinalis in Urbe Vicarii, quæque est n. 36. in Bul-

lario *Cherubini* §. *10.* potest Cardinalis Vicarius cum Clero Romano Synodum Diœceseos Romanæ convocare et celebrare. — Cardinalis Vicarius habet vices gerentem caractere episcopali decoratum, qui ad vitam eligitur. Hic eundem coadjuvat ab eoque dependet.

De Vicario foraneo.

39. Vicarius foraneus sic appellatur quia extra civitatem tituli episcopalis in pagis constituitur. Vicariorum foraneorum origo antiquissima est, et ad Chorepiscopos ab Auctoribus refertur. Cfr. *Juenin: 'De sacramentis'* Dissert. 9. quæst. 2. cap. 4. Chorepiscopi, idest Episcopi agrorum, ceu notat *Ferrandus Diaconus* in *'Breviario'* c. 79., non erant nisi Vicarii Episcopi, qui sub ejus dependentia alicujus pagi aut districtus gubernium spirituale exercebant. Ex institutione erant simplices presbyteri, quibus proinde licet concederetur facultas conferendi minores Ordines, non excluso Subdiaconatu, qui tunc minor ordo erat, interdicebatur autem collatio ordinum majorum, et confirmationis, nec non consecratio Ecclesiæ vel altaris, c. 4. D. 68. Unde cum voluerint sibi assumere ea quæ sunt Ordinis episcopalis, reprobati sunt a *Damaso* in Epist. ad Episcopos Africæ quæ refertur in c. 5. D. 68. Verum historiæ documenta evincunt, aliquando in officium Chorepiscoporum fuisse assumptos aliquos qui caractere episcopali muniebantur. Quod contigit vel cum in æstu persecutionum Episcopi a suis sedibus pellerentur, vel cum ab hæresi vel schismate redirent, vel post patratum crimen dejecti a suis sedibus ad bonam frugem converterentur. Conc. Nicænum can. 8. statuit ut qui Episcopi Novatiani ad Ecclesiam redirent ab Episcopo loci admitterentur sive ad officium Presbyteri, sive ad officium Chorepiscopi.

40. Auctoritate vero sua abutentibus Chorepiscopis, cœpit minui gradus Chorepiscoporum, donec medio circiter sæc. 10. penitus in Occidente extinctus est. De Chorepiscopis agit *Bened. XIV.: De Syn. Diœc.* Lib. 3. cap. 3. n. 6. Chorepiscopis successerunt Archipresbyteri vel Decani rurales, qui regiunculis præerant in Diœcesi, quique præsertim vigilantiam exercebant in plebanos et clericos sibi subjectos, quos in aliquibus Diœcesibus singulis mensibus coram se congregabant veluti in ruralem Synodum, quemadmodum statutum fuisse legimus in Conc. *Coloniensi* an. 1266. can. 14. et in Conc. *Excestrensi* anni 1287. can. 31.

41. Archipresbyteris vel Decanis ruralibus successere Vicarii foranei. De hisce loquitur *Innocentius IV.* in c. 1. *de Off. Ordin.* (I. 16) in 6°. Sed expressius *Clemens V.* in Clem. 2. *De Rescr.* (I. 2). Ex quo capite eruitur hosce Vicarios habuisse jurisdictionem circa aliquas causas, et ab eorum sententia appellari potuisse ad tribunal Episcopi. Verum ex hodierna praxi adeo limitata est horum Vicariorum potestas, ut vi officii et mandati generalis jurisdictionem forensem amiserint, et solummodo exerceant vigilantiam circa vitam et mores Clericorum et legum ecclesiasticarum observantiam, et præsertim circa observantiam dierum festorum, de quibus rebus referunt ad Episcopum; nec non modicam habent jurisdictionem circa causas Clericorum quæ œconomice pertractantur. Quandoque vero ab Episcopo eisdem confectio processuum in causis criminalibus committitur, et alia mandantur gravia locorum negotia expedienda.

Vicaria foranea jure communi non est adnexa alicui beneficio. Hinc Episcopus potest eligere sibi Vicarium foraneum, qui non sit parochus, quique licet jus non habeat ut vocetur ad Synodum, tamen si vocetur, tenetur accedere. Cfr. *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* l. c. n. 10.

De Vicario Capitulari.

42. Inspeximus regimen Diœceseos sede plena, quod Episcopus exercet per se et per Vicarios suos; nunc inquirimus quomodo sede vacante consulat jus canonicum eidem regimini. Antiquitus curam Diœceseos vacantis suscipiebat Episcopus vicinior, ceu ex allatis documentis historicis probat *Bened. XIV.: De Syn. Diœc.* Lib. 2. c. 9.; jure autem Decretalium relato in capp. 11. et 14. *De Majorit. et Obed.* (I. 33) sede vacante Capitulum Cathedralis Ecclesiæ succedebat Episcopo in ordinariam administrationem Diœceseos, quam sive per se sive per aliquem deputatum exercebat. Concilium vero Tridentinum c. 16. sess. 24. *de Ref.* statuit ut vacante sede episcopali, Capitulum præter *œconomum* qui res temporales et proventus administret, si fructuum percipiendorum munus ei incumbat, infra octo dies ab accepta notitia vacationis teneatur eligere Vicarium vel confirmare Vicarium existentem Episcopi, ita ut si negligens fuerit, suppleatur negligentia capituli per superiorem. Idest si Ecclesia fuerit suffraganea, ad metropolitanum devolvitur deputatio Vicarii Capitularis; si fuerit exempta, devolvitur ad Viciniorem; si

16*

metropolitana, devolvitur ad antiquiorem ex suffraganeis Episcopis Quod si vero simul vacet Ecclesia metropolitana et suffraganea, negligente Capitulo hujus suffraganeæ, deputatio Vicarii non ad Episcopum antiquiorem provinciæ, sed ad Capitulum metropolitanum spectat: quemadmodum s. Congr. Conc. interrogata resolvit die 28. Aug. 1683. et die 14. Apr. 1685. Cfr. *Bened. XIV. l. c.* n. 2. Interim vero quoadusque Vicarius capitularis non fuerit electus, actus administrationis Diœceseos a Capitulo perficiuntur, penes quod residet jurisdictio diœcesana.

43. Porro Capitulum non potest eligere suum Vicarium, quando, vivente adhuc Episcopo, S. Sedes ipsa deputaverit Vicarium generalem, vel administratorem Diœcesi adsignaverit. Persona enim designata ab Apostolica Sede, mortuo Episcopo, conservat officium suum, et tamquam Vicarius capitularis, perdurante vacatione Sedis Episcopalis Diœcesim gubernat. Ratio est: quia S. Sedes manus apposuisse censetur in administratione Diœceseos, et inferiori non licet personam a Summo Pontifice delegatam ab officio removere, et alteram eidem subrogare. Ad rem faciunt resolutiones s. Congr. EE. et RR. in *Aquilana* 4. Aug. 1578. relatæ a Card. Bizzarri in Collectanea pro usu secretariæ ejusdem Congr. p. 236. et in Lycien., d. 22. Dec. 1628. cit op. pag. 277. et in aliis causis in eodem opere relatis. Neque cessat potestas Vic. Apostolici morte Summi Pontificis, si Vic. Ap. delegatus fuit ad beneplacitum S. Sedis, S. C. EE. et RR. in *Lycien.*, d. 17. Nov. 1590 (Bizzarri l. c. pg. 256.)

44. Præ oculis etiam habenda est Const. *Bened. XIV.* '*Quam ex sublimi*' diei 8. Aug. 1755. in qua 1°. statuit ut Vicarii Apostolici in locis missionum, qui carent coadjutore cum futura successione, sibi Vicarium generalem sive ex Clero sæculari sive ex Clero regulari constituant, qui eveniente Vicarii Apostolici obitu, jura omnia Vicarii Capitularis ipso facto acquirat, et Vicariatum ordinaria potestate gubernet, quoadusque ab Apostolica Sede non fuerit novus Vicarius Apostolicus constitutus. 2°. Deveniens Pontifex ad Archiepiscopos et Episcopos ordinarios locorum et residentiales, distinguit inter hypothesim qua Episcopus habet suum Capitulum, et hypothesim qua Capitulo caret. In prima hypothesi decernit, ut Vicarius Capitularis eligatur a Capitulo, etiam cum interventu aliarum personarum ecclesiasticarum quas constat semper in tali negotio electionis suffragium dedisse.

45. Si autem Capitulum non existat, statuit Pontifex, ut parochi sive soli, sive cum aliis ecclesiasticis viris, juxta modum, usum et consuetudinem de præterito servatam, ad Vicarii Capitularis electionem faciendam accedant, servatis constitutionibus Concilii Tridentini, præsertim sessionis 24. cap. 16. *de Ref.* In iis autem locis in quibus Antistites neque Capitulum habent, neque Parochos, sed dumtaxat sacerdotes missionarios per terras et oppida dispersos, qui simul convenire minime valeant; in hoc casu decernit Pontifex ut Vicarius generalis defuncti Episcopi ipso facto sit et habeatur ut Vicarius Capitularis.

46. Tandem animadverti debet, in *Abbatiis Nullius,* Cathedram non habentibus, quarum jurisdictio concessa quidem est Abbati, sed adveniente vacatione non devolvitur ad Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ illius: locum non esse electioni Vicarii Capitularis, et totam jurisdictionem devolvi ad S. Sedem, quæ tempore vacationis deputat Vicarium Apostolicum. Ita docuit s. Congr. EE. et RR. in *Guastallen.* diei 11. Sept. 1792. *Bizzarri: Collectanea* pag. 44.

47. Porro electio Vicarii a Capitulo facienda est intra octo dies a *morte* Episcopi. Ita Tridentinum in cit. loco sess. 24. c. 16. *de Ref.* Quamvis vero Concilium de sola vacatione Sedis per *mortem* Episcopi meminerit, tamen in praxi approbata a S. Sede receptum est ut Tridentina dispositio servanda sit etiam quando episcopalis Sedes vacat aliis modis, nempe per *renunciationem, translationem* vel *depositionem* Episcopi. Item receptum est ut tempus utile octo dierum incipiat decurrere a die habitæ notitiæ vacationis. Hinc electio facta ante verosimilem notitiam vacationis Ecclesiæ est nulla, licet Capitulum esset certum de imminente morte vel translatione Episcopi in *Neritonen.* d. 24. Maji 1652. Et quidem quoad casum translationis regulam tradit s. Congr. EE. et RR. (*Card. Bizzarri in Collectanea* pag. 662.) in sequenti declaratione, d. 14. Dec. 1624: 'S. C. EE. et RR. Sanctissimo Domino Nostro approbante, censuit Ecclesiam, a qua volens transfertur, seu quam amittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ; etiam ante expeditionem Literarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ. Et postquam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam ex testimonio, seu documento secretarii sacri Collegii, illico teneri eum abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in Capitulum sede vacante,

et ita posse et debere Capitulum statim ea jurisdictione uti, ac Vicarium juxta Tridentini Concilii præscriptum eligere, sedemque vacantem publicare'. — Quid vero si Episcopus ab hostibus capiatur, vel a Diœcesi exulare cogatur? De hac quæstione egimus superius in Tit. *De supplenda neglig. Prælatorum.* X. n. 8. — Tandem animadvertimus, non posse Capitulum eligere Vicarium Capitularem in casu quo Episcopus sit excommunicatus, vel suspensus, vel etiam in casu quo, Episcopo in remotis agente, ejus Vicarius Generalis moriatur; sed recurrendum esse ad S. Sedem. Ita Doctores citati a Card. *Bizzarri* in *Collectanea* pag. 663.

48. Quæritur 1°. an Capitulum in commissione jurisdictionis possit aliquam partem vel aliquem actum ejusdem sibi *reservare?* Primis post Concilium Tridentinum temporibus inter Doctores controvertebatur, et ipsa s. C. C. visa est inclinare in affirmativam sententiam. Nam die 18. Nov. 1651. respondit, jus renunciandi magis idoneum ad assequendam Parœciam ex concursu, esse Capituli et non ejus Vicarii, quia hoc jus sibi Capitulum reservaverat in commissione perficienda. At inde sententia opposita prævaluit, et iterum discussa quæstione, etiam sub generali conceptu, an scilicet possit a Capitulo Vicarii jurisdictio limitari, censuit s. C. C. die 1. Dec. 1736. jurisdictionem *non posse* a Capitulo limitari. Et merito. Nam Capitulum non ex voluntate et arbitrio suo Vicarium constituit; sed ex dispositione juris tenetur Vicarium deputare, cui suam, adeoque integram jurisdictionem committere debet. Ob eandem rationem semel constitutum Vicarium non potest Capitulum revocare, sed debet exspectare quoadusque novus Episcopus fuerit canonice assumptus ad gubernium Diœceseos. Cfr. *Fagnanus* Com. in cap. »His quæ« 11. *de Major. et Obed.* (I. 33) n. 71. Qua de re etiam loquitur *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* L. 2. c. 9. n. 4. Porro quæstio utraque juridice per modum legis resoluta est in Const. '*Romanus Pontifex*' *Pii IX.* data V. kal. Sept. an. 1873. In ea enim hæc leguntur: ,Motu proprio .... declaramus et decernimus: totam ordinariam Episcopi jurisdictionem, quæ vacua Sede episcopali in Capitulum venerat, ad Vicarium ab eo rite constitutum omnino transire, nec ullam hujus jurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus Vicarium constituere, multoque minus removere, sed eum in officio permanere quousque novus Episcopus Literas Apostolicas de collato sibi episcopatu Capitulo juxta *Bonifacii VIII.* prædecessoris nostri

Const. (»Injunctæ« *de Elect.* (I. 3) inter extrav. com.) vel deficiente Capitulo, ei exhibuerit, qui ad normam SS. Canonum vel ex speciali S. Sedis dispositione, vacantem Diœcesim administrat, vel ejusdem administratorem seu Vicarium deputat.'

49. Quid vero si *justa causa* removendi Vicarium Capitularem verificetur? Respondemus, neque Capitulum neque Archiepiscopum qui in nominatione Vicarii fortasse supplevit negligentiam Capituli, posse deputatum Vicarium ab officio removere. Etenim deputatio Vicarii Capitularis, uti innuimus, ex necessitate juris procedit, et electores deputationem perficiendo, functi sunt munere suo. Quare inde nec Capitulum nec Archiepiscopus electam personam possunt officio privare. Hoc enim officium ministerio juris communis in eadem persona residet. Res igitur ad S. Sedem deferenda est, nec remotio facienda est nisi ex causa cognita apud eandem S. Sedem. Ita *Fagnanus* l. c. et *Benedictus XIV.* pariter l. c. Ad rem vero facit resolutio s. Congr. C. in *Civitatensi,* 9. Junii 1725. Si vero Vicarius Capitularis vel demoriatur, vel renunciet officio suo, Capitulum potest et debet novum Vicarium deputare. Ratio est: quia, vacante officio, incipit reviviscere jus et onus Capituli Vicarii eligendi. At electio sub pœna nullitatis cadere non potest in personam electi vel nominati ad dignitatem episcopalem ejusdem Ecclesiæ vacantis. Ita in Const. *Pii IX.* *'Rom. Pontifex',* quam per summa capita supra retulimus in tit. *De Elect.* t. VI. n. 43.

50. Quæritur 2°. utrum Capitulum possit duos vel plures Vicarios constituere. Respondemus, antiquo jure Decretalium potuisse ex cap. un. *De Cler. ægrot.* (III. 5.) *in 6°.* Verum interrogata S. C. C. utrum post Tridentinum liceret, respondit teste *Fagnano* l. c. n. 68.: non licere. Concilium enim cum agit de officiali ad sæcularia negotia expresse tradit assumi posse unam vel plures personas idoneas, cum vero sermonem habet de Vicario jurisdictionis spiritualis, vicarium nominat, nec illam distinctionem vel plures repetit. Ratio autem est: quia si duobus committatur aut pluribus administratio Diœceseos, difficile habetur unitas regiminis. Verum ubi adsit immemorialis consuetudo plures Vicarios Capitulares deputandi, vel ut in solidum agant, vel alternis mensibus, consuetudinem hanc servari posse, respondit eadem s. Cong. in *Panormitana* 20. Jun. 1589. Idque vero præsertim admitti potest, ubi ex gubernii civilis legibus duo aut plures eligendi essent Vi-

carii Capitulares sub pœna privationis solitæ pensionis ad honestam vitæ sustentationem. Immo hodie in praxi receptum est, ut sustineatur consuetudo legitima, licet non sit immemorabilis, deputandi plures Vicarios Capitulares. Nam S. Sedes solet remittere facultates vel particularia rescripta Vicariis Capitularibus in illis Diœcesibus in quibus usus seu consuetudo inducta fuit plures habendi Vicarios Capitulares, quin mentionem faciat de immemoriali consuetudine. Dixi tamen 'ut agant in solidum'. Nam non videtur admitti posse, ut agant collegialiter; secus enim eluderetur Conc. Tridentini intentio, et sequerentur eadem incommoda, ob quæ Concilium prohibuit, quominus jurisdictio episcopalis sede vacante a Capitulo, idest a pluribus collegialiter exerceretur. Cæterum nova consuetudo, ubi non adesset deputandi plures Vicarios Capitulares, admitti non posset, sæpe sæpius enim Romanæ Congregationes quærentibus reposuere: studeant sese conformare statutis Conc. Tridentini, ut unum eligant Vicarium Capitularem. Aliquando autem S. Sedes etiam ubi non adest consuetudo, inspectis locorum circumstantiis, permisit ut duo Vicarii Capitulares eligerentur, ut in *Vercellensi* 6. Nov. 1654. (*Bizzarri Collect.* pag. 664.)

51. I.° — De qualitatibus Vicarii Capitularis. — 1.° De *scientia* requisita. Quæ supra t. XIV. n. 20. jam tractavimus, hic paucis complectemur capitibus. Eligendus in Vic. Capitularem debet esse «saltem in jure canonico Doctor vel Licentiatus vel alias, quantum fieri poterit, idoneus» (Trident.: 16. c. 24. sess *de Ref.*). Quare si in gremio Capituli adest Doctor vel Licentiatus in jure saltem canonico (non in jure tantum civili vel in s. Theologia), qui gradum hunc academicum in aliqua publica Universitate acquisivit, is debet assumi, S. C. EE. et RR. in *Tranen.*, d. 25. Febr. 1598, et in *Puteolan.*, d. 27. Martii 1653 (*Bizzarri:* l. c. pag. 664) excepto casu quo ejusmodi canonicus alias esset ineptus ad regimen diœcesis, v. gr. ex defectu prudentiæ vel honestatis vitæ. Si neque in Capitulo neque extra Capitulum Doctor vel Licentiatus in jure canonico inveniatur, »alias idoneus« eligatur vel Vicarius Episcopi demortui, licet non sit in tali gradu, confirmetur. Sed neque in casu quo extra Capitulum persona laureâ vel licentiâ insignita reperiatur, electores ad hunc eligendum tenentur. Si plures Doctores vel Licentiati adsunt, electio inter ipsos procedit. — Quia judicium, utrum sic graduatus in Capitulo etiam idoneitate in ceteris dotibus præfulgeat necne, non in omnibus casibus idem esse

potest, S. C. Concilii in *Gaurien.* et *aliarum*, d. 23. Jun. 1862, ordinavit, ut quoties Doctor vel Licentiatus in deputando Vic. Capitulari esset prætermissus, recurreretur in singulis casibus, pro quibus dein juxta circumstantias providebitur.

2°. Si quæratur quænam *ætas* necessaria sit in Vicario Capitulari, respondemus, ob similitudinem et paritatem rationis requiri ætatem 25 annorum inceptorum, quæ pro Vicario generali necessaria est, uti vidimus.

3°. Tandem animadverti debet, ad munus Vicarii Capitularis assumi non posse illum qui *curam* animarum *actualem* exercet. Ita S. Congregatio pluries respondit, ceu refert *Zamboni* in *Collectanea* Decisionum s. Congregationis Conc. tom. 9. v. »Vicarius«.

52. II.° — De forma electionis Vicarii Capitularis. — Principii loco statuendum est, deputationem Vicarii Capitularis constituere actum corporis moralis, idest actum capitularem. Quapropter Capitulum convocandum est, ut procedatur ad negotium electionis complendum. Capitulum vero non tenetur vocare *absentes* a civitate episcopali, nisi commode id fieri possit; absentes vero non possunt de regula generali suffragium dare per *procuratorem*, nisi legitimo impedimento detineantur aut adsit legitima consuetudo. Ita S. C. C. *in Hydruntina* die 11. April. 1699.

53. Quoad *formam* electionis sciendum est, ad plura repellenda incommoda consultius esse ut servetur forma scrutinii per secreta suffragia juxta cap. 42. *de Elect.* (I. 6) quemadmodum innuit S. C. C. *in Milevitana* an. 1698. Attamen hæc forma non adeo est necessaria, ut si ea prætereatur, electio corruat. Alias enim formas electionis legitime servatas admisit constanter S. C. C. præsertim in *Sulmonen.* 17. Jul. 1655. et in *Assisien.*, 11. Maji 1669. Ratio juridica est: quia ecclesiastica lex de forma canonicæ electionis expressa in c. 42. *De Elect.* non est extendenda ad casum constitutionis Vicarii Capit. Non enim hæc constitutio Vicarii est proprie dicta electio, quia electio proprie talis eget confirmatione, quod non verificatur in ista Vicarii deputatione, sed est simplex deputatio. Unde Concilium non utitur verbo 'eligant', sed verbis 'constituant . . . deputent'. Et ad summum est talis electio, qualis haberi solet in Capitulo ad dignitates, canonicatus et officia conferenda. Ita *Leurenius: in for. benef. de Const. et qual. Vicarii Capit.* tom. 4. quæst. 550. Concordant *Card. de Luca: de Comm. et Dign.*

Disc. 26. n. 4. et 5. ubi refert etiam resolutionem S. C. C. *in Matheraten.* 1692. et *Garcia: de Benef.* p. 5. c. 7. n. 20. et 21. Quare uti notatur in causa *Gravinen.* 30. Junii 1852. s. Congr. EE. et RR., relata a *Card. Bizzari* in sua *Collect.* pap. 659—662.: 'In electione Vicarii Capitularis servandæ tantum sunt conditiones, quæ jure ordinario in expeditione negotiorum Capituli requiruntur, scilicet ut monet *Ferraris* v. «Capitulum» art. 1. in fin. not. addit. ex aliena manu n. 4. oportet '1°. ut Capitulum sit legitime congregatum, 2°. ut vocentur omnes qui vocem in Capitulo habent, vel de præsenti habere possunt, 3°. ut negotia capitulariter expediantur, 4°. ut major pars consensum suum interponat'.

Unde ut aliquis censeatur electus, requiruntur *majoris* partis Capituli suffragia, it ut ex. gr. si major pars elegerit indignum, et minor consenserit in idoneam personam qualitatibus conciliaribus instructam, neutra electio sustineatur. Quemadmodum pluries s. Congr. declaravit. Ita in *Aliphana* 8. Jul. 1702. et in *Nazarena* 11. Sept. 1717. Immo nec ipsa suffragiorum paritas esset facile admittenda.

54. III.° — Quomodo supplenda sit negligentia Capituli in electione Vicarii Capitularis? — Cum ex decreto Tridentini relato in c. 16. sess. 24. *de Ref.* Metropolitanus aut vicinior, vel antiquior pro suis vicibus suppleant negligentiam Capituli, animadvertere opportunum est, non semper eodem modo hanc negligentiam esse supplendam. Nam 1.° in casu quo Capitulum elegerit *non doctorem aut licentiatum,* spreto Capitulari qui sit præditus qualitatibus conciliaribus, Metropolitanus aut alius qui supplet negligentiam Capituli reprobans electionem factam, constituere debet Capitulo octo dierum spatium ut procedat ad novam electionem juxta decretum Tridentinum faciendam, quemadmodum fuse demonstrat *Pignatellius:* cit. tom. 8. consult. 34. num. 8. referens plures decisiones s. C. C. præsertim *in Mazarien.* 19. Dec. 1569. et *in Lancianen.* 18. Aug. 1668. Quare hoc in casu datur purgatio moræ. Cfr. *Card. de Luca Adnot. ad Conc. Trid.* Discurs. 31. nn. 18. et 19. Ubi optime animadvertit devolutionem speciem referre pœnæ et injuriæ, quæ infligenda non est Capitulo nisi in casu a jure expresso, vel nisi culpa verificetur quæ delicto æquiparari possit. Simplex vero factum Capituli eligentis idoneum non doctorem, relicto doctore aut licentiato de gremio, non secumfert malam Capitularium intentionem Tridentinæ dispositioni adversam. Potuerat

enim Capitulum negligere doctorem, aut licentiatum de gremio, eo quod minus idoneum putaverat.

2.° Quod si vero Capitulum vel ob negligentiam, vel ob dissidia electionem non *perfecerit* intra octo dies, aut elegerit scienter *indignum*, ad Metropolitanum aut viciniorem, vel antiquiorem Provinciæ Episcopum illico devolvitur jus deputandi Vicarium Capitularem absque ulla concessa purgatione moræ. Quemadmodum probat idem *Pignatellius* cit. loco. Aut enim incidimus in casum ab ipso Concilio Tridentino juridice et taxative contemplatum, aut in pœnam electionis indignæ personæ: Capitulum ex intentione juris communis in titulo *De Elect.* expressa privatur pro illa vice potestate electionis perficiendæ.

55. IV.° — De auctoritate Vicarii Capitularis. — Jurisdictio sede vacante habitualiter residet penes Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, in actu vero seu in ejus exercitio ex dispositione juris communis est penes Vicarium Capitularem, unde tanta est auctoritas Vicarii Capitularis, quantam ss. Canones sede vacante Capitulo tribuunt. In conceptu vero juris Vicarius Capitularis censetur Episcopo succedere tamquam totius Diœceseos ordinario pastori et judici. Ex quo sequitur non succedere in iis quæ Episcopo committuntur peragenda ceu delegato Sedis Apostolicæ sive ex delegatione speciali facta defuncto Episcopo vel ejus Vicario generali, sive ex delegatione expressa in jure; prout communiter docent Auctores cum *Fagnano:* com. ad cap. 'His quæ' 11. *De Major.* et *Obed.* (I. 33) n. 54. et 55. Secus vero tenendum est si agatur de illis negotiis in quibus Episcopus procedere potest jure ordinario, sed ei conceditur ut possit agere simul jure delegato, idest *etiam* ceu Apostolicæ Sedis delegatus. Jurisdictio enim Episcopi in hoc casu transit in Vicarium Capitularem. Unde Fagnanus in cit. loco refert resolutionem S. C. C. quæ tenuit, facultatem transferendi beneficia simplicia ab Ecclesiis collapsis competentem Episcopo ex cap. 7. sess. 21. *de Ref.* transire in Vicarium Capitularem, eo quia decretum concilii non dicit simpliciter auctoritate Apostolica, sed addit particulam *etiam,* quæ implicat jurisdictionem ordinariam.

56. At quædam expresse *excipiuntur* a potestate Vicarii Capitularis. Et 1.° cum plurimum intersit Ecclesiæ optimos eligere ministros, qui perpetuis officiis præficiuntur, provisio *beneficiorum* liberæ collationis Vicariis Capit. non tribuitur. Porro jure antiquo Decretalium collatio hæc futuro Episcopo reservabatur, prout tra-

ditur in c. 1. *de Institutionib.* (III. 6.) in 6°. et c. 2. *Ne Sede vacante.* (III. 9.) Hæc autem collatio libera reservabatur futuro Episcopo etiam quia consideratur in jure ceu actus liberalitatis, non autem necessitatis. Actus vero liberalitatis, quique gratiosi dicuntur, proprii sunt Episcopi. At s. *Pius V.* in Const. *,Sanctionis'* 9. Martii 1568. sibi reservavit beneficia liberæ collationis quæ vacarent tempore Sedis episcopalis vacuæ. Hæc vero reservatio considerata fuit tamquam personalis. Id enim ex verbis a s. Pio V. adhibitis commode eruebatur. Deinde autem *Sixtus V.* hanc eandem reservationem inter regulas Cancellariæ inseruit et præcise in *Reg.* 2^{am}. Unde hodie beneficia hujusmodi de lege generali reservantur S. Sedi. Cfr. *Riganti: ad Reg. 2. Cancellariæ* §. 2. n. 3. seqq. — Porro quoad beneficia parochialia liberæ collationis, quæ conferuntur in titulum, ne diu vacare debeant, receptum est, ut a Vicario Capitulari intimetur concursus, et a S. Sede inter approbatos eligatur dignior, cui ipsa S. Sedes beneficium conferat. Const. *Bened. XIV. 'Cum illud'* diei 14. Decembr. 1743. Si autem parœcia non conferatur in titulum, sed deputetur ad gerendam curam animarum Vicarius ad nutum, deputatio fieri poterit a Vicario Capitulari.

57. Si sermo sit de collatione non libera, id est de institutione ad beneficium post præsentationem patroni vel laici vel ecclesiastici, poterit eam concedere Vicarius cit. c. 1. *de Inst.* (III. 6) *in 6°.* necnon poterit conferre beneficia ad alterius electionem conferenda, prout eruitur ex cit. *Reg. 2. Cancellariæ.* Idem etiam dicendum esse docent Auctores si beneficium ex aliquo privilegio concedendum sit certæ personæ ex. gr. nominato academico alicujus Universitatis. Pariter conferre poterit Capitulum cum Vicario suo beneficium, cujus collatio sede plena, competit Episcopo et Capitulo cumulative. Hoc enim in casu ne Capitulum in jure suo decrescat, potius tenendum est jus Episcopi deficientis accrescere eidem Capitulo. Quod principium non sustinetur, quoties Episcopus solus conferat, sed teneatur consilium Capituli exposcere vel consensum, cap. un. *Ne sede vacante* (III. 8) in 6°. §. «Cum vero».

58. 2°. — Cum Ecclesia destituta pastore viduæ et pupillo æquiparetur, cumque tutoribus et curatoribus in genere interdicta sit *alienatio* bonorum, Vicarius Capitularis non potest alienare bona sive Ecclesiæ sive mensæ Episcopalis c. 62. C. 12. q. 2. S. Congr. EE. et RR. in una *Pontiscurvi* diei 14. Junii 1788. *Collect. Bizzarri* pag. 44.

59. 3°. — Cum ea quæ sunt ordinis episcopalis derivent a charactere quem proprium habet Episcopus, nec habet communem cum Capitulo, sequitur eadem non transire in Vicarium Capit. At Glossa ultima in c. «Dilectus» 18. *de Off. Ordin.* (I. 31) juxta Canonem «Interdicimus» C. 16. q. 1. notat collationem Ordinum et Sacramentorum esse de lege jurisdictionis: quia scilicet omnis actus ordinis ut legitime ponatur, ab illo poni debet, qui, præter characterem, etiam jurisdictione ad illum ponendum munitur. Unde Episcopus in aliena Diœcesi ea quæ sunt ordinis episcopalis absque venia Ordinarii localis nequit peragere. Quare Doctores tradunt Capitulum et hodie ejus Vicarium posse concedere extero Episcopo facultatem in Diœcesi exercendi pontificalia, idest officium solemniter celebrandi, ecclesias consecrandi, conferendi ordines. Cfr. *Fagnan. com.* in c. «His quæ» 11. *De Majoritate et Obedient.* nn. 64. et 65.

60. 4°. — Potest Vicarius Capitularis literas dimissoriales suis subditis concedere, ut ab Episcopo alieno ad Ordines promoveantur c. 3. *de Tempor. Ordin.* (I. 9.) in 6°. Hanc potestatem vero limitavit Tridentinum c. 10. sess. 7. *de Ref.* ubi statuit, a Capitulo et per consequens ab ejus Vicario, concedi non posse licentiam et literas dimissoriales Clericis diœcesanis ad ordines recipiendos, nisi post annum a die vacationis Sedis sub pœna ecclesiastici interdicti contra concedentem licentiam, et privationis privilegiorum ecclesiasticorum contra ordinatum, si agatur de ordinato in minoribus, et suspensionis ad arbitrium novi Episcopi duraturæ contra suscipientem ordines majores. In sess. 23. autem c. 10. *de Ref.* contra concedentes literas dimissoriales decernit Tridentinum pœnam suspensionis ab officio et beneficio ad annum ipso facto incurrendam.

61. Exceptio autem duplex datur: 1ª. exhibetur in s. Congregationis Conc. responso, *a Garcia: De Benef.* p. 5. c. 7. n. 93. relato, per hæc verba 'Congregatio censuit textum hunc (c. 10. sess. 7. *de Ref.*) non comprehendere *primam tonsuram*'. Quare quoad primam tonsuram dimissorias statim poterit concedere Vicarius. 2ª. Exceptio in cit. cap. 10. sess. 7. *Tridentini* legitur quoad arctatos ad ordines ratione beneficii. Arctatus autem quis est vel ratione beneficii suscepti, si videlicet infra annum teneatur ordinem aliquem suscipere; vel suscipiendi, si nempe aliquis sit a patrono præsentatus ad beneficium quod actu requirit ordinem sacrum,

ac proinde teneatur ordinem suscipere antequam in beneficio instituatur. Utriusque generis arctatis potest infra annum Vicarius Capitularis concedere dimissoriales literas ut ordinentur. Immo a S. Congr. EE. et RR. petentibus Vicariis Capitularibus solet tribui facultas concedendi literas dimissoriales etiam reliquis clericis infra annum luctus. Transacto autem integro anno a die vacationis sedis, Vicarius potest concedere literas dimissoriales omnibus subditis qui cupiunt recipere ordines. Verum rigore juris exceptio facienda esse videtur pro illis qui ex titulo patrimonii vel pensionis desiderant ordinari. Nam Conc. Tridentinum sess. 21. c. 2. *de Ref.* titulum pensionis vel patrimonii solummodo agnovit tanquam subsidiarium, et Clericos ex eodem titulo ordinari posse tantummodo quos ob necessitatem ministrorum vel ob utilitatem ecclesiarum assumendos esse Episcopus judicaverit. Dixi 'rigore juris' inspecto. Nam 1°. notat *Barbosa* in *Summa Const. Apost.* Dec. 5. c. «Sede vacante» n. 12. hanc exceptionem non esse ubique usu receptam. 2°. Hodie ceu optime notat *De Angelis* h. t. n. 21. pag. 105. vix dubitari potest de necessitate aut utilitate ecclesiarum, ob defectum beneficiorum et ob decrescentem in dies numerum clericorum qui in vinea Domini operam suam præstent. — Cum vero abusus obrepsissent, S. C. EE. et RR. die 7. Sept. 1701. jussu *Clementis XI.* vetuit Vicarios Capitulares Regni Neapolitani in Italia, quominus etiam post annum vacationis Sedis concederent literas dimissoriales ad primam tonsuram et ordines suscipiendos absque speciali licentia s. Congregationis ejusdem. *Bizzarri Collect.* p. 373. Hanc prohibitionem De Angelis dicit extensam fuisse etiam ad Diœceses subalpinæ ditionis. Unde Vicarii Capitulares in hisce regionibus etiam hodie solent facultatem opportunam exposcere a prædicta s. Congregatione.

62. Quæritur quid dicendum si Vicarius Capitularis fortasse sit *charactere episcopali* insignitus: poteritne actus ordinis episcopalis peragere? Quamvis hæc quæstio a Doctoribus communiter non pertractetur, tamen ex notis principiis juris, hæc teneri posse videtur sententia; ut nempe quoties potest Vicarius extraneo Episcopo licentiam concedere juxta dicta superius ad actus potestatis ordinis exercendos sive in Diœcesi, sive quoad Clericos Diœceseos ordinandos, possit per seipsum eosdem actus ponere. Hinc ex. gr. infra annum vacationis Ecclesiæ non poterit ordines conferre nisi arctatis, poterit vero post annum vacationis Clericos indiscrimi-

natim ordinare. Ratio est: quia qui aliquid potest facere per alios, ceteris paribus, a fortiori per seipsum facere potest. Nunquam tamen admitterem, Vicarium Capitularem charactere episcopali munitum in actibus pontificalibus exercendis posse cathedram episcopalem conscendere, ibique sedere. Cathedra enim propria est et exclusive Episcopi diœcesani. Nam licet Episcopus diœcesis A. secundum rescriptum S. R. C., d. 12. Oct. 1889, possit thronum concedere Episcopo diœcesis alienæ, Vicarius tamen Capitularis diœcesis A. hoc non potest, ergo nec sibi ipsi, uti Episcopo titulari diœcesis e. gr. N., hoc jus concedere potest. — Non prætermittendum videtur responsum S. Rituum Congregationis, quo, denegata Vic. Capitulari tantum Presbytero confirmandi delegatione, eidem Vicario demandatur, ut quam primum Episcopum qui conferat s. Chrisma, advocet. (S. R. C. in *Nullius s. Luciæ*, d. 14. Apr. 1877. n. 5686.)

63. 5°. — Quæri potest an Vicarius Capit. possit Diœcesim *visitare.* Respondemus utique posse, sed post elapsum annum ab ultima visitatione peracta ab Episcopo. Ita auctores communiter et sæpius docuit s. Congr. Conc., ex. gr. *in Ostunen.* 28. Julii 1708, et firmiter discusso dubio tum quoad visitationem locorum tum quoad visitationem personalem capitulorum, die 13. Sept. 1721, ad utrumque respondit posse Vicarium Capitularem eam exsequi dummodo elapsus sit annus a die ultimæ visitationis factæ ab Ordinario. Hasce resolutiones refert *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* L. 2. c. 9. n. 6. Præterea sciendum est, in cit. causa *Ostunen.* propositis dubiis circa jus procurationum solvendarum Vicario Capitulari, s. Congregationem tenuisse procurationes spectare ad Vicarium Capit. pro medietate, ita tamen ut ultra procurationem Vicarius recipere non possit cibaria, equitatus vel alia donaria, et si receperit, debeat eadem restituere. Ita in opere cui titulus *Canones et Decreta Conc. Tridentini* edit. Neapolit. an. 1859. sess. 24. *de Ref.* cap. 16. n. 14. pag. 374.

64. 6°. — Cum vero Diœceseos visitatio quotannis ab Episcopo complenda connectatur cum celebratione synodi pariter perficiendo singulis annis, ab auctoribus disciplina quæ de prima statuitur, et synodo applicatur. Hinc docent posse Vicarium Capitularem synodum diœcesanam convocare eique præesse post elapsum annum ab ultima synodo celebrata ab Ordinario qui nuper cessavit ecclesiam regere. — Non idem vero dicendum de provinciali synodo. Indecens enim esset Vicarium Capit. Metropolitanæ Ecclesiæ pote-

statem exercere posse supra veros et ordinarios Episcopos, eosque in Synodum cogere. Quare vacante sede Metropolitana, ex mente Conc. Tridentini s. Congr. Conc. in *Tarraconen.* 10. Febr. 1624. decrevit jus Provinciale Concilium indicendi et celebrandi (nempe præsidendi) Sede vacante, non ad Capitulum Metropolitanum, sed ad antiquiorem provinciæ Episcopum pertinere.

65. Si quæratur utrum Vicarius Capit. possit Clericos extraneos Diœcesi adscribere, vulgo *incardinare,* et Clericis diœcesanis licentiam dare exeundi, eosque ut ajunt *excardinare;* respondet *De Angelis,* primum posse peragere Vicarium facultate expedita, secundum vero non posse sine licentia Sedis Apostolicæ; eo quia excardinatio refert speciem alienationis, quæ Vicario Capitulari non permittitur.

66. Quæstio non inutilis pertractatur a *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* Lib. 2. c. 9. n. 7. circa potestatem ordinariam Episcoporum concedendi *indulgentias* quadraginta dierum, an scilicet hæc potestas transeat in Vicarium Capitularem. Et videretur transire, etenim ex dispositione c. 4. *de Pœn. et Remiss. peccat.* (V. 38) potestas concedendi indulgentias non ad ordinem pertinet, sed ad jurisdictionem, et post Abbatem plures Auctores laudabilis notæ affirmativam sententiam tuentur. At ex plurium Doctorum sententia et ex responsione S. C. C. saltem in praxi contrarium tenendum est. Nam s. Congr. die 13. Nov. 1688. interrogata an 'Vicarius Capit. Sede vacante, facultatem habeat concedendi indulgentias, quas cæteroquin concedere posset Episcopus vivens' respondit '*Vicarius Capit. se abstineat*'. Qua responsione licet in abstracto quæstionem juris resolvere noluit; tamen vetuit ne opinio auctorum tribuentium Vicario Capit. facultatem concedendi indulgentias in praxim deduceretur. Ratio autem videtur esse: quia indulgentiarum elargitio non censetur necessaria ad regimen Ecclesiæ, quod Vicarius ad tempus administrat. Præterea concessio indulgentiarum potest recenseri inter actus gratiosos, qui proprii sunt Episcopi. Similiter S. C. Indulgentiarum, cum ageretur de erectione et aggregatione et approbatione Confraternitatum, decrevit, d. 15. Nov. 1878: «Vic. Capitularis se abstineat.»

67. Auctoritas Vicarii Capitularis perdurat quoadusque Sedes consideratur uti vacans, idest quoadusque Ecclesia non fuerit provisa de novo Episcopo. Hodie vero post cit. Const. *Pii IX.* «*Romanus Pontifex*» non antea cessat jurisdictio Vicarii Capitularis

quam novus Episcopus Capitulo, vel, deficiente Capitulo, ei qui Diœcesim vacantem administrat, exhibuerit Literas Apostolicas de collato sibi Episcopatu. Huic porro novo Episcopo si velit, non autem Capitulo, Vicarius Capitularis tenebitur rationes reddere administrationis gestæ tempore sedis vacantis c. 16. sess. 24. *de Ref.* in Tridentino, et tenuit s. Congr. EE. et RR. in *Catanen.* 31. Jan. 1600. et *in Hydruntin.* 19. Maj. 1623. *(Collect. Bizzarri pag. 662.)*

68. Quo posito quæstio proponi potest circa casum quo ipse Vicarius Capitularis eligatur seu nominetur ad Episcopatum; idest an ante confirmationem possit prosequi suam in Diœcesi administrationem. Videretur non posse. Nam c. 17. *De Elect.* (I. 6) declarantur irrita ea quæ geruntur ab electo qui ante confirmationem sese immiscuit in Diœceseos administrationem. Immo in c. 5. *de Elect.* (I. 6) *in 6⁰.* electo interdicitur administratio Diœceseos sub quocumque titulo œconomatus vel procuratoris nomine; quod confirmatur in Const. cit. *Pii IX.* «*Rom. Pontifex.*» At dicendum est hæc loca juris non sese referre ad casum Vicarii Capitularis, qui prosequatur administrationem Diœceseos; bene vero respicere extraneos electos, qui vi tantummodo electionis ante canonicam confirmationem præsumant jurisdictionem sibi arrogare. Ad quorum fraudes præcavendas vetuit *Gregorius X.* in c. 5. *de Elect.* in 6⁰. electum quocumque colore, etiam nomine procuratorio Capituli, Diœceseos habenas suscipere. Qui plura desiderat, consulat cit. opus '*Canones et Decreta Conc. Tridentini*', accedunt declarationes et resolutiones sess. 24. c. 16. *de Ref.*

De Vicario Apostolico.

69. Etiam antiquitus vel mittebatur, vel Episcopus alicujus insignis Sedis constituebatur Vicarius Apostolicus; qui nempe potestatem consequebatur ab ipso summo Pontifice, exercendam etiam supra Episcopis. Verum ut plurimum hi confunduntur cum Legatis sanctæ Sedis, de quibus inferius. Vicarius Apostolicus de quo hic loquimur ille est qui ex commissione speciali Pontificis ad aliquam regionem mittitur, in qua ceu Episcopus potestatem exerceat ad nutum Pontificis, et intra limites mandati Apostolici. Porro hujus generis Vicarii præsertim mittuntur ad illas regiones in quibus ecclesiastica hierarchia vel nunquam fuit instituta, vel si fuerit aliquando instituta, tamen ob hostium Christiani nominis imperium cessavit. Hinc quamvis charactere episcopali soleant de-

corari, tamen non obtinent episcopalem titulum loci ad quem destinantur, sed recipiunt titulum alterius Sedis antiquæ in qua proprius Episcopus non amplius residet, et vocantur hodie Episcopi titulares dum antea vocabantur Episcopi «in partibus infidelium». Vicarii hujusmodi in regionibus sibi commissis exercent munia omnia episcopalia. Hinc non solum jurisdictionis, sed et Vicarii in divinis dici debent. A s. Congregatione de Propaganda Fide summo Pontifici ordinarie præsentantur, et per eundem recipiunt apostolicum mandatum in quo limites potestatis et privilegia præfiniuntur.

70. Mittuntur Vicarii Apostolici etiam in loca in quibus extat ecclesiastica hierarchia; et si mittantur Sede plena, generatim mittuntur ut adjuvent Episcopum cui subsunt. Mittuntur etiam ut Diœcesim administrent, dum Episcopo interdictum est potestatis suæ exercitium, vel Sede vacante ut ad tempus ceu Administratores Apostolici regant Ecclesiam. De hisce agit *Sixtus V.* in Constit. 117. in qua statuit hosce Vicarios mitti per literas apostolicas in forma Brevis, in quibus potestatis tenor et limites determinantur. Aliquando etiam cum prævidentur dissidia inter Capitulares in electione perficienda Vicarii tempore Sedis vacantis, Vicarius Apostolicus designatur, qui supplet vices Vicarii Capitularis, quique proinde eandem habet potestatem, quam in jure habet Vicarius Capitularis. De Vicariis Apostolicis agit *Benedict. XIV. De Syn. Diœc.* Lib. 2. c. 10.

TITULUS XXIX.

De officio et potestate Judicis delegati.

1. Aggredimur tractationem de ecclesiasticis personis Ecclesiam gubernantibus sub respectu judicis; sub quo respectu forum etiam externum habent cui præsunt, ut causas etiam judicialem formam servantes definiant. Agitur autem præ primis de Judicibus delegatis, quia horum potestas superat et vincit quoad negotium demandatum potestatem judicum ordinariorum. Id vero locum habet cum delegatio a Romano Pontifice procedit.

Titulus duplicem conceptum exprimit, *potestatem* nempe et *officium* judicis delegati. Potestas exprimit quid possit agere hic judex; officium significat modum quo potestatem exsequatur. Nomine potestatis venit jurisdictio, quæ lato sensu sumpta nihil aliud

est nisi auctoritas præeminens in aliquos ad eorum regimen et gubernationem. Relate autem ad forum judiciale est 'potestas publica juris dicendi et æquitatis statuendæ in populo Christiano'.

2. Jurisdictio distinguitur ut alia sit *contentiosa,* quæ nempe etiam in invitos vel partibus inter se contendentibus exercetur, quæque formam judicialem requirit; alia autem *voluntaria,* quæ in volentes exercetur, prout est absolvere a censuris, dispensare ab irregularitatibus aut impedimentis dirimentibus matrimonii ex jure humano provenientibus. — Jurisdictio alia est *ordinaria,* alia *delegata.* Prior est quam aliquis consequitur vi officii ad quod assumitur, et exercet nomine proprio non vero alterius; quæ proinde jurisdictio ex legis dispositione aut ex consuetudine procedit, et non ex commissione alterius. Jurisdictio delegata dicitur quæ propria esset alterius officii et personæ distinctæ ab ea in qua nunc residet, quæque obtinetur ex illius commissione, et vice ejusdem exercetur. Hinc alii sunt judices ordinarii, alii delegati. In delegatione autem quandoque committitur *vera jurisdictio*, seu potestas videndi et decernendi quod justum et æquum est; aliquando autem *merum ministerium,* idest sola executio voluntatis judicis ordinarii delegantis, quæ est personalis et ab eo efficienda cui committitur.

3. Insuper delegatio procedere potest a *jure*, idest ex commissione expressa in jure communi, vel ab *homine*, ab eo scilicet qui ordinaria gaudet jurisdictione, ac facultatem habet eandem alicui exercendam committendi. Hinc judices delegati alii a jure, alii ab homine delegari dicuntur. A jure; siquidem habemus Concilium Tridentinum præsertim in c. 1. sess. 5. et c. 2. sess. 6. *de Ref.* Episcopis facultatem concedere ut in exemptos procedant tanquam Sedis Apostolicæ delegati. Quæ formula significat concedi Episcopis potestatem quam jure ordinario non habebant. Quandoque autem concedit Concilium Episcopis facultatem ut procedant *etiam* tamquam Sedis Apostolicæ delegati. Sess. 22. c. 10. et sess. 6. c. 4. *de Ref.* Quæ formula exprimit in negotio aliquo posse Episcopum procedere auctoritate propria scilicet ordinaria, sed ad præcavendas quæstiones et ad removenda obstacula ex juris dispositione Episcopum instructum esse etiam auctoritate apostolica.

Delegatio insuper fieri potest vel *uni* vel *pluribus;* et pluribus fieri potest vel ut *in solidum* competat, vel ut *collegialiter* procedant in negotii commissi cognitione et executione.

4. Judices alii delegantur ad *unum* negotium, et alii ad *universitatem causarum;* quique sunt ii quibus omnes causæ in aliqua Diœcesi vel Provincia videndæ et decernendæ committuntur, vel saltem unum genus causarum ex. gr. causæ beneficiales etc. Hæc vero facienda est distinctio ob varios effectus juridicos qui sequuntur ex diversa delegatione.

5. Alii etiam delegati dicuntur ratione *dignitatis* vel *officii* quod obtinent, alii ratione *personæ;* prout delegatio facta fuerit dignitati aut officio ex. gr. si commissio facta fuerit Episcopo Tusculano, Archidiacono Toletano, aut Abbati alicujus monasterii c. 14. h. t., vel delegatio facta fuerit personæ expresso ejus nomine, quamvis forte persona delegata officium ecclesiasticum et gradum honorificum obtineat. Prima non exspirat demortua persona quæ tempore datæ commissionis dignitatem vel officium occupabat, sed in successorem transit cc. 38. et 42. h. t. Secunda vero exspirat morte personæ cui tributa fuerat c. 42. h. t. Censetur enim hoc in altero casu electa industria personæ, et delegans fidit in scientia vera et non tantum in præsumpta, quemadmodum contingit in casu quo delegatio facta fuerit dignitati vel officio.

6. Alii tandem sunt *simpliciter* judices *delegati* alii vero *subdelegati,* qui nempe ab eo qui fuerat delegatus potestatem, causam vel negotium videndi et expediendi obtinent.

7. Quæritur *quinam possint delegare.* — In genere omnis qui potestatem ordinariam et propriam habet, delegandi jure pollet, nisi agatur de negotio quod vel ex juris dispositione vel ex voluntate Principis a judice ordinario debeat expleri c. 7. de Off. Jud. Ordin. (I. 14) in 6°. et ex *Reg.* 68. in 6°. et ex *Reg.* 72. pariter in 6°. Exemplum habemus in sess. 24. c. 6. *de Ref.* in Trid. ubi conceditur Episcopis facultas, in casibus occultis reservatis S. Sedi absolvendi sive per se sive per Vicarium, specialiter deputandum; excipitur autem casus hæresis occultæ, in quo solis Episcopis, non eorum Vicariis absolvere permittitur. Ratio exceptionis patet ex eo quod jus commune et voluntas summi Principis in casu nostro prævalent ipsis judicibus ordinariis. At judex ordinarius non potest totam suam jurisdictionem inconsulto Principe delegare; nam non amplius videretur delegare potestatem suam, sed potius videretur se exuere officio suo, et novum magistratum constituere, quod judices ordinarii facere prohibentur absque Principis consensu L. pen. ff. *de Off. Præsid.*

8. Quæritur 2°. *an delegatus possit subdelegare?*

I. Qui est *delegatus a Summo Pontifice* potest subdelegare c. 62. *de Appellat.* (II. 28) §. ult. et quidem licet in commissione mentio facta non fuerit de potestate subdelegandi.

Exceptiones: 1ª. Exceptio locum habet, quando electa fuerit *industria personæ;* quod cognosci potest vel ex tenore delegationis, videlicet si dictum fuerit, ut delegatus per seipsum causam videat, aut negotium expediat, vel etiam ex qualitate et gravitate negotii, quod ideo alicui commissum fuit, quia reputabatur aptior præ aliis ad illud expediendum cc. 3. et ult. h. t. Et quidem in exposita exceptione delegatus a Pontifice neque potest subdelegare articulum *jurisdictionalem* ex. gr. decretum seu sententiam incidentalem et interlocutoriam. Potest vero alteri committere articulum non jurisdictionalem ex. gr. lectionem alicujus instrumenti. Ita Doctores cum Glossa ultima in Clem. un. h. t. et in c. 27. h. t. §. «Nos autem» v. «executorem».

9. 2ª. exceptio facienda est: Si commissum fuerit *nudum ministerium*, et *executio* mera voluntatis seu decreti pontificii. Cum nempe vel negotium jam cognitum fuit a Pontifice et quodammodo resolutum, vel gratia facta est ab eodem aut quæstio decisa, et alteri committitur officium vel negotium ad exitum perducendi vel executioni mandandi gratiam vel sententiam. Hisce etiam in casibus delegatus Pontificis non potest alium subdelegare c. ult. h. t. §. ult. Quare in praxi dum committitur Ordinario loci mandatum ad dispensandum ab aliquo impedimento matrimonii inter certas personas cognita veritate precum, delegatus Pontificis poterit alterum subdelegare ut de veritate rerum expositarum cognoscat; quibus tamen cognitis ipse delegatus et non alius exsequitur literas apostolicas dispensationis.

10. Cum vero non est electa industria personæ ad negotium expediendum vel ad causam videndam, neque commissum est nudum ministerium, judex delegatus a Pontifice potest subdelegare, immo eam habet auctoritatem ut, legitima existente ratione, possit alterum etiam pœnis comminatis, adstringere ad subdelegationem suscipiendam, sub ea tamen conditione, ut si delegationem superioribus personis, idest ut adnotat Glossa, constitutis in dignitate committere velit, in coërcitionibus deferat dignitati et personæ. Scilicet prudenter procedere debet, c. 28. h. t. Ordinario autem loci delegatus summi Pontificis potest committere etiam executionem

sententiæ quam ipse delegatus tulerit in causa; cit. c. 28. §. 4. Quoad causam enim vel negotium commissum Delegatus a Pontifice summo reputatur superior quolibet ordinario loci; procedit enim ex auctoritate ejusdem Pontificis.

11. II°. Delegatus *ad universitatem causarum* quamvis proprie ordinarius non sit, quia jurisdictionem proprio jure non obtinet, sed alieno beneficio; tamen ordinario æquiparari potest in exercitio ejusdem jurisdictionis, quia est jurisdictio universalis. Hinc ordinarie ceu judex adiri potest, et a Glossa in c. 62. *de Appell.* (II. 28) quasi ordinarius nuncupatur. Quare, licet non sit delegatus a Principe, tamen ad instar Ordinarii judicis poterit aliquam causam, et a fortiori aliquem articulum jurisdictionalem subdelegare. Hæc sententia communis est inter auctores, qui etiam innituntur juris civilis dispositioni in l. «Cum Prætor» ff. *de Judic.* Non potest vero integram jurisdictionem subdelegare; nam etiam judex Ordinarius auctoritate propria sese ab integra potestate exspoliare nequit, eam alteri delegando.

12. III°. Quod si quis non a Principe, sed ab inferiori Ordinario sit delegatus ad peculiarem causam videndam et decernendam, non poterit subdelegare, nisi a delegante eidem fuerit *concessa licentia* expressa. Docet id Gloss. in cit. c. 62. *de Appell.* quam communiter auctores sequuntur. Ratio est, quia in jure facultas subdelegandi conceditur ceu privilegium delegato a Principe propter eminentiam supremæ potestatis Principis cujus personam delegatus judex repræsentat, et conceditur delegato ad universalitatem causarum, quia judici ordinario æquiparatur. Utraque autem hæc ratio in persona quæ ab inferiore judici ordinario ad unam causam delegatur locum non habet.

Cæterum Doctores tribuunt huic delegato facultatem subdelegandi articulum non jurisdictionalem, qui nempe nudum ministerium seu meram executionem importat. Quemadmodum si committeret alicui officium videndi de aliqua circumstantia facti, ex. gr. an revera adsit aliquod instrumentum vel non, ut inde eidem judici delegato referret. Gloss. fin. in Clem. un. h. t. *Abbas* in cap. 27. h. t. n. 3. aliique, et ad rem facit idem c. 27. h. t. §. «Nos autem.» At Doctores denegant eidem delegato jus subdelegandi articulum jurisdictionalem, ex. gr. examen judiciale testium, decretum interlocutorium etc. arg. cap. «Cum causam» 62. *de Appell.* (II. 28) ubi nulla facta distinctione inter unum et alium

articulum jurisdictionalem, traditur, solummodo delegatum a Principe subdelegare posse causæ cognitionem; posita autem facultate subdelegandi unum articulum jurisdictionalem, non videretur quomodo delegatus non posset etiam alios, ac proinde totam causam delegare.

13. Quæstio 3ª. *Quinam possunt esse judices delegati.* — In genere illi omnes possunt esse judices delegati qui *capaces* sunt jurisdictionis ecclesiasticæ exercendæ, quique ad eam exercendam *idonei* sunt. Hinc in alterutro capite deficientes, delegari non possunt. Hæc præcipue valent de judicibus ordinariis inferioribus quia eorum delegatio in jure non alligatur alicui cœtui personarum. Hinc Episcopi causas videndas ac definiendas committere possunt simplici Clerico, dummodo prudens sit ac instructus in jure quod explicare debet arg. c. 7. *de Off. Ordin.* (I. 16) in 6°. Animadvertendum vero est, judicem ordinarium Papa inferiorem posse utique aliquam causam propriæ jurisdictionis delegare personæ sibi non subditæ, *si hæc velit,* at eam non posse cogere ad delegationis munus suscipiendum. Extra enim territorium jus dicenti, idest in casu nostro imperanti, impune non paretur. Cap. ult. *de Const.* (I. 2) in 6°.

14. In specie aliquid dicendum de personis *delegandis a. S. Sede.* Supremus Pontifex quamvis ex certa scientia possit non solum simplici Clerico, sed etiam laico sub forma privilegii Apostolici in aliqua causa peculiari committere jurisdictionem, ceu notat Glossa in cap. 2. «Decernimus» *de Judiciis* (II. 1), quam Doctores sequuntur; tamen ex dispositione c. 11. *de Rescr.* (I. 3) in 6°. nulli committendæ sunt causæ auctoritate literarum Sedis Apostolicæ vel Legatorum ejusdem videndæ, nisi personis constitutis in *dignitate* aut *personatum* habentibus, aut saltem *Canonicis* Ecclesiæ *Cathedralis.* Quibus personis ex Clem. 2. *de Rescr.* (I. 2) adjungendi sunt *Vicarius generalis* Episcopi et *Priores Conventuales;* quia etiam hi censentur esse in dignitate. Designantur autem prædictæ personæ in jure ad hujusmodi officium tum ob honorem Apostolicæ Sedis, quam delegatus repræsentat, tum præsertim ob præsumptam scientiam et honestatem harum personarum. — Hæc qualitas dignitatis etc. quæ in judice delegato necessaria est, ab aliquibus uti necessaria habita est etiam in *subdelegato.* At invaluit deinde sententia contraria. Nam qualitas dignitatis in delegato S. Sedis requiritur præsertim, quia, cum summus Pontifex regulariter non cognoscat omnes Clericos singularum Diœcesium, hinc ad officium de-

legati designat eas personas, quas ex scientia et aliis qualitatibus præsumptis idoneas reputat. Delegatus vero qui subdelegatum agnoscit, procedit ex scientia certa, non autem ex scientia et qualitatibus præsumptis. Hinc delegatus potest etiam personam non qualificatam, dummodo idonea sit, subdelegare.

15. Concilium vero Tridentinum in c. 10. sess. 25. *de Ref.* renovavit *Bonifacii VIII.* decretum relatum in cit. cap. 11. *de Rescr.* (I. 3) in 6°. atque ut S. Sedes tutior sit de scientia et probitate judicum delegatorum, pro causis extra Urbem judicandis, statuit ut in Synodis provincialibus aut diœcesanis pro quaque Diœcesi quatuor aut plures personæ qualitatibus a Bonifacio designatis instructæ et alioquin idoneæ determinentur, quorum nomina Episcopi statim transmittere debent Pontifici, quibus personis, non exclusis tamen ordinariis locorum, committantur cognoscendæ et definiendæ causæ a Sede Apostolica, a Nuntiis vel Legatis Apostolicis, ita ut delegationes aliis judicibus factæ censeantur *subreptitiæ.* Quod si aliquem ex designatis interim mori contigerit, Ordinarius loci cum Capituli consilio unum substituere debet in ejus locum, usque ad futuram provincialem vel diœcesanam synodum. Judices hujusmodi dicuntur *synodales.* Ex resolutione autem S. C. C. in *Januensi* mensis Martii 1601. Judices synodales ante delegationem Pontificis aut Legati vel Nuntii Apostolici nullam obtinent jurisdictionem; immo post acceptam delegationem in exercitio potestatis delegatæ Episcopi notarium assumere debent in causæ cognitione, ceu resolutum est in *Alben.* 15. Jan. 1656.

16. Hac in re *Bened. XIV.* die 26. Aug. 1741. edidit Constitutionem quæ incipit '*Quamvis paternæ*' in qua inculcat ea omnia quæ a Bonifacio VIII. et in Tridentino statuta fuerant circa designationem personarum quibus committenda est delegatio apostolica, simulque decernit ut in hypothesi qua Concilium vel provinciale vel diœcesanum non celebratur, Archiepiscopi et Episcopi interim cum consensu Capitulorum suorum judices eligant, et nomina eorum in Albo redacta Summo Pontifici remittant, et si mori aliquem contingat, alios cum consilio Capituli sufficiant, suffectosque eidem Sum. Pontifici statim denuncient.

17. Hæc vero lex Bonifacii et Tridentini confirmata a Benedicto XIV. ita est intelligenda ut semper salva sit auctoritas S. Sedis ex certa scientia delegandi etiam alias personas præter illas, quæ in eadem lege designantur. Animadvertendum vero est, hodiernis

temporibus causas S. Sedi delatas regulariter omnes a Congregationibus Romanis definiri, adeoque admodum infrequentes esse casus delegationis quæstionum extra Urbem; literas vero apostolicas et rescripta pro executione committi Ordinariis locorum. Ita se habet hodie ordinaria praxis S. Sedis.

18. De officio Judicis delegati. — Officium judicis delegati idem sonat ac obligatio ejusdem, et complectitur ea quæ ipse observare tenetur, ut munere sibi commisso rite fungatur. Officium scilicet respicit modum quo delegatus potestatem suam exercere debet. In exponendis iis quæ sunt officii, primum ea exhibebimus quæ in genere *officium ipsum* attingunt sive unus sit judex delegatus sive plures; deinde de officio judicis delegati *in specie,* et præsertim si *plures* fuerint delegati judices.

19. 1ª. obligatio ratione officii est, ut delegatus judex nullo modo sese immisceat in negotio vel causa, antequam mandatum delegationis receperit. Et si sermo sit de delegatione Summi Pontificis, requiritur ut literæ delegationis eidem delegato fuerint oblatæ c. 12. *de Appell.* (II. 28), Extr. 1. *de Elect.* §. «Sane» inter Comm. et auctores communiter. Nam licet dici forsitan possit delegationem habitu incipere a die factæ commissionis; tamen exercitium juridicum delegationis suscipere non potest delegatus, nisi communicationem mandati in forma authentica habuerit; nec proinde sufficit privata notitia, etiam ceteroquin certa factæ delegationis. Hinc etiam processus incœptus non valet, et reclamante alterutra parte pro infecto habetur, nec vires iterum acquirit supervenientibus inde literis delegationis. Hæc vero dispositio juris constituta est, ad fraudes præcavendas. Ratio vero juridica est, quia delegatio in jure, cum extraordinariam potestatem secumferat, c. 31. h. t. non præsumitur, sed legitimo modo probanda est, secus impune partes non obtemperant.

20. Et si sermo sit de delegato Principis, tenetur ipse antequam jurisdictionem exercere incipiat, Ordinario loci suæ delegationis literas ostendere, quas si tradere recusaverit, poterit Ordinarius eidem resistere, quemadmodum docent auctores interpretantes c. 31. h. t. Inter alios consulatur *Fagnanus* com. in id. cap.

Porro delegatio ab Ordinario qui sit Principe inferior, fieri potest etiam absque literis delegationis, et cum de ea nihil in specie statutum sit, probari potest etiam per testes juxta dispositionem generalem cap. 10. *de Fide Instrum.* (II. 22) §. «porro».

21. 2ª. obligatio Judicis delegati est ut tenorem servet et limites mandati delegationis, c. 22. *de Rescr.* (I. 3). Tantum enim potest, quantum ei conceditur. Hinc si *forma* specialis procedendi fuerit imposita, eam sequatur oportet, si vero solummodo fuerit demandata jurisdictio, formam juris communis judex delegatus servabit. Quid vero si fuerit designatus *locus* ubi causam videat? Si locus designatus non fuerit, causa videnda erit intra provinciam ubi partes commorantur. Si locus fuerit a delegante designatus, ibi causam videbit, c. 11. *de Rescr.* (I. 3) in 6⁰. §. 4. At posita designatione loci, si locus hic tutus non sit, ut eo partes conveniant, alibi intra provinciam partium poterit causam judex pertractare, c. 13. h. t. in 6⁰. Pariter ex partium consensu poterit judex locum jurisdictionis exercendæ immutare cit. c. 11. *de Rescr.* in 6. §. 4. Locus enim in commodum partium videtur designatus.

22. In tenore rescripti inspici etiam debet *tempus*, intra quod delegatus debeat negotium absolvere. Si tempus determinatum non sit in mandato, utile tempus censetur esse annus c. 26. h. t. Quod si tempus determinatum fuerit, intra illud debebit judex causam definire. Si quæratur vero utrum intra annum, aut intra tempus definitum in mandato teneatur judex sententiam proferre, aut etiam teneatur illam executioni demandare, respondendum est, primum sufficere; quia judicis proprie officium est sententiam dicere, et munere suo functus est, cum judicium tulit; executio enim et potest per alium magistratum fieri, atque per appellationem in devolutivo simul cum suspensivo potest retardari. Transacto autem tempore legitimo, judex delegatus sententiam vi delegationis proferre non potest, ceu notat Gloss. in c. 26. h. t. cit. v. «annum». Poterit vero ex consensu partium jurisdictio prorogari, si jurisdictio non in publicum bonum et ob causam publicam, sed in bonum partium fuerit delegata. Prorogatio autem facienda est, antequam tempus legitimum exspiret.

23. 3ª. obligatio est, ut partium probationes ac legitimas exceptiones admittere debeat delegatus, ceu expresse docet c. 13. h. t. Quid vero si in mandato addatur clausula 'quacumque exceptione remota'? *Alex. III.* in hoc cap. 13. præfatæ clausulæ eam vim concedere videtur, ut excludantur omnes etiam rationales exceptiones; ait enim, easdem exceptiones a judice delegato esse recipiendas 'nisi exprimatur in literis quod nullæ debeant exceptiones admitti'. Verum inde idem Alexander adnotat, clausulam

de non admittendis exceptionibus rationabilibus practice esse impossibilem; jamque subdit, neque nos neque antecessores nostros clausulam hanc expressisse. Quare cum ex naturali jure reo concedatur justa defensio, per enunciatam clausulam utique prohibentur exceptiones futiles et irrationales, quæ diu contra juris intentionem protraherent causæ definitionem; non interdicuntur vero exceptiones, quæ rerum probationi et veritati ad amussim respondent.

24. 4.um officium judicis est sententiam latam executioni mandare. Qua in re notandum est, judicem delegatum ab Ordinario qui sit Pontifice Rom. inferior, regulariter ipsi mandanti executionem remittere; delegatum vero Rom. Pontificis ex c. 7. h. t. eandem exsecutionem Ordinariis locorum committere. Quod si Ordinarius sententiam exsequi recuset, vel ex dispositione c. 28. h. t. §. 4. poterit delegatus eum cogere ad exequendam sententiam, et Ordinarius parere debebit, quamvis arbitretur opinabiliter sententiam esse injustam, dummodo non agatur de aperta injustitia, quæ potius spolium dici potest; vel per seipsum sententiam delegatus exequi poterit, c. 7. h. t.

25. In specie modo agendum est de officio *plurium* simul delegatorum judicum. Pluribus judicibus eadem causa videnda et decernenda committi potest, et exempla offeruntur in capp. 2., 16., 22. et 23. h. t. Et 1°. quidem hæc delegatio fieri potest pluribus ita ut quoad causam definiendam *tota* in *singulis* resideat jurisdictio, ita scilicet ut quisque per se causam possit decernere. Quo in casu plures dicuntur constitui judices *in solidum*. Item 2°. delegatio pluribus fieri potest ita ut non totaliter ad singulos spectet, sed *simul omnes* procedere debeant; quo in casu dicitur tributa delegatio collegio cuidam personarum quæ *collegialiter* causam definire tenentur.

Cum plures delegantur judices cum jurisdictione totali in solidum, bonum partium consideratur, idest expedita causæ cognitio, inter plures enim designatos judices aliquis saltem causæ cognitionem cito aggredietur. Hinc ille hanc cognitionem assumit et prosequitur, qui prior causam occupat. Ille vero censetur causam occupasse qui acceptis literis a partibus, mandatum edit citationis partibus intimandæ. Cæteri vero designati judices non possunt in inchoato negotio sese immiscere, nisi qui illud tractare aggressus est infirmitate vel alia justa causa impediatur, vel nolit expresse, aut malitiose recuset in negotii executione procedere. Quod si quæ-

ratur quænam sit formula, quæ delegationem pluribus factam in solidum exprimat, eam dicimus esse qua, licet plures designentur judices, tamen conceditur facultas ut unus etiam ex designatis negotium exsequi possit. Tota hæc theoria exhibetur in c. 8. h. t. in 6°.

26. Delegatio si pluribus judicibus fiat ut collegialiter procedant, negotium seu causa debet ab omnibus pertractari ac definiri, ita ut si ab uno tantum aut aliquibus sententia, aliis absentibus et non auditis, proferatur, *nullius* sit roboris. Hanc nobis exhibent doctrinam cc. 16. et 42. h. t. et L. Vero ff. *de re judicat.* Immo adeo actus collegialis necessarius reputatur, ut nec citatio valeat, nisi omnium nomine et ab omnibus delegatis judicibus intimetur, secus citatus obtemperare non tenetur. Arg. c. 22. h. t. in princ. et gloss. ibi v. «Teneatur».

27. Quid vero si causa commissa fuerit sub hac formula: ut omnes videant, quod si omnes interesse nequeant, duo vel tres ipsi videant? Ex dispositione c. 21. h. t. §. 1. præsentes duo vel tres causam videbunt, dummodo probetur canonicis regulis vel per certum nuncium ostendatur, absentes vel absentem aut non posse, aut nolle accedere ad causam cognoscendam et definiendam. Idem quoque dicendum si causa committatur duobus cum clausula ut si ambo interesse nequiverint, unus nihilominus causam decernat c. 21. §. 2.

28. Quid vero si causa pluribus fuerit commissa ita, ut omnes videant, et unus demoriatur? Videtur hac in re diversa dispositio cap. 14. et cap. 42. h. t. Nam in c. 14. judicium a successore judicis demortui emissum cum alio judice superstite sustinetur; in cap. vero 42. traditur penitus exspirare officium et jurisdictionem delegatam etiam relate ad superstitem. Verum oppositio omnis disparet, si animadvertatur diversa species capitum. Nam in c. 14. sermo est de delegatione facta expressis nominibus locorum et non personarum; idest delegatio facta fuerat duabus dignitatibus, ita ut, demortua persona, quæ unam habebat ex illis dignitatibus, non censeretur finita delegatio, sed ea in successorem transiret. In cap. vero 42. agitur de delegatione facta pluribus designatis personis, quarum una demortua, jurisdictio concessa omnibus per modum unius desinere debebat. Duplex ergo infertur ex duobus hisce capitibus principium de duratione jurisdictionis collegii delegatorum in casu quo unus de collegio deficiat.

29. Hæc de commissa pluribus delegatione. Quid si ex literis delegationis non appareat utrum in solidum concessa fuerit, vel

solummodo ut collegialiter exerceatur? In dubio, cum agatur de singulari causa videnda et decernenda, præsumitur Judicem Ordinarium voluisse eam pluribus committere; quia præsumitur plures melius et tutius procedere in causæ alicujus definitione. Morem etiam Apostolicæ Sedis fuisse tradit *Cœlestinus III.* in c. 21. h. t. §. 1. ut causæ facilius et libentius duobus quam uni, tribus quam duobus delegarentur.

30. De potestate judicis delegati. — Judex delegatus habet veram potestatem qua efficaciter causam sibi commissam cognoscat, quæstionem decernat et ad effectum perducat. Quare non solum habet simplicem jurisdictionem, sed etiam mixtum imperium, idest jurisdictionem cum congrua pœnarum coërcitione. Et quidem hanc potestatem non solum exercere potest in ipsas partes contendentes, sed etiam circa personas extraneas et in mandato non designatas, cc. 1. et 7. h. t. Quare vocare potest coram se partes, et testes, et prohibere potest comminatis censuris omnes illos qui exercitio suæ jurisdictionis obstacula objiciunt. Attamen ut delegatus circa extraneas personas jurisdictionem exerceat, necesse est ut personæ hujusmodi auctoritati delegantis subjiciantur. Quare delegatus Rom. Pontificis, eo quod Rom. Pontifex præest toti Ecclesiæ, potest suam auctoritatem exercere quoad omnes fideles. At ex c. 28. h. t. cum personis in dignitate constitutis delegatus Apostolicus in exercitio coactivæ potestatis mitius procedere debet. Potest insuper delegatus Rom. Pontificis, uti vidimus, exigere ab ordinariis ut suam sententiam executioni mandent. — Hac etiam in re præstat referre sanctionem Const. *Pii IX.* «*Apostolicæ Sedis*», in qua inter excommunicationes speciali modo S. Sedi reservatas sub n. 8. exhibetur excommunicatio latæ sententiæ contra 'recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas vel *acta quælibet a Sede Apostolica* vel ab ejusdem Legatis aut delegatis quibuscumque *profecta,* eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes sive alios lædentes vel perterrefacientes'. Per acta a Sede Apostolica profecta designantur acta non solum quæ immediate a Summo Pontifice proficiscuntur, sed etiam quæ a *Ss. RR. Congregationibus* proveniunt» ex rescripto S. C. Inquisitionis, d. 13. (14.) Januarii 1892.

31. *De appellatione a sententia judicis delegati.* — In genere datur facultas appellandi a sententia judicis delegati vel subdelegati; nam appellatio consideratur ceu species defensionis, quæ nulli

deneganda est, c. 16. *de Appellation.* (II. 28). Si ordinarius causam commisit judici delegato, a sententia hujus appellandum est ad delegantem vel ad ejus successorem in officio L. 1. «Imperatores» §. 1. ff. *de Appell.* quia appellatio procedit ab inferiore ad superiorem. Ob hanc rationem a sententia delegati Romani Pontificis appellandum est ad ipsum Pontificem, non autem ad ordinarium loci ubi causa nata est, vel decernitur. Nam quoad negotium seu causam, quæ in mandato delegationis summi Pontificis continetur, potestas delegati vincit potestatem ordinarii localis, c. 11. h. t. Si delegatus subdelegavit totam causam, cum sese expoliaverit jurisdictione, censetur uti extraneus a negotio, et tota relatio incipit esse inter delegantem priorem et subdelegatum. Hinc a sententia hujus subdelegati appellatur ad delegantem c. 27. h. t. §. «porro». Quod si delegatus solam aliquam partem jurisdictionis, idest aliquem articulum jurisdictionalem subdelegavit, cum sententia ab ipso delegato adhuc procedere censeatur, a partiali judicio subdelegati appellatur ad delegatum c. 18. h. t., c. 7. h. t. in 6°. et Leg. ult. Cod. *Qui pro sua jurisdict.*

32. Quid vero si in mandato Rom. Pontificis adjecta sit clausula *'quacumque appellatione remota'**. *Non* loquimur de casibus in jure communi descriptis prout sunt causæ visitationis vel correctionis morum in quibus Episcopus procedit etiam tanquam S. Sedis delegatus, nec executio mandatorum ejus potest retardari; qua de re agit Tridentinum sess. 24. c. 10. *de Ref.* In hisce casibus appellatio servabitur tantum in devolutivo, nunquam vero in suspensivo. Igitur clausulam hanc consideramus adjectam mandato delegationis quæ fiat ab homine. Animadvertimus vero adjicere eam non posse Ordinarium Pontifice inferiorem; quia non potest ipse juri communi resistere, quod parti quæ in judicio succumbit concedit facultatem appellandi c. 27. h. t. §. 1. et expresse docet Glos. in c. 27. h. t. v. 'provocationis' innixa L. 5. ff. in fin. *A quibus appellare non licet.* Pariter sermo non est de appellationibus frivolis, seu frustratoriis; eas enim nullo modo esse attendendas docet c. 53. *de Appell.* (II. 28).

Loquimur vero de appellationibus, quæ procedunt ex probabili gravamine quod aliquis ex sententia prolata a delegato patiatur. Quo in casu clausula eam vim habere videtur, ut absolute non pro-

---

*) De hac quæstione agemus etiam in lib. II. tit. De Appellationibus.

hibeat appellationem et a fortiori querelam seu recursum ad delegantem Pontificem. Etenim in cit. c. 53. *de Appell.* traditur gravamen acceptum a sententia prolata ex delegatione in qua appellatio interdicebatur, posse per superiorem emendari; verum prohibitio appellationis effectum suspensionis in exsequenda sententia impedit; idest posita præfata clausula in mandato, delegatus qui sententiam protulit, potest appellationem spernere absque periculo spolii, et propriam sententiam executioni mandare. Hæc vero dispositio locum non obtinet, si delegatus a principe cum cit. clausula, alteri subdeleget causam videndam; idest a sententia subdelegati potest proponi appellatio, non obstante prædicta clausula. Cujus rei ratio est, quia delegatus non potest subdelegare cum clausula *remota appellatione,* c. 27. h. t. §. «Si vero». Privilegium enim esse videtur solius Principis, quod Princeps delegato suo non tribuit.

33. *Quibus modis cesset potestas et officium judicis delegati.* — 1us modus est *mors* ipsius *delegati;* mors enim omnia solvit; nec transit ad hæredes L. mandatum ff. *mandati.* Hic vero modus cessationis locum obtinet cum delegatio fuerit facta *personæ,* quæque dicitur personalis, c. 42. h. t. Secus vero tenendum est, si delegatio facta fuerit *officio,* seu dignitati, ex. gr. Archiepiscopo Toletano, quin nomen exprimatur c. 14. h. t. Officium enim et dignitas perseverant in successore defuncti. Quid vero si exprimeretur simul nomen personæ et dignitas Delegati, ex. gr. Petro, Archiepiscopo Bononiensi? Dubitari potest de natura jurisdictionis commissæ. Hinc ex subjecta præsertim materia et ex adminiculis esset dignoscenda voluntas delegantis. Quod si omnibus perpensis, adhuc dubium perseveraret, potius pro personali quam pro reali pronunciandum foret, ac proinde dicendum esset delegationem cessasse cum morte delegati. Cujus conclusionis ratio ex conceptu juridico delegationis derivat, quæ odiosa censetur, ac proinde strictæ interpretationis. Id quod logica quoque interpretatione fulcitur; nam dignitas (Archiepiscopus Bononiensis) restringitur nomine personæ (Petri).

34. 2us modus quo jurisdictio delegata exspirat est per *mortem delegantis,* re adhuc integra, c. 30. h. t. Cum enim judex delegatus auctoritatem jure proprio non habeat in negotio vel in causa, sed solummodo ex mandato alterius; ejus jurisdictio censetur adhærens personæ delegantis, quoadusque delegatus suum non fecerit, idest quoadusque delegatus non fuerit constitutus verus

judex in causa. Hinc re integra, demortuo delegante, cessat etiam potestas delegati; quia hic nondum fecerat suam potestatem. Cum vero negotium legitime inchoaverit judex delegatus, illud fecit suum, et per hoc constituitur verus judex in causa. Unde ministerio legis ob bonum publicum perpetuatur ejus jurisdictio usque ad negotii complementum, perinde ac si viveret delegans.

35. Quando vero res amplius non censeatur integra et negotium juridice incœptum quoad rescripta justitiæ, seu quoad negotium judiciale, de quo agitur in titulo præsenti, determinatur ex cc. 19. et 20. h. t. quæ capita explicavimus in tit. *De Rescrip.* (I. 3) et ostendimus antiquitus servatam fuisse dispositionem c. 19. quod est *Lucii III.*, ut nempe res desineret esse integra per litis contestationem, deinde vero prævaluisse et vigere sententiam c. 20. quod est *Urbani III.* ut nempe edito citationis edicto res non censeatur amplius esse integra. Quod de morte delegantis dictum est, dici etiam debet de ejusdem renunciatione et depositione.

36. 3us. modus est *revocatio* mandati, quæ fieri potest a delegante re adhuc integra. Immo etiam re non amplius integra revocari posse jurisdictionem delegati, tuentur Doctores. Verum exceptio ponitur quoad subdelegatum. Delegatus scilicet qui subdelegavit totum negotium, vel totam causam, non potest revocare jurisdictionem statim ac subdelegatus negotium inchoaverit, idest re non integra, potest vero re integra: c. 37. h. t. et c. 7. h. t. in 6°. Ratio est, quia delegatus universum alteri committens negotium videndum, jurisdictionem totam amittit, et quasi extraneus redditur a negotio. Quod si non totam jurisdictionem subdelegaverit delegatus, sed partem solummodo, idest aliquem articulum jurisdictionalem, poterit jurisdictionem etiam re non integra ad se revocare; quia delegatus censetur adhuc dominus causæ, et ipse est qui recipit appellationem a sententia circa articulum peculiarem lata a subdelegato. Revocatio autem fieri debet legitimo modo, et partibus collitigantibus in re judiciali est pandenda.

37. 4°. Cessat jurisdictio delegata *completo negotio* vel *causa finita.* Censetur vero causa finita cum sententia fuerit executioni commissa, vel in statu reperiatur executionis, id est munita fuerit mandato executionis c. 9. h. t. Nec protrahitur jurisdictio eo quod appellatione interposita, executio forte impeditur. Nam vi pristinæ commissionis judex delegatus non poterit causam a se definitam iterum videre; idem enim judex eandem causam bis non videt

L. 55. ff. *De re judicata.* Præclara dispositio legis hujus est ad modum principii juridici, quod applicatur non solum judici ordinario, sed etiam delegato. 'Judex', ait ICtus, 'posteaquam semel dixit sententiam, judex esse desinit. Et hoc jure utimur ut judex qui semel vel pluris vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam suam non possit. Semel enim, male seu bene, functus est officio suo'. Concordat L. 1. C. *Sententiam rescindi non posse.* Ubi eadem dispositio extenditur ad successorem in officio judicis. Nec obstat, sententiam latam fortasse esse injustam; nam judex appellationis emendabit errorem.

38. Jurisdictio delegati etiam cessat, si delegatus post inspectas literas decretum tulit de earundem *nullitate ob vitium* quo laborant. Hinc non potest deinde mutato consilio negotii sibi commissi expeditionem aggredi, sed novum requiritur mandatum. Per decretum enim delegatus functus est munere suo. Ad rem facit c. 38. h. t.

Quod de judice proprie dicto exposuimus, applicari etiam debet simplici executori, qui nempe nudum ministerium habet. Hic scilicet cessat ab officio suo, facta sive valide sive invalide executione commissi ministerii. Hinc si invalida fuerit executio, aliæ sunt exposcendæ literæ delegationis et aliæ obtinendæ facultates a mandante.

39. 5°. Cessat jurisdictio delegata *lapsu præfixi temporis* nisi ex partium consensu jurisdictio prorogetur c. 4. h. t. Tempus autem decurrit a die factæ præsentationis, c. 12. *de Appell.* (II. 28); et prorogatio, ut valeat, debet fieri tempore utili, idest antequam penitus labatur præfixus terminus. Etenim post elapsum terminum mandatum prorsus exspirat, et quemadmodum adnotat *Abbas* in cit. c. 4. h. t. n. 7. prorogari non potest quod amplius non est.

40. Potest etiam cessare delegati jurisdictio recusatione legitime proposita ob suspicionem in personam judicis cadentem. Judex vero suspectus non confundatur cum judice qui revera noxius est, qui tanquam indignus removetur, sed suspectus est qui ob aliquam relationem cum causa, vel cum adversa parte dubium ingerit, an fortasse observaturus non sit justitiæ rigorem. Species judicis suspecti in ipsis canonibus traduntur: Ex. gr. 1°. si delegatus factus fuerit dominus adversæ partis litigantis c. 17. h. t. — 2°. Si delegatus sit consanguineus vel affinis vel admodum familiaris ad-

versæ partis c. 25. h. t. Ex quo capite eruitur, non solum ante litis contestationem recusari posse judicem, sed superveniente causa suspicionis, ex. gr. si factus fuerit inimicus alterutrius partis, etiam post litis contestationem posse recusari. Intimari autem judici delegato debet recusatio c. 12. §. ult. *de appell.* (II. 28). Secus enim legitime exercet jurisdictionem sibi commissam. Hinc si recusatio non fuerit canonice proposita, poterit judex delegatus absque periculo nullitatis actorum prosequi causæ cognitionem. Immo si ante recusationem delegatus a Papa subdelegaverit totam causam, hæc subdelegatio sustinetur c. 6. h. t. in 6°. Diximus *totam causam*; quia per hanc subdelegationem delegatus amittit jurisdictionem. Hinc si solummodo articulum quemdam jurisdictionalem alteri commiserit, adhuc poterit ex causa suspicionis recusari, et subdelegatio cessat. Nam subdelegatio in casu tota pendet ex potestate delegati. Post recusationem vero propositam, absque partium consensu non potest causam alteri committere. Quin immo nec de consensu non potest causam alteri committere. Quin immo nec de consensu partium judex delegatus poterit alium subdelegare, si super revocatione legitime fuerit pronuntiatum. Etenim declarata legitimitate recusationis, delegatus desinit esse judex, omnemque amittit jurisdictionem cit. c. 5. h. t. in 6°. Verum si plures fuerint delegati cum clausula 'ut si non omnes, saltem duo vel unus in causæ cognitione procedant', in hac hypothesi, si unus fuerit recusatus, ceteri poterunt negotium expedire vel causam decernere, c. 4. h. t. in 6°.

41. Cum adlegatur suspicio judicis delegati, quis de ea videbit? Ordinarie quæstio de suspicione judicis ab *arbitris* a partibus electis pertractatur et definitur c. 39. h. t. — *Exceptiones* autem dantur ex c. 4. h. t. in 6°. Idest. 1°. Quando judex recusatur ex causa suspicionis notorie frivola et frustratoria, tunc potest rejici a judice recusato, et ea non obstante ad ulteriora procedi, absque eo quod arbritros eligat, *Farinacius Prosper: S. Romanæ Rotæ decisiones;* Dec. 531. n. 3. 2°. Si duo dati sint judices delegati sub forma, ut si ambo interesse nequeant, alter eorum in causa procedat. 3°. Si judex datus sit ab Episcopo. 4°. Si Officialis Episcopi recusetur. In duobus posterioribus casibus Episcopus est qui videt causam suspicionis cit. c. 4. h. t. in 6°. In prima hypothesi vero causa suspicionis coram conjudice non recusato proponenda et expedienda est.

42. Antequam tituli tractationem expleamus, occasione cc. 1. et ult. h. t. in 6°. aliquid dicendum est de judicibus qui dicuntur

conservatores. Inter varia privilegia quibus a S. Sede decorabantur Ordines Regulares, universitates studiorum ac quandoque etiam Capitula, illud fuit ut peculiarem sibi judicem assumerent qui privilegia eorum tueretur, et appellatus est judex conservator. De judicibus conservatoribus agit etiam Tridentinum in c. 5. sess. 14. *de Ref.* Judices conservatores eligendi sunt in Diœcesi ex cœtu judicum synodalium, et postquam fuerint electi, eorum nomina ab electoribus sunt insinuanda intra sex menses in Curia episcopali. Ita statutum est a *Gregorio XV.* in Const. *'Sanctissimus'.* Quod si vero judices synodales non haberentur, concessum est ut possent etiam aliquam personam assumere, dummodo tamen instructa esset qualitatibus a *Bonifacio VIII.* in c. «Statutum» 11. *de Rescr.* (I. 3) designatis. Hujus tamen electi judicis jurisdictio cessat statim ac in Synodo fuerint creati judices synodales. Ita docet *Bened. XIV. de Syn. Diœc.* Lib. 4. cap. 6. n. 3. allegans alios auctores, inter quos *Fagnanum com.* ad c. 2. h. t. n. 3.

43. Olim magnam habebant auctoritatem judices conservatores, et a privilegiatis personis etiam quoad causas civiles eorum potestas invocabatur. *Innocentius IV.* vero in c. 1. h. t. in 6^{0}. statuit, conservatores judices posse defendere privilegiatos a manifestis injuriis et violentiis, nec ad alia quæ judicialem indaginem exigunt, suam posse extendere potestatem. Eandem dispositionem renovavit *Bonifacius VIII.* in c. ult. h. t. in 6^{0}. sub pœna suspensionis ab officio per annum. Renovarunt insuper hanc dispositionem Pontifices posteriores *Clemens VIII.* in Const. 3. Bullar. t. 3. et *Gregorius XV.* in Const. 9. Bullar. t. 3. Et S. Congr. Conc. interrogata die 28. Julii 1657. 'an Regulares habentes conservatorem, si rei sint, in causis requirentibus judicialem discussionem et indaginem, conveniri queant coram eodem Conservatore', resp. '*Negative*, sed provocandum esse ad Ordinarium loci'. In causa autem Januensi proposita die 20. Febr. 1723. inter Patres Soc. Jesu et Patres Carmelitas excalceatos s. Congr. respondit, conservatorem procedere posse solummodo in casibus manifestæ injuriæ et violentiæ, et quando Patres sunt rei conventi. Immo in celebri causa *Angelopolitana* inter Joan. Palafox Episcopum et Patres soc. Jesu proposita die 16. Aprilis 1648. confirmata ab *Innocentio X.* die 14. Maji 1653. in resp. ad 1^{m}. et 2^{m}. S. Congr. respondit, non licere Regularibus conservatores eligere sive cum Ordinarius præcipit ipsis observantiam decretorum Tridentini in illis casibus, in

quibus sive vi ipsius Concilii, sive Apostolicarum Constitutionum Regulares exempti subjiciuntur jurisdictioni Episcopi; sive cum Ordinarius juris ordine servato procedit adversus ipsos Regulares in casibus, in quibus Regulares subjiciuntur Ordinariis. Quare hisce positis exceptionibus officium conservatorum est, ut in causis manifestæ violentiæ et injuriæ efficaciter, idest etiam adhibitis censuris, possint coercere adversarios violantes jura, possessiones, privilegia Regularium c. 1. h. t. in 6°. Cfr. *Fagnan. Com.* in c. 11. h. t. et *Bened. XIV. de Syn. Diœc.* Lib. 4. c. 6.

Hodiernis vero moribus auctoritas seu jurisdictio conservatorum fere disparuit, et negotia omnia Regularium et aliorum cœtuum privilegiatorum quoad eorum privilegia ordinarie tractantur et definiuntur a ss. Congregationibus.

Titulus XXX.
De officio Legati.

1. Legatus in genere est ille qui eligitur et mittitur cum potestate ad eminentem personam vel in aliquam provinciam ut spiritualia negotia administret. Potest mitti ut personam mittentis Pontificis, vel ut Sedem Apostolicam repræsentet. Hodie solent mitti nomine S. Sedis, ac proinde eorum jurisdictio induit naturam ordinariæ jurisdictionis; mortuo enim Pontifice, perseverat jurisdictio Legati.

2. Ab ipsa antiquitate Legati Apostolici in duas classes divisi sunt, ut alii mitterentur absque jurisdictione, sed ad exequendum *nudum ministerium;* alii autem *cum jurisdictione.* Primi mittebantur ad Principes laicos, ut patrocinio suo protuerentur et expedirent aliquod negotium cum Principe; et hi appellabantur Apocrisiarii, seu Responsales. Etenim Romani Pontificis mandatum Principi proponebant, et Romano Pontifici Principis responsum referebant. Alii vero legati erant cum vera jurisdictione, et habebantur tamquam veri judices Ordinarii.

3. Qui legati cum jurisdictione dividuntur in duplicem classem, ut alii sint *nati,* alii *missi:* missi alii sint *a latere,* alii *simpliciter* missi. Legati nati illi appellantur quorum dignitati quam in Ecclesia possident adnexa est jurisdictio, seu legationis munus, et nati dicuntur, quia eo ipso quod ad dignitatem illam assumuntur, adnexam potestatem obtinent. Primitus vocabantur Vicarii

Romani Pontificis. A sæculo 4. et 5. jam vidimus hos Vicarios constitutos fuisse. Thessalonicensis Episcopus in Illirico a s. Damaso, a s. Simplicio Hispalensis Episcopus in Hispania Vicarii Apostolici creati sunt. Inde etiam Tarraconensis Archiepiscopus adjunctus est ab Hormisda, a quo Pontifice etiam S. Remigius Rhemensis Archiepiscopus in Gallia Vicarius Romani Pontificis fuit constitutus. Cui adjectus fuit Episcopus Arelatensis. Pariter in Germania Salisburgensis Episcopus, et in Italia Episcopus Pisanus Vicarii Rom. Pontificis statuti sunt.

4. Hi Vicarii Rom. Pontificem repræsentabant et Petri auctoritate decorabantur participes effecti sollicitudinis apostolicæ in Provinciæ cujusdam regimine sustinendo. Horum Vicariorum præcipuum *officium* erat: Synodos provinciales congregare, eis præesse, Ecclesias visitare, inquirere et probare qualitates eorum qui ad dignitatem episcopalem promovebantur, et Metropolitanos consecrare. Studebant etiam ut a Metropolitanis non prætermitterentur conventus synodales. Conferri poterit in hac re opus *Pii VI.* Sum. Pont. cui titulus: *Responsio ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem super Nuntiaturis Apostolicis*, ed. Romæ 1789.

5. Eorum inde nomen in illud Legatorum natorum immutatum est, et plures Sedes adeptæ sunt dignitatem ut cujusque earum Episcopus censeretur, vi pastoralis officii, Legatus natus S. Sedis. Cum Rom. Pontificem repræsentarent isti Episcopi, primitus considerabantur ceu judices in gradu appellationis, sed deinde etiam in prima instantia majoris momenti causas videre potuerunt; ita ut ab eorum sententia nonnisi ad Apostolicam Sedem appellaretur. Verum paulatim imminuta est eorum auctoritas; nam solitus fuit Rom. Pontifex mittere peculiares legatos, qui aliquod negotium gerendum, vel genus quoddam causarum videndarum habebant, quique vincebant auctoritate legatos natos. Præsertim vero usque ab antiquitate consueverunt Rom. Pontifices legatos suos extraordinarios mittere ad Concilia Oecumenica, ut loco sui Concilio præessent, et fidem catholicam tuerentur. Sæculo autem 14. multiplicatis legatis missis factum est ut sensim sine sensu desineret potestas et officium legatorum natorum; donec sæculo 15. potestas hæc penitus cessasse dicenda est; ita ut quoad quasdam Sedes, ex. gr. Coloniensem, Salisburgensem et Pragensem in Germania, solummodo supersint quædam jura honorifica. Sed remansit

in facto Legatio Apostolica in Sicilia, quæ appellabatur *regia monarchia,* quæque habebat suum judicem, ministros et officiales. At nuperrimis temporibus Legatio hæc penitus abolita fuit a S. M. *Pio IX.* in Const. '*Suprema*' V. Kalendas Februarii an. 1864., publicata die 10. Octobris 1867; et per alias literas apostolicas in forma brevis V. kal. Februarii 1864. definitus est modus pertractandi causas quas tribunal Legationis solitum erat pertractare. Conferri potest opus clarum *Cavagnis: de Jure Publico Ecclesiastico* tom. 2.

Cessantibus, ut dictum est, Legatis natis, Nuntiorum apostolicorum origo incœpit. De his aliquid inferius dicemus.

6. *De Legatis qui missi dicuntur.* — Quædam sunt communia omnium Legatorum missorum, sive quoad potestatem sive quoad officium. 1°. Legati potestas in provincia sibi commissa est ad modum potestatis *ordinariæ.* Hinc non exspirat morte Pontificis c. 2. h. t. in 6°. Quare Legati missi non appellantur Legati *Pontificis,* sed Legati *S. Sedis.* Ex quo sequitur Legatum jure appellationis videre posse causas omnes ecclesiasticas Provinciæ, et jure antiquo habuisse etiam cum Ordinario loci cumulativam potestatem causas decernendi in prima instantia. Jure autem Tridentino expresso in c. 20. sess. 24. *de Ref.* Legatus videre non potest causas in prima instantia nisi in casu, quo post biennium a die motæ litis non fuerint ab Ordinario definitæ. Causæ enim omnes in Diœcesi cognosci debent in prima instantia ab Ordinario, nec recursus conceditur ad Judicem superiorem nisi post sententiam definitivam vel quæ habeat vim definitivæ, aut nisi infra biennium a die motæ litis computandum Ordinarius loci causam terminaverit.

2°. Jurisdictio ordinaria Legati quoad spiritualia et ecclesiastica negotia exercetur *vice Pontificis,* ac proinde supereminet jurisdictioni episcopali, et est ad instar Supremæ potestatis c. 2. h. t. in 6°. Non potest vero Legatus quilibet inconsulto Pontifice majores causas pertractare, quæ ut dicunt 'in signum prærogativæ singularis' Pontifici reservantur. Quare translationes Episcoporum ex c. 3. h. t., uniones Ecclesiarum Cathedralium ex c. 4. eod. et alia hujusmodi nullus Legatus vi mandati generalis perficere potest.

3°. Legati in sua provincia *statuta* condere possunt perpetua; idest quæ ad instar legis vim habeant etiam post eorum mortem vel finito legationis tempore c. ult. h. t. Hæc vero statuta non possunt s. Canonibus et legibus generalibus Ecclesiæ obviare ex c. 4. D. 21.

7. Si quæratur quod sit officium omnium Legatorum S. Sedis, responderi potest ex c. 2. h. t. in 6°. illud esse ut 'evellant et dissipent, ut ædificent et plantent'. Aequiparantur scilicet proconsulibus aut præsidibus Romanis, quibus committebatur provincia gubernanda, quique ideo consequebantur amplissimam potestatem, ut operâ suâ provincia sub imperii obedientia contineretur. Est ergo officium Legatorum ut supremam in ecclesiasticis negotiis inspectionem exerceant, constitutionum apostolicarum observantiam procurent, abusus cohibeant, mores depravatos et defectus corrigant, tum principum tum populorum concordiam et obedientiam erga Sum. Pontificem foveant, et ea quæ ad bonum Ecclesiæ conducere viderint, S. Sedi referant.

8. *De Legatis a latere in specie.* Legatus a latere eligitur ex Collegio S. R. E. Cardinalium, et a latere dicitur quia Cardinales residere debent in Curia cum Pontifice, nisi aliter huic videatur, ac proinde quando mittuntur in aliquam regionem, censentur mitti et ad tempus divelli a latere Pontificis. Legatorum a latere quædam specialia sunt. Et 1°. statim ac egreditur ab Urbe, ubi residet Curia Pontificis, potest Legatus a latere insignia legationis assumere ac sese habere ceu legatum etiam extra provinciam suam et usque dum Urbem iterum ingrediatur. Quare potest crucem erigere et fideles benedicere. 2°. Post egressum ab Urbe et usque ad reditum in eandem potest Legatus a latere exercere jurisdictionem voluntariam etiam in personas extraneas a sua provincia, et sibi non subditas cc. 4. et 9. h. t. Hinc absolvere ab excommunicatione potest violentos percussores Clericorum cit. capp. et c. 20. *De Sent. Excomm.* (V. 39). Quoad vero alias censuras Sum. Pontifici reservatas *variant* Doctores. Alii cum Abbate in c. 9. h. t. n. 4. sententiam *negativam* tenent; eo quia, cum in jure expressus sit casus percussionis Clericorum, alii casus censurarum non expressi præsumuntur exclusi a potestate Legati a latere. Alii autem cum Azorio part. 2. l. 5. cap. 32. q. 6. n. 27. tenent *posse* Legatum a latere absolvere etiam ab aliis censuris Papæ reservatis. Ratio est, quia casus isti censurarum censentur in mandato generali comprehensi ob amplissimam auctoritatem Legati a latere. Quare casus excommunicationis ex percussione Clericorum relatus est in jure non ad alios casus excludendos, sed speciminis gratia. Excipiunt vero illas censuras quas Pontifex in sua Constitutione ita sibi reservat ut nullus alius præter Rom. Pontificem possit ab

iis absolvere. Fateor primam sententiam melius cohærere verbis et intentioni c. 4. h. t. 3°. Præsente Legato a latere in provincia tacet auctoritas *aliorum legatorum* inferiorum; qui nempe nec insignibus legationis uti, nec negotia pertractare possunt c. 8. h. t. Excipi debent judices delegati ad videndam et decernendam causam peculiarem; hi enim possunt etiam officium suum exsequi adveniente Legato a latere; namque mandatum speciale derogat generali c. 2. h. t. — 4°. Jure communi possunt hi Legati a latere conferre beneficia etiam in concursu cum Ordinario loci, cum in sua Provincia vacant cap. 6. h. t. et c. 1. h. t. in 6°. Excipiuntur vero primæ dignitates seu prælaturæ Ecclesiarum cathedralium, regularium et collegiatarum c. 4. h. t. in 6°. et beneficia jurispatronatus laicorum c. 28. *de Jur. Patron.* (III. 38) nec non beneficia litigiosa cc. 1. et 2. *Ut lite pendente* (II. 16).

9. *De aliis Legatis missis juxta hodiernam disciplinam.* — Etiam hodie solet Sum. Pontifex suos legatos mittere, et alios quidem mittit ad aliquod grave negotium expediendum, ita ut completo negotio, Legatus ad Urbem redeat, cessetque legatio. Frequenter mittuntur Legati isti ad deferendum birretum rubrum novis electis Cardinalibus in exteris nationibus, et solent appellari Ablegati. Sunt vero alii qui funguntur legatione stabili, quique dicuntur residentes et mittuntur nomine S. Sedis, quique proinde officium et potestatem retinent, etiam mortuo Sum. Pontifice. Solent autem Legati isti mitti ad supremos Principes civiles. Et quidem si commorantur apud aulas majores dicuntur *Nuntii*, si vero mittuntur ad aulas minoris gradus, appellantur *Internuntii* aut etiam *Delegati* Apostolici. Nuntii quidem caractere episcopali decorantur, et hodie etiam Internuntii, non sic vero semper Delegati Apostolici. Si contingat aliquem S. R. E. Cardinalem fungi debere munere Nuntii Apostolici, *Pro-Nuntius* appellatur. Nuntiaturæ erectæ sunt Viennæ an. 1581.; Lucernæ an. 1586.; Bruxellis an. 1597. atque inde etiam aliæ institutæ sunt Parisiis, Monachii, Ulyssiponæ, Matriti etc.

10. *Officium* Nuntiorum et reliquorum Legatorum residentium duplex est. Scilicet 1°. mittuntur ad Regem, Imperatorem et ad Reipublicæ Præfectum, ut studeant conservare pacem et concordiam inter S. Sedem et Principem laicum, et generalia negotia Principatus civilis cum Sum. Pontifice pertractent. Quoad hæc omnia ipsi instructiones recipiunt a S. Sede quibus inhærere de-

bent, et ad ipsam S. Sedem debent responsa gubernii civilis referre. Quare sub hoc respectu Nuntii Apostolici æquiparari aliquo modo possunt antiquis Responsalibus et Apocrisiariis S. Sedis apud aulam imperatoriam Constantinopolitanam. — 2um Officium Nuntiorum est relate ad Episcopos et fideles regni, quo sub respectu sunt veri judices et Ordinarii. Habent enim ab Apostolica Sede facultates quibus ordinario modo utuntur. Eorum potestas melius dignoscitur ex literis mandatum referentibus. Quamvis vero in his literis mandatum aliquando conceditur 'cum potestate legati a latere'; tamen hæc clausula, quæ in jure communi non legitur, sed ex stylo Curiæ adjungitur, non habet efficaciam ut Nuncium Apostolicum revera constituat Legatum a latere, illique tribuat jura et honores Legati a latere, sed vim exserit relative ad ea quæ in mandato continentur, quæ in ampliori forma solent committi talibus Legatis, qui proinde in negotiis sibi commissis procedere possunt potestate plena. Conferatur 'Responsio *Pii VI.* ad Metropol. Mogunt. Treviren. Colonien. et Salisburgen. super Nuntiaturis Apostolicis' Romæ 1789 supra cit.

11. *De cessatione potestatis Legatorum missorum.* — Finitur horum potestas: 1°. Finito *tempore* legationis, si legationis munus fuit temporaneum arg. c. 4. *de Off. et pot. jud. delegati* (I. 29). 2° *Revocatione mandati*, quæ fuerit legato intimata. Etenim ante legitimam intimationem potest legatus negotia valide peragere c. 4. *De restit. spoliat.* (II. 13). 3°. Cum legatus sponte *egreditur* provinciam propriam cum animo ad eam non revertendi c. ult. h. t. Excipitur tamen a. si quis fuerit legatus ad plures provincias, et ex una ad aliam transierit; nam hic legatus in qualibet ex suis provinciis potest jurisdictionem exercere etiam quoad alias, c. 7. h. t. b. Excipitur Legatus a latere, qui egressus provinciam suum honorem servat et facultatem absolvendi ab excommunicatione percussores clericorum, usque dum in Urbem ubi Pontifex commoratur, pedem non posuerit. — 4°. Tandem *delata causa* aliqua vel negotio ad Sum. Pontificem, in ea causa vel negotio manus amplius Legatus apponere prohibetur c. 5. h. t.

Titulus XXXI.

De officio Judicis Ordinarii.

1. Judex Ordinarius ille est, qui exercet magistratum proprium, idest habet jurisdictionem ex suo officio et jure, non vero ex alterius beneficio seu mandato. Ipsam Christi Ecclesiæ originariam institutionem et modum constantem existendi ipsius Ecclesiæ inspicientes, deprehendimus, quosdam magistratus existere, qui jus habent regendi populum Christianum. Opinio eorum qui tenent, Christum Dominum omnes fideles fecisse æquales, et pastores non esse nisi repræsentantes cœtus fidelium, quibus pastoribus fideles ipsi potestatem a Christo acceptam conferant, jam explosa est; et certum exploratumque est jure divino admittendum esse in Ecclesia principatum sacrum, cui ab ipso Christo potestas collata est gubernandi ac dirigendi fideles ad finem supernaturalem æternæ salutis consequendum. Etenim quosdam ex credentibus ipse Christus Dominus elegit eisque munus prædicationis et regiminis commisit; ita ut in institutione Ecclesiæ antea fuerint constituti doctores et pastores quam populus fidelis cognitus et determinatus. Verum hæc innuisse sat est. Nam scopus noster est exponere juris canonici elementa, et ea quæ pertinent ad divinam Ecclesiæ constitutionem extranea sunt a nostra tractatione; bene vero pertinent ad expositionem juris publici ecclesiastici. Accedamus ergo ad explicandos gradus hierarchiæ ecclesiasticæ.

2. Sacer principatus jurisdictionis pluribus gradibus resultat. In sacris canonibus reperimus post Romanum Pontificem Patriarchas, Primates in Occidente, Exarchas vero in Oriente, Archiepiscopos, Episcopos, et Prælatos qui inferiores vocantur, qui veluti majores jurisdictionis gradus constituunt; reperimus etiam et Archidiaconos, Archipresbyteros, et inde Chorepiscopos et Parochos.

3. Quæri posset an omnes isti gradus a jure *divino* sint repetendi, an non? Hæc quæstio eo reducitur ut determinetur utrum in divina constitutione Ecclesiæ gradus hujusmodi omnes vel aliqui tantum reperiantur? Certum est, non omnes ad divinam constitutionem Ecclesiæ pertinere; nam ex historia ecclesiastica notum est, aliquos gradus disparuisse aut substantialiter in propriis juribus immutatos fuisse. Dicendum ergo est, duos tantum gradus jurisdictionis jure divino fuisse institutos, primatialem nempe et episcopalem jurisdictionem; primatialem quæ in Rom. Pontifice,

ceu Petri successore, residet; et episcopalem quæ in Episcopis tanquam successoribus Apostolorum manet. Hinc gradus medium locum obtinentes inter Rom. Pontificem et Episcopos, de quibus præsertim quæstio est, quamvis antiquæ sint institutionis, juris tamen humani sunt et non divini, et considerari possunt ceu partialis communicatio potestatis supremæ in Ecclesia facta a prima Sede, quæ vel expresse, vel tacite, approbando nempe privilegia nobiliorum Sedum proposita a Conciliis, vocavit in partem sollicitudinis universalis Ecclesiæ aliquos Episcopos.

4. Quod principium etiam clarum redditur ex primitiva institutione Patriarcharum. Nam scimus antiquitus tres tantum Sedes patriarchales fuisse, Romanam nempe, Alexandrinam et Antiochenam, et hasce primum honorem inter alias ac peculiaria jura fuisse assecutas ob earundem originem a St. Petro. Scilicet antiquitas consideravit Petrum ceu centrum unitatis ac potestatis supremæ principium. Hinc Sedes Alexandrina a Petro per Marcum instituta et Antiochena a Petro ipso per septennium gubernata primæ consideratæ sunt in Oriente. Romana vero, ad quam accedens Petrus primatus jura contulit, ac suo successori reliquit, considerata est ceu Sedes primatialis in tota ecclesia. A Petro ergo, idest ab auctoritate ejus primatiali, origo antiquarum Sedum patriarchalium Orientis derivanda est. Porro etiam cæteri gradus potestatis supra-episcopalis a potestate suprema Petri, quæ in Rom. Pontifice residet, repetendi sunt. Namque Episcopi non potuissent potestatem concedere, quæ propria potestate est major, sed potestas major episcopali non potest esse nisi communicatio potestatis illius cui subsunt Episcopi. Verum hæc communicatio in specie facta est vel expresse uti diximus, quando Romani Pontifices aliquod privilegium cuidam Sedi concesserunt, vel tacite quando Romani Pontifices probarunt Concilia, in quibus aliqua prærogativa honoris et jurisdictionis alicui Sedi tributa fuit.

5. Nunc quædam historice dicenda sunt de institutione aliarum Ecclesiarum Patriarchalium, et aliarum Ecclesiarum quarum Episcopi potestatem et honorem obtinuerunt supra aliis Episcopis. Et quoniam de origine trium Sedum Patriarchalium aliquid innuimus, præstat etiam aliquam notitiam referre de Patriarchis Hierosolymitano atque Constantinopolitano. Destructa vetere civitate Hierusalem ab Helio Hadriano, nova urbs non longe ab antiqua excitata est, et primitus appellata fuit Helia Hadriana. Unde ejus

civitatis Episcopus etiam in Nycæna Synodo vocatus est Episcopus Heliæ; et Cæsareensi Metropolitæ subjectus est intra fines patriarchatus Antiocheni. Cœpit vero Episcopus novæ Hierusalem honorari ob memoriam passionis et sepulturæ dominicæ, et Patriarcha etiam vocatus in Conciliis sedebat post Patriarcham Antiochenum. Tandem in Concilio Chalcedonensi an. 451. etiam jura patriarchalia Sedi Hierosolymorum concessa sunt, et territorium patriarchale trium provinciarum Palestinæ finibus determinatum est.

6. Tandem romano imperio Bizantium translato, ejus Episcopus ceu novæ Romæ Episcopus cœpit sibi vindicare jura supra aliis Episcopis orientis, donec in Concilio Constantinopolitano, sed clarius in Chalcedonensi edixerunt Patres, Constantinopolitanum Antistitem secundum tenere locum post Romanum Pontificem et præcedere alios orientis Patriarchas. Decretum hoc probatum non est a. s. *Leone Magno,* qui acta Concilii confirmavit, nec a successoribus Romanis Pontificibus usque ad *Innocentium III.*, qui ob amorem pacis illud approbavit, prout legitur in c. 23. *de Privilegiis* (V. 33). Quo in capite decernitur, ordinem Patriarcharum hunc esse: ut nempe post Romanum Pontificem, qui primatum gerit in universam Ecclesiam, a quo pallium Patriarchæ obtinent, et cui obedientiam promittunt, primum locum occupet Patriarcha Constantinopoleos, secundum Alexandrinus, tertium Antiochenus, quartum Hierosolymitanus.

7. In hodierna disciplina Romæ consecrantur tres Episcopi qui titulum habent Patriarcharum Constantinopolitani, Alexandrini et Antiocheni, qui Romæ resident et præeminentiam honoris obtinent supra Episcopis, Archiepiscopis et Primatibus. Insuper extant etiam hodie Patriarcha Antiochenus Maronitarum, Patriarcha Antiochenus Melchitarum, Patriarcha Antiochenus Syrorum, Patriarcha Hierosolymitanus ritus latini, Patriarcha Babylonensis Chaldæorum, et tandem Patriarcha Ciliciæ Armenorum, qui omnes Patriarchæ lege residentiæ in propriis Sedibus obligantur. His orientis Patriarchis accensebatur Patriarcha *Alexandrinus Coptorum* a Sum. Pont. *Leo XIII.* in bulla «Christi Domini», d. 26. Nov. 1895 his verbis: «Patriarchatum Alexandrinum catholicum restituimus et pro Coptis constituimus, eique ac singulis qui ipsum obtenturi sint, honores omnes, privilegia, prærogativas, nomina omnemque potestatem tribuimus eâdem ratione qua generatim ea nunc a Patriarchis orientalibus rite exercetur.»

8. Præter hosce antiquos, qui majores dicuntur, in Ecclesia latina quibusdam Episcopis concessum est honoris causa nomen Patriarchæ. Antiquior hujus generis patriarchatus et Aquilejensis, a quo, divisione facta, post sæc. 6. originem duxit patriarchatus Gradensis. Sæculo 15. idest an. 1451. titulus hujus secundi patriarchatus translatus fuit in Episcopum Venetiarum, quique usque nunc Patriarcha nuncupatur. Anno autem 1751. suppressus fuit Patriarchatus Aquilejensis. Præterea honoris causa a *Paulo III.* institutus est patriarchatus Indiarum Occidentalium, et hoc titulo decoratur major Capellanus regis Hispaniarum. Tandem a *Clemente XI.* Archiepiscopus Ulyssiponensis in Lusitania titulum Patriarchæ assecutus fuit. Qui omnes dicuntur Patriarchæ minores.

9. Præter Patriarchas a primis etiam temporibus videmus nominari Archiepiscopos et Metropolitas. Sciendum enim est, in divisione imperii romani primam civitatem in Provincia fuisse appellatam metropolim, seu matrem aliarum civitatum Provinciæ, quia ad eam confugiebant ut penes Præsidem majora negotia pertractarent. Huic mori visa est sese accommodasse Ecclesia. In civitatibus enim quæ centrum constituebant Provinciæ præfecit Episcopum cui subderentur Episcopi aliarum civitatum Provinciæ. Hinc Episcopus ille appellatus est Metropolita vel Archiepiscopus; Ecclesia vero dicta est Sedes metropolitana. Porro hujus rei vestigia ad ipsa apostolica tempora referuntur. Nam Titus a Paulo relictus fuerat Cretæ, ut vigilantiam exerceret in tota insula et in variis Ecclesiis ejusdem cum suis Pastoribus. Ad Tit. I. 5. sq. Reliquerat Timotheum Ephesi, ut advigilaret toti asiaticæ Provinciæ. Quod etiam confirmatur ex ipsis Apostolorum scriptis in quibus mentio est de provinciis in quas divisum erat romanum imperium. Loquuntur enim de Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia (1. Petr. I, 1.), de Syria et Cilicia (Act. XV, 23.), de Macedonia et de Achaja (Rom. XV, 26.) Sic etiam scribentes Apostoli Ecclesiæ in civitate principali Provinciæ fundatæ, totam præ oculis habebant provinciam. Sane Paulus scripsit ad Corinthios, quorum civitas erat princeps Achajæ; scripsit ad fideles Thessalonicæ, quæ in Macedonia erat centrum provinciæ. Unde dici potest Apostolos prædicationem peregisse, et ecclesias instituisse præcipue in civitatibus metropoliticis Romani imperii, et eisdem ecclesiis commisisse curam propagandi Evangelium in aliis minoribus urbibus et oppidis provinciæ.

10. At non inde sequitur Archiepiscoporum originem procedere a divina institutione et a jure divino. Nam agendi ratio Apostolorum nuper exposita non exhibet constitutionem concretam Ecclesiæ juxta legem Christi Domini, sed solummodo revelat factum Apostolorum a prudenti œconomia insinuatum, ut nempe facilius celeri propagationi Evangelii consuleretur.

11. Quemadmodum in metropoliticis urbibus Episcopi constituti sunt qui præeminentiam et vigilantiam exercerent in tota provincia; ita in civitate principali regni vel nationis non raro constituti sunt Episcopi, qui cæteris sive Episcopis sive Metropolitis regni vel nationis præessent. Hi in Occidente dicti sunt Primates, in Oriente Exarchæ. Ex. gr. Episcopus Cantuariensis pro tota Anglia, Salisburgensis pro Germania, Lugdunensis pro Gallia, Toletanus pro Hispania, Strigoniensis pro Hungaria, Armacanus pro Hibernia. In oriente autem tres Exarchatus instituti fuerunt: Cæsareensis in Ponto, Heracleensis in Thracia, Ephesinus in Asia Minore. Non desunt vero qui tenent, Primates in Occidente originem habuisse a Vicariis natis S. Sedis.

Hisce expositis, de singulis gradibus jurisdictionis in Ecclesia agendum est.

12. Et primo quidem agendum esset de potestate Romani Pontificis. Verum tractatio hæc mutuatur a Theologia Dogmatica, quæ demonstrat, Romano Pontifici vi primatus competere plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam ecclesiam, non solum quoad magisterium infallibile in doctrina fidei et morum, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent, atque hanc potestatem esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles *(Conc. Vatic.* sess. 4. cap. 3). Unde Rom. Pontifex est supremus doctor et magister, legislator et judex in universa Ecclesia, est Pastor pastorum, Episcopus Episcoporum. Quare Romanus Pontifex potest ferre leges quæ universam obligent Ecclesiam, potest leges generales etiam Conciliorum œcumenicorum abrogare, ipsa Concilia œcumenica convocare, iis præesse eaque confirmare; causas omnes ecclesiasticas videre et decernere; appellationes a quibuscumque tribunalibus ecclesiasticis recipere. Ad ipsum insuper exclusive pertinet causas quæ majores vocantur pertractare. Tales sunt causæ fidei, erectiones Sedium Episcopalium, divisio provinciarum ecclesiasti-

carum, canonizatio Sanctorum, judicia Episcoporum. Præter primatialem potestatem in universa Ecclesia, quæ Romano Pontifici competit, quia est Jesu Christi Vicarius, idem Romanus Pontifex est insuper Episcopus Romanus, Metropolitanus Romanæ Provinciæ. quæ constituta est inter Capuanam et Pisanam Ecclesiam, Primas Italiæ et Patriarchæ totius Occidentis.

Quoniam ex dispositione juris communis S. R. E. Cardinales Summo Pontifici adhærent, eique suam operam præstant in regimine Ecclesiæ universalis; hinc, antequam sermo fiat de aliis Prælatis, agendum est

De Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.

13. Cardinales sunt coadjutores immediati et intimi consiliarii Romani Pontificis, ejusque senatum constituunt. Juxta regulam generalem primitivæ constitutionis ecclesiarum unusquisque Episcopus habebat suum Presbyterium. Procul dubio Presbyterium Episcopi Romani componebatur ex Presbyteris et Diaconis Romanæ Ecclesiæ. At forma Presbyterii hujusmodi usque ab antiquitate aliquantulum Romæ immutata est. Nam antea viginti quinque et deinde etiam plures principaliores Ecclesiæ in titulos erectæ sunt, quibus scilicet totidem Presbyteri stabiles et titulares adsignati fuerunt. Præterea circa annum 240 *Fabianus* Pontifex urbem divisit in septem regiones et earum singulis Diaconum regionarium præfecit, qui piis institutis, oratoriis adnexis advigilarent, et infirmorum et pauperum curam gererent. Quoniam hujusmodi Presbyteri et Diaconi intitulati et incardinati erant alicui Ecclesiæ vel oratorio, dicti sunt *Cardinales*.

14. Deinde post sæculum 9. Romanæ Ecclesiæ adjuncti fuerunt Episcopi finitimarum urbium, quique etiam Cardinales dicti sunt. In Concilio Romano sub *Joanne XV.* an. 993 subscripti reperiuntur Episcopi, Presbyteri et Diaconi Ecclesiæ Romanæ. Porro Episcopi Cardinales dicti sunt collaterales Romani Pontificis nec non Episcopi Cardinales Ecclesiæ Lateranensis in Urbe, eo quia Summi Pontificis vice in Ecclesia Lateranensi munia pontificalia hebdomada quisque sua exercebant. Constat id ex Epistola 2. lib. 2. *s. Petri Damiani* et ex antiquo rituali libro.

15. Horum Episcoporum Cardinalium munus excrevit in Concilio Romano sub *Nicolao II.* an. 1059., cum præcipuæ partes eisdem concessæ fuerint iu electione Romani Pontificis. Conf. *Baronium:*

ad dictum annum n. 25. ubi inter alia refert, 'Cardinales Episcopos metropolitani vices functos fuisse, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehebant'. Id autem factum est, «ne venalitatis morbus qualibet occasione subreperet», c. 1. D. 23. Primitus octo erant. Videlicet Episcopi Ostiensis, Veliternus, Sylvæ Candidæ, idest s. Rufinæ, Portuensis, Sabinus, Prænestinus, Tusculanus et Albanensis. Verum deinde ab *Eugenio III.* Episcopatus Veliternus unitus fuit Ostiensi, et Episcopatus Sylvæ Candidæ, idest s. Rufinæ, unitus fuit a *Calixto II.* Episcopatui Portuensi. Quare sex remanserunt et adhuc remanent Sedes episcopales titulo Cardinalatus decoratæ, quæ Suburbicariæ Sedes nuncupantur.

16. Ex hisce Cardinalibus juxta antiquissimam dispositionem et constantem praxim Episcopus *Ostiensis* jus habet consecrandi Romanum Pontificem, qua in occasione ipse utitur pallio.

17. Quamvis, ut notatum est, aliquando Episcopi Cardinales dignitate et auctoritate reliquis Cardinalibus præeminerent; tamen tractu temporis factum est, ut Cardinales Presbyteri et Diaconi Cardinalibus Episcopis coæquarentur et unum Collegium simul omnes componerent. Id vero præsertim contigit cum *Alexander III.* in Concilio Lateranensi III. constituit, Rom. Pontificem ab omnibus et solis Cardinalibus eligendum esse, illumque electum censeri, qui duas ex tribus partibus suffragiorum Cardinalium retulerit; c. 6. *De Electione* (I. 6).

De numero, divisione et de jure optionis Cardinalium.

18. Numerus Cardinalium non idem semper fuit. Circa annum 1118 Cardinales tres et quinquaginta numerabantur. Ita refert *Pandulphus Pisanus: in electione Gelasii II.* Tempore Pontificum *Avenione* commorantium Cardinales vigesimum numerum non excedebant. Exorto autem schismate tempore *Urbani VI.* (an. 1378.) cum quisque Pontifex suum collegium haberet, maxime numerus Cardinalium excrevit. Concilium Basileense an. 1438 edixit sess. 23. ut Cardinales quo fieri posset ex omnibus nationibus eligerentur, ne eorum numerus ultra viginti quatuor excresceret, decrevitque *ut qui sicut nomine, ita re ipsa Cardinales sint*, super quos *ostia universalis versentur et sustententur Ecclesiæ.* Concilium Constantiense anno 1415 in eandem cesserat sententiam. Ex quo factum est, ut in aliquibus Conclavibus subsequentibus Cardinales ante electionis negotium complendum juramento promitterent nonnul-

lorum articulorum observantiam, inter quos et ille erat, de non augendo ultra viginti quatuor numero Cardinalium. Hinc invaluit principium, *Dignitatem Cardinalatus numerositate vilescere. Leo X.* vero occasione obortæ conjurationis ab uno ex Cardinalibus contra ipsum anno 1517 excitatæ, et suspectæ fidei reliquorum, triginta et unum una electione Cardinales creavit. Exinde factum est, ut ab aliis etiam Pontificibus majores numero viginti quatuor Cardinales constituerentur. Cfr. *Thomassinium: Vet. et Nov. Eccl. disciplina,* tom. 1. part. 1. lib. 2. cap. 14. n. 12. et 13. Tandem mutatis circumstantiis temporum et præsertim ob varias institutas Congregationes pro negotiis universalis Ecclesiæ expediendis *Sixtus V.* in Const. *Postquam verus ille* edita anno 1586 septuagenarium numerum Cardinalium constituit ad instar septuaginta seniorum quos Deus Moysi adjutores et consiliarios dedit.

De Divisione Cardinalium.

19. Tres sunt, ceu vidimus, ordines Cardinalium. Ita autem hi ordines servantur, ut sex Cardinales sint ordinis episcopalis quinquaginta sint presbyteri, idest ordinis presbyteralis, reliqui quatuordecim ad ordinem diaconalem pertineant.*) Id eruitur ex alia constitutione *Sixti V.: Religiosa Sanctorum* anni 1587. Numerus septuagenarius Cardinalium cum præfata divisione adhuc perseverat; et quidem sex sedes suburbicariæ titulum Cardinalium Episcoporum exhibent, pro Cardinalibus vero presbyteris vel diaconis adsunt in Urbe Ecclesiæ fixæ quæ titulos vel presbyterales vel diaconales constituunt, quorum singulis pro diversitate ordinis singuli Cardinales præficiuntur, et a quibus proprium titulum sortiuntur.

De Optione Cardinalium.

20. Optionis jus in eo consistit, ut Cardinales ordinis inferioris facultatem habeant ascendendi ad ordinem superiorem. Qua in re animadvertimus 1°. Cardinales ordinis diaconalis post decennium, si suscipiant ordinem sacrum presbyteratus, posse optare ad titulum cardinalitium presbyteralem, et in hoc ordine præcedentiam obtinent super reliquis Cardinalibus presbyteris post se creatis.

*) Ordo sumitur hic non a charactere personæ, sed ecclesiæ, ita ut e. gr. *sacramentali* ordine episcopus sit presbyter in ordine *Cardinalatus.*

Ita in decreto *Clementis VIII. Sanctissimus* edito IV. idus Augusti anni 1596. 2°. Cardinalem antiquiorem ordinis presbyteralis præsentem in Curia dum aliqua ex Ecclesiis suburbicariis vacat, exclusis sedibus Ostiensi et Veliterna, nec non Portuensi quæ Cardinalibus Decano et Sub-Decano solent reservari, posse optare ad illam vacantem Ecclesiam. Ad rem facit decretum *Pauli IV.: Sanctissimus Dominus* diei 12. Junii 1550. Hinc Cardinales ordinis episcopalis, quoniam Ecclesias suburbicarias dispositione ipsa juris gubernandas optando suscipiunt, propriam promotionem divinæ miserationi dies Cardinalatus sui protrahendi tribuunt; sequenti inscriptione utentes 'Isidorus miseratione Divina Episcopus Albanensis S. R. E. Cardinalis'. Verum optio sive Diaconorum ad ordinem presbyteralem, sive Presbyterorum ad ordinem episcopalem fieri nequit absque consensu Summi Pontificis, immo optio in ipso Consistorio Papæ perficitur. 3°. Tandem animadvertimus, ex Constit. *Clementis XII.: Pastorale Officium* diei 10. Jan. 1731. Decanum sacri Collegii esse antiquiorem ex Cardinalibus, antiquitatem vero non esse desumendam a tempore promotionis ad Cardinalatum, bene vero a tempore episcopalis dignitatis, id est a tempore quo promotio Cardinalis contigit ad regimen unius ex Ecclesiis suburbicariis.

De Creatione Cardinalium.

21. Cardinales creantur a Rom. Pontifice, et a remotis etiam usque temporibus certa quædam forma et solemnitas requisita fuit in Cardinalibus creandis. Unde Cardinalibus valde displicuit factum s. Petri *Cœlestini V.,* qui sub vespere, post cœnam, nullaque præmissa solemnitate, voce Cardinalem nuncupavit Archiepiscopum Beneventanum (Tosti, Storia di Bonifacio VIII. lib. 1.) Ex Rituali anni 1338, cujus fragmentum edidit Rainaldus, deprehendimus, creationem Cardinalium fieri consuevisse feria quarta Quatuor Temporum in Consistorio Papæ, novosque Cardinales probandos fuisse suffragio majoris partis Cardinalium in Consistorio præsentium. Hinc mos invaluit ut in Conclavi pro electione Summi Pontificis quædam capitularia conficerentur, ad quorum observantiam Cardinales sub jurisjurandi fide sese obligabant. In hisce autem capitularibus inter alia cavebatur, ne futurus Pontifex novos crearet Cardinales absque consensu aliorum Cardinalium. Cfr. *Thomassinium,* loco cit. n. 12. At plerumque hæc capitularia non observabantur, eo quod nimium quodammodo Romani Pontificis liberam et propriam au-

ctoritatem coarctabant. Porro jus creandi Cardinales proprium et exclusivum est Romani Pontificis, prout etiam probat Card. *De Luca* in *Relation. ad Curiam*, Disc. 5. Quare forma illa antiqua ab aula recessit et solummodo vestigium ejus remansit in actuali Cæremoniali, in quo ponitur et in praxi constanter observatur interrogatio Pontificis in Consistorio, an expediat Cardinales creare, et an Cardinalibus placeat electio singulorum qui proponuntur. Sed hæc interrogatio, et assensus relativus constituunt meram cæremoniam. Creatio igitur Cardinalium in hodierna disciplina tota pendet a Romano Pontifice, qui eam perficit in Consistorio ita ut novus Cardinalis creatus censeatur eo ipso quod fuerit publicatus in Consistorio.

22. Galerum autem rubrum, principale insigne dignitatis, quod significat, Cardinales religionis causam tueri debere usque ad sanguinis effusionem inclusive, novis Cardinalibus Summus Pontifex tradit in alio Consistorio in forma publica celebrato, in quo iisdem novis Cardinalibus os claudit, idest prohibet, quominus interim interloquantur et suffragium in negotiis collegialiter tractandis cum aliis Cardinalibus edant. Deinde vero in alio Consistorio secreto Summus Pontifex novis Cardinalibus os aperit, annulum cardinalitium tradit, eisque singillatim proprium titulum, idest propriam Ecclesiam in Urbe, nec non aliquas ex Romanis Congregationibus mediante Secretaria Status adsignat, in quibus ceu judices sedeant.

Quid vero dicendum si insignia dignitatis tradita non fuerint, nec os fuerit apertum novis Cardinalibus et interim Pontifex demoriatur? *Eugenius IV.* in Const. *In eminenti* decrevit, Cardinales in Consistorio publicatos non esse veros Cardinales, nec suffragium ferre posse in electione Romani Pontificis, nisi insignia dignitatis receperint, et nisi licentia suffragium edendi data fuerit, idest nisi os fuerit eisdem apertum. At *S. Pius V.* in Decreto consistoriali diei 26. Januarii an. 1571. statuit, 'ut postquam aliquis S. R. E. Cardinalis creatus fuerit, honoremque acceperit et consensum suum dederit, is statim vocem et jus eligendi Rom. Pontificem habeat, et consequenter etiamsi cardinalitius galerus nondum illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit'. Et ratio adducitur: quia hæc omnia cæremoniam quandam constituunt, et os clauditur et aperitur, ut modestiæ necessitas in Consistoriis et in Congregationibus iisdem insinuetur. Et revera in praxi, quando casus contigit, dispositio Piana observata

est. Sic post obitum *Clementis VIII.* (a. 1605) et in electione *Innocentii X.* (a. 1644). Cfr. *Fagnanum* in cap. «Cum olim» *De Majoritate et Obed.* (I. 33), *n. 48.*

23. Aliquando Summus Pontifex aliquem Cardinalem creat in Consistorio, sed nomen ejus non exprimit, et, ut ajunt, nomen illud sibi *in pectore* reservat, publicaturus in alio Consistorio. Hunc morem sequi solent Romani Pontifices, quoties aliquis dignus quidem est dignitate Cardinalatus, at rationes prudentiæ et præsertim officii, quod persona promovenda actu retinet, suadent, publicationem differendam esse. Ex. gr. si Nuntius Apostolicus, in regia civitate residens, promotionem ad Cardinalatum promeruerit, interim vero valde expediat, ut ceu Prælatus munere suo fungi prosequatur. Porro hujus creationis effectus est ut publicatio, quæ in posteriori Consistorio perficitur, retrotrahatur ad diem in qua creatio contigit, et persona sedem et locum occupet ante alios Cardinales, qui deinde creati et publicati fuerunt. Verum publicatio nominis novi Cardinalis in Consistorio absolute necessaria est, ut persona jura et privilegia dignitatis adipiscatur. Hinc licet innotescat personæ promotio, tamen si Summus Pontifex demoriatur quin nomen ejus in Consistorio publicaverit, persona illa non admittitur in Conclavi, et novus Pontifex non tenetur creationem factam ratam habere et nomen in Consistorio publicare. Verum speciali mentione dignum arbitramur factum *Pii IX.* s. m. Hic enim in Consistorio diei 18. Martii 1875. inter alios creavit quinque Cardinales, quorum nomina sibi in pectore reservavit. Porro de hisce Cardinalibus edixit: 'Præter hos sex memoratos Cardinales, ad Omnipotentis Dei gloriam creare intendimus alios quinque Cardinales, quos tamen justis ex causis in pectore reservamus, arbitrio nostro quandocumque evulgandos; ac si Sanctam Sedem, Deo disponente, viduari contigerit, antequam ipsi evulgentur, literis Nostro Testamento adjectis ii declarabuntur, eosdemque jus activæ ac passivæ electionis in Successore nostro eligendo vobiscum habere Apostolicæ Nostræ auctoritatis plenitudine volumus, statuimus, atque decernimus cum confirmatione' etc.

In hac vice, ceu facile patet, Pius IX. a forma consueta et solemni publicationis Cardinalium plane recessit, publicationemque per schedam testamentariam fieri jussit. Procul dubio nemo negabit, Summum Pontificem posse a forma solemni publicationis Cardinalium recedere, et sive viam testamenti, sive aliam formam

minus solemnem eligere, qua mentem suam aperiat creandi aliquos Cardinales.

24. At quæstio fieri potest de opportunitate, an videlicet expediat, omissa forma ordinaria et publica, Cardinales creare, vel tantum evulgare, præsertim per schedam testamento Pontificis adjectam.

Qua in re animadvertimus 1°. creationem Cardinalium esse negotium magni momenti; quæstiones enim quæ exinde oriri possunt, facile possunt in ipsam electionem Summi Pontificis redundare. Ob hanc rationem forma certa et solemnis tum creationis tum publicationis Cardinalium constituta fuit et constanter observatur.

2°. Animadvertimus, Cardinalem *Tuschum* in suis *Practicis Conclusionibus,* tom. 1. Conclus. 98. et *Pyrrhum Corradum* in sua *Praxi Dispensation. Apostolic.*, lib. 4. cap. 6. n. 38. referre duo facta, quæ ad præsentem quæstionem intimam relationem dicunt. Videlicet referunt, *Paulum II.* quatuor Cardinales creavisse ut statim post mortem suam publicarentur nec non Pontificem supplevisse omnem defectum ex certa scientia et de plenitudine potestatis. Porro, ut notum est, clausulæ istæ habent plenam et latam interpretationem; hinc derogant etiam dispositioni legis contrariæ, quæ expressam mentionem requirit. Quare dicendum est vi prædictarum clausularum fuisse derogatum etiam Constitutioni *Eugenii IV.*, quam superius citavimus, quæque tunc temporis adhuc in suo vigore manebat. Nihilominus quattuor illi viri ecclesiastici qui propriæ promotionis schedam protulerunt, in conclavi recepti non sunt, nec habiti fuerunt ceu Cardinales, nisi quando a *Sixto IV.* iterum post aliquos annos et non in eodem Consistorio ad Cardinalatum promoti et publicati fuerunt. Item *Paulus III.* creavit Cardinalem, qui post mortem Pontificis Breve suæ promotionis exhibuit. Cardinales vero non solum illum non receperunt in fratrem, sed indignatione capti ipsum Breve lacerarunt. 'Et abinde', notat Corradus, 'citra abiit in desuetudinem hic modus creandi Cardinales, qui revera posset afferre magnam perniciem et maximum scandalum in Ecclesia Dei.'

Jam vero pericula, ad quæ Corradus alludit, adhuc verificantur. Quæstiones enim possunt exsurgere, quibus haud facile satisfieri potest. Sic ex. gr. si in dubium revocetur authenticitas vel integritas schedæ nuncupationis Cardinalium, quinam erit judex

competens? Præterea si in specie sermo esset de insertione schedæ in testamento Pontificis, præsertim nostris temporibus, quibus S. Sedes dominatione civili spoliata est, quæri posset, quænam sint conditiones ut testamentum Pontificis valeat, et quinam sit judex competens valoris ipsius testamenti. Quare non pauca dubia oriri possent contra electionem novi Pontificis ex concursu istorum Cardinalium in forma extraordinaria nuncupatorum. Istæ animadversiones a viro doctissimo et in rebus practicis Curiæ Romanæ maxime experto conscriptæ fuerunt, dum incepit vulgari notitia de publicatione aliquorum Cardinalium anno 1875 per testamentum Pontificis facienda. Et revera expositas difficultates persensisse videtur Pius IX. quando ei innotuerunt. Nam Summus ille Pontifex dum promotionem per implicitam nuncupationem complevit die 15. mensis Martii 1875, sollicitus inde fuit subsequenti mense Septembri ejusdem anni, die 17., Consistorium intimare, ibique nomina quinque Cardinalium in pectore reservatorum publicare.

Hisce omnibus perpensis, salvo meliori judicio, arbitramur non expedire, ut in creatione et publicatione Cardinalium a forma ordinaria et solemni recedatur et præsertim ut per testamentum Pontificis publicatio Cardinalium fiat.

De Dignitate S. R. E. Cardinalium.

25. Specialis fuit usque ab antiquitate dignitas Cleri Romani idest illorum presbyterorum et diaconorum, qui præerant titulis et regionariis diaconiis, quique constituebant presbyterium Romani Pontificis. Notat *Thomassinius* loco cit. cap. 113. n. 3. circa fin. jam ab ipsis Cypriani temporibus inductum in moribus fuisse ut Clerus Romanus magna in Ecclesia universali æstimatione gauderet, et mortuo Summo Pontifice, negotia universalis Ecclesiæ tractanda susciperet, et literas scriberet, quibus Episcopi facile morem gerebant. Quare cum in causa *Gilberti Porretani* formula fidei proposita a. s. Bernardo approbata et subscripta fuisset ab Episcopis Galliæ, Cardinales querelas Summo Pontifici admoverunt, quod res fuisset definita absque eorum consensu, ac proinde eorum auctoritas despecta fuisset. Porro inter alias rationes Cardinales animadvertebant, se esse successores illius vetustissimi Cleri Romani, qui cum Pontifice solitus fuit consulere et definire de rebus magni momenti tum ad fidem tum ad disciplinam pertinentibus. Cfr. *Thomassinium,* cit. loc. n. 4.

26. Verum fatendum est, Cardinales in antiquitate non fuisse in dignitate præpositos Episcopis, Archiepiscopis etc. Sane in Concilio Rom. ann. 1015. sub *Benedicto VIII.* plures Episcopi subscripsérunt acta Synodi ante ipsos Cardinales-Episcopos prout vel erant Archiepiscopi vel erant ratione ordinationis antiquiores. Insuper *Leo Ostiensis* loquens de electione *Victoris III.* ann. 1086 nominat prius Episcopos et postea Cardinales.

27. At sensim sine sensu dignitas S. R. E. Cardinalium aucta fuit. Causæ vero fuerunt præsertim 1°. jus exclusivum *eligendi* Romanum Pontificem, quod incepit in Concilio Romano sub *Nicolao II.* an. 1059. ubi primæ partes in hoc tanto negotio Cardinalibus Episcopis commissæ sunt, et completum evasit sub *Alexandro III.* in Concilio Lateranensi III. 2°. Frequentes *legationes* S. Sedis, quas Cardinales suscipiebant, et negotia provinciarum et regnorum pertractabant, suis mandatis subjicientes etiam Episcopos, Archiepiscopos etc. 3°. Mos qui cœpit induci, ut *soli* Cardinales Romano Pontifici *propriis consiliis* adsisterent.

Ex hisce præcipue causis Cardinalatus summum, quem assequi poterat, honoris et præeminentiæ apicem in Ecclesia attigit. Unde *Eugenius IV.* in Const. *Non mediocri* edita ann. 1428. edicere potuit, post Caput Ecclesiæ, quod est Papa, contigua membra sui corporis, quæ sunt fratres ejus Cardinales, præ cæteris Ecclesiæ membris ac partibus honorari debere, et Cardinalatus dignitatem esse majorem et sublimiorem episcopali, archiepiscopali et patriarchali dignitate. Eadem repetit *Leo X.* in Const. *Superna.* Quare in hodierna disciplina S. R. E. Cardinales primum locum tenent et primam dignitatem constituunt post Romanum Pontificem. Unde etiam in Decreto consistoriali *Urbani VIII.* diei 10. Junii 1630. assecuti fuerunt titulum *Eminentiæ* et *Eminentissimorum.*

28. Neque hæc omnia contra jus constituta fuisse dici potest. Nam licet Cardinales Presbyteri et Diaconi ratione ordinis sacri Episcopis sint inferiores; tamen ratione officii jure meritoque potuerunt Episcopis in dignitate præferri. Cum enim Cardinales lateri Summi Pontificis adhæreant cum eoque constituant magistratum qui præest Ecclesiæ universali, hinc eorum officium muneri Episcopali præstat, cujus potestas intra certos territorii alicujus limites coarctatur. Jam vero nemo ignorat, dignitatem personarum in Ecclesia commensurari quidem ex ordine, potius vero ex jurisdictione. Hinc jure Decretalium Archidiaconus qui ordine diaconus erat, sed in

jurisdictione erat Episcopi Vicarius, Archipresbytero præferebatur. Hinc etiam licet Episcopus et Archiepiscopus sint in charactere æquales, tamen revera ob jurisdictionem archiepiscopalis dignitas major est episcopali. Et ratio est, quia potestas ordinis proprie dirigitur ad sanctificationem animarum procurandam per sacramenta et sacramentalia, adeoque principaliter respicit elementum spirituale et invisibile Ecclesiæ; potestas vero jurisdictionis ordinatur ad regimen fidelium, adeoque principaliter respicit corpus Ecclesiæ, idest elementum visibile et externum ejusdem. Unde quoniam ratio honoris et præeminentiæ proprie afficit regimen publicum quo Ecclesia inter homines constituta apparet ceu societas ordinata et variis gradibus distincta; hinc sequitur, personarum dignitatem in Ecclesia pendere potius ex jurisdictione et officio quam ex ordine.

29. Quoniam vero eminens est Cardinalatus dignitas; hinc merito Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. *de Ref.* hæc habet: 'Ea . . omnia et singula, quæ de Episcoporum et præficiendorum vita, ætate, doctrina et cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem etiam in creatione S. R. E. Cardinalium, etiamsi diaconi sint, exigenda'. Et paucis interjectis Tridentini patres ita prosequuntur: 'S. Synodus tot gravissimis Ecclesiæ incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ esse necessarium, quam ut Sanctissimus Rom. Pontifex . . . . lectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat, et bonos maxime atque idoneos pastores singulis Ecclesiis præficiat'. Præterea *Sixtus V.* in Const. *Postquam* data nonis Decembris an. 1586. decernit, solummodo legitime natos fieri posse Cardinales, et ab hac dignitate excludendos esse etiam illos, qui ex matrimonio subsequenti parentum jura legitimorum filiorum assecuti fuerint. Insuper ob honorem sacri Collegii, doctores adnotant, non solere ad dignitatem Cardinalitiam promoveri bigamos. *Ferraris: Biblioth. Canonic., v.* «Cardinales» n. 32. Tandem ad removendum omne periculum factionum et simultatum Sixtus V. in cit. Constitutione §. 17. absolute prohibet, quominus in Sacro Collegio Cardinalium duæ simul personæ reperiantur primo vel secundo gradu consanguinitatis vinculo conjunctæ, ita ut electio secundæ vivente adhuc prima sit ipso jure nulla.

30. Juxta autem mentem Concilii Tridentini in cit. loco sess. 24. c. 1. *de Ref.* Cardinales quantum commode fieri potest, eligendi

sunt ex omnibus Christianitatis nationibus. Porro hoc S. Synodi consilium optimum quidem est. Nam negotia quæ tractantur a Cardinalibus et præsertim electio Rom. Pontificis, ad omnes christianas nationes pertinent. Hinc ut æquilibrium inter varias nationes observetur, et locorum circumstantiæ et exigentiæ S. Sedi melius innotescant, valde opportunum est, ut in Senatu Rom. Pontificis unaquæque natio habeat defensores et judices. Menti Concilii Tridentini constanter adhærentes Romani Pontifices usque ad nostra tempora, electos viros ad dignitatem Cardinalitiam ex variis regionibus non solum Europæ, sed et Americæ, Africæ atque Australiæ, præsertim tamen ex regnis catholicis, promoverunt.

De munere S. R. E. Cardinalium.

31. Primarium, ut dici potest, munus et relativa potestas Cardinalium respicit Rom. Pontificis electionem. De hac tamen re superius egimus in Tit. *De Elect.* (I. 6).

32. Alterum munus Cardinalium extraordinarium quidem, sed magni momenti, in eo situm est, ut legati a latere destinentur. De hac vero delegatione agit Titulus *De officio Legati* (I. 30).

33. Remanent duo videnda et explicanda videlicet agendum est de munere et potestate Cardinalium in Ecclesia proprii tituli nec non de munere eorundem coadjuvandi Summum Pontificem in regimine Ecclesiæ universalis et de relativa potestate.

De munere et potestate Cardinalium in propriis titulis.

34. Et primo quidem vix innuisse sufficiat, Cardinales Episcopos Suburbicarios in suis Ecclesiis Cathedralibus et propriis Diœcesibus quas in titulum obtinent, esse veros Episcopos, et plena jurisdictione episcopali gaudere.

Si autem sermo sit de titulis presbyteralibus et Diaconiis in Urbe existentibus, quisque Cardinalis in sua Ecclesia jure antiquo habebat clerum et populum sibi subjectum, ita ut unaquæque Ecclesia cum suo populo territorium quasi separatum constitueret. Quare Cardinales in propriis Ecclesiis jurisdictione quasi-episcopali potiebantur. Cap. 11. «His quæ» *De Major. et Obed.* (I. 33). Const. *Sixti V.: Religiosa* edita Idibus Aprilis 1589; ubi hæc habentur: 'Singulis Presbyteris et Diaconis Cardinalibus propriæ in Urbe Ecclesiæ tituli videlicet et Diaconiæ cum suis Clero et Populo, ac quasi

Episcopali jurisdictione in spiritualibus et temporalibus regendæ et administrandæ committantur'. Hinc Cardinales in suis titulis et in Capellis subjectis poterant corrigere, ferre censuras et reliqua peragere, quæ fuso calamo a *Fagnano: Comm.* ad cap. cit. 11. *De Major. et Obed.* n. 19. et seqq. et a *Ferraris: Biblioth. Canon.* verb. «Cardinales» n. 12. et seqq. exponuntur.

35. Jurisdictioni quasi-episcopali natura sua honor Episcopis debitus conjungebatur. Quare Presbyteris Cardinalibus in suis titulis, licet charactere episcopali carerent, insignia pontificalia tributa fuere, et sive Cardinalibus Presbyteris, sive Diaconis Cardinalibus concessum est, ut more Episcoporum populum solemniter benedicerent, indulgentiam centum dierum impertiendo. Porro primi honores in propriis titulis adeo competunt Cardinalibus, ut nemo alius absque eorum licentia possit ibi Pontificalia exercere.

36. Verum quoad jurisdictionem res immutata est ab *Innocentio XII.* in Constit. *Romanus Pontifex* data die 17. Septembr. ann. 1692. in qua hæc habentur: 'Declaramus per præsentes nostras literas nullatenus ademptam esse Cardinalibus Archipresbyteris (in tribus Basilicis Patriarchalibus Urbis, idest Lateranensi, Vaticana et Liberiana) Titularibus seu Protectoribus, eorumque Vicariis, aliisque deputatis facultatem seu jurisdictionem in iis quæ servitium Ecclesiæ seu loci pii, circa tamen disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem dumtaxat concernunt'.

Hanc Constitutionem interpretantes doctores merito tradunt antiquam quasi-episcopalem jurisdictionem Cardinalium in clerum et populum in propriis titulis disparuisse et hanc jurisdictionem proprie dictam in Cardinalem Urbis Vicarium coaluisse. Etenim Cardinalibus in propriis titulis reservatur solummodo potestas in iis, quæ servitium Ecclesiæ concernunt, et quidem circa disciplinam et morum correctionem. Audiatur *Pitonius: De Controv. Patronor.* Alleg. 41. n. 31. 'Per quæ verba Constitutionis Innocentianæ non solum excluditur jurisdictio in populum et parochianos, sed etiam tribuitur solum jurisdictio domestica in respicientibus servitium Ecclesiæ circa disciplinam et correctionem morum quæ competit omnibus Capitulis Ecclesiarum, seu eorum Vicariis, Præpositis, Prioribus seu Archipresbyteris in forma extrajudiciali pro recto Ecclesiæ gubernio, nempe faciendo ordinationes et statuta in concernentibus disciplinam ecclesiasticam, et contravenientes absque strepitu et figura judicii mulctando per subtractionem distributionum

et fructuum, vocis in Capitulo, aliasque mulctas domesticas et extrajudiciales . . . Neque extenditur hæc facultas ad excessus graves, et ad tribunal contentiosum, ubi delicta castigantur ad vindictam publicam'.

37. Dixi tamen, rem ab Innocentio XII. quoad jurisdictionem immutatam fuisse. Nam quoad jura pontificalia honorifica et benedictionem more Episcoporum res integra mansit. Constitutio enim Innocentiana de hac materia silet, et constans usus firmat.

38. Præterea præsto est authentica nuperrima decisio; quæ licet peculiarem quæstionem respiciat, tamen talis indolis et, ut ex ea generalis theoria inferri et roborari possit. Cum enim an. 1877 enatum esset dubium, utrum jus consecrandi altare in Basilica Eudoxiana noviter exstructum Cardinali Titulari, vel potius Cardinali Urbis Vicario competeret, Summus Pontifex *Pius IX.* quatuor Cardinales Episcopos suburbicarios ad causam videndam delegavit. Interea vero instante die consecrationis peragendæ, conventum est, ut pro ea vice consecratio, ratione possessionis, a Cardinali Titulari fieret. Pio IX. e vivis sublato, Sanctissimus D. N. *Leo XIII.* Cardinali Sacri Collegii Decano mandavit, ut quantocius quæstio resolveretur. Ut vero judices delegati in cognitione causæ tutius procederent exarata fuerunt vota consultiva et allegationes. Cum omnia essent parata et quatuor Cardinalibus Episcopis suburbicariis adjunctus fuisset Cardinalis S. Rit. Congregationis Præfectus, quinque Cardinales deputati die 25. Januarii 1879 ad trutinam revocarunt rationes, quæ pro utraque parte militabant et tandem proposito dubio 'Utrum in Ecclesis tituli Cardinalitii jus consecrandi Altaria spectet Eminentissimis Cardinalibus earumdem Titularibus; vel potius Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario' cunctis suffragiis responsum est: '*Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam'. Summus Pontifex audita relatione, resolutionem hanc die 30. ejusdem mensis confirmavit, et super ea solemne confici et publicari Decretum mandavit. Quod et factum est. Ex hujusmodi Decreto optime inferri potest, jura pontificalia in Ecclesiis tituli Cardinalitii ad Cardinalem Titularem pertinere. Nam ipsa eadem ratio quæ pro altarium consecratione valet, militat etiam pro consecratione Ecclesiæ et pro aliis juribus pontificalibus. Adeoque nemo alius hæc jura exercere in iisdem Ecclesiis potest absque Cardinalis Titularis licentia.

De munere et potestate Cardinalium in sacris Congregationibus.

39. Sapientissima fuit in Romana curia institutio Congregationum: per eam enim factum est, ut forma concreta et juridica determinaretur, qua Cardinales operam suam ordinate et ex officio exhiberent in subsidium Rom. Pontificis in regimine Ecclesiæ universalis. Hanc rationem *Sixtus V.* in Const. *Immensa æterni Dei* data 11. kal. Febr. ann. 1587. in qua plures Congregationes instituit, ita exponit 'Quare Romanus Pontifex quem Christus Dominus . . . Ecclesiæ caput constituit, omniumque Ecclesiarum sollicitudinem gerere voluit, multos tam immensi oneris adjutores advocat atque adsciscit et *præsertim* S. R. E. Cardinales . . . qui primi laborum et consiliorum socii sunt et participes, *ut partita inter eos* . . . ingenti curarum negotiorumque mole ipse (Rom. Pontifex) tantæ potestatis clavum tenens, divina gratia adjutrice non succumbat'.

Insuper Congregationibus institutis faciliori et magis celeri negotiorum Ecclesiasticorum expeditioni consultum est. Unde ceu notat *Walter* (*Manuale del Diritto Ecclesiastico*, lib. 3. §. 133.) ex experientia jam nunc traditionali, et ex amplo horum collegiorum permanentium intuitu compertum est, consiliis quibus Pontifex indiget, melius provisum fuisse, quam antea fuerat ope Synodorum precariarum et mutabilium. Quare idem auctor maxime commendat mentem et consilium Sixti V. qui fuit præcipuus Sacrarum Congregationum institutor.

40. Porro aliæ sunt Congregationes stabiles et ordinariæ, aliæ sunt Congregationes particulares et extraordinariæ, quas Rom. Pontifex pro aliquo peculiari et sæpe graviori tantum negotio expediendo vel causa decidenda constituit. Quo in casu solet etiam dici constituta commissio fuisse aliquorum Cardinalium. In nostra tractatione sermo erit præcipue et directe de Congregationibus Cardinalium permanentibus et ordinariis, quæ proprie veniunt sub appellatione Congregationum Romanarum. Et præ primis aliquid dicemus in genere de hisce Congregationibus, deinde autem in specie de iisdem disseremus.

Veniamus ad primam tractationis partem et primo quidem agendum est de natura et auctoritate Sacrarum Congregationum.

41. Sacræ Congregationes Cardinalium institutæ sunt ad instar collegiorum permanentium ad negotia expedienda et quæstiones in forma juridica dirimendas. Quare in sacris Congregationibus Car-

dinales sunt veri judices, qui sententiam dicunt collegialiter; adeoque illud pro jure habetur, quod majori eorum parti placuerit.

42. Porro Sacræ Congregationes constituunt totidem Sanctæ Sedis tribunalia, et procedunt auctoritate et nomine Papæ; adeoque unaquæque earum in propria negotiorum provincia tribunal supremum constituit, cui omnes Christi fideles parere debent, non exclusis ipsis Episcopis et cujuscumque etiam altioris dignitatis Prælatis Summo Pontifice inferioribus. Quare Congregationes Romanæ possunt recipere appellationes a judicio cujusque curiæ ecclesiasticæ et judicis ordinarii; nec non possunt recipere recursus in materia ecclesiastica ab omnibus fidelibus totius catholici orbis.

43. Ex eadem ratione sequitur, non posse a judicio alicujus Congregationis Cardinalium ad aliud tribunal appellari. Verum si partes collitigantes vel una ex eis voluerit causam iterum examini subjicere, eadem Sacra Congregatio iterum causam expendere debet, obtento prius, uti dici solet, beneficio novæ audientiæ.

44. Quod beneficium non conceditur, quando in decisione causæ apposita fuerit clausula *Et amplius,* quæ significat *et amplius causa non proponatur.* Hæc autem clausula, ut quisque facile intelligit, non prohibet, quominus præsertim ex novis emergentibus rationibus, ipse Rom. Pontifex per remedium ad instar restitutionis in integrum causam iterum examini subjici jubeat. Quod tamen non facile contingere solet.

Quæritur quænam sit efficacia et auctoritas decisionum Sacr. Congreg.

45. Primo quidem sive dispositio in negotiis extrajudicialibus, sive decisio in negotiis ordinis judicialis emanans ab aliqua Sacra Congregatione, quoad personas quas alterutra respicit, seu *quoad personas comprehensas* in dispositione vel sententia, *facit verum jus* et veram gignit obligationem. Utraque enim induit indolem actus potestatis supremæ in Ecclesia. Licet enim neutra per se constituat verum et solemnem actum Papalem, tamen quælibet Sacra Congregatio procedit auctoritate Summi Pontificis et tamquam organum immediatum Sanctæ Sedis. Hac vero in re præ oculis habendum est Decretum *Urbani VIII.* diei 2. Augusti ann. 1631., in quo cavetur, ne declarationibus Congregationum sive impressis, sive manuscriptis fides adhibeatur, in judicio sive extra judicium, nisi exhibeantur in forma authentica, scilicet munitæ solito sigillo et subscriptione Cardinalis Præfecti et Secretarii. Animadvertimus

vero, in Congregatione Supremæ Inquisitionis rescripta expediri munita sigillo proprio et unica subscriptione notarii Congregationis.

46. At quid dicendum de efficacia et virtute resolutionum sacrarum Congregationum in ordine ad personas *extraneas* in casibus similibus? Hæc quæstio a doctoribus tractatur præsertim relate ad Sacram Congregationem *Concilii* et non omnes in unam sententiam conspirant. Nobis vero sequentes normæ præ oculis habendæ esse videntur. Primo quidem certo constare debet de origine resolutionis quæ allegatur, sive ex documento in forma authentica exhibito, sive ex fide et relatione scriptorum gravis notæ et cognitæ sinceritatis. Posito quod certo constiterit de alicujus resolutionis authenticitate, distinguendum est, utrum resolutio Congregationis sit *generalis,* et exhibeat principium juris, vel potius resolutio nihil aliud sit, quam applicatio juris alicui facto *peculiari.*

47. In ordine ad primam hypothesim animadvertimus in more positum esse S. Sedis, ut resolutio Sacræ alicujus Congregationis in puncto juris non solum *a Summo Pontifice* ad relationem Secretarii in audientia *probetur;* sed etiam de mandato speciali Pontificis per *solemne decretum* resolutio illa publicetur. Horum Decretorum plura proferri exempla possent. Tale est Decretum Urbis et Orbis Sacræ Rituum Congregationis diei 12. Januarii 1704. circa jura parochialia, functiones et præminentias inter Parochos et Confraternitates laicorum, earumque Capellanos et officiales (*Giraldi: Jus Pontificium*, Part. I. Sect. 627). Tale pariter est Decretum, supra relatum, edictum de mandato Sanctissimi D. N. *Leonis XIII.* circa jus Cardinalium consecrandi altaria in propriis Ecclesiis titularibus. Tale est pariter nuperrimum Decretum quo idem Summus Pontifex diei 17. Martii 1879 confirmavit decisionem S. Congregationis Concilii diei 13. ejusdem mensis et ejusdem anni, juxta quam excluditur impedimentum publicæ honestatis a matrimonio quod civile dicitur. Porro quoties resolutiones alicujus S. Congregationis tali modo probantur et publicantur, verum jus commune constituunt adeoque omnes obligant. Fiunt enim totidem actus papales publici et solemnes quibus supremus legislator in Ecclesia vel antiquam legem interpretatur, vel novam legem promulgat.

48. Quid vero dicendum si resolutio alicujus S. Congregationis sub forma generali et abstracta sit concepta, careat vero *publicatione per Decretum?* Specialis regula figenda esse videtur in ordine ad Sacram Congregationem *Concilii.* Etenim huic Congre-

gationi *Sixtus V.* in cit. Const. *Immensa* §. «Deo autem» aliique Summi Pontifices facultatem tribuerunt legitime interpretandi decreta super reformatione morum in Concilio Tridentino edita. Interpretatio autem hæc debet Romano Pontifici patefieri. Ait enim Sixtus in cit. Constitutione: '*Nobis tamen consultis*'. Ex quibus verbis infertur, non requiri probationem solemnem Summi Pontificis, sed sufficere ut decisio Sacræ Congregationis in privata audientia a Secretario referatur Pontifici et Pontifex significet se nihil habere quod publicationi decisioni illius opponat.

Quibus positis, resolutio S. Congregationis Concilii in puncto juris disciplinaris Tridentini exhibet authenticam et juridicam interpretationem alicujus decreti conciliaris, quæ interpretatio perinde habenda est ac si facta fuisset ab ipso Summo Pontifice. Unde per eam determinatur sensus Tridentinæ dispositionis, ac proinde loco legis merito habetur et ad casus similes extendenda iisdemque applicanda est. Cfr. *Fagnanus* comm. in cap. «Quoniam 13.' *de Const.* (I. 2) n. 8. et seqq. et præsertim n. 65.

49. Adnotant vero doctores, Sacram hanc Congregationem non posse resolutionem dare, quæ sit sive *restrictiva* sive *extensiva* Tridentinorum decretorum, sed solummodo *comprehensivam* resolutionem dare posse, quæ scilicet decretis ipsis adhæreat et eadem explicet. Cardinales enim hujus Congregationis non sunt veri legislatores, qui jus mutare possint, sed constituti sunt solummodo legitimi interpretes, qui sensum legis determinant. Cfr. *Maschat*: *Proleg. Juris canonici* n. 22. Animadvertimus autem frequentes non esse resolutiones Sacræ Congregationis Concilii in forma generica et abstracta.;*) immo hodie ordinariam praxim ejusdem esse, ut quæstiones peculiares resolvat et particularibus casibus jus constitutum applicet. Formula enim solita dubiorum est: 'An constet de valore matrimonii *in casu*'; 'an Canonicus Theologus teneatur ad servitium chori et altaris *in casu*' et similia.

50. Quod si sermo sit de resolutionibus aliarum Congregationum in puncto juris, quoniam speciale mandatum Summi Pontificis interpretandi juris non receperunt, veram legem non constituunt,

*) Celebre exemplum habes in resolutione S. C. Concilii, d. 5. Martii 1678: «An dispositio Concilii c. 2. sess. 24. *de Ref. matr.* decernens in sacr. baptismatis contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem et patrem ac matrem suscepti, habeat locum in baptismo *sine solemnitatibus* ob necessitatem domi sequuto?» S. C. censuit: *Affirmative.*

et absolute loquendo non obligant. Verum, quemadmodum supra notavimus, Congregationes Romanæ in re disciplinari constituunt totidem tribunalia suprema in Ecclesia, quæ auctoritate et nomine Sum. Pontificis jus dicunt. Quare eorum resolutiones magnam sibi vindicant auctoritatem et cum reverentia suscipiendæ sunt, maxime si plures et uniformes fuerint. Hoc enim in casu quid juris apud S. Sedem firmiter teneatur, manifeste ostenditur.

51. Quid vero dicendum, si resolutio alicujus Congregationis casum *peculiarem* taxative afficiat et applicationem juris constituti ipsi casui particulari proprie referat?

Quemadmodum supra notavimus, resolutio hæc procul dubio obligat personas contra quas fertur et verum jus tribuit personis, quibus favet. Haberi enim merito debet ceu sententia *a suo judice lata,* cap. 3. *De Consuet.* (I. 4). Quoad vero personas extraneas in eadem conditione versantes, idest quoad casus similes, jus vere non facit. Decisio enim in casu particulari considerari potest ceu sententia judicis, quæ ad personas a judicio extraneas ne quaquam extenditur juxta principium legum romanarum: *Res inter alios acta nobis neque prodesse neque nocere potest.* Leg. 2. Cod. *Quibus res judicata non nocet.* Quod principium a jure canonico recognitum est in cap. 25. *De sentent. et re jud.* (II. 27).

52. At si circumstantiæ omnino similes verificentur, judex ordinarius resolutione Congregationis uti merito potest ad similem quæstionem decidendam. Resolutiones enim sacrarum Congregationum plurimi æstimandæ sunt ob auctoritatem ex qua dimanant, et ob maturitatem examinis, quod iisdem præmitti solet.

53. Quin immo, si in casibus particularibus similibus aliqua Congregatio constanter uniformem sententiam tulerit; ex hujusmodi uniformi judicio, merito certa conficitur regula, quæ jus traditionale constituit, cui contraire judices inferiores nefas est, sed potius jus hoc fideliter est custodiendum et observandum. Hoc enim proprium est tribunalium supremorum, ut dum casus particulares resolventes, leges in aliquo determinato sensu constanter interpretantur, forenses traditiones progignant, quæ certas pro judiciis regulas defigere solent.

De modo et normis quibus negotia ecclesiastica in Sacris Congregationibus generaliter pertractantur.

54. Ut rei claritati consulamus, quædam criteria exhibenda esse arbitramur. I[um] criterium: Sacræ Congregationes constituunt

totidem tribunalia S. Sedis in *externo et visibili* regimine Ecclesiæ universalis. Hinc negotia, quæ apud easdem Congregationes pertractantur, directe ad forum externum pertinent. Negotia enim *conscientiæ* quæ forum internum respiciunt et pœnitentiale, ad Sacram Pœnitentiariam spectant. Quare recursus et petitiones quæ Sacris in Congregationibus proponuntur, expresso nomine et cognomine recurrentis vel oratoris fieri debent.

55. II[um] criterium. Unicuique Congregationi *peculiare negotiorum genus* adsignatum est ceu patet ex Bulla institutionis et ex ipso titulo cujusque Congregationis. At exceptis negotiis characteristicis unius vel alterius Congregationis, ex. gr. quæstionibus, quæ relationem habent ad fidem quæque exclusive pertinent ad Congregationem S. Officii vel ad S. Congregationem Indicis, si de libris errore infectis agatur, quæstionibus circa jura et obligationes Religiosorum, quæ spectant ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium etc.: exceptis, repeto, hujusmodi primariis et characteristicis negotiis, processu temporis factum est, ut minora præsertim negotia ab una vel ab alia Congregatione indiscriminatim tractarentur.

56. Hinc non raro datur locus *præventioni*. Illa scilicet Congregatio negotium pertractat et ad exitum ducit, cui prius preces admotæ sunt. Quin immo *Innocentius XII.* in Const. *Ut occurratur* diei 4. Junii an. 1692. decrevit, memorialia rejecta ab una Congregatione non esse ab alia excipienda. Quod si ab hac secunda Congregatione, ad quam confugitur, gratia impetretur, Innocentius eandem gratiam nullam fore edixit. Quare in more positum est, ut, statim ac aliqua Congregatio dignoscit, preces fuisse jam in eodem negotio alteri Congregationi oblatas, rescriptum proferat sequens: *Recurrendum ad priorem Congregationem* (quæ nominatur) jam præventam.

57. III[um] criterium. In sacris Congregationibus non solent expediri negotia *inaudito Ordinario proprio oratoris,* vel Superiore Generali aut saltem Provinciali illius Ordinis regularis, cujus vel personam religiosam vel jura negotium expediendum respicit. Quare stylus Curiæ Romanæ est, ut super recursu vel precibus acceptis informatio et votum Ordinarii vel Superioris regularis respective exquirantur. Et quidem si negotium tertias personas attingat, in mandato informationis adjungitur clausula 'auditis interesse habentibus'.

58. Capta autem decisione, rescriptum remittitur Ordinario, vel respective Superiori regulari, ut illud executioni mandent. Porro forma horum rescriptorum talis esse solet, ut exsecutori nudum ministerium committatur, adeoque exsecutor, cognita veritate precum, juxta clausulam, 'si preces veritati nitantur', vel aliam similem quæ solet adjici, exsecutionis decretum edere teneatur, observatis conditionibus in rescripto designatis. Præterea juxta regulam expositam in titulo *De officio Delegati* exsecutor delegatus in casu de quo agitur non potest exsecutionis officium alteri committere, nisi in ipso rescripto facultas subdelegandi concessa fuerit.

59. IV^um^ criterium. Distinctio facienda est inter negotia *extrajudicialia* et negotia ordinis *judicialis*. Iterum negotia extrajudicialia alia sunt minora, alia autem majora. Minora negotia, ex. gr. indulta et facultates, quæ jus tertii quæsitum lædere non solent, expediri consueverunt a Cardinali Præfecto cum Secretario et uno vel aliquibus officialibus majoribus Congregationis. Et quidem si negotia hæc comprehenduntur in facultatibus apostolicis Cardinali Præfecto aut Secretario tributis, resolutio statim per rescriptum expeditur.

60. Si vero negotium istas facultates excedat, resolutio non expeditur, nisi a Summo Pontifice facta antea relatione probetur.

61. Graviora vero negotia quæ aliquam difficultatem sive juris sive facti quoad æstimationem et pondus circumstantiarum præ se ferunt, Congregationi generali Cardinalium examinanda proponuntur, et eorum sententia exquiritur. Sic ex. gr. petitio declarationis nullitatis professionis religiosæ vel nullitatis matrimonii, aut dispensationis a vinculo matrimonii rati et non consummati, altera parte non contradicente, vel liberationis ab onere præstandi legatum pium, sic etiam probatio regularum novi alicujus religiosi instituti, dispensatio ab irregularitatibus ex defectu etc. constituere solent objectum examinis Congregationis generalis.

62. Negotia ordinis judicialis ea sunt, vel quæ aguntur in contentione partium collitigantium, vel in quibus sententia condemnatoria alicujus Curiæ Episcopalis, ex. gr. depositionis, privationis, aut suspensionis clerici, in gradu appellationis penes aliquam Congregationem novo examini subjicitur. Negotia hæc sive primi sive alterius generis ad Congregationem generalem pertinent et observata forma judicii saltem summarii ad exitum perducuntur. Hinc

præventive determinatur punctum quæstionis, et dubium vel dubia, prout oportet, sub certa formula resolvenda proponuntur. Immo in contradictione partium solent dubia ab ipsis partibus, aut ab eorum procuratoribus concorditer præfiniri. Sin minus ex officio ab ipso Secretario Congregationis vel ab ejus adsessore dubiorum formulæ determinari solent. Per hoc locum habet quoad substantiam contestatio litis, de qua agitur in libro II. Hinc etiam in quæstionibus judicialibus semper admittitur et expenditur defensio partium. Quin immo, si neutra vel alterutra ex eis contumax aut negligens ad sese defendendam fuerit, defensio ejus fit ex officio, expositis et declaratis rationibus tum facti tum juris, et Cardinalibus exhibetur. Unde sententia ex plena cognitione causæ profertur.

63. Hoc autem est proprium Congregationum Romanarum, ut sententiam pure et simpliciter dicant, respondendo ad dubia proposita *affirmative* vel *negative* et aliquando addendo *ad mentem*, specialem scilicet dispositionem significando. Nunquam vero *rationes decisionis* exprimunt. Repræsentant enim supremum legislatorem Romanum Pontificem, qui dum legem jubet, non tenetur suæ voluntatis rationem manifestare. Qua in re animadvertimus, certum non esse, Cardinales in sententia ferenda moveri ab illis argumentis, quæ sive in foliis a Secretario exhibitis sive in allegationibus advocatorum adducuntur, adeo ut argumenta illa rationem decidendi constituant. Nam Cardinales accuratum studium et examen decisioni quæstionis præmittentes utique possunt ab aliis rationibus præterquam ab argumentis a Secretario vel ab advocatis præpositis ad sententiam proferendam induci. Quapropter a veritate aberraret qui consectaria a scriptoribus ephemeridum 'Acta S. Sedis' post unamquamque resolutionem Sacrarum Congregationum relata, ceu totidem principia juris a Sacris ipsis Congregationibus constituta reciperet. Solent enim plerumque hæc consectaria ex variis theoriis et argumentis inferri, quæ in Disceptatione Synoptica earundem ephemeridum exhibentur.

Tandem animadvertimus, judicia in Sacris Congregationibus, excepta Congregatione S. Officii, de qua paulo inferius agemus, in forma publica agitari.

Verum sive ob quæstionis qualitatem, sive ob rationem personarum, non nunquam in via secreta causæ tractantur, ita ut sive Cardinales judices, sive alii, qui partem habent in causa ex præcepto Summi Pontificis silentium servare teneantur.

De Congregationibus in specie, et primo loco De Congregatione Supremæ et Universalis Inquisitionis.

64. Congregatio hujusmodi appellari solet *Sanctum Officium*, eo quia inquirere hæreticos, eorum conversionem curare vel contumaciam criminosam pœnis plectere, nec non regiones ab hæresi purgare merito reputatum et dictum fuit sanctum officium. Hæresis enim est crimen divinæ læsæ majestatis et christianæ societati maxime perniciosum. Cardinalis *Pitra:* tom. 3. in comm. ad Constit. 16. «*Quia tunc*» *Innocentii IV.* n. 8. ex testimonio plurium historicorum demonstrat, *Innocentium III.* occasione hæresis Albigensium, ex consilio S. Dominici tunc Canonici Oxomensis primum instituisse sacræ Inquisitionis tribunal, *Gregorium IX.* vero officium Inquisitionis fratribus Ordinis Prædicatorum commisisse. Hoc autem officium deinde etiam fratribus minoribus Conventualibus S. Francisci ab *Innocentio IV.* in cit. Constit. *Quia tunc* commissum fuit. Quare factum est ut ex mandato Sedis Apostolicæ in pluribus Diœcesibus sensim sine sensu peculiaria Inquisitionis tribunalia constituerentur.

65. Per hoc vero S. Sedis mandatum haud quaquam imminutum fuit jus inquirendi in hæreticos, quod Episcopis competit, immo positive confirmatum illud fuisse deprehendimus ex cap. «Per hoc» *de hæret.* (V. 2.) in 6°. et ex Clem. 1. eod. tit. Unde episcopi habiti sunt, et hodie etiam post institutam Congregationem S. Officii reputantur, inquisitores nati contra hæreticam pravitatem in propriis Diœcesibus. Card. *de Luca: De Relat. Roman. Curiæ,* Disc. 14. n. 5.

66. Quandoque autem Episcopis ab Apostolica Sede causa aliqua hæreseos vel suspicionis hæreseos cognoscenda committitur, frequentius autem iisdem demandatur officium processum conficiendi contra aliquem vel hæreticum vel de hæresi suspectum. In utraque hujusmodi hypothesi Episcopus vi jurisdictionis delegatæ procedit, ac proinde a mandati limitibus eum recedere nefas est.

67. Si vero sermo sit de Urbe Roma, Inquisitionis tribunal ab ipso Summo Pontifice regebatur, qui ministris et consiliariis a se electis adjuvabatur. Præsertim vero Pontifici in hoc negotio operam suam præstabant alumni Ordinis Prædicatorum, inter quos unus sub appellatione Magistri Sacri Palatii assessoris seu consiliarii specialis munere fungebatur, alter vero Commissarius inquisitionis nuncupatus est. Deinde autem tribunali præpositus fuit

unus ex Cardinalibus qui ejusdem Præfectus dictus est. Card. *De Luca*, loco cit. n. 4.

68. At sæculo 16. hæresi Lutherana exorta, *Paulus III.* per suam Const. 34. quæ incipit *Licet* sacram Universalis Inquisitionis Congregationem instituit ut tribunalis S. Officii regimini melius consuleret, et major eidem auctoritas accederet. Hanc Congregationem restituit seu confirmavit *Sixtus V.* in cit. Const. *Immensa*, eamque voluit inter alias principem locum tenere. Hæc Congregatio componitur ex S. R. E. Cardinalibus, quos Romanus Pontifex nominat modo majori, modo minori numero pro ejusdem Pontificis placito, quique dicuntur Cardinales Inquisitores generales. Præfecturam hujus Congregationis Summus Pontifex sibi reservat et quidem, prout testatur *Benedictus XIV.* in Const. *Sollicita* edita VII. Idus Julii 1753, in feria quinta cujuslibet hebdomadæ coram Pontifice Congregatio Cardinalium habebatur et eo præside quæstiones jam discussæ et resolutæ in generali conventu pridie habito examini iterum subjiciebantur; hodie vero Summus Pontifex solummodo pro negotiis gravioribus expediendis coram se Congregationem aliquando convocat, eique præest. Cardinalis vero antiquior in Congregatione officium Secretarii implere solet. Quare Secretarius S. Officii non est Cardinalis Decanus Sacri Collegii. Cardinalibus inquisitoribus et judicibus juvandis constitutum est collegium Consultorum, qui ex clero sæculari et regulari eliguntur peritissimi in scientiis sacris et in negotiorum ecclesiasticorum tractandorum experientia versati. Quæstiones a Cardinalibus resolvendæ antea diligenti Consultorum examine expenduntur, et eorumdem votum circa ipsas quæstiones exquiritur. Qualibet feria secunda collegium Consultorum, Congregatio autem Cardinalium qualibet feria quarta adunari solet.

69. Congregatio hæc suos habet officiales. Primus inter omnes est *Assessor*, qui inter Prælatos sæculares eligi solet, quique præest conventui Consultorum, Cardinalibus congregatis proponit negotia peragenda et quæstiones resolvendas, una cum voto Consultorum prius habito, nec non Summo Pontifici Congregationis sententiam refert. Ipse etiam curam et regimen habet in Secretaria S. Congregationis et quotidianam negotiorum expeditionem moderatur. Secundus officialis est *Commissarius* qui ex ordine Prædicatorum assumitur, quique socium habet ex eodem Ordine, et præsertim processuum conficiendorum munere fungitur. Tertius officialis

est *Fiscalis,* qui sedet inter Consultores in eorum conventu, quique legis observantiam propugnat, et instructiones conficit, quibus Curiæ Episcopales in actis processuum exarandis dirigantur. Adest etiam Advocatus reorum et Notarius cum aliis sibi adjunctis.

70. Porro hæc Sacra Congregatio verum et supremum inquisitionis tribunal constituit, et proinde ejus jurisdictioni omnes fideles cujuscumque ordinis et dignitatis subjiciuntur, et ab ea pendent omnes alii inquisitores ubicumque exsistunt. Ad hanc Congregationem juxta dispositionem *Sixti V.* in Const. *Immensa* spectat inquirere, citare, procedere et definire causas complectentes hæresim, schisma, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, sacramentorum abusum. Quare S. Congregatio Inquisitionis inquirit et condemnat fideles hæresis vel alterius ex descriptis criminibus reos, nec non eorumdem scripta errore infecta proscribit. Hinc pariter materia sollicitationis in sacramentali confessione nec non matrimoniorum inter catholicas et hæreticas vel schismaticas personas quæ mixta dicuntur sive quoad dispensationem sive quoad quæstiones circa eadem enodandas ad S. Officium exclusive pertinet. Hinc etiam hæc Congregatio normas tradit, quibus Curiæ Episcopales dirigantur in probanda status libertate pro matrimoniis rite ineundis.

Præterea huic Congregationi solet Summus Pontifex committere examen alicujus gravis negotii fidem non attingentis, quoties qualitas negotii vel personarum ad quas refertur, non admittat ut in aliis tribunalibus, in quibus forma judicialis publica servatur, negotium pertractetur. Hinc etiam non semel ab eadem Congregatione causæ matrimoniales de conjugii valore ex mandato Pontificis tractantur. Exemplum recentissimum præbet decretum S. C. Inquisitionis in causa matrimoniali *Parisiensi,* d. 3. April. 1895, ubi Archiepiscopus, ut causa quam primum duceretur ad exitum, acta primæ instantiæ non ad S. C. Concilii, sed ad S. Officium transmisit et responsum intra duas hebdomades accepit. Tandem Sacra Congregatio supremæ et universalis Inquisitionis qualificat propositiones generales ejus examini subjectas ex. gr. tamquam offensivas piarum aurium, tamquam erroneas, vel suspectas de hæresi, aut proximas hæresi, vel tamquam hæreticas, nec non absolute respondet quæstionibus doctrinalibus materiam fidei et morum respicientibus ex. gr. utrum baptisma tali vel tali modo collatum valeat, utrum tuto doceri possit, licitam esse crariotomiam et quamcunque operationem

directe occisivam fœtus vel matris gestantis (S. C. Inqu., d. 19. Aug. 1889; 21. Julii 1895) etc. Procul dubio responsa S. Officii in hac materia magnam sibi vindicant auctoritatem. Sunt enim lata a tribunali competenti, et post maturum examen virorum ob scientiam et probitatem omni exceptione majorum. At merito adnotat *De Angelis*, Lib. 1. tit. 31. n. 10. circa finem, responsa hujusmodi non esse infallibilia et irreformabilia. Nam infallibilitas uni Rom. Pontifici promissa est; responsa autem hæc non sunt actus Papales, et licet Summus Pontifex eadem probet, tamen semper retinent naturam decisionis Sacræ Congregationis et uti talia Summus Pontifex probat et vulgari jubet.

71. Non autem idem dicendum foret, si Romanus Pontifex decisionem S. Officii faceret suam, eamque per Constitutionem solemniter publicaret. Hoc enim in casu utique haberemus definitionem Summi Pontificis in materia doctrinali ex Cathedra loquentis ac proinde haberemus judicium irreformabile.

72. Sacra Congregatio Inquisitionis modum procedendi specialem sequitur qui in eo consistit ut in processu actorum secretum ab omnibus absolute servetur, quod per autonomasiam appellari solet Secretum S. Officii. Ceterum adnotat Card. *De Luca* cit. n. 15. 'Illud autem certum ac indubitatum est, (quidquid ignarum vulgus indebite et absque fundamento opinetur), quod stylus (S. Officii) est nimium placidus ac benignus omnique majori charitate et circumspectione plenus.'

Qui plura desiderat, consulat duo celeberrima volumina Cardinalis *Francisci Albitii*, quorum uni titulus est *De inconstantia in fide*, alteri *De inconstantia in judiciis;* sed quoad res spectantes ad S. Officium, præsertim primum opus maximæ est utilitatis.

De S. Congregatione Indicis.

73. De hac Congregatione agimus secundo loco, quia consideratur ceu adjutrix Congregationis S. Officii. Cum enim supremæ inquisitionis tribunal ob negotiorum gravitatem et multiplicitatem ad omnes, qui vulgantur, libros suam vigilantiam non posset convertere, et bonos a pravis secernere, visum fuit librorum examini ope alterius Congregationis prospiciendum esse. Ecclesia, quæ fidei integritatem et morum sanctitatem totis viribus procurare debet, pabula salutis fidelibus præbendo, eosque arcendo a pascuis veneno

infectis, jus habet proscribendi libros quorum lectione vel sana fides vel christiani mores labefactari possunt. Editores Cassinenses *Bibliothecæ Canonicæ* etc. *Lucii Ferraris* v. «Congregationes» n. 9. adductis monumentis invicte probant, Ecclesiam semper usam hoc jure fuisse.*) Verum in tota antiquitate usque ad sæculum 16. index librorum prohibitorum confectus non fuit, et solummodo cum post hæresim Lutheranam exortam gravis fidelibus pernicies ex colluvie librorum pravorum immineret, factum est ut *Paulus IV.* indici librorum prohibitorum conficiendo an. 1557 et 1558 manus admoveret. *Pius* vero *IV.* menti Patrum tridentinorum sess. 25. circa finem in decreto speciali expressæ inhærens, Prælatis quibusdam adhibitis doctrina et prudentia præstantibus, indicem librorum prohibitorum et regulas quasdam confecit et per suas literas *Dominici gregis* diei 24. Martii 1564 promulgavit.

74. Verum *S. Pius V.* Congregationem specialem Cardinalium instituit cujus officium esset, ut libros pravos proscriberet, et indicem eorumdem conficeret. Hujus Congregationis institutionem confirmavit, et illius auctoritatem ampliavit *Sixtus V.* in cit. Const. *Immensa.* Siquidem in hac Constitutione præter facultatem libros pravos proscribendi conceditur Cardinalibus Congregationi adscriptis etiam facultas librorum prohibitorum indices aut olim aut proxime confectos eorumque regulas editas recognoscendi et examinandi nec non permittendi lectionem certorum librorum, qui vel prohibiti fuerant, vel in prioribus indicibus suspensi manserant, quoties post accuratum examen lectionem permitti posse judicaverint. Iisdem præterea Cardinalibus Sixtus V. concessit facultatem emendandi et corrigendi illos libros, qui paucis erroribus rejectis, ceteroquin utiles esse lectoribus possunt. Voluit tandem ut Congregatio Indicis novos libros approbandi et imprimendi rationem præscriberet.

75. Componitur hæc S. Congregatio ex pluribus Cardinalibus, quos Romanus Pontifex eligit, quorum unus Congregationis præfecturam gerit, nec non habet plures Consultores ex utroque clero sæculari et regulari ex doctioribus assumptos. De jure autem

---

*) Cfr. de hac materia librum qui inscribitur: *De libris prohibitis commentarii*, auctore *Augustino Arndt*, S. J., Ratisbonæ etc. apud F. Pustet, 1895.

Consultor et quidem principaliori quodam modo est Apostolici Palatii Magister. Secretarius vero ex Ordine Prædicatorum usque ab exordio Congregationis eligi solet.

76. In ordine ad pravorum librorum prohibitionem decem exstabant Regulæ jussu Concilii Tridentini editæ, quæ legi possunt apud *Ferraris: Bibliotheca Canonica* «Libri prohibiti» n. 8. «Nunc vero — i. e. a die 25. Januarii 1897 — valent tantummodo *Decreta Generalia de prohibitione et censura librorum* jussu S. P. *Leonis XIII.* edita; — quæ videri possunt in append. II. ad h. l. — «Ea,» ait Summus Pontifex, «vim legis habere *sola* volumus, abrogatis *Regulis* ss. Tridentinæ Synodi jussu editis, Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto jussuque, una excepta Const. *Benedicti XIV.* ‚Sollicita et provida'», de qua infra.

Præterea Sacra Indicis Congregatio pravos libros post maturum examen singillatim condemnat, et mittit eorum nomina in collectionem quæ «Index» vocatur. Si quæratur quinam Index ex nonnullis qui exstant, authenticus sit habendus, S. C. Inq. responsum dedit d. 22. Aug. 1893, ad Archiepiscopum *Vallisoletanum:* «*Standum unice Indici Romano librorum prohibitorum ejusque regulis,* et prohibendas esse novas Indicis hispani editiones.»

77. Quandoque etiam condemnat insimul omnes alicujus auctoris libros quocumque idiomate conscriptos. Hæc condemnatio dici solet in odium auctoris facta. Scopus autem hujus censuræ est, ut fideles prorsus detestentur iniquum scriptorem, qui animi malignitate motus totis viribus fidem vel doctrinam moralem catholicam corrumpere nisus est, nec non ut avertatur periculum, ne fideles præsertim simpliciores unius vel alterius innoxii operis elegante sermone illecti, facile ad alia ejusdem auctoris prava scripta perlegenda trahantur. Hinc fideles a quovis auctoris illius scripto in vulgus edito perlegendo abhorrere debent.

78. Porro methodum in examine librorum a Congregatione Indicis servandam definivit *Benedictus XIV.* in Const. *Sollicita* edita septimo Idus Julii an. 1753, quæ Const. post bullam S. P. *Leonis XIII.* «Officiorum ac munerum» in valore priori perseverat unica. Spiritus hujus Constitutionis est, ut S. Congregatio in examinandis et condemnandis libris præsertim auctorum catholicorum bonæ famæ magna cum moderatione et cautela procedat.

79. Particularia Decreta Sacræ Congregationis, quibus libri singillatim condemnantur, omnes fideles catholici orbis obligant. Singula enim Decreta a Sacra Congregatione ex mandato perpetuo Summi Pontificis conficiuntur et de ejusdem Pontificis intelligentia singulis vicibus promulgantur. Neque admitti posse videtur opinio illorum, qui dicunt, Indicem librorum prohibitorum non esse usu receptum. Namque Romani Pontifices huic opinioni in facto constanter restiterunt, promoventes observantiam Regularum et Decretorum Congregationis Indicis, nec non reprobantes contrarias consuetudines. Quoad «Decreta Generalia» vero verba Summi Pontificis clarissima sunt: «Præsentes vero litteras et quæcumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostræ vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cujusvis gradus et præeminentiæ inviolabiliter in judicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel prætextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.»

Quis sanæ mentis audebit contendere jam consuetudinem huic Constitutioni novissimæ et solemnissimæ vigere contrariam?

80. Pœnæ in Decretorum Generalium transgressores in ipsis *Decretis* hæc statuuntur (tit. II. cp. 5.): «Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, libros apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

Qui vero cetera transgressi fuerint, quæ his Decretis Generalibus præcipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et si opportunum videbitur, canonicis etiam pœnis coërceantur.»

Excommunicatio supra citata «Omnes et singulos scienter legentes» etc. rescriptis SS. CC. Inquisitionis necnon Indicis circumscripta atque illustrata est:

1°. Libri *continentes* quidem hæresim, non vero propugnantes, non cadunt sub dicta censura; Responsio S. C. Indicis, d. 27. April. 1880.

2°. *Ephemerides* non solum continentes, sed etiam propugnantes hæresim, non comprehenduntur in dicta excommunicatione, Resp. S. C. Inquisitionis d. 21. April. 1880; bene vero «*publicationes periodicæ in fasciculos ligatæ*», S. C. Inquisitionis, d. 13. (14.) Januarii 1892.

81. Insuper præ oculis habenda est dispositio cit. Const. *Apostolicæ Sedis* qua Pius IX. sanctionem Tridentinam in decreto *De editione* et usu Sacrorum Librorum temperavit. Siquidem, anathemati illos 'tantum subjacere decernit, qui libros *de rebus sacris* tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt. Ejusmodi censura a S. C. Inquisitionis, d. 22. Dec. 1880, restricta est ad «libros sacrarum Scripturarum necnon ad earundem adnotationes et commentarios», ceteros «libros quoscumque de rebus sacris in genere, i. e. ad religionem pertinentibus, tractantes» dicta censura non comprehendit, de qua censura supra sub n. 80.

82. Tandem animadvertimus, licentiam legendi libros auctoritate ordinaria non posse ab Episcopis concedi, sed solummodo ab Apostolica Sede concedi posse. Ab ea enim auctoritate dispensatio a lege vel præcepto petenda est, a qua lex ipsa vel præceptum dimanat. Licentia autem hujusmodi a Sancta Sede per organum Congregationis S. Officii vel Congregationis Indicis gratis concedi solet. Facultas legendi vel retinendi libros a S. Sede prohibitos sive immediate ab eadem S. Sede sive mediate per Episcopos data, per se non comprehendit facultatem legendi libros ab *Ordinario* prohibitos, S. C. Indicis d. 6. Dec. 1895.

De S. Congregatione negotiis Episcoporum et Regularium præposita.

83. Initia hujus Sacræ Congregationis ad *S. Pii V.* ætatem referenda sunt; officia autem eidem attributa in Constitutione *Immensa Sixti V.* determinantur. Quare huic Pontifici formalis institutio ipsius Congregationis adscribitur. Card. *De Luca: De Relat. ad Curiam.* P. 2. Disc. 16. n. 1.

84. Juxta autem primævam institutionem *binæ* erant Sacræ Congregationes, una scilicet negotiis Episcoporum, altera autem Regularium negotiis expediendis præposita. Cum vero eisdem Congregationibus commissum esset quoddam universale ac politicum regimen cleri sæcularis et regularis, cumque in hoc duplici regimine uniformitas, et quædam utriusque cleri conspiratio concors et efficax ad bonum Ecclesiæ Christi procurandum necessaria videretur; hinc anno 1601 ex duabus una Sacra Congregatio conflata fuit. *Card. Bizzarri* in *Prologo* ad suam *Collectaneam* pag. XXVII.

85. Constat hæc S. Congregatio ex pluribus Cardinalibus a Summo Pontifice electis, quorum unus Congregationi præficitur. Habet etiam Secretarium inter Prælatos urbanos assumptum, nec non substitutum et auditorem qui in privatis conventibus singulis hebdomadis cum Cardinali Præfecto adunati directionem negotiorum disponunt, et minora ac ordinaria negotia virtute facultatum Apostolicarum expediunt; negotia vero majora, et præsertim quæstiones juris ad generalem Congregationem Cardinalium decidendas remittunt. Et quidem pro singulis causis quæ in Congregatione generali tractantur, destinatur unus ex Cardinalibus, qui dicitur causæ Ponens, quique in conventu communi reliquis Cardinalibus quæstionem resolvendam proponit. Quod si agatur de causis contentiosis, quæ juris ordine servato agitantur, penes ipsum Cardinalem Ponentem peragitur contestatio litis, idest ab ipsis partibus litigantibus, vel ab eorum procuratoribus dubia concordantur, circa quæ disputatio et decisio versari debet. Hoc autem munus causas contentiosas definiendi, S. Congregationi competit virtute Decreti editi Nonis Septembris 1834 quod refert *Bizzarri* in sua *Collectanea* pag. 11. Præterea ex Constit. *Pii VII. Post diuturnas* eadem S. Congregatio videt et decernit in gradu appellationis causas criminales in Curiis Episcopalibus per sententiam resolutas.

86. Exceptis quæstionibus contentiosis et causis criminalibus, ex mente institutoris *Sixti V.* S. Congregatio reliqua negotia tractat summarie et in forma extrajudiciali. Habita videlicet informatione ab Ordinario loci, vel a Superiore regulari, quoties negotium ad personam religiosam, aut monasterium pertineat, si factorum circumstantiæ sufficienter innotescant, resolutio datur, et vel Episcopo vel Superiori regulari per epistolam aut per rescriptum communicatur.

87. Hisce explicatis, primo loco exponenda sunt negotia quæ apud S. Congregationem vi præsertim Constitutionis *Sixti V. Immensa* tractantur et expediuntur quatenus est Congregatio *Episcoporum*. Sub hoc respectu S. Congregatio petitiones Episcoporum et Prælatorum nullius vel quasi nullius Diœceseos excipit, difficultatibus et quæstionibus respondet, causas Ecclesiarum et causas jurisdictionem respicientes summarie cognoscit, easque vel ex partium petitione aut ex officio componit; nec non quæstiones inter capitula aut personas singulares in re ecclesiastica dirimit, exceptis illis quæ sese ad interpretationem decretorum disciplinarium Concilii Tridentini referunt. Insuper S. hæc Congregatio, uti superius in titulo *De Officio Vicarii* innuebamus, Episcopo impedito, vel senectute aut infirmitate laboranti Vicarium Apostolicum adsignat, nec non causas videt remotionis Vicarii Capitularis et ipsorum Episcoporum ab officio, audito prius Rom. Pontifice. Præterea eadem S. Congregatio peragit et expedit negotia alienationis bonorum ecclesiasticorum, in quibus juxta notam extravagantem «Ambitiosæ» in tit. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis* (III. 4.), beneplacitum Apostolicum requiritur. Quare Cardinalis *De Luca* in cit. Disc. 16. n. 24. scribere potuit: 'Habet ista Congregatio latas habenas agendi etiam de illis negotiis quæ aliarum Congregationum peculiaria sunt, unde propterea (ut *Urbanus VIII.* dicere solebat) ista videtur Congregatio quodammodo universalis, exceptis causis, quæ directe fidei quæstiones concernunt, sive formalem interpretationem Concilii Tridentini; in reliquis, licet adsit Congregatio Concilii, attamen de iis quæ concernunt exsecutionem vel observantiam ejusdem Concilii ejusque decretorum cognoscit. Prout etiam, licet adsit Congregatio Rituum, cujus peculiare munus est cognoscere ac decidere controversias super præcedentiis aliisque ecclesiasticis præeminentiis inter Clericos sæculares et regulares ac etiam super iis quæ prætendantur per laicos in functionibus ecclesiasticis, adhuc tamen ista Congregatio (Episcoporum et Regularium) istas causas cognoscit. Ideoque privativa singularis dictæ Congregationis Rituum versatur in præscribendo ritu super divinis officiis, ac etiam super canonizatione Sanctorum'.

88. Sacra Congregatio, de qua agimus, quatenus Congregatio *Regularium* est, vi præsertim citatæ Constitutionis *Immensa* tractat negotia regularium, eorum querelis respondet, et controversias dirimit. Permittit transitum de una ad aliam strictiorem

religionem, cognoscit causas apostatarum ab ordine regulari et religiosorum fugitivorum seu vagorum. Procurat observantiam regulæ et quoad regulares urget Apostolicarum Constitutionum exsecutionem. Præterea S. Congregatio videt et expedit negotia et petitiones respicientes monialium clausuram. Decernit erectionem et suppressionem monasteriorum, et ceu notat Cardinalis *De Luca* in citata Disc. 16. n. 23. 'omnia peragit, quæ Religionum et Regularium bonum regimen et directionem concernunt'.

89. Præter hanc Congregationem et alia in subsidium ejusdem Congregatio instituta fuit per Const. *Debitum pastoralis* diei 4. Augusti 1698 ab *Innocentio XII.* «*super disciplina et reformatione Regularium*». Hæc autem Congregatio licet antiquitus habuisset peculiarem Præfectum, tamen hodie subest Cardinali Præfecto Congregationis Episcoporum et Regularium. Insuper aliquibus abhinc annis proprio Secretario caret, cujus vices sustinet Secretarius Congregationis Episc. et Regul. Habet autem Officialem qui *Substitutus* appellatur. Officium hujus Sacræ Congregationis præsertim versatur in designandis intra Italiam et insulas adjacentes monasteriis seu conventibus virorum pro novitiatibus et professoriis, nec non in concedendis licentiis pro admissione novitiorum ad habitum religiosum suscipiendum et ad professionem emittendam. Insuper Congregatio hujusmodi curat in monasteriis virorum internam disciplinam præsertim in ordine ad observantiam perfectæ vitæ communis, et dispensare potest ab observantia regularum intra tamen monasterium seu conventum, idest dispensatio respicere tantum potest interiorem disciplinam domus religiosæ. Hæc omnia exhibentur in literis Apostolicis *Pii VI.* relatis in Biblioth. *Lucii Ferraris* Edit. Cassinensis an. 1852. verb. «Congregationes» n. 46.

Tandem *Pius IX.* ut exigentiis Regularium ex nostri ævi conditione exsurgentibus consuleret, per Encyclicas Lit. *Ubi primum* diei 17. Junii an. 1847 particularem Congregationem instituit, cujus titulus est '*Congregatio super statu Regularium*'. Hæc S. Congregatio munus habuit regulas statuendi pro novitiis recipiendis, et in disciplina regulari instituendis, pro admittendis iisdem novitiis prius ad professionem votorum simplicium et deinde ad nuncupanda vota solemnia, pro vita communi inter regulares instauranda, proque aliis rebus decernendis, quæ ad statum regularem actualibus circumstantiis rite conformandum aptæ judicantur. Acta hujus S. Congregationis typis vulgata sunt an. 1862

ab ejus Secretario *Andrea Bizzarri* qui postea S. R. E. Cardinalis creatus est.

De S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

90. Summus Pontifex *Pius IV.* in Constit. *Benedictus Deus* edita 7. kalendas Februarii ann. 1564 confirmavit Concilii Tridentini acta simulque prohibuit absolute quominus super decretis ejusdem Concilii commentarii, glossæ, adnotationes, et in genere interpretationes vulgarentur. Idem Pontifex eodem anno novam edidit Const. *Alias nonnullas* qua Cardinalium Congregationem instituit, cujus officium erat procurandi decretorum tridentinorum observantiam. *Sixtus V.* vero in sæpe cit. Const. *Immensa* confirmavit Congregationem a *Pio IV.* institutam, simulque ei officium commisit interpretandi decreta Concilii Tridentini disciplinam respicientia. Ex hoc factum est ut Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum appellaretur.

91. Congregatio hæc ex pluribus Cardinalibus a Rom. Pontifice nominatis constat quorum unus est Præfectus, et Secretarium habet inter Prælatos electum. Ex data notione sequitur, facultatem *interpretandi decreta* disciplinaria Concilii Tridentini ad hanc Sacram Congregationem *exclusive* spectare, licet quoad observantiam procurandam eorundem decretorum facultas ejus cum aliis Congregationibus cumulativa sit, præsertim quoad materiam quæ aliarum Congregationum scopum attingit. Ob *dependentiam* quam plura negotia habent a Conc. Tridentino, ea penes hujusmodi Congregationem geruntur. Quare Congregatio hæc agit de residentia Episcoporum et aliorum beneficiatorum, concedit ex justa causa licentiam absentiæ, indulgendo absentibus perceptionem fructuum præbendæ, et quandoque etiam distributiones. Pariter eadem Congregatio concedit facultatem reducendi onera antiqua Missarum ob redituum imminutionem.

Præterea in hac Congregatione tractantur causæ *matrimoniales* præsertim quoad vinculi valorem, et quoad dispensationem a vinculo matrimonii rati et non consummati. Unde inter ejus officiales etiam Defensor seu Advocatus vinculi adnumeratur, qui ex officio rationes, si quæ sunt, afferre debet ad matrimonii jura tuenda. Item videt et definit quæstiones respicientes irregularitatem clericorum, et Summo Pontifici proponit dispensationem concedendi con-

silium, quoties rationes pro ea concedenda militant. Sic pariter cognoscit quæstiones excardinationis clericorum a propria et incardinationis ad aliam Diœcesim. Insuper, licet quæstiones respicientes valorem professionis religiosæ ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium ordinarie pertineant, tamen S. Congregatio Concilii cognoscere potest de causa restitutionis in integrum contra lapsum quinquennii a Tridentino statuti ad reclamandum contra professionem religiosam invalide emissam.

Etiam in materia beneficiali competens est S. Congregatio Concilii et præsertim in illis negotiis vel quæstionibus, quæ relationem dicunt ad Tridentina decreta. Quare videt quæstiones circa unionem beneficiorum Seminario vel Cathedrali faciendam, item quæstiones circa valorem nominationis inter plures præsentatos, nec non circa ipsum jus patronatus inter plures patronos contendentes.

92. Recipit pariter relationes Episcoporum super statu Diœceseos occasione visitationis Sacrorum Liminum, nec non respondet dubiis et consultationibus ab Episcopis propositis in eadem occasione. *Pro* expendendis vero præfatis *relationibus Episcoporum Benedictus XIV.* instituit specialem Congregationem Prælatorum Romanæ Curiæ dependentem a Sacra Congregatione Concilii Constit. *Decet Romanum Pontificem* edita nono kalendas Decembris ann. 1749.

93. Præterea eidem Sacræ Congregationi Concilii unita est specialis et subsidiaria Congregatio nonnullorum Cardinalium instituta *pro revisione facienda Conciliorum Provincialium,* quæ ex lege lata a *Sixto V.,* uti infra videbimus, subjici debent examini Sacræ Congregationis Concilii. Utriusque Congregationis Cardinales Præfectus idem est, nec non idem est Secretarius. Habet autem suos peculiares consultores ex clero sæculari et regulari electos.

De Sacra Congregatione de Propaganda Fide.

94. Romani Pontifices cum propria Curia, adhibita quoque opera Episcoporum, usque ab antiquitate adlaborabant ut non solum catholica fides suscepta inter populos integra servaretur, sed etiam ut inter infideles et hæreticos ope prædicatorum propagaretur. At usque ad totum sæculum 16. peculiare tribunal collegiale Cardinalium ad hoc promovendum fidei propagandæ opus institutum

non erat. *Gregorius XV.* vero per suam Const. *Inscrutabili divinæ providentiæ arcano* editam decimo kal. Julii an. 1622 Congregationem Cardinalium instituit christiano nomini propagando addictam quæ proinde Congregatio *de propaganda fide* nuncupatur. Ea componitur ex Cardinalibus numero pluribus, quorum unus præfecturam gerit, et habet Secretarium unum ex Prælatis et consultores ex utroque clero electos.

95. Ut autem operi propagationis fidei melius consuleretur, missiones præconum Evangelii pro variis territoriis ad instar Diœcesum institutæ fuerunt. Missionibus vero magis evolvendis ac roborandis *Urbanus VIII.* Constitutione sua 675. quæ incipit *Romanus Pontifex* Romæ collegium erexit in quo adolescentes in locis missionum electi catholicis doctrinis imbuerentur, et idonei fierent ad conversionem infidelium et hæreticorum facilius procurandam. Collegium hujusmodi, quod in dies auctum est, a Pontifice auctore suo nuncupatum fuit *Collegium Urbanum.*

96. Præcipuum Congregationis istius munus est ut operarios evangelicos mittat, quos missionarios vocant, ad fidem catholicam propagandam eosque per regiones distribuat. Porro ut forma regiminis ecclesiastici aliquo modo observaretur, inductum est, ut singulis missionibus territorium proprium adsignaretur, quod nomine Vicariatus Apostolici appellari solet, cui unus præficitur missionarius titulo et auctoritate Vicarii Apostolici, quique solet charactere episcopali decorari. Vicariatus hujusmodi a Sacra Congregatione de Propaganda fide dependent.

97. Præterea eidem Congregationi commissa est cura etiam nonnullarum regionum, in quibus hierarchia ecclesiastica Episcoporum restituta est. Unde ex. gr. Ecclesiæ Angliæ, Hiberniæ, Statuum fœderatorum Americæ etc. licet fundatæ ibidem sint sedes episcopales fixæ cum suis titulis et propriis Episcopis tamen adhuc sub jurisdictione Sacræ hujus Congregationis perseverant. Regula autem est ut quoties hierarchia ecclesiastica in aliqua regione constituitur, ipsæ literæ Apostolicæ quæ sedes episcopales erigunt decernant simul, utrum nec ne novæ sedes a jurisdictione Sacræ Congregationis de Propaganda fide eximantur. Quare Sacra hæc Congregatio non solum mittit Evangelii præcones in regiones in quibus evangelica lux vel nunquam vel vix illuxit, sed etiam suam exercet vigilantiam et auctoritatem in pluribus locis in quibus

christianæ plebes constitutæ sunt et exhibent formam regiminis Ecclesiastici communis.

98. Porro S. Congregatio de Propaganda fide in locis sibi subjectis amplissimam auctoritatem exercet, et æquiparari potest auctoritati, qua reliquæ Congregationes Romanæ in aliis regionibus utuntur. Immo majori etiam pollet auctoritate. Etenim hæc S. Congregatio tractat etiam negotium deputationis Vicariorum Apostolicorum in locis Missionum nec non electionis Episcoporum in Diœcesibus jam constitutis et a se dependentibus. Unde Summus Pontifex per organum hujus Congregationis pro locis eidem Congregationi subjectis vicariatibus et sedibus episcopalibus vacantibus de novis pastoribus providet.

Potestas huic Congregationi competens generali locutione in Const. *Inscrutabili divinæ providentiæ Gregorii XV.* hisce verbis exhibetur: 'Volentes ut (Cardinales) . . . omnia et singula negotia ad fidem in universo mundo propagandam pertinentia cognoscant et tractent, et graviora ... quæ tractaverint, ad Nos referant; alia vero per seipsos decidant et expediant pro eorum prudentia. Missionibus omnibus ad prædicandum et docendum Evangelium, et catholicam doctrinam superintendant, ministros necessarios constituant et mutent. Nos enim eis tam præmissa, quam omnia et singula alia desuper necessaria et opportuna, etiam si talia fuerint, quæ specialem, specificam et expressam requirunt mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi et exsequendi plenam, liberam et amplam facultatem, auctoritatem et potestatem apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus et impertimur.'

99. Quapropter quoad loca sibi subjecta S. Congregatio de Propaganda fide omnia negotia pertractat. Quod si agatur de negotio quod materiam fidei directe respiciat illud ad S. Officium S. Congregatio remittere solet. Si vero negotium conscientiæ forum directe attingat, a. S. Pœnitentiaria opportunum remedium vel solutionem quæstionis exposcit.

100. Porro S. hæc Congregatio ex instituto negotia peragit et expedit œconomice et extrajudicialiter. Quoniam vero ob humanam infirmitatem inter Missionarios et præsertim inter diversorum Ordinum regularium missiones quæstiones oriantur; hinc S. Congregatio etiam contentiosa negotia peragere et decidere cogitur. Hæc vero necessitas tractandi forenses quæstiones major facta est

ex quo, restituta hierarchia ecclesiastica in aliquibus regionibus, in regimine Diœcesum juris communis normæ præ oculis habendæ sunt. Hasce autem quæstiones in contentione partium, servata forma judicii summarii Congregatio resolvit. Et quidem usque ad nostra tempora in causis judicialibus peragendis partes poterant advocatorum opera uti, et scriptas ab illis allegationes Cardinalibus offerre. At hodie ob nonnullos abusus, ut arbitror, enatos præsertim ex eo quod negotia magni momenti et sub prudentiæ secreto custodienda facile vulgabantur; statutum est, advocatos in causis defendendis non amplius admitti. Hoc autem non impedit quominus partes collitigantes suam defensionem in scriptis exarent, et in allegatione conscribenda consilio alicujus juris periti ducantur, dummodo tamen defensio in scriptis elucubrata ab eo cujus interest nomine proprio præsentetur.

101. Cum vero ætate nostra opus missionum latius evolveretur, et negotia a S. Congregatione de Propaganda fide tractanda nimium excreverint, *Pius IX.* consilium suscepit secernendi prorsus negotia Ecclesiarum et missionum ritus latini a negotiis Ecclesiæ ritus orientalis. Quare die 6. Januarii anni 1862 edidit Constitutionem quæ incipit *Romani Pontifices* qua novam Congregationem specialem Cardinalium instituit *pro expediendis negotiis Ecclesiarum et Missionum rituum orientalium.* Hæc tamen Congregatio licet distincta sit ab alia Congregatione pro negotiis ritus latini, et suum Secretarium suosque Consultores et Officiales habeat, tamen unum eumdemque habet cum alia Cardinalem Præfectum. Quin imo ut uniformitati actionis, et concordi evolutioni operis propagationis fidei consuleretur, factum est, ut officia utriusque Congregationis in iisdem ædibus sedem haberent, et in particularibus conventibus uniuscujusque Congregationis pro minoribus negotiis expediendis coram Cardinali Præfecto utriusque Congregationis Secretarii convenirent, propriumque consilium panderent.

De Sacra Rituum Congregatione.

102. Concilium Tridentinum sess. 25. in fine Summo Pontifici ecclesiasticarum cæremoniarum et sacrorum rituum reformationem commendavit. Huic Tridentinorum patrum voto inhærens *Sixtus V.* in sæpe cit. Const. *Immensa* specialem Congregationem Cardinalium instituit, quæ a Sacris Ritibus nuncupata est.

103. Componitur Congregatio ex Cardinalibus quos Summus Pontifex numero majores vel minores nominat. Unus ex eis in Præfectum ab eodem Pontifice eligitur. Habet hæc Congregatio Prælatum ad officium Secretarii exercendum, nec non alium Prælatum, qui promotoris fiscalis munere fungitur, et *Promotor fidei* nuncupatur. Hic titulus «Promotoris fidei» unice et exclusive Promotori fiscali principali Romæ degenti reservatur ex decreto S. C. Rituum, d. 14. Januarii 1893, quare «Promotores Fiscales Curiarum ab hoc titulo omnino sese abstinere debent». Huic dat operam alter ecclesiasticus vir, qui Assessor dicitur, vel Sub-fidei-Promotor. Præterea in hac Congregatione plures constituti sunt Consultores, inter quos ex officio adnumerantur, unde et officiales dicuntur, Sacrista Papæ ex Ordine Eremitarum S. Augustini, et Apostolici Palatii Magister ex Ordine Prædicatorum nec non tres antiquiores S. Rotæ Auditores et unus ex Protonotariis Apostolicis participantibus.

104. Duplex munus huic S. Congregationi commissum est; 1um videlicet in ordine ad Sacros *Ritus*, et *ad jura adnexa*, 2um vero tractandi *causas Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei.*

Intuitu primi muneris S. Congregatio duo genera negotiorum pertractat, alia quidem in via *gratiosa* et *pacifica*, alia vero in via *contentiosa.* In via *gratiosa et pacifica* advigilat ut veteres ritus sacri ubique locorum in omnibus Urbis et Orbis Ecclesiis etiam in Capella Pontificia in Missis, divinis officiis, Sacramentorum administratione cæterisque ad divinum cultum pertinentibus a quibusvis personis diligenter observentur; cæremoniæ, si exoleverint, restituantur, si depravatæ fuerint, reformentur; libri quoque de sacris ritibus et cæremoniis tractantes, si opus fuerit, emendentur, nec non ut dies festi rite celebrentur. Hæc omnia in cit. Const. *Immensa* descripta leguntur. Præterea quæstiones et dubia circa præfatam materiam et in specie circa sensum rubricarum vel ex officio, vel ad petitionem propositam resolvit. Harum resolutionum collectionem confecit et publicavit Aloisius *Gardellini* ejusdem S. Congregationis Assessor. Quod opus ampliatum nostra ætate iterum prodiit studio et cura Editorum Cassinensium. Insuper S. Congregatio approbat officia et Missas proprias Sanctorum, nec non concedit facultatem celebrandi Missam vel officium sub simplici aut altiori ritu alicujus Sancti vel Beati, et transferendi ad alium diem solemnitatem festorum in locis particularibus etiam

cum celebratione Missæ atque alia hujusmodi. Tandem ad hanc S. Congregationem munus pertinet expendendi et approbandi negotium electionis alicujus Sancti in cœlestem Protectorem Regnorum, Civitatum et oppidorum.

105. In via *contentiosa* S. Congregatio cognoscit et resolvit quæstiones inter partes contendentes in materia præcedentiæ et præeminentiarum in processionibus, aliisque sacris functionibus, nec non in actibus seu tractatibus honorificis, sive quæstiones istæ oriantur inter regulares et sæculares, sive inter utriusque cleri capitula respective, sive tandem inter dignitates et membra ejusdem capituli. Sic etiam determinat limites jurium inter Parochos et Confraternitates laicorum necnon videt ac decernit quæstiones super novas erectiones Congregationum piarum et Confraternitatum. Porro S. Congregatio in hisce omnibus quæstionibus tractandis et decidendis viam judicialem summariam sequitur, auditis autem informationibus Ordinariorum, vel respective Superiorum Regularium.

106. Alterum munus ad S. Rituum Congregationem exclusive spectans respicit Beatificationem et Canonizationem Servorum Dei. In hoc tanti momenti et difficili negotio S. Congregatio maxima cum cautela, et prævio rigido examine procedit. Et quidem, ut notat Cardinalis *De Luca* (*Relatio Rom. Cur.* P. 2. Disc. 17. n. 10.), S. Congregatio in præsenti materia imaginem refert tribunalis contentiosi. Processum enim conficit, qui dicitur Apostolicus et testes examinat coram judicibus delegatis, et notario, qui in actis suis omnia refert. Adsistit præterea Promotor Fidei, qui fiscali munere fungitur, et interrogatoria præparat nec non advigilat ut processus rite fiat et compleatur. Insuper adhibetur opera et consilium virorum peritorum, qui sub juramenti fide referre debent, utrum operationes, quæ miraculis accensendæ a Postulatore proponuntur, supernaturales revera sint, nec a potentia naturæ licet difficili et rara repeti possunt. Præterea *Postulator causæ*, qui actoris personam gerit, emittere debet juramentum calumniæ juxta regulas a jure canonico traditas in *Tit. VII. libri II. Decretalium.* «In causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei *Postulator principalis unicus* esse debet et in *Urbe* habere *fixam* sedem. *Vicepostulatores* autem nonnisi a principali Postulatore in posterum eligendi erunt, sub pœna nullitatis actorum omnium, quæ per eosdem aliter deputatos fieri contigerit» decrevit S. R. C., d. 22. Aug. 1893, quod decretum S. P. *Leo XIII.* ratum habuit

et confirmavit, d. 21. Dec. 1893. Tandem, aliis omissis, Promotor Fidei difficultates et argumenta contraria, si quæ sint sive in jure sive in facto, ex officio proponere debet. Quæ difficultates et argumenta nisi plene diluantur, cursus actorum suspenditur. Completo autem processu discutitur formiter causa super dubiis propositis prius a consultoribus coram Cardinali ponente, deinde ab iisdem Consultoribus in Congregatione Cardinalium, tertio tandem quæstio agitatur ab eadem Congregatione Cardinalium coram ipso Summo Pontifice qui ultimum judicium postea edendum sibi reservat. Modus autem procedendi et normæ servandæ in hujusmodi tractandis et definiendis causis traduntur a *Bened. XIV.* in celebri opere *De Beatificatione Servorum Dei et de Beatorum Canonizatione.*

De Sacra Congregatione Consistoriali.

107. *Sixtus V.* in sua sæpe cit. Const. *Immensa æterni Dei* numero tertiam hanc S. Congregationem instituit. Constat ex competenti numero Cardinalium, qui copiosus esse non solet, et ipsum summum Pontificem Præfectum habere gloriatur. Ad Secretarii munus exercendum unus ex urbanis Prælatis eligitur, qui etiam Sacri Collegii Cardinalium Secretarius esse solet. Hoc vero secundum officium ex sui natura perpetuum in persona Secretarii Congregationis consistorialis non est. Nam quolibet anno indiget nova Cardinalium confirmatione. Porro Secretarius hic qui sede papali vacante in officio constitutus reperitur, assumitur ad munus exercendum Secretarii Sacri Collegii Cardinalium in conclavi collectorum pro electione novi Pontificis perficienda.

108. *Sixtus V.* in cit. Const. Consistorialis Congregationis negotiorum provinciam designat et eidem munus committit: 1°. Cognoscendi de causis legitimis erectionis faciendæ novarum Ecclesiarum quarumcumque Patriarchalium, Metropolitanarum et Cathedralium, ac de earum dote, Capitulo, Clero et populo; 2°. cognoscendi de causis unionis, dismembrationis, cessionis, permutationis, translationis et pensionum assignationis super redditibus Ecclesiarum, Diœcesum et Monasteriorum; 3°. examinandi causas circa pluralitatem Monasteriorum, idest Abbatiarum, et incompatibilitatem dignitatum; 4°. examinandi causas respicientes nominationes et confirmationes electionum vel postulationum; 5°. tandem expendendi causas respicientes deputationes Suffraganeorum et Coadjutorum sive cum futura successione sive absque eadem successione.

109. Hæc quidem omnia in Sixtina Constitutione explicite designantur. At Cardinalis *De Luca* in *Relat. Cur.* Disc. 5. n. 25. de Congregatione Consistoriali hæc scribit: 'Quia in plerisque actibus consistorialibus interessati oppositores adesse solent, adeo ut formam vel disputationem contentiosam habere oporteat, eaque prudenter ob majorem Consistorii majestatem, ab eo exulavit; hinc proinde erecta fuit particularis Congregatio . . . Consistorialium negotiorum præparatoria, seu Consistorii consultrix, quæ proinde Consistorialis nuncupatur . . . Atque in ista Congregatione prius formiter examinantur materiæ, partibus opponentibus auditis in forma mere contentiosa, proportionata tamen stylo Congregationum Cardinalitiarum circa formalitatem telæ judiciariæ; præsertim vero ubi agatur de Ecclesiarum unionibus vel divisionibus seu dismembrationibus, novisque erectionibus.'

110. Verum non solum in negotiis contentiosis, quæ hodie rara admodum sunt, sed etiam in aliis negotiis, quæ extrajudicialiter, et in via summaria tractantur, Sacra hæc Congregatio præparat materiam pro actibus in Consistorio Papæ tractandis et expediendis. Hinc hodie in Congregatione Consistoriali præsertim expenduntur processus, qui pro Episcopis et Abbatibus in Consistorio promovendis conficiuntur, et summa actorum processus refertur in scheda, quæ consistorialis appellatur et Cardinalibus ante ipsum Consistorium distribuitur.

111. Hæc insuper S. Congregatio appellatur etiam Sacri Collegii Cardinalium Congregatio et per ejus secretarium aliumque Officialem sub dependentia tribus Cardinalibus Capitibus Ordinum idest antiquioribus in quolibet ordine et Cardinali Camerario pro tempore negotia temporalia ad ipsum Sacrum Collegium spectantia tractantur. Si vero de gravioribus negotiis agatur, quæ jura Sacri Collegii respiciunt, omnes Cardinales præsentes in Curia vocantur, et in generali eorumdem conventu quæstio expenditur et resolvitur.

De Sacra Congregatione Immunitatis ecclesiasticæ.

112. Hæc Sacra Congregatio instituta fuit ab *Urbano VIII.*; nescitur vero utrum vivæ vocis oraculo vel decreto Consistoriali vel per literas in forma Brevis. (Card. *De Luca: De Relat. Cur.* pars 2ª. Disc. 17. n. 1.) Huic Congregationi commissum est munus

tractandi negotia et quæstiones decidendi circa immunitatem ecclesiasticam realem, personalem et localem, et præsertim quæstiones respicientes jus asyli ecclesiastici, et eos qui ob crimina excepta hoc jure non gaudent.

113. Hæc Congregatio anteactis temporibus multa et gravia negotia expediebat, et bis in mense in Palatio Apostolico adunabatur, teste Cardinali *De Luca* loco cit. n. 6. Hodie vero ob iniquas leges civiles contra immunitatem ecclesiasticam latas, et ob mores fere ubique in pejus mutatos, salutifera hujus Congregationis actio imminuta maxime est. Quare nuper factum est ut ejusdem Congregationis officia cum vacant, aliis non conferantur, et negotia, si quæ sint, à Sacra Congregatione Concilii pertractentur et expediantur.

De Sacra Congregatione Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum.

114. Sacram hanc Congregationem instituit Summus Pontifex *Clemens IX.* edita die 6. Julii 1669 Constitutione quæ incipit *In ipsis Pontificatus Nostri.* Ea vero componitur ex pluribus Cardinalibus, quorum unus Præfecti munere fungitur habetque Secretarium inter Prælatos electum. Eidem præterea Congregationi suam præstant operam plures Consultores.

115. Hæc Congregatio instituta fuit ad abusus vitandos, qui in materia indulgentiarum et sacrarum reliquiarum obrepere possunt. Officium vero ejusdem in cit. Const. *Clementis IX.* fusius explicatur, et ad rem nostram sufficiat sequentia referre ex eadem Constitutione excepta. 'Nos autem', ait Pontifex, 'eundem inæstimabilem thesaurum (indulgentiarum) fideli dispensatione erogare, et omnia quæ sacras reliquias contingunt, recte atque ordine disponere cupientes, nonnullos ex Cardinalibus ac aliquos (romanæ) Curiæ Prælatos, aliosque viros religione, pietate, doctrina et rerum usu eximie præditos selegimus, quorum consilio, opera et industria tam gravem muneris nostri partem ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ honorem ac spiritualem Christi fidelium ædificationem facilius implere valeremus . . . Quapropter Motu proprio ac certa scientia etc. Congregationem S. R. E. Cardinalium ac Prælatorum et aliorum virorum prædictorum, a Nobis, ut præfertur, electorum et deputatorum, ac in futurum tam a Nobis, quam a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus eligendorum et deputandorum *cum*

facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis aut Indulgentiis emergentem quæ ad fidei dogma non pertineat, (Nobis tamen et Romano Pontifice pro tempore existente circa graviora distinctioraque consultis) expediendi; ac si qui abusus in eis irrepserint, illos judicii forma plane postposita corrigendi et emendandi: causas vero judicialem formam requirentes ad proprios Judices remittendi; falsas, apocryphas, indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi ac ubi Nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, nostra seu illius auctoritate rejiciendi; reliquias de novo inventas, quas rec. mem. Innocentius Papa III. Prædecessor Noster in generali Concilio Lateranensi publica veneratione coli, nisi prius auctoritate Romani Pontificis approbatas prohibuit, recognoscendi quoque et examinandi: ac in concedendis indulgentiis, Sanctorumque Reliquiis donandis moderationem adhiberi, omniaque pie, sancte et incorrupte fieri curandi tenore præsentium perpetuo erigimus et instituimus.'

116. Et revera hæc S. Congregatio omnem dedit operam ut scopo suæ institutionis satisfaceret et non solum prævio accurato examine authenticitatem sacrarum Reliquiarum recognovit, sed etiam quæstiones et dubia circa indulgentias resolvit. Unde plura prodierunt decreta. Ut autem omnis circa sinceritatem et authenticitatem horum decretorum difficultas removeretur operæ pretium visum est, ex tabulario ejusdem Congregationis omnia decreta extrahere, et in unum colligere librum. Quod reapse factum est, et auctorante Summo Pontifice *Leone XIII.* anno 1883 typis Friderici Pustet impressum est volumen cui titulus *'Decreta authentica Sacræ Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ ab anno 1668 ad annum 1882 edita jussu et auctoritate SSmi. D. N. Leonis XIII.'*

117. Præterea eadem S. Congregatio concessionis indulgentiarum opus moderabatur, et practica quæ servabatur regula, ceu constat ex actis tabularii Congregationis, in eo posita erat, ut Secretarius in folio describeret summam supplicationum et rationes quæ pro obtinendis indulgentiis militabant, eamque in conventu Cardinalium proponeret, exquirendo ipsorum sententiam. Cardinalium vero consilium Summo Pontifici referebatur, qui indulgentias quas concedebat, per Secretariam Brevium jubebat expediri. Hæc erat praxis antiqua.

118. Tractu autem temporis inductum est ut Summus Pontifex indulgentias elargiretur tam per organum Sacræ Congregationis Indulgentiarum, quam per Secretariam Brevium, et Secretariam a supplicationibus nuncupatam vulgo *dei Memoriali.* In facto hic usus hodie servatur, licet nonnullis abhinc annis sub s. mem. *Pii IX.* Pontificatu ad aliquod tempus concessio indulgentiarum veluti jure exclusivo fieret per organum Secretariæ Brevium.

De Congregatione Rec. Fabricæ S. Petri.

119. Ut novæ ædificationi et conservationi magnifici templi Deo in honorem Principis Apostolorum in urbe Roma erecti consuleretur, *Julius II.* indulgentias aliaque bona spiritualia iis concessit, qui eleemosynis huic pio operi occurrent. *Leo X.* vero ejusdem pii operis administratoribus facultatem tribuit exsequendi pia legata et eorum partem Fabricæ S. Petri adsignandi. Deinde *Clemens VII.* collegium instituit sexaginta virorum qui administrationem Fabricæ ejusdem gererent. Ut autem tutiori modo et sub stabili nobilioríque forma negotiis Fabricæ S. Petri consultum esset, *Clemens VIII.* ad instar Congregationum a *Sixto V.* erectarum, etiam specialem Congregationem Fabricæ S. Petri instituit, quæ componeretur ex aliquibus S. R. E. Cardinalibus et coadjutores haberet Auditorem Cameræ Apostolicæ, Thesaurarium generalem, Pontificiæ domus Præfectum, unum ex Auditoribus S. Rotæ, unum ex Clericis Cameræ et Oeconomum Fabricæ, qui secretarii Congregationis munere fungeretur.

120. Hujus S. Congregationis scopus et officium juxta primitivam institutionem multiplex est: 1°. quidem advigilare debet, ut dispositiones ad pias causas sive inter vivos factæ, sive per actum ultimæ voluntatis executioni mandentur, simulque facultatem habet applicandi Fabricæ s. Petri *fructus decursos,* qui in aliquod pium opus erogari debuissent. 2°. eidem Fabricæ applicare potest pias dispositiones *incertas* necnon eas, quæ pro incerto opere factæ reperiuntur. 3°. potest item applicare Fabricæ S. Petri legata ad pium opus determinatum complendum, quæ effectu carent ob *insufficientiam* bonorum adsignatorum, et bona hujusmodi cum injusto lucro penes hæredem remanerent. 4°. eidem Fabricæ applicare potest bona relicta vel attributa Ecclesiis, locis piis vel personis, quæ ex instituto acquirendi et possidendi *incapaces* exsi-

stunt, ex. gr. Capuccini, Minores observantes etc. 5. S. Congregatio videre potest et decernere de causis nullitatis contractuum alienationis bonorum pertinentium ad quælibet pia loca et Fabricæ s. Petri applicare fructus *male perceptos*, quoties contractus initi fuerint sine Beneplacito Apostolico. Hæc omnia late exposita legantur a Cardinali *De Luca* in *Relat. Curiæ* Discursu 20. n. 1. et seqq.

121. Ut autem muneri suo rite S. Congregatio satisfaceret, solita fuit in variis provinciis suos Commissarios constituere qui proprium et coactivum tribunal pro quæstionibus in prima instantia decidendis habebant, et a quorum sententia ad ipsam Congregationem urbanam appellari poterat. Præterea iisdem Commissariis, qui curare debebant in propria provincia legatorum piorum observantiam, juxta Edictum generale diei 16. Augusti 1788, Notarii et tabulariorum custodes manifestare tenebantur dispositiones omnes, sive inter vivos, sive mortis causa favore locorum piorum in propriis actis relatas.

122. Insuper pro ditione temporali Summi Pontificis habebatur Romæ speciale tribunal quod tribunal Fabricæ S. Petri nuncupabatur, quodque juris ordine servato in causis spectantibus ad administrationem ejusdem Fabricæ in via contentiosa jus dicebat. Et quidem tribunal hujusmodi crimina etiam coërcebat, quæ sive in ipsa Basilica S. Petri sive in locis conterminis patrabantur. Hæc servabantur juxta *primævam* Congregationis et tribunalis Fabricæ institutionem.

123. At tractu temporis res aliquantisper immutata est etiam in ipsa Ditione temporali S. Sedis. Nam Ecclesiam gubernante *Pio IX.* s. mem. anno 1863 abolitum fuit præfatum tribunal, et simul Commissariorum munus cessavit. Remansit vero, et adhuc exsistit Congregatio Fabricæ S. Petri constans ex aliquibus Cardinalibus, et secretario, qui simul œconomi ejusdem Fabricæ munus gerit. Porro hujus S. Congregationis Præfectus hodie est ipse Cardinalis Archipresbyter Basilicæ S. Petri, dum anteactis temporibus, teste Cardinali *De Luca* loco cit. n. 5., præfecturam antiquior ejusdem Congregationis Cardinalis gerere videbatur.

124. Congregationis istius Officium ordinarium in hodierna praxi est, ut in via gratiosa suas facultates circa legata pia et præsertim onera missarum exerceat. Et quidem negotia quæ in hoc genere

a Congregatione tractantur et expediuntur, duplicis præsertim sunt speciei. Videlicet 1°. solet S. Congregatio fideles oratores, qui oneribus legatorum piorum gravantur, ad compositionem ex justis causis admittere quoad præteritas omissiones, eos nempe absolvendo imposita ipsis solutione discretæ summæ pecuniæ favore Fabricæ S. Petri, necnon rationalibus item causis concurrentibus, ipsa onera quoad futurum reducere solet et Episcopis exposcentibus ad tempus facultatem concedere onera reducendi. Pariter ad aliam Ecclesiam vel altare onera missarum transfert, itemque ultra duos menses conciliares celebrationem missarum manualium differt, dummodo dies celebrationis non fuerit a fidelibus eleemosynam offerentibus designatus. 2°. Eadem S. Congregatio admittere et probare solet redemptionem ipsorum legatorum piorum, prævia tamen solutione in manibus Ordinarii capitalis summæ, quam ipse Ordinarius fructiferam efficere, ejusque titulum custodire, necnon ex reditibus inde provenientibus legati pii satisfactionem quotannis curare debet. Qui plura desiderat, consulat Cardinalis *De Luca* in cit. Discursu, nec non *Nicolai Mariæ de Nicolais* opus, cui titulus *De Vaticana Basilica Divi Petri ac de ejusdem Privilegiis.*

De Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ.

125. Hæc S. Congregatio operam suam Summo Pontifici præstat, non quidem in regimine Ecclesiæ universalis, sed in officio episcopali quod ille gerit in Urbe Roma, ejusque Diœcesano districtu. Cum enim Summus Pontifex ob curam, quæ ei incumbit, totam Ecclesiam Christi gubernandi, visitationem Ecclesiarum Urbis per se ipsum complere non posset, *Urbanus VIII.* opportunum duxit peculiarem Congregationem constituere, quæ huic muneri vice Pontificis satisfaceret. Componitur hæc S. Congregatio ex aliquibus Cardinalibus, ex Secretario qui inter Prælatos eligi solet et ex consultoribus. Præfecturam hujus Congregationis sibi solet Summus Pontifex reservare. Cardinalis autem Urbis Vicarius nomine et officio Præsidis ejusdem decoratur.

126. Antiquitus, teste Cardinali *de Luca De Relat. Curiæ Rom.* Disc. 24. n. 5. visitatio localis in Ecclesiis Urbis complebatur ab uno ex Cardinalibus ad Congregationem pertinentibus qui coadjutorem habebat unum ex Prælatis juxta distributionem ab ipsa Congregatione designatam; in Ecclesiis autem Districtus

ab aliquibus Prælatis deputatis visitatio fiebat. Ultima visitatio localis in Urbe peracta fuit jussu *Leonis XII.*

127. Hodie autem S. Congregatio, licet per delegatas personas Ecclesias et loca pia non visitet; tamen diligenti cura advigilat. ut onera pia fideliter impleantur. Exquirit enim a rectoribus Ecclesiarum et locorum piorum quotannis libros onerum Missarum, et Capellaniarum, et postquam eos examini subjecerit, relativum decretum conficit. Insuper S. Congregatio advigilat ut Capellaniarum et Legatorum piorum dos conservetur et rite administretur, nec non consulit piis fundationibus, quas fideles noviter instituere velint. Ipsa etiam in Urbe taxam diœcesanam eleemosynæ Missarum determinat, et antiqua onera ob redituum imminutionem reducit, præteritasque omissiones, justa accedénte causa, sanat, supplendo de thesauro Ecclesiæ.

128. Præterea eadem S. Congregatio resolvit quæstiones circa Capellanias et Legata pia Urbis, quæ in contentione partium agitantur. Quæstiones autem hujusmodi in prima instantia tractantur et decernuntur in Congregatione Consultorum una cum Cardinali Præside, et in gradu appellationis videntur et resolvuntur a Congregatione generali Cardinalium.

De S. Congregatione a negotiis ecclesiasticis extraordinariis nuncupata.

129. Cardinalis *De Luca Rel. Rom. Curiæ* Disc. 5. nn. 23. et 24. hæc habet: 'In Consistorio Papa cum Cardinalibus agit de gravioribus Sedis Apostolicæ et Ecclesiæ universalis vel Principum spiritualibus ac temporalibus negotiis juxta eorum qualitatem et circumstantias; cumque non semper expediat de illis publice coram omnibus Cardinalibus loqui, hinc isto casu Papa pro eorundem negotiorum consultatione et directione *aliquorum Cardinalium particularem Congregationem* deputare solet, quæ *status* dicitur; istaque proinde non est Congregatio fixa et continua, sicut sunt aliæ . . . sed in singulis occurrentiis particulariter deputari solet. variando in qualibet Cardinales, aliosque ministros pro negotiorum qualitate, vel temporum opportunitate'.

130. At nostra fere ætate, cum quotidie difficultates in relationibus inter S. Sedem et civilia gubernia excrescerent, præsertim vero ob infelicem rerum ecclesiasticarum conditionem in Gallia sub finem elapsi et initium labentis sæculi, eumque mos tractandi

ordinario modo graviora negotia in Consistorio non amplius expedire videretur; necesse fuit fixam et ordinariam Cardinalium Congregationem instituere, quæ locum prioris extraordinariæ Congregationis, de qua loquitur Cardinalis *De Luca*, occuparet. Hujus novæ Congregationis exordium repeti potest a Congregatione particulari, quam *Pius VI.* circa annum 1793 instituit *super negotiis ecclesiasticis Regni Galliarum;* ex dispositione autem et mandato *Pii VII.* paulo post assumptionem ad Pontificatum instituta est Congregatio quæ etiam aliorum Regnorum et regionum curam gereret, et generaliori nuncupatione dicta est Congregatio *a negotiis ecclesiasticis extraordinariis.*

131. Hæc Congregatio perduravit usque ad annum 1809, quo tempore sanctissimus ille Pontifex ab urbe Roma per vim fuit avulsus. Anno autem 1814 vertente, post felicem in Urbem reditum, *Pius VII.* eandem Congregationem restituit, et ea ad præsens perseverat. Componitur hæc Congregatio ex aliquibus S. R. E. Cardinalibus a Summo Pontifice electis, Secretario et pluribus Consultoribus, qui doctrina ecclesiastica vel saltem peritia in negotiis expediendis maxime commendantur. Officia hujus Congregationis, ob intimam relationem cum Secretaria Status, apud eandem, distincta tamen sectione, sedem obtinent.

Hæc Congregatio dies fixos non habet, sed frequenter quidem adunatur, quoties pro gravioribus emergentibus negotiis vel quæstionibus expendendis necessarium videatur. Et quidem Summus Pontifex ex Cardinalibus ad S. Congregationem pertinentibus, juxta negotii tractandi qualitatem, modo alios et modo alios, aliquando autem etiam omnes convocare solet. Unde aliqua ratione servatur mos antiquæ Congregationis *Status*, de qua Cardinalis *de Luca* meminit.

132. Magnæ autem utilitatis pro Ecclesiæ spirituali regimine est Congregatio hujusmodi; ea enim viam et modum negotia graviora juxta veritatis simul et prudentiæ principia expediendi Sanctæ Sedi proponit et explicat, necnon solemnes conventiones, vulgo concordata, cum summis principibus et guberniis, antequam ineantur, examinat.

Præterea eadem S. Congregatio negotia omnia ecclesiastica pro regionibus Imperio *Russico* subjectis, necnon pro regionibus *Americæ Meridionalis* exclusive pertractat eodem modo, quo S. Con-

gregatio de Propaganda Fide pro locis missionum. Unde quoad dictas regiones etiam concedit in rebus ecclesiasticis facultates et indulta.

De Sacra Congregatione studiis regundis præposita.

133. Cum Ecclesia jus habeat vigilantiam exercendi in literaria et scientifica fidelium institutione, ne præsertim juvenes erroribus contra doctrinam fidei et morum imbuantur incaute, cumque in rebus sacris præcipue Ecclesia curare debeat, ne veritas et puritas fidei deturpetur; hinc Ecclesia jus sibi merito vindicavit studiorum provinciam dirigendi et moderandi. Et quidem Ecclesia totis viribus operam dedit, ut humaniores literæ et scientiæ utiliter docerentur. Quare dum studia in Europa ferme tacerent, in Ecclesiis Cathedralibus scholasticum idest magistrum constituit c. 4. *De Magistris* (V. 5) et scholas tum in Capitulis tum in Monasteriis fundavit et fovit. Ex scholis autem hujusmodi Bononiæ primum, et deinde Parisiis Universitates studiorum sub protectione Romani Pontificis ortæ sunt et floruerunt. Aliæ paulo posterius Universitates ad instar istarum institutæ sunt in aliquibus civitatibus Italiæ, Galliarum, Angliæ et Germaniæ, et omnes decretum institutionis a Romano Pontifice impetrarunt. Unde gradus academicus Magisterii seu Doctoratus a Romani Pontificis concessione et auctoritate originem habuit. Cfr. *Walter (Manuale del Diritto Ecclesiastico. §§. 338. 339. 340.)*

134. Ut vero studiorum ratio tutius procederet, et competens simulque ordinarium tribunal studiis rite moderandis haberetur, Romæ peculiaris Congregatio huic scopo inserviens a *Sixto V.* in sæpe cit. Const. *Immensa* instituta est. Ea constat ex aliquibus S. R. E. Cardinalibus, quorum unus præfecturam Congregationis exercet, simulque habet Secretarium inter Prælatos electum.

Magna erat hujus Sacræ Congregationis potestas præsertim in Ditione temporali S. Sedis juxta Const. *Leonis XII. Quod divina Sapientia;* ab eaque omnes studiorum Universitates dependebant.

135. Mutatis temporum conditionibus, præcipuum munus hodie huic Congregationi competens est, ut expendat et approbet erectiones in variis regionibus novarum Universitatum Catholicarum, eisque leges et normas tradat tum in ordine ad cathedras consti-

tuendas, tum pro gradibus academicis conferendis; nec non resolvendi quæstiones, quæ circa jura et privilegia singularum Universitatum catholicarum jam erectarum exsurgunt.

De Sacra Congregatione Cæremoniali.

136. Hæc S. Congregatio instituta fuit a *Sixto V.* in Const. *Immensa*, et habita est ceu participatio et derivatio S. Congregationis Rituum. Componitur ex aliquibus Cardinalibus, et Cardinalis Sacri Collegii Decanus præfecturam ejus gerit. Ad Secretarii munus obeundum unus ex Magistris Cæremoniarum Palatii Apostolici assumitur, cæteri vero Magistri Cæremoniarum Consultorum officium obtinent.

137. Hæc S. Congregatio vigilantiam et curam exercet circa ritus et cæremonias tum sacras tum civiles, quæ in Curia Romani Pontificis observantur, et circa jura personarum ad easdem cæremonias relativa. Quare hæc S. Congregatio advigilat ut leges sacræ liturgiæ in publicis functionibus papalibus custodiantur et rite impleantur. Resolvit quæstiones respicientes præeminentiam inter Cardinales, inter Prælatos, nec non inter alias personas, quæ jus habent sacris functionibus papalibus assistendi. Præterea hæc Congregatio regulas in solemni præsentatione, seu accessu summorum Principum eorumque Legatorum ad Romanum Pontificem servandas constituit. Quare dum hæc præsentatio locum habet, Secretarius Congregationis cæremonialis præsens adest in Palatio Apostolico, et advigilat, ut omnia rite procedant.

138. Insuper idem Secretarius novis Cardinalibus communicat opportunas instructiones in ordine ad actus solemnes proprios Dignitatis Cardinalatus, et relate ad formulas adhibendas in epistolis, quas aliis Cardinalibus et Summis Principibus scribere solent. Idem pariter Secretarius allegatis et nobilibus viris electis inter milites personali custodiæ et tuitioni Summi Pontificis destinatos communicat instructiones circa ritus et cæremonias servandas tum ab ipsis tum a Cardinalibus extra Curiam noviter creatis in occasione, qua eisdem Cardinalibus insignia Cardinalatus tradunt. Qui ampliores notitias de ista Congregatione desiderat, conferre poterit auctorem *Lunadoro* in opere *Relazione della Corte di Roma*, tom. II.

De S. Congregatione super Examine Episcoporum.

139. Inter qualitates a sacris canonibus et a Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. *de Ref.* pro Episcopis eligendis requisitas, scientia competens adnumeratur. Hinc juxta tridentinos patres nec sufficere videtur simplex gradus academicus magisterii in Sacra Theologia vel in jure canonico, sed requiritur ut promovendus ad Episcopatum gradum hujusmodi *merito* sit assecutus. Huic canonicæ dispositioni inhærens *Clemens VIII.* pro Italia et insulis adjacentibus peculiarem Congregationem instituit, cujus officium est, electum in Episcopum examini subjicere, et ejus in doctrina tum theologica, tum canonica peritiam experiri. Hæc Congregatio componitur ex aliquibus Cardinalibus, et aliquibus examinatoribus in re theologica, et aliis Cardinalibus et examinatoribus in materia sacrorum canonum. Habet insuper Secretarium inter Prælatos electum.

140. Hæc S. Congregatio adhuc in pleno suo juridico valore exsistit, nec ulla Constitutio vel decretum contrarium editum est; attamen nostris temporibus ob peculiares difficultates et incommoda, quibus Ecclesia premitur, prudens consilium in facto tantum susceptum est, ut novi Episcopi examini doctrinarum non subjiciantur.

Verum ut Ecclesiis Italiæ idonei pastores præficiantur, a Summo Pontifice *Leone XIII.* restituta est.

S. Congregatio de eligendis Episcopis.

141. Hanc S. Congregationem primus instituit *Innocentius XI.* et de ea agit Cardinalis *De Luca* in suo opere '*Il Cardinale pratico*' cap. 34. Congregatio hujusmodi tractu temporis ab opere cessavit; eam tamen in pristinum restituit *Benedictus XIV.* edita Const. *Ad Apostolicæ* die 16. Octobris an. 1740 eamque componi voluit ex quinque Cardinalibus et Prælato Auditore Summi Pontificis pro tempore, qui Secretarii munere fungeretur. Ut autem Congregatio tutius procederet, et veritatem circa qualitates eligendorum facilius detegeret, membris ejusdem obligationem imposuit servandi secretum ad instar S. Congregationis Supremæ et Universalis Inquisitionis. Hæc vero Congregatio difficultates non paucas passa est, insurgentibus contra ipsam, ut fertur, Cardinalibus regnorum protectoribus, qui Episcopos respectivæ nationis in Consistorio

proponere solebant. Quare ab ipsa *Benedicti XIV.* ætate tacere coacta est, et Nunciis Apostolicis Prælatoque Auditori Summi Pontificis munus incubuit processum conficiendi circa qualitates nominati vel electi dignitatem episcopalem nec non circa conditionem Ecclesiæ vacantis, juxta tenorem Decreti *'Si processus' Urbani VIII.* editi anno 1627.

142. At mutatis temporum circumstantiis, et cognita opportunitate, pristinam Congregationem juxta formam Benedictinæ Constitutionis *Ad Apostolicæ* pro Italia restituit d. 21. Sept. 1878 SS. D. N. *Leo XIII.* qui Cardinales quinque nominavit, suum Auditorem Secretarium constituit, duosque alios officiales coadjutores adjunxit cum lege servandi secretum, nec non normas practicas probavit, quibus inquisitio circa personas earumque qualitates quam tutissime perficeretur. Porro hujus Congregationis salutares effectus in electionibus Episcoporum, quæ passim fiunt in Italia, jam læti conspicimus. Hæc vero S. Congregatio munus habet inquirendi et expendendi qualitates promovendorum, ac proinde ipsam electionem personarum præcedit. Electione autem personæ facta per Summum Pontificem, solitum processum conficit Prælatus Auditor ejus juxta normas in Decreto cit. *Urbani VIII.* designatas.

De Congregatione super residentia Episcoporum.

143. Quoniam Concilium Tridentinum sess. 6. c. 1. et sess. 23. c. 1. *de Ref.* legis residentiæ observantiam Episcopis tantopere inculcaverat; *Urbano VIII.* opportunum visum fuit specialem Congregationem erigere, quæ huic negotio curando præficeretur. Hanc Congregationem Summus ille Pontifex instituit per suam Constit. *S. Synodus* editam die 12. Decembris 1634. *Benedictus XIV.* vero in sua Const. *Ad Universæ* diei 3. Septembris 1746 statuit, ut officium Congregationis Præfecti gereret Cardinalis Urbis Vicarius, et Secretarii munus obiret ipse S. Congregationis Concilii pro tempore Secretarius.

Scopus hujus S. Congregationis fuit vigilantiam exercere circa observantiam legis residentiæ Episcoporum, contra delinquentes procedere, nec non videre et expendere petitiones Episcoporum et rationes ab eis propositas ad obtinendum indultum absentiæ a Diœcesi ultra tres menses, qui ex concessione tridentina sess. 23. c. 1. *de Ref.* conciliares vocantur.

144. Usque ad nostra fere tempora S. hæc Congregatio constabat ex sex Cardinalibus; hodie quidem remanet adhuc titulus Congregationis, verum in facto solus adest Cardinalis Urbis Vicarius, titulo Præfecti decoratus, et Secretarius Congregationis Concilii, qui munere Secretarii fungitur. Hi autem duo negotia ad Sacram Congregationem super residentia Episcoporum pertinentia pertractant. Quare ipsi petitiones Episcoporum pro indulto absentiæ recipiunt, alteruter ex eis rem Summo Pontifici defert, et rescripta relativa ad absentiam a Cardinali Urbis Vicario expediuntur.

145. Tandem in præsenti materia mentio facienda est nuperrimæ cujusdam ordinationis SS. D. N. *Leonis XIII.* Hic sapientissimus Pontifex statim ac Petri Cathedram ascendit, oculos suos ad Romanæ Curiæ Prælatos convertit, rationemque investigare studuit, qua præsules urbani Sanctæ Sedi in Ecclesiæ universalis regimine operam suam impendere possent, simulque proprium ingenium in re canonica excolere, et peritiam sive in ecclesiasticis negotiis pertractandis, sive in quæstionibus dirimendis sibi comparare valerent.

Quare, jubente Pontifice, Secretariæ Status mandatum prodiit, quo Sacris Congregationibus Episcoporum et Regularium, Concilii et Propagandæ Fidei singillatim adjuncti fuerunt plures Prælati, quibus commissum fuit munus causas examinandi et discutiendi coram Cardinali Præfecto et Secretario respectivæ Congregationis et suffragium consultivum emittendi antequam causæ in generali Cardinalium conventu discutiendæ et definiendæ proponantur.

146. Specialis autem ratio habita est tribunali S. R. Rotæ. Siquidem Collegium Auditorum sub respectu veri tribunalis conservatum est, ita ut operam suam penes S. Rituum Congregationem exhibeat, quæstionesque collegialiter cum voto deliberativo decidat circa valorem juridicum processuum, qui in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei conficiuntur. Præterea eidem tribunali S. Rotæ concessum est, ut juris ordine servato quæstiones in via contentiosa resolvat, quæ super præeminentia vel aliis juribus inter ecclesiasticas personas exortæ, et eidem S. Rituum Congregationi competentes, ipsi tribunali expendendæ et definiendæ a Cardinali Congregationis Præfecto remittuntur.

De juribus Patriarcharum.

147. *Potestas* patriarchalis ex humana institutione derivat hinc tanti valet, quantum Patriarchis concessum est ab Ecclesia c. 9. h. t. Hisce positis nonnulla principia exhibemus.

1⁰. Primum ac veluti fundamentale jus Patriarcharum est ut in provinciis patriarchatus habeant jurisdictionem ordinariam supra Episcopos omnes, etiam Metropolitanos c. 23. *De Privileg.* (V. 33.). Quod jus antiquitus secumferebat etiam potestatem deponendi suffraganeos suos, quemadmodum deducitur ex c. 6. D. 65. et c. 6. D. 22. Verum animadvertunt auctores hoc privilegium evanuisse etiam ante Concilium Tridentinum; sed certe disparuit post ejusdem Conc. Tridentini dispositionem in c. 8. sess. 13. *de Ref.* et c. 5. sess. 24. *de Ref.* ubi depositiones 'Episcoporum reservantur Rom. Pontifici.

2⁰. Confirmabant Archiepiscopos electos, qui Romanæ Sedi non immediate subjiciebantur. Hoc autem jure uti non poterant, nisi postquam accepissent a Romano Pontifice pallium et præstitissent fidelitatis et obedientiæ jusjurandum. Pallium concedebant Metropolitis ab iisdem recipientes pro se professionem canonicam, et pro Romano Pontifice obedientiæ sponsionem cit. c. 23. *De Privil.* (V. 33).

3⁰. Patriarcha in jure constituitur judex in tertio gradu appellationis, pro causis quæ tractantur in prima instantia penes Curiam episcopalem, et in secundo gradu appellationis pro causis quæ in prima instantia in Curia metropolitana tractantur, ex cit. c. 23. *de Privil.*, ex c. 1. D. 99. et clarius ex c. 9. h. t. Immo juxta aliquos auctores, poterat a sententia Episcopi, omisso medio gradu, appellari ad Tribunal Patriarchæ.

4⁰. Patriarchæ supplebant negligentiam Metropolitanorum in visitatione Diœceseos c. 16. *de Præscript.* (II. 26) et in collatione beneficiorum c. 3. *De suppl. neglig. Prælat.* (I. 10). Immo dispensabant cum Episcopo vel alio collatore sibi subjecto, qui ob malam collationem beneficiorum fuerat suspensus in Conc. provinciali c. 29. *de Præb. et Dign.* (III. 5).

5⁰. Recipiebant querelas contra Archiepiscopos non exemptos.

6⁰. Peculiare fuit ab antiquitate, ceu *Christianus Lupus* in Scholiis et Notis Concilior. ostendit, penes Patriarchas Orientis pri-

vilegium, quod jus Stauropegii appellabatur, et in hoc consistebat ut in Monasterii fundatione Patriarcha si voluisset, potuisset Crucem figere, et consequenter ad illum actum Monasterium de novo erectum subtrahebat a jurisdictione Episcopi suffraganei, sibique immediate subjiciebat.

148. Quod spectat ad *honores*. Antiquitus Patriarchæ sedebant et incedebant immediate post Romanum Pontificem ante S. R. E. Cardinales. Verum etiam hoc privilegium honoris mutationem passum est, cum Cardinales considerati fuerint ceu membra unius corporis moralis cujus caput est Rom. Pontifex. Primum ergo locum occupant Patriarchæ post Cardinales. Insignia autem Patriarchatus sunt Pallium et Crux quæ ipsis incedentibus præfertur cit. c. 23. *de Privil.* (V. 33). — Porro jura, quæ exposuimus, respiciunt Patriarchas majores.

149. Jamvero post schisma in Oriente Patriarchæ majores amplius non considerantur in jure canonico, et solum tituli servantur, qui aliquibus Episcopis Ecclesiæ Occidentalis conferuntur. Restitutus solummodo est, ut vidimus, Patriarcha Hierosolymitanus latini ritus per Const. *Pii IX. Nulla celebrior* diei 22. Julii 1847. At uti ex dispositione hujus Constitutionis patet, huic Patriarchæ fuerunt concessa jura solummodo metropolitica.

150. Si sermo sit de aliis Patriarchis pro variis ritibus in Oriente statutis, de quibus supra mentionem fecimus, privilegia et jura determinantur ex Constitutionibus Apostolicis quibus institutæ sunt istæ Sedes Patriarchales, et ex rationalibus consuetudinibus locorum. Quæ jura et honores omnes Patriarchatui Alexandrino pro Coptis a Ss. D. P. N. *Leone XIII.* in bulla «*Christi Domini*», d. VI. Kal. Dec. 1895, erecto adjudicata sunt. Dependent Patriarchæ hujusmodi a S. Congregat. de Propaganda Fide.

151. Præter Patriarchas majores, dantur etiam, uti vidimus, in Occidente minores Patriarchæ. Hi a Doctoribus æquiparantur Primatibus. Porro Primates non sunt nisi potentiores Archiepiscopi qui in principalioribus Urbibus regnorum et nationum sedem habent. Antiquitus jurisdictione pollebant supra Archiepiscopos et Episcopos regni aut nationis, et quoad subditos eorundem videre poterant causas in gradu appellationis c. 9. h. t. Hodie vero, exceptis synodis nationalibus, quas forte possunt convocare et iisdem præesse, nihil aliud iisdem remanet, nisi quidam primatus honoris

inter alios Episcopos et Archiepiscopos regni et nationis, et vigilantia ut observentur leges ecclesiasticæ statutæ pro integro regno vel natione, et jura ecclesiastica regni vel nationis custodiantur illæsa. Patriarchis omnibus sive majoribus sive minoribus, competit titulus «Excellentia Reverendissima» ex decreto S. C. Cæremonialis, d. 3. Junii 1893.

De juribus Archiepiscoporum seu Metropolitanorum.

152. Archiepiscopus vel Metropolitanus in Diœcesi *propria* consideratur tanquam verus Episcopus; hinc relate ad subditos suæ Diœceseos habet eadem jura, easdemque obligationes, quas habent ceteri Episcopi in propriis Diœcesibus.

Relate ad Diœceses *suffraganeorum suorum* jurisdictio Archiepiscopi est quidem ordinaria et propria; nam Sedi archiepiscopali adnexa est. Hæc vero jurisdictio non est juris divini, sed humani, idest ex Ecclesiæ concessione procedit. Quare quoad hanc jurisdictionem valet principium, ut tantum possit Archiepiscopus, quantum fuerit a jure concessum c. 15. *de temporib. ordin.* (I. 11) et c. ult. *de Filiis Presbyt.* (I. 17). Idem etiam insinuatur in c. 1. *de supplen. neglig. Prælat.* (I. 8) in 6°., in c. 4. *de jurejuran.* (II. 24) et in c. 8. *de Rebus Eccl. alien. vel non* (III. 13). E contra vero quoad Episcopos aliud valet principium; ut nempe in propria Diœcesi omnia possint exceptis iis, quæ vel a lege generali vel ex Superioris voluntate fuerint reservata. Ratio est, quia auctoritas episcopalis censetur propria et originaria, a divina ipsa institutione et non ab humana concessione seu delegatione dimanans; quæque cum ad regendam et gubernandam Diœcesim dirigatur, limites per se non cognoscit, nisi præfigantur ab auctoritate suprema, a qua potestas episcopalis ex vi ejusdem divinæ institutionis dependet et coarctari potest, licet destrui non possit.

153. *De potestate Archiepiscopi in sua provincia: I. relate ad personas ipsas Episcoporum suffraganeorum.*

Non loquimur de jure Metropolitani confirmandi electos suffraganeos suæ provinciæ, quod habebat jure Decretalium ceu patet, aliis omissis, ex cc. 20. et 32. *de Elect.* (I. 6). Nam collationes Ecclesiarum Cathedralium reservantur Romano Pontifici, et moribus hodiernis propositio Sedis Cathedralis in Consistorio locum tenet Confirmationis. Nec loquimur de jure Metropolitani consecrandi

suffraganeos suos. De hoc enim locuti sumus superius, quodque amiserunt Metropolitani, forsitan reclamantibus ipsis Episcopis, a quibus Metropolitæ extorquebant juramentum ultra limites canonicos.

1°. Archiepiscopus seu Metropolitanus habet jurisdictionem ordinariam circa suffraganeos suos, unde tanquam immediate Superior potest eisdem præcipere quæ pertinent ad eorum officium etiam per censuras, et supplere defectus et corrigere abusus. At in usu censurarum contra suffraganeos debet Archiepiscopus maximam moderationem et circumspectionem adhibere, nec procedere potest, nisi ex licentia s. Congr. Conc. Ita probat Card. *Petra* in *Const. 7. Leonis IX.* n. 88.

Archiepiscopus inspecto jure *antiquo* est judex Ordinarius, qui videt causas suffraganeorum sive civiles sive criminales; c. 6. C. 10. q. 3. c. 11. h. t. et c. 54. *de Appell.* (II. 28); at hodierno jure causæ et criminales et civiles eidem subtractæ esse videntur. Nam quoad causas *criminales* servanda est dispositio Tridentini in c. 5. sess. 24. *de Ref.* qua statuitur causas criminales majores Episcoporum reservari Rom. Pontif., minores vero in Synodo provinciali tractandas esse vel a deputatis Synodi ejusdem. Qua in re etiam attendenda est dispositio ejusdem Conc. Tridentini in sess. 13. *de Ref.* cc. 6. et 7. Scilicet Concilium Tridentinum in cit. c. 6. decernit, Episcopum in criminalibus judicialiter neque citari neque moneri posse ut personaliter compareat, nisi ob causam ex qua deponendus vel privandus veniret. Hoc autem constitutum est, ne Episcopus cum præjudicio dignitatis suæ vagari cogatur. In cap. 7. autem Concilium decernit in causa criminali Episcopi testes non esse admittendos nisi sint contestes et bonæ conversationis et famæ, testes vero deponentes ex odio, temeritate aut cupiditate gravibus pœnis esse plectendos. Ex virtute dispositionis Tridentinæ eximi non viderentur causæ *civiles* Episcoporum suffraganeorum a tribunali Metropolitani; verum *Barbosa: De Jur. Eccl. Univ.* lib. 1. c. 7. n. 46. refert: s. Congr. EE. et RR. diei 31. Maji 1588, respondisse Archiepiscopum non posse esse judicem in causis *civilibus* quæ agitantur contra Episcopos suffraganeos.

2°. Exercet Archiepiscopus jurisdictionem in suffraganeos, eorum sententias in subditos vel corrigendo vel confirmando, cum ad ejus tribunal in casu appellationis deferantur c. 2. *de Consuet.* (I. 4)

in 6°. c. 9. h. t., c. 1. *de Off. Leg.* (I. 30) et c. 5. h. t. in 6°. Hac de re locuti sumus etiam in tit. *de Suppl. neglig. Præl.* (I. 10).

3°. Exercebat eandem jurisdictionem Archiepiscopus concedens Episcopis suffraganeis licentiam commorandi extra Diœcesim ultra trimestre conciliare, cujus tamen concessionis rationes exponere et examinare debebat in Conc. provinciali cum aliis suffraganeis c. 1. sess. 23. *de Ref.* Ex Constitutione autem *Urbani VIII.* edita die 7. Octob. 1634. cognitio causarum legitimæ absentiæ Episcoporum reservatur *Rom. Pontifici.*

4°. Exercet Archiepiscopus auctoritatem in personas suffraganeorum supplendo eorum negligentiam. Et primo quidem in *collatione beneficiorum.* Qua in re præter ea quæ diximus in tit. 10. *de suppl. neglig. Præl.* hæc pauca addimus. Si Episcopus noluerit instituere in beneficio personam a patrono præsentatam, institutio peti poterit ab Archiepiscopo. *Abbas* in c. 10. *de Conces. Præb.* (III. 8). Quæ institutio si de beneficiis curam animarum adnexam habentibus agatur, intra duos menses ab Episcopo danda est, secus Patroni adire possunt Archiepiscopum vel Pontificem *Const.* '*In Conferendis*' *S. Pii V.* edita die 16. Maji 1567. Insuper negligente Episcopo in constituendis œconomis Ecclesiarum, Archiepiscopus designabit eosdem c. 3. C. 9. q. 3. — Pariter supplet negligentiam Episcopi *visitando* ejusdem Ecclesiam Cathedralem et Diœcesim totam. Et quidem cum Archiepiscopus visitat Diœcesim suffraganei sui, jura omnia consequitur Episcopi cc. 16. *de Præscript.*, (II. 26), 14. *de Censib.* (III. 39) et ult. *eod.* (III. 20) in 6°. Non poterit vero in visitatione exercere jurisdictionem contentiosam in subditos suffraganei, excepto duplici casu, idest 1°. in coercendis criminibus notoriis c. «Romana» 1. §. «Sane» *de Censib.* (III. 20) in 6°. — 2°. Contra impedientes exercitium suæ jurisdictionis c. 1. *de pœnis* (V. 9) in 6°. Antiquitus Archiepiscopus post completam visitationem propriæ Diœceseos, poterat visitare Ecclesiam et Diœcesim suffraganei c. 1. *de.Censib.* in 6°. Verum in sess. 24. c. 3. *de Ref.* in Tridentino definitum est, ut Archiepiscopus non possit visitationem aggredi in Diœcesi suffraganei nisi post plene visitatam suam Diœcesim, et nisi probata fuerit causa visitationis perficiendæ in Conc. Provinciali. — Tertio tandem ut alia minora omittamus, supplet Archiepiscopus Episcopi negligentiam in *erectione* non peracta *seminarii* juxta legem Tridentini in sess. 23. c. 18. post medietatem *de Ref.*

5°. Metropolitanus potestatem exercet in suffraganeos, eos convocando quolibet triennio ad *Concilium Provinciale* sess. 24. c. 2. *de Ref.* cui concilio ipse Metropol. præest c. 1. D. 18. Antiquitus erant frequentiora hæc concilia ita ut can. 5. Conc. *Nicæni* an. 325. statuerit bis in anno celebrandum esse Conc. Provinciale. En verba canonis hujusmodi 'Ut hoc ergo convenientem examinationem accipiat, recte habere visum est, ut singulis annis in unaquaque provincia bis in anno Synodi fiant.' Huic canoni consonat can. 19. Concilii *Chalcedonensis* an. 451. Jure Decretalium expresso in c. 25. *de Accus.* (V. 1) Concilia a Metropolitanis cum propriis suffraganeis singulis annis celebrari debebant. Post Conc. vero Tridentinum Synodus Diœcesana quolibet anno cogenda est; Provincialis *quolibet triennio.* Ita Tridentinum loco cit.

Quidam arbitrati sunt Tridentinum decretum de Conciliis Provincialibus celebrandis abrogatum fuisse per consuetudinem contrariam. At contra tenendum est; nam quamvis rariora evaserint concilia hæc, tamen quandoque locum habuerunt et habent. In *Italia* autem celebrari non debent absque licentia S. Sedis. Cæterum quoniam celebratio conciliorum Provincialium habita est a Patribus Tridentinis tanquam remedium peropportunum ad conservandam disciplinam ecclesiasticam et ad præcavendos errores in provinciis, consuetudo quæ dirigeretur ad abrogandam legem canonicam de iisdem Conciliis celebrandis, non vera consuetudo, sed potius corruptela juris esset appellanda. Dici vero fortasse potest praxim inductam contra legem Tridentinam id solummodo operari ut nempe Episcopi et Metropolitæ excusentur a culpa, si Concilium Provinciale non celebrarent diligenter juxta epochas definitas a Tridentina Synodo; præsertim cum ex praxi inducta referendi plura negotia Rom. Congregationibus, præsto sit medium terminandi non paucas quæstiones quæ in Synodis prius tractabantur. At si consideremus hodiernam disciplinam, videmus præsertim in locis in quibus civile gubernium in rebus religiosis sese immiscere non solet et Episcopis libertatem actionis relinquit, Concilia provincialia iterum frequenter celebrari. Unde nostris temporibus in Anglia et in provinciis Statuum Fœderatorum Americæ plura concilia provincialia celebrata fuisse deprehendimus. Porro hanc praxim celebrandi iterum hæc Concilia ipsa S. Sedes promovet et excitat.

154. Porro *jus convocandi* Concilium provinciale ad *Metropolitanum* spectat c. 25. *de Accusat.* (V. 1), c. 28. §. «Præterea» *de*

Elect. (I. 6), cc. 13.—15. Convocare autem potest Metropolitanus Concilium sine auctoritate Primatis vel Patriarchæ; cn. 2. D. 18. cfr. *Fagnanum comm.* ad c. 25. *de Accus.* (V. 1) n. 5. Metropolitano autem impedito, concilium convocat Episcopus suffraganeus antiquior Provinciæ. Conc. Trid. sess. 24. c. 2. *de Ref.* Quæ dispositio ab auctoribus extenditur etiam ad tempus Sedis metropolitanæ vacantis, ceu etiam declaratum est a s. Congreg. Conc. in causa *Tarraconen.* diei 10. Februar. 1624. lib. 12. Decret. pag. 160. Cfr. *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* Lib. 2. c. 9. n. 8. Celebrari autem debet provinciale Concilium in loco intra Provinciam, quem eligit Archiepiscopus; at cessantibus validis obstaculis, celebratio facienda est in ipsa Ecclesia metropolitana. Ita s. Congreg. Conc. penes *Fagnanum* cit. loco n. 27.

155. Quinam vero vocandi et interesse debeant in Concilio Provinciali, declarat Tridentinum in cit. c. 2. sess. 24. de *Ref.* per hæc verba: 'quo Episcopi omnes (Provinciæ) et alii qui de jure vel ex consuetudine interesse debent, omnino convenire teneantur'. Quæ verba licet solummodo exprimant onus conveniendi ex parte Episcoporum et aliorum, tamen secumferunt etiam onus relativum ex parte Metropolitani eosdem vocandi.

1°. Ergo vocandi sunt *Episcopi.* Quod si adsint Episcopi qui nulli Archiepiscopo suffragantur, ex mente Tridentini in eodem c. 2. expressa, debent Archiepiscopum vicinum eligere, in cujus Synodo provinciali cum aliis interesse debeant. — 2°. Vocandi sunt *Vicarii Capitulares* Ecclesiarum Cathedralium vacantium; et quidem hi cum Episcopis habent votum decisivum, quia Diœceses repræsentant. Ita probat *Ferraris Biblioth. Can. v.* «Capitulum» art. 2. n. 15. — De jure autem vocandi sunt 3°. etiam *Abbates Nullius,* qui nempe quasi-episcopali gaudent jurisdictione. Hi enim subjiciuntur dispositioni Conc. Tridentini in c. 2. sess. 24. *de Ref.* idest tenentur sibi eligere Metropolitanum aliquem vicinum, in cujus Conc. Provinciale conveniant. Quemadmodum resolutum est a s. Congr. Conc. ipso summo Pontifice approbante, ceu refert *Fagnan. comm.* in cap. 10. *De his quæ fiunt a Prælatis* (III. 10) n. 34. Pariter invitari debent 4°. etiam *Capitula* Ecclesiarum Cathedralium c. 10. *De his quæ fiunt a Prælat.* Capitula vero hæc, vel eorum procuratores, Abbates sine jurisdictione, et aliæ Dignitates quæ pariter jurisdictione carent, habent in Concilio solummodo votum *consultivum,* non vero deliberativum. Cfr. *Bened. XIV. De*

Syn. Diœc. lib. 3. c. 4. n. 1. Cæteri autem vocandi sunt qui *ex consuetudine* Provinciæ soliti sunt convenire in Concilium.

156. Concilio præest Metropolitanus c. 1. D. 18. et Episcopi sedent juxta ordinem temporis propriæ consecrationis, non vero juxta Ecclesiarum dignitatem et præeminentiam. Quemadmodum resolvit s. Cong. Conc. apud *Fagnan. com.* in c. 25. *de Accusat.* (V. 1) n. 30. Metropolitanus vero non habet plenum jus præsidentiæ in cœtu; nam procedere debet de consilio et assensu Coëpiscoporum, quia suffraganei censentur esse veri conjudices et habent votum decisivum. Hinc si Metropolitanus est unius sententiæ, suffraganei vero contrariæ, prævalet suffraganeorum sententia. Immo quoniam Concilium provinciale refert indolem universitatis seu communitatis, cui præest Metropolitanus; hinc arg. c. 1. *De his quæ fiunt a majori parte Capit.* (III. 11) ea censenda est sententia Concilii, adeoque prævalet, quæ fuerit firmata a consensu majoris partis illorum, qui suffragium habent decisivum cfr. *Fagnan.* cit. *com.* ad c. 25. *de Accusat.* n. 24. et 104. et *Bened. XIV. De syn. Diœc.* lib. 13. c. 2. n. 4.

Concilium etiam *dissolvi* debet a Metropolitano de consilio tamen et assensu aliorum Episcoporum. Ita resolvisse S. Cong. Conc. refert *Fagnanus* in eodem *Comm.* n. 98.

157. Episcopos in Concilio sive plenario sive provinciali *legitime* coadunatos vera potestate legislativa potiri, S. C. Inqu. ad Archiepiscopum *S. Ludovici* in America d. 10. Sept. 1896 ad I^{um} respondendum decrevit. Sed quæritur: *quænam* sunt tractanda in ejusmodi Conciliis? Regula fundamentalis deducitur ex conceptu et scopo hujus Concilii, et est ut leges statuantur et negotia pertractentur, quæ Provinciam respiciunt, nec aliarum Provinciarum jura usurpentur ullo modo. Quare 1°. Conc. Provinciale nihil addere vel demere potest in regula fidei, immo nec facile sese immiscere debet in juris controversiis definiendis, nec in quæstionibus dirimendis quæ salva fide in scholis vel inter Doctores agitantur; et ratio est quia hæc omnia non constituunt negotium peculiare Provinciæ. Poterit vero Conc. Provinciale *explicare* quæ scitu sunt necessaria præsertim circa Sacramentorum administrationem vel susceptionem; nec non Clericos propria munera et fideles propria officia edocebit. — 2°. Abstinere debet a publicandis novis decretis, quæ juri communi vel Apostolicis Constitutionibus *adversentur*. Meminisse enim

oportet concilia particularia habere potius potestatem applicandi et introducendi, quod alias statutum est, quam aliquid de novo constituendi. Cæterum pro necessitate vel utilitate spirituali Provinciæ, synodus provincialis aliquid *præter* jus commune constituere potest. Potest etiam peculiaribus et novis communire sanctionibus leges generales Ecclesiæ, ut melius observentur. — 3°. Non potest Conc. Provinciale quoad *Regulares* præterire limites adsignatos a Conc. Tridentino sess. 25. *De Regular.* et Const. *Gregorii XV.* quæ incipit '*Inscrutabili Dei providentia*', et ab aliis Constitutionibus si quæ sunt Rom. Pontificum, ita ut si quid statuatur a Concilio ultra ea quæ in his locis juris conceduntur, non obliget Regulares exemptos. — Porro hæc tria capita constituunt potius regulam *negativam*, idest potius indicant quid non possit a Conc. Provinciali pertractari. Regula *positiva*, licet non completa, traditur, si animadvertatur ad singula capita negotiorum, quæ a Tridentino committuntur perficienda Concilio Provinciali cit. c. 2. sess. 24. *de Ref.* ubi præcipit renovari celebrationem horum Conciliorum 'pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis'. Porro hæc quæ summario modo tradit Tridentinum explicantur per capita a *Fagnano in Comm.* ad cit. c. 25. *De Accusationibus* (V. 1) n. 35. et sequentibus.

158. *De approbatione Conciliorum Provincialium.* — Cum antiquitus in synodis Provincialibus non raro proscriberentur hæreses recenter ortæ, mos invaluit, ut acta Synodi ad Rom. Pontificem transmitterentur cum epistola synodali ut sententia Episcoporum dogmaticum robur adipisceretur. Hanc consuetudinem etiam in hodiernis Conciliis Provincialibus quæ juxta ordinariam œconomiam causas fidei non pertractant, servandam esse voluit *Sixtus V.* in sua Const. '*Immensa*' quæ est 117. tom. 4. Bull. Quare hodie *lex* est, ut acta Concilii Provincialis non debeant publicari antequam a S. Sede expendantur et recognoscantur.

159. Porro acta Conciliorum Provincialium 1°. possunt probari in *forma communi*, idest cum S. Congr. Concilii eadem expendit, corrigit si quæ minus recta vel opportuna incidant atque ita recognita restituit Metropolitæ ut vulgare eadem possit. Hæc recognitio novam non elargitur iisdem actis auctoritatem. Igitur decreta in forma simplici et communi approbata retinent valorem sanctionum Concilii Provincialis. *Bened. XIV. De Syn. Diœc.*

Lib. 13. c. 3. n. 4. Hinc in alio Concilio Provinciali immutari possunt; non possunt vero a Metropolitano corrigi vel abrogari *extra* Synodum Provincialem; doctores vero tenent Episcopos singulos in propria Diœcesi posse in iisdem dispensare quoad casus particulares, accedente legitima causa. *Leurenius For. Eccles.* Lib. 1. tit. 369. 843. n. 2.

2°. Romanus Pontifex potest auctoritate sua acta Concilii Prov. communire expostulante Metropolitano, ceu plura dantur exempla. Quo in casu acta dicuntur probata in *forma specifica.* Quamvis vero acta hujusmodi edantur auctoritate Pontificis suffulta, ac proinde neque a Metropolitano neque ab alio Conc. Prov. sine Rom. Pontificis licentia corrigi aut immutari possint, tamen non exercent vim suam extra limites Provinciæ. Nam acta hæc confirmantur ceu acta Provinciæ, et confirmatio addit quidem robur dispositionibus et decretis synodalibus, non vero eadem extendit ad universam Ecclesiam, nisi clare id expresserit Pontifex, vel nisi quædam decreta in corpore Juris communis retulerit. Quo in casu hæc decreta nomine Pontificis universæ Ecclesiæ intimantur et tamquam leges pontificiæ universales sunt habenda; quemadmodum innuit Justinianus in Leg. 1. Cod. *De vet. jur. enucl.* 'omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur'. Plura hujus rei exempla reperiuntur in Decretalibus *Gregor. IX.* Notandum hic est responsum novissimum S. C. Inquisitionis ad dubium propositum ab Archiepiscopo *S. Ludovici* in America: II. Utrum decreta Conciliorum sive plenariorum sive provincialium a S. Sede in forma communi sive specifica confirmata vel adprobata, vel saltem recognita *omnimoda vi* careant, nisi in statuta diœcesana jam fuerint incorporata; et quidem tantum valeant, in quantum sic fuerunt incorporata? — Ad II. *Negative. Et ad mentem.* S. Officium, fer. V., d. 10. Sept. 1896.

160. Tandem animadvertimus, antiquitus sub christiano Romano Imperio præter provincialia concilia celebrata fuisse magna quædam Concilia, quæ totam aliquam regionem repræsentabant, quæque dicta sunt 'plenaria' vel etiam 'universalia'. Tale fuit ex. gr. Conc. *Carthaginiense III.* ann. 397. pro Africa. Ex hisce Conciliis originem duxerunt Concilia nationalia præsertim pro statibus Germaniæ, de quibus agit *Thomasinius De vet. et nova Eccl. disciplina* P. II. Lib. 3. cap. 45—56. Verum concilia hæc nunquam considerata sunt ceu elementum necessarium regiminis

ecclesiastici, et præsertim postquam Primatuum potestas deficere incœpit, eorundem celebratio infrequens facta est. Hinc Tridentinum sess. 24. *de Ref.* c. 2. de iisdem mentionem non facit et solummodo egit de Synodo provinciali et de Diœcesana.*)

161. *De potestate Archiepiscopi: II. relate ad subditos suffraganeorum suorum.* Hac in re adnotandum est, in genere subditos suffraganeorum de lege ordinaria non subjici jurisdictioni Archiepiscopi. Hinc ex c. 11. h. t. Archiepiscopus non potest compellere subditum suffraganei ad suscipiendam delegationem pro causa aliqua videnda. Peculiares vero dantur casus in quibus Archiepiscopus directe respicit actione sua subditos suffraganeorum. 1us casus est casus *appellationis* a tribunali Episcopi ad tribunal metropolitanum, de quo supra. Qua in hypothesi Archiepiscopus efficitur judex ordinarius in causa ita ut possit causam delegare alteri ut eam judicet c. 11. h. t. et c. 1. *de Off. Ord.* (I. 16) in 6^0.

2^0. Si subditus suffraganei querelam moveat penes Archiepiscopum de *injusta excommunicationis sententia* contra ipsum ab Episcopo proprio lata, Archiepiscopus re cognita remittit hunc querentem ad Episcopum ut eum absolvat; quod si Episcopus noluerit absolvere, ipse Archiepiscopus eundem absolvere poterit, recepta cautione juratoria de satisfactione peragenda; quam nisi peregerit, excommunicationem contra eum Archiepiscopus renovabit c. 8. h. t. et c. 25. *de Appell.* (II. 28). Quod si sententia Episcopi fuerit evidenter injusta, poterit Archiepiscopus auctoritate sua declarare eandem irrationabiliter fuisse prolatam c. 54. §. Si vero notorium. *De Appell.* (II. 28).

3^0. Archiepiscopus exercet potestatem in subditos suffraganeorum mittendo *quæstores eleemosynarum* per totam Provinciam pro fabrica Ecclesiæ metropolitanæ, qui tamen quæstores vim solam *deprecativam* et non coactivam possunt exercere c. 1. *De Pœnit. et Remiss.* (V. 10) in 6^0. Porro animadvertendum est hoc

---

*) Collectionem Conciliorum Provincialium (necnon Synodorum Diœcesanarum) recentioris temporis (ab a. 1682 ad a. 1869) reperies in celeberrima «*Collectione Lacensi*», cujus auctores sunt Presbyteri Soc. Jesu conventus B. M. V. Immaculatæ ad Lacum (Maria-Laach). — Ejusdem collectionis 6 prima volumina continent acta et decreta conciliorum particularium (1682—1869), ultimum 7. volumen, editum a. 1890. describit acta Conc. œcumenici Vaticani multaque ad idem pertinentia. Friburgi Brisgoviæ apud Herder.

jus metropolitanorum non fuisse destructum a Conc. Tridentino in c. 2. sess. 5. et in c. 9. sess. 21. *de Ref.* Nam ibi aboliti dicuntur solummodo quæstores indulgentiarum.

4us casus exercitii jusisdictionis metropolitanæ in subditos suffraganeorum est in *pastorali visitatione,* quam Archiepiscopus complet in defectu Episcopi.

5⁰. Quoad *Regulares* potest Archiepiscopus ceu delegatus Apostolicæ Sedis pro tota sua Provincia superiores regulares obligare ut advigilent ne in parœciis adnexis propriis monasteriis prædicatio Verbi Dei negligatur c. 2. sess. 5. *de Ref.* §. «Si quæ vero.»

De Episcopis.

162. Post Metropolitanos in præsenti titulo de Episcopis agendum est qui habent populum proprium et propriam jurisdictionem ex titulo pastorali super gregem suum. Episcopatus in genere inspectus, haberi potest ceu continuatio missionis, quam Christus Dominus contulit Apostolis pro Ecclesia sua. Hinc *s. Irenæus* '*Contra hæreses*' IV. 25. scribebat 'Quapropter eis qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, obedire oportet'. *S. Cyprianus* autem ep. 69. scribit de Episcopis 'Qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt'. Et Tridentinum sess. 23. c. 4. de Episcopis ait 'Qui in Apostolorum locum successerunt'. Quare Episcopi ex divina Christi institutione procedunt, et a Spiritu sancto censentur positi, ut Ecclesiam Dei regant *Act.* XX. 28. Episcoporum ergo potestas est de jure *divino.*

163. Porro episcopalis potestas dividitur in eam quæ dicitur *ordinis,* et eam quæ est *jurisdictionis.* Et quidem potestatem ordinis, quoniam ex charactere episcopali derivat, parem habent Episcopi cum Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis et cum ipso Summo Pontifice. Ex potestate ordinis Episcopus in sua Diœcesi administrat omnia sacramenta et sacramentalia, idest omnes illos ritus s. liturgiæ qui instituti sunt ad modum sacramentorum, et licet non conferant ex opere operato gratiam quam significant, tamen et deprecationis ecclesiasticæ formam habent, et ad excitandas in fidelibus pias et religiosas dispositiones plurimum valent. Hinc potest Episcopus Abbates solemniter benedicere, Reges ungere, Virgines consecrare, dedicare ecclesias et altaria, benedicere campanas et sacras vestes, benedicere imagines Christi, Deiparæ

et Sanctorum, et alia hujusmodi peragere potest, de quibus in Pontificali Romano.

164. Hæc vero potestas ordinis alia est quæ dependet a charactere episcopali, alia characterem hunc necessario non requirit. Prior constituitur præsertim in tribus, nempe in confirmando, in ordinando, in consecrando. Quare Episcopus est qui sacramenta Confirmationis et Ordinis confert. Hæc Episcopus exclusive habet ad Presbyteros, eaque perficere nequit ante suam consecrationem; potest vero committere alteri Episcopo ut ejus vice eadem compleat c. 11. *de Elect.* (I. 6). Ad potestatem consecrandi ex ecclesiastica institutione ad ordinem episcopalem pertinet 1°. Chrismatis consecratio c. 4. D. 68., c. 18. D. 3. *De Consecr.* — 2°. Ecclesias et altaria dedicare et eadem reconciliare, si fuerint polluta, c. 1. §. 9. D. 25; cit. c. 4. D. 68. et cap. 9. *de Consecr. Eccl. vel Altaris* (III. 40). — 3°. Campanas benedicere et Chrismate ungere, necnon calices et patenas consecrare.

165. Quoad potestatem Episcopi administrandi sacramenta in tota Diœcesi, animadvertendum est, ipsum posse non solum *valide*, sed etiam *licite* omnia sacramenta administrare; nam fideles præcipue ejus curæ sunt commendati et tota Diœcesis dicitur esse Parochia Episcopi; immo aliquando si necesse sit, curam animarum ceu Parochus exercere tenetur Episcopus in aliqua civitate vel oppido suæ Diœceseos arg. c. 3. D. 95. Verum animadvertendum ex alia parte est, ipsa dispositione juris alios præter Episcopum in Diœcesi constitutos esse inferiores pastores, qui ex officio, idest ex potestate ordinaria, sortiuntur munus et obligationem administrandi quædam sacramenta. Pastores isti præsertim sunt Parochi. Dixi præsertim, quia datur Canonicus Pœnitentiarius qui munus obtinet excipiendarum confessionum. Qua posita dispositione juris, certe non plene ordinata et juri consona videretur agendi ratio Episcopi, si ipse continuo et ordinarie loquendo sese immisceret in exsequendis officiis Parochorum, omnium sacramentorum administrationem sibi reservans. Quare melius est ut abstineat ab administrandis sacramentis quæ ad officium Parochorum spectant nisi adsint rationes et circumstantiæ peculiares; et operam suam consecret gravioribus negotiis Diœceseos persolvendis juxta exemplum Apostolorum, qui ut Verbi Dei prædicationi insisterent, Diaconis commiserunt administrationem mensarum.

De jurisdictione Episcopi in sua Diœcesi.

166. Apostolis ad exercitium propriæ potestatis fines determinati non sunt, sed missi fuerunt a Christo eadem potestate qua ipse a Patre missus fuerat, ut omnes gentes edocerent, baptizarent et ad finem supernaturalem, idest ad vitam æternam perducerent. Verum ipsi Apostoli civitatum constituerunt Episcopos. Sic ex. gr. Paulus *Titum Cretensi* Ecclesiæ præfecit: ad Tit. I. etc. Quare ex antiquissima ordinatione factum est, ut singuli Episcopi regerent particulares Ecclesias, ita ut eorum potestas coarctaretur intra fines determinati territorii c. 34. *Apost.*, cc. 6. et 7. C. 9. q. 2. (ex. Conc. *Antioch.* an. 332.) et c. 27. C. 7. q. 1. (ex Conc. *Carth.* 3. an. 397.) Conc. Trid. sess. 6. c. 5. *de Ref.* Quare forma concreta regiminis ecclesiastici ita constituta est, ut ecclesia universalis divideretur in particulares ecclesias quæ appellatæ sunt Diœceses, quibus singulis præficeretur proprius Episcopus. A tractatoribus autem Juris Publ. Eccl. probatur ad solum Rom. Pontificem spectare auctoritatem novas instituendi Diœceses, veteres dividendi vel coarctandi. Porro eo ipso quod Episcopus legitime positus est in regimine suæ Ecclesiæ, jure divino potestatem regendi fideles ad eandem ecclesiam pertinentes assequitur. Obtinet Ecclesiam in titulum, et jure proprio et ordinario eandem potestatem exercet. Verum ut Episcopus legitime positus censeatur in gubernio suæ Ecclesiæ indiget missione legitima. Hæc autem missio conceditur a Romano Pontifice, qui solus eo ipso quod est canonice assumptus, habet potestatem regendi totam Christi Ecclesiam vi successionis divinæ in locum Petri, adeoque immediate a Deo potestatem recipit. Episcopi ergo missionem obtinent mediate a Deo, immediate a Rom. Pontifice. Hinc explicatur illa formula, qua utuntur Episcopi 'Dei et Apostolicæ Sedis gratia'.

167. Quid vero venit sub nomine hujus potestatis? Diffusa admodum est penes auctores hujus rei tractatio. Claritatis gratia ad aliqua capita hæc potestas redigi potest. Episcopus habet auctoritatem et munus 1°. *docendi,* 2°. *jubendi,* 3°. *judicandi,* 4°. *corrigendi et puniendi,* 5°. *administrandi.*

I. Episcopi Apostolorum successores, eorum munia hæreditarunt. Jam vero, ut ex Actis Apostolorum legimus, Apostoli ceu proprium et præcipuum officium esse agnoverunt munus *prædicandi* Verbum Dei. Hinc etiam Episcopus in sacris canonibus consideratur ceu

verus Evangelista et doctor in sua Diœcesi. Et quidem Episcopus *potest* prædicare Verbum Dei non solum in Ecclesiis et locis sibi subjectis, sed etiam in Ecclesiis Regularium ita ut ab alio prohiberi nequeat. Ita pluries respondit S. Congr. super negotiis Episcoporum et Regularium, ceu refert *Bened. XIV. De Syn. Diœc.*, Lib. 9. c. 17. n. 7. — Hæc autem pars muneris episcopalis secumfert ipsum Episcopum *teneri* ad munus ministerii Verbi Dei exsequendum, et nullum alium posse prædicare Verbum Dei in Diœcesi absque ejus consensu vel saltem eo invito. Et quidem ex dispos. c. 15. h. t. et c. 2. sess. 5. *de Ref.* tenentur Episcopi per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Dei Evangelium. Si autem impediti fuerint, tenentur assumere viros idoneos, qui munus prædicationis salubriter exsequantur. Hanc vero dispositionem temperans idem Trid. in c. 4. sess. 24. *de Ref.* statuit, Episcopum in sua ecclesia idest in Cathedrali per se ipsum implere debere munus prædicationis, et si fuerit impeditus, per alios idoneos munus exsequi debere, in aliis vero ecclesiis per parochos. Adeo autem tenentur Episcopi sive per se, sive ipsi impediti per alios prædicationis officium exsequi, ut nulla consuetudine aut contraria praxi possint ab hoc onere sese eximere. Consuetudo enim esset contra præceptum *divinum,* c. 1. sess. 23. *de Ref.* ac proinde dicenda esset corruptela juris cc. 7. et 11. *de Consuetudine* (I. 4).

168. In cit. c. 4. sess. 24. sermo est etiam de *Parochis,* qui in Ecclesia sibi commissa onus habent prædicandi Verbum Dei. Insuper ex dispositione cap. 1. sess. 5. *de Ref.* etiam *Canonicus Theologus* obtinet munus prædicationis. Verum horum officium subest Episcopi vigilantiæ, qui diligenter incumbet ut hi tum quoad adsignata tempora tum quoad sanctitatem et veritatem doctrinarum rite munere suo fungantur.

169. Quoad alios concionatores, Episcopus habet intentionem fundatam in *jure*, ut nempe ad ipsum pertineat potestas eos *designandi* sess. 24. c. 4. *de Ref.* 'quos ad prædicationis onus assumet'. Hinc electio concionatorum sive in Cathedrali Ecclesia sive in aliis inferioribus ex jure communi ad Episcopum spectat. Quoad vero *Regulares* in c. 2. sess. 5. *de Ref.* constitutum est illos assumi ex approbatione et licentia Superioris proprii; antequam vero in Ecclesiis proprii Ordinis prædicent, eos *teneri* personaliter cum accepta Superioris licentia se coram Episcopo præsentare et ab eo

benedictionem petere. In ecclesiis vero quæ suorum Ordinum non sunt, Regulares præter licentiam suorum superiorum, debent exposcere licentiam etiam Episcopi. Quod si regularis in ecclesia sui, vel alterius Ordinis errores aut scandala disseminaverit, Episcopus eidem inhibere potest prædicationem. Quod si hæresim docuerit, Episcopus in eum procedere potest non obstante exemptionis privilegio, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus cit. loco c. 2. sess. 5. *de Ref.* Quæ omnia cum non viderentur sufficere ad protuendum jus Episcopi prædicandi Verbum Dei et sanctitatem doctrinarum; iterum discusso negotio in c. 4. sess. 24. *de Ref.* sancivit Tridentinum ut 'Nullus sæcularis, sive regularis, etiam in ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat'. Jura et obligationes Episcoporum circa Verbum Dei prædicandum novissime inculcantur literis encyclicis quas S. C. EE. et RR. jussu Sum. Pont. *Leonis XIII.*, d. 31. Jul. 1894, ad omnes Ordinarios necnon Superiores Ordinum et Congregationum direxit.

170. Præterea ad munus docendi Episcopis proprium pertinet etiam jus et officium ut fidei catechismo rudes et præsertim pueri imbuantur (cit. sess. 24. c. 4). Qua in re præ oculis haberi debet Const. *Bened. XIV. Etsi minime* diei 7. Febr. 1742., in qua præscribitur usus catechismi parvi a Ven. Card. *Bellarmino* exarati; quam Constitutionem subsecuta est alia «*Cum religiosi*» ejusdem Pontificis, d. 26. Jun. 1754. Præ oculis etiam habenda est Encyclica *Pii IX.* quæ incipit *Nostis* diei 8. Dec. 1849. directa Archiepiscopis et Episcopis Italiæ. Animadvertit in ea Pontifex, hostes catholicæ fidei ad Italorum animos a fide abalienandos asserere, catholicam Religionem gloriæ et prosperitati Italiæ adversari, simulque adlaborare, ut placita protestantismi propagentur, dictitantes, protestantismum nil aliud esse, quam diversam christianæ Religionis formam, et prædictorum hostium consilium eo tandem dirigi, ut ad nefaria socialismi et communismi systemata traducant. Quare Pontifex vigilantiam Pastorum Ecclesiarum excitat, ut hisce erroribus et malis apta remedia opponere studeant. Præsertim vero inculcat Pontifex doctrinæ catholicæ in populo explicationem, et præ aliis curandum esse ait, ut dogma de necessitate catholicæ fidei ad obtinendam salutem æternam proponatur et explicetur. Principia in citata Encyclica *Pii IX.* monstrata denuo inculcat S. P. *Leo XIII.* in epistola ad Cardinalem Vicarium «In mezzo» diei 26. Jun. 1878.

Insuper ratione ejusdem muneris Episcopus in sua Diœcesi est inquisitor natus contra hæreticam pravitatem. Quare advigilare et prohibere debet ne falsæ doctrinæ introducantur, et procedere etiam potest contra delinquentes in hac materia. Potest etiam lectionem prohibere librorum pravorum, et ephemeridum periculosarum, qui eo diriguntur ut fidem vel mores corrumpant.

171. II. Jurisdictionis episcopalis caput est potestas *jubendi.* Eo quod Episcopi positi sunt ad regendam ecclesiam Dei, proprium jus habent leges ferendi, quæ ad bonum spirituale fidelium sibi commissorum diriguntur; ceu adstruitur ex c. 2. *De Major. et Obed.* (I. 33). Quæ leges possunt etiam adnexam habere pœnam contra transgressores c. 2. *de Constit.* (I. 2) in 6°. Cavere tamen debet Episcopus ne legibus suis nimis graves addat sanctiones, et præsertim ne facile censuras latæ sententiæ infligat. *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* Lib. 18. cc 1. 2. et 3.

Porro leges Episcopi possunt respicere 1°. *fidem* et *mores* populi suæ Diœcesis. Verum quoad fidem non potest aliquid novi definire; sed studere debet legibus suis, ceu supra innuimus, ut vera fides servetur in Diœcesi, et errores serpentes jam damnati compescantur. Hinc cavere debet Episcopus ne lege sua vel decreto condemnet doctrinas quæ salva fide retineri possunt et propugnari. Quoad vero mores seu disciplinam non potest lædere aut immutare ea, quæ in universa Ecclesia observantur, sed eo dirigere debet curas suas ut propriam Diœcesim universæ Ecclesiæ uniformem reddat, ut unitas professionis doctrinarum, administrationis sacramentorum ac unitas actionum in christiana societate promoveatur et servetur. — Episcopi statuta respicient 2°. morum *reformationem* in fidelibus, et præsertim in Clericis juxta et non contra sacros generales canones perficiendam. — 3°. Episcopus præcipere potest ea quæ divina ministrorum officia respiciunt, ut eadem ministri exsequantur juxta ecclesiasticas sacrorum rituum præscriptiones. — 4°. Episcopus præcipere potest dies festos in Diœcesi observandos, qui observari debent quoque ab exemptis omnibus etiam regularibus. Conc. Trid sess. 25. *de Regul.* c. 12. Insuper intimat publicas preces, corrigit superstitiosas ac ridiculas formulas deprecationum. Curat etiam ne erronei vel minus convenientes libri precum adhibeantur, aut vulgentur inter fideles. — 5°. Tandem indicit synodum Cleri sui. Quod munus cum aliqua explicatione indigeat, hinc brevis sit tractatio

De Synodo Diœcesana.

172. Hæc Synodus a *Benedicto XIV.* in cit. op. Lib. 1. cap. 1. n. 4. definitur 'Legitima congregatio ab Episcopo coacta ex Presbyteris et Clericis suæ Diœcesis, aliisque qui accedere ad eam tenentur, in qua de his, quæ curæ pastorali incumbunt, agendum et deliberandum est'. Convocatio Synodi hujusmodi est actus proprius Episcopi ita ut juxta omnes Canonistas ad eam perficiendam non indigeat alterius auctoritate vel consensu. Cum vero pertineat ad potestatem jurisdictionis, convocare Synodum potest Episcopus dummodo sit confirmatus, ante ipsam consecrationem c. 15. *de Elect.* (I. 6) et probat Bened. XIV. *De Syn.* Lib. 2. c. 8. pluribus adductis S. Congregationis Conc. resolutionibus. Cum tamen ex lege Tridentini c. 2. sess. 22. *de Ref.* Episcopus infra tres menses teneatur munus consecrationis suscipere, hoc jure haud facile nondum consecratus uti poterit. Potest etiam, ut vidimus, Synodum convocare *Vicarius Capitularis*, dummodo annus defluxerit ab ultimæ Synodi celebratione. *Abbas* vero, licet habeat quasi Diœcesim, idest gaudeat jurisdictione quasi-episcopali, non potest Synodum celebrare, nisi *privilegium apostolicum* ad id agendum obtinuerit. Ita respondit S. Cong. Conc. in causa *Nullius* diei 17. Augusti 1626. et in *Nullius Messanen.* diei 5. Julii 1738. *Vicarius* autem *Generalis* non potest Synodum convocare absque speciali mandato Episcopi, et si id, etiam Episcopo absente, facere ausus sit, acta Synodi sunt ipso jure nulla. Ita resolvit S. Congr. Conc. die 4. Dec. 1655. Cfr. *Bened. XIV. De Syn.* Lib. 2. c. 8.

173. Quæritur *quinam vocandi sint* et interesse *debeant* Synodo Diœcesanæ. 1°. Vocandi sunt et interesse debent *Abbates omnes sæculares* quamvis exempti, qui in Diœcesi reperiuntur. 2°. *Regulares* vero vocandi sunt et interesse debent qui alias, exemptione cessante, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur c. 2. sess. 24. *de Ref.* Tales sunt qui præsunt Monasteriis, quæ solitaria dicuntur, nec habent cum aliis monasteriis societatis seu mutuæ communicationis vinculum; idest quæ cum aliis non agnoscunt communem superiorem generalem, cujus capitulo subduntur. Quod si vero regulares curam animarum exercent in Diœcesi, cujusque sint generis, in Synodum Diœcesanam convenire debent Trid. in eod. loco. 3°. Quicumque obtinent vel dignitatem vel personatum nisi habeant privilegium concessum post Tridentinum, te-

nentur Synodum adire. Hi enim lato quodam sensu dicuntur Prælati. Unde Archipresbyter, Archidiaconus, Prior, Decanus, Primicerius etc. tenentur ad Synodum accedere. *Bened. XIV. De Syn.* Lib. 3. c. 3. n. 1. — 4°. *Vicarius generalis,* si ab Episcopo vocetur, tenetur intervenire. Animadvertit vero Bened. XIV. l. c. n. 2. maxime decere et expedire ut invitetur, quemadmodum deducit ex quodam Brevi *Gregorii XIV.* quod ibidem refert. 5°. Invitandi sunt *Canonici Ecclesiæ Cathedralis.* Constituti enim censentur in quasi dignitate, comparanda cum Prioribus et Decanis; et deduci potest ex c. ult. *De his quæ fiunt a Prælatis* (III. 10). Item juxta *Benedict. XIV.* l. c. Lib. 3. c. 4. n. 5. invitandi sunt Canonici Ecclesiarum *Collegiatarum.* Verum ne chori servitium et sacræ functiones deserantur, Canonici non omnes, sed aliqui Capituli nomine in Synodum conveniunt, quemadmodum teste *Barbosa de Off. et Potest. Episcopi* part. 3. allg. 93. n. 11. resolvit S. Congr. die 10. Apr. 1594. Clerici vero beneficium in Cathedrali vel in Collegiatis Ecclesiis obtinentes, possunt invitari ad Synodum, sed uti singuli, non vero ut membra componentia Capitulum. 6°. *Parochi* debent invitari et interesse Synodo. *Vicarii Foranei* verum jus non habent ut vocari debeant, sed si vocentur, accedere tenentur. Notat vero *Bened. XIV. De Syn.* l. 3. c. 3. n. 10. oportere ut Episcopus omnes suos Vicarios Foraneos vocet ad Synodum, eo quia ab istis tanquam a testibus ocularibus melius quam a Vicario generali cognoscere poterit verum statum rerum, præsertim in remotis partibus Diœcesis. Quoad reliquos Presbyteros et Clericos non habentes beneficium ecclesiasticum a S. Congr. Conc. Episcopo *Balneoregensi* die 15. Dec. 1629. responsum est posse Episcopum eos cogere ut intersint quando in Synodo agendum est de reformatione morum, vel de aliqua re quæ attingat totum Clerum, vel de intimandis decretis Concilii Provincialis quo in casu in ipsa convocatione mentio facienda est de generali convocatione ob aliquam ex prædictis causis. 7°. Possunt advocari et interesse Synodo etiam *laici* ex consuetudine aut si rationes et circumstantiæ peculiares eorum præsentiam exposcant.

174. Quamvis vero non pauci Clerici ex Diœcesi in Synodo conveniant, tamen Episcopus *solus* est judex et legislator, qui incipit et dissolvit Synodum, quique suo nomine decreta conficit et promulgat. Quare adstantium votum est solum consultivum, non vero deliberativum. Episcopus scilicet exquirit consilium adstantium,

sed non tenetur illud sequi. Hinc approbatio illa de qua loquitur Pontificale Romanum, a Concilio tribuenda decretis, antequam hæc publicentur, non est approbatio authentica, et auctoritativa, sed adhæsiva. Exceptio tamen fieri debet circa res et dispositiones, in quibus Episcopus ex lege canonica procedere non potest sine consensu Capituli. Quibus in casibus tenetur exquirere hunc consensum, nec contra illum potest procedere et publicare decreta in Synodo. Hanc theoriam in praxi uti certam deprehendimus ex pluribus resolutionibus S. Cong. Conc. relatis a *Bened. XIV. De Syn.* l. 13. c. 1. n. 10. et seqq. et præsertim ex responsione ad Patriarcham *Venetiarum* die 27. Apr. 1592. cujus en tenor: 'S. Congregatio per libellum Amplitudinis tuæ nomine porrectum consulta respondit, eandem Amplitudinem tuam in synodo Diœcesana facere posse Constitutiones absque consensu et approbatione Cleri, debere tamen requirere consilium Capituli, licet illud non teneatur sequi, nisi in casibus a jure expressis, non obstante quod ex forma Romani Pontificalis in celebranda Diœcesana Synodo expresse habeatur, ut constitutiones in Synodo publicandæ a Patribus per verbum *'placet'* confirmentur'.

175. *Objectum Synodi Diœcesanæ.* Materia quæ discuti potest in Synodo Diœcesana ac decretorum objectum constituere, plene ac distincte exponitur in celebri et sæpe cit. op. *Bened. XIV.* quod *De Synodo Diœcesana* inscribitur præsertim a Lib. 6. ad 12. Summa vero capita tantummodo delibabimus. Synodus in Diœcesi convocatur ut disciplina tum quoad divinum cultum, tum quoad mores reformetur vel roboretur. Hinc decreta ejus sacræ liturgiæ observantiam præcipiunt et removent abusus qui fortasse irrepserint, corrigunt defectus; vitia præcipua et mores depravatos præsertim Clericorum emendare satagunt, opportunis remediis institutis juxta temporum et locorum circumstantias; pericula ab hostibus christianæ fidei opposita præveniunt et arcent salubribus monitis et sanctionibus; pacem et unitatem fovent, religionis studium et honorem in populo nec non legum ecclesiasticarum observantiam aptis dispositionibus promovent. In Synodo etiam designantur examinatores seu scrutatores Clericorum, qui nempe promovendos ad ordines et ad beneficia curata examinant sess. 24. *de Ref.* c. 18. nec non designantur personæ idoneæ, quibus causæ decidendæ et negotia explenda a S. Sede delegentur; quæ personæ saltem quatuor esse debent, quarum si aliqua decesserit, Episcopus

de Capituli consilio aliam substituere potest usque ad futuram Synodum Trid. sess. 25. c. 10. *de Ref.*

Abstinere autem debet Episcopus a decidendis in Synodo quæstionibus quæ salva fide agitantur in scholis vel a Doctoribus. Caveat etiam ne per suas constitutiones Synodales deroget juri communi, neve lædat aut imminuat privilegia Regularium vel aliorum.

176. *De tempore celebrationis Synodi Diœcesanæ.* Antiquitus semel vel etiam bis in anno celebrabatur. *Bened. XIV. De Syn.* l. 1. c. 6. nn. 1. 2. et 3. Celebrabatur autem præsertim ut publicarentur decreta Synodi Provincialis; c. 17. D. 18. (Conc. Toletani ann. 593). Sed *Innocentius III.* in c. 25. *de Accusation.* (V. 1) edixit, ut semel in anno Synodus hæc celebraretur. Quam dispositionem Tridentinum renovavit in c. 2. sess. 24. *de Ref.* Hæc porro lex de annuali celebratione Synodi Diœcesanæ abrogata non est, sed adhuc viget; solummodo ejus obligatio adeo stricte non urgetur. Spirituali enim bono Diœcesum ex nova disciplina paullatim inducta, provideri potest usu aliorum mediorum, quæ inter certe recenseri debet praxis plurium Diœcesum sequendi et usu confirmandi ea quæ jam in aliqua præcedenti Synodo Diœcesis ejusdem fuerunt statuta. Porro in approbatione relationum quas de statu Diœceseos Episcopi faciunt in visitationis ss. Liminum occasione, S. Cong. C. non insistit ut absolute servetur lex Tridentina, sed Episcopos hortatur ut Synodum Diœcesanam celebrent quoties viderint expedire bono spirituali Diœceseos.

177. *De loco celebrandæ Synodi Diœcesanæ.* Concilium Diœcesanum constituit exercitium publicum et solemne jurisdictionis episcopalis. Quare in territorio Episcopo subjecto celebrari debet. Licet vero, stricto jure inspecto, possit Episcopus Synodum congregare in quolibet oppido suæ Diœcesis, tamen, ubi nullum obstet impedimentum, maxime expedit ut illam convocet in civitate, idest apud suam *Cathedralem* Ecclesiam, ceu tenuit S. Cong. C. in *Acernen.* diei 17. Maji 1636. Si autem Episcopus præsit duabus Cathedralibus Ecclesiis æque principaliter unitis, potest stricto jure Synodum vel in una vel in alia celebrare. At æquum est et decens, ut modo in una et modo in alia cathedrali Ecclesia Synodum congreget. Cfr. *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* Lib. 1. c. 5.

178. Tandem adnotandum est Episcopum posse statim publicare decreta Synodi quin *approbationem* requirat *a. S. Sede,* quia

approbatio hæc necessaria non est. Immo S. Cong. C. rogata ut recognosceret acta *Strongolensis* Synodi, respondit se non consuevisse revidere et approbare, nisi Synodos Provinciales ex Const. *Sixti V.* et Episcopum uti posse jure suo ex s. Concilio (Tridentino). Ita respondit die 17. Junii 1645. *Bened. XIV. De Syn.* l. 13. c. 3.

179. Tertium munus jurisdictionis episcopalis est illud *judicandi.* Scilicet Episcopus est verus judex ordinarius in sua Diœcesi, et potestatem judicandi uti propriam habet sive quoad forum internum, sive quoad externum. Forum *internum,* quod etiam pœnitentiale dicitur, respicit conscientiam fidelium quam Episcopus opportunis monitionibus et pœnitentiis dirigit, emendat, a culpis patratis et a censuris absolvit et ad sanctitatem assequendam disponit. *Externum* forum regimen christiani populi respicit quatenus christianus populus publicam societatem efformat, et actionem habet visibilem et publicam.

180. A. In foro *interno* Episcopus subjectas habet omnes et singulas personas suæ Diœceseos cujuscumque sint gradus et qualitatis. Hinc est Pœnitentiarius totius Diœceseos et habet potestatem quæcumque ligandi et solvendi. Hæc vero potestas quæ per se omnes causas, omnesque culpas vel defectus complecti posset, limitationem pati potest, et passa est ab auctoritate Summi Pontificis per positivam reservationem aliquorum casuum. Unde dantur casus papales, in quibus nempe absolutio Summo Pontifici reservatur. De hisce casibus agitur in Theologia morali. Obiter tamen animadvertimus, in genere casus Summo Pontifici reservari ratione *censuræ* adnexæ eidem Pontifici reservatæ. Quare causæ quæ excusant a censura, idest quæ excludunt contumaciam, excusant etiam a reservatione. At unus est casus, qui ratione sui, idest absque censura, Summo Pontifici reservatur. Videlicet *falsa apud tribunal ecclesiasticum accusatio sacerdotis innocentis de crimine sollicitationis ad turpia in sacramentali confessione, vel occasione sacramentalis confessionis.* Ita in Const. *Sacramentum Pœnitentiæ Benedicti XIV.* Huic casui sine censura reservato regulariter annectitur alter, sc. *acceptatio munerum a regularibus utriusque sexus.* Sed hic casus inter reservatos, saltem sub omni respectu, numerari nequit. Nam neque in Constitutionibus *Clementis VIII.* vel *Urbani VIII.* neque in Constitutionibus *Innocentii XII.* «*Rom. Pontifex,*» d. 3. Sept. 1692 vel *Benedicti XIV.* «*Pastor bonus,*»

d. 13. Apr. 1744 mentio facta est reservationis, sed in his posterioribus statuitur: Qui a persona religiosa accepit munera excepto casu justi tituli, debet illa restituere. Facta restitutione potest absolvi a sacerdote quocumque alias idoneo.

181. Præter Episcopum dantur alii qui in Diœcesi potestatem exercent in foro interno; et horum alii vi officii proprii, alii vero ex commissione. Ex proprio officio sunt Parochi et Canonicus Pœnitentiarius. Verum etiam horum potestas in suo exercitio a potestate Episcopi dependet, a quo potest limitari. Cæteri vero omnes sacerdotes excipere confessiones et absolvere non possunt nisi ab Episcopo receperint approbationem seu mandatum delegationis. Quod dici etiam debet de regularibus quoad confessiones sæcularium personarum, Trid. sess. 23. c. 15. *de Ref.*

182. Ad potestatem fori interni sese refert etiam jus quod habet Episcopus aliquos casus conscientiæ reservandi, in quibus nec ipsi Parochi, nec Canonicus Pœnitentiarius ex generali mandato possunt absolvere. De jure Episcoporum reservandi sibi aliquos casus Tridentinum agit in sess. 14. c. 7. ex quo capite confecit cn. 11. ejusdem sessionis. Porro in hisce locis explicite traditur sacerdotes absque speciali facultate non posse in hisce casibus reservatis valide absolvere. Hæc autem reservatio fieri debet ab Episcopis in ædificationem spiritualem fidelium, non autem in destructionem. — Ad eandem potestatem sese refert etiam facultas Episcopi dispensandi et absolvendi quæ a Tridentino eidem conceditur in sess. 24. c. 6. *de Ref.* per hæc verba 'Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem, et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum'. Quandonam casus seu crimen dici debeat occultum, explicatur a *Bened. XIV.* in *Inst. Eccl.* 87. n. 45. seqq.

Porro dispositio Tridentina renovata et correctà est in Const. *Apostolicæ Sedis* circa finem per hæc verba 'Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis con-

cessam sess. 24. c. 6. *de Ref.* in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus'. Quare hodierno jure Episcopi non possunt amplius uti facultate a Concilio Tridentino eis concessa, absolvendi delinquentes a censuris quæ continentur in 1°. artic. Constitutionis *Apostolicæ Sedis,* inter quas adnumeratur etiam excommunicatio ob crimen hæresis et in alia Const. *Pii IX.* quæ incipit *'Romanus Pontifex'* edita V. kal. Sept. 1873. de qua supra egimus in tit. *de Elect.* (I. 6).

183. B. Episcopus est etiam judex in foro *externo,* præest enim societati visibili, in qua reddere debet justitiam et servare jura fidelibus suis. Hinc habet verum tribunal ad quod potest etiam invitos vocare et compellere. Videt ergo et decernit saltem in prima instantia omnes causas pertinentes ad forum ecclesiasticum Trid. sess. 24. c. 20. *de Ref.* Ad tribunal Episcopi trahendi sunt Clerici pro causis omnibus sive civilibus sive criminalibus ex privilegio fori. Laici autem solum pro causis ecclesiasticis aut mixtis. In hoc externo tribunali Episcopus decernit et intimat censuras et publicam pœnitentiam; arcet ab Ecclesia, absolvit publice a censuris.

184. Quartum munus episcopale respicit auctoritatem *corrigendi* et debitas *pœnas* infligendi. Siquidem Episcopus curare efficaciter debet ut disciplina morum et sanctitas cultus conservetur. Quare corrigit abusus qui irrepserint in utraque materia c. 13. h. t. prohibet, ne minus honestæ vel indecentes imagines, neve falsæ reliquiæ venerationi fidelium exponantur, etiam in ecclesiis quomodolibet exemptis in sua Diœcesi exsistentibus, cap. un. sess. 25. *de invocation., veneration. et reliquiis sanctor.* circa finem. Censuras etiam et interdicta intimat quæ publicanda sunt et servanda etiam a Regularibus in eorum ecclesiis c. 5. *de Consuetud.* (I. 4), sess. 25. c. 12. *de Regul.* in Tridentino. Episcopus quamvis semper et possit et debeat corrigendi munus contra delinquentes implere, præsertim vero illud exercet in sacra visitatione Diœceseos. Tenetur enim totam Diœcesim quotannis visitare, aut si totam propter ejus amplitudinem visitare non possit, visitare saltem debet majorem partem ita ut tota visitatio biennio compleatur sess. 24. c. 3. *de Ref.* De hoc vero munere episcopali agemus in Lib. III.

185. Quinto loco competit Episcopo potestas *administrandi.* Hæc potestas respicit 1°. *beneficia.* Antiquitus Episcopus posside-

bat bona et redditus totius Diœceseos, et Clericis divino addictis servitio vel quotidiana secum mensa sustentabat, vel statutis temporibus præscriptam fructuum mensuram distribuebat. Institutis deinde beneficiis, Episcopus singulis concedebat propriam præbendam. Quare Episcopus fundatam in jure habet intentionem circa collationem beneficiorum. Ipse ergo vel confert vel instituit in beneficia omnia, iis tantum exceptis, quæ vel ex reservatione aut ex privilegio ad Rom. Pontificem vel ad alium collatorem pertinent. Ratione hujus potestatis erigit beneficia, eadem unit et dividit exceptis casibus in jure prohibitis. Ipse est præcipuus defensor jurium beneficiorum, Ecclesiarum et locorum piorum, necnon miserabilium personarum sess. 7. c. 14. *de Ref.* Hisce omnibus hucusque expositis de Episcopi jurisdictione, concludimus eam exprimi posse generali principio, scilicet: Episcopus regit et gubernat Ecclesiam in omnibus quæ spiritualia sunt vel spiritualibus adnexa, exceptis quæ ab ejus potestate eximuntur sive ex jure communi sive ex decreto supremæ potestatis.

186. Porro *exemptio* a jure inducta respicere potest vel *res* vel *personas.* Præstat quædam adjungere de regimine episcopali quoad *personas exemptas.* Olim omnia monasteria subjecta erant Episcopis; c. 12. C. 14. q. 1. et c. 17. C. 18. q. 2. Successu temporis regulares familiæ ob bonum Ecclesiæ universalis exemptæ sunt a jurisdictione Episcoporum, ac Rom. Pontifici immediate subjiciebantur. Verum cum abusus obrepsissent, factum est ut a Conc. Tridentino et ex Constit. Pontificum posteriorum Regularium privilegia coarctarentur. Varii ab auctoribus enumerantur casus in quibus Regulares subduntur potestati Episcopi loci. *Fagnanus* com. in c. 19. h. t. enumerat 47, et *Barbosa* in op. *De Off. et Pot. Episcopi,* alleg. 105. enumerat 42 casus. Jam vidimus potestatem Episcoporum erga Regulares relate ad munus prædicationis et excipiendi confessiones et relate ad Synodum Diœcesanam. Præcipuos casus ex reliquis recensebimus; de multis enim in propriis et distinctis locis agimus. 1°. Regulares commorantes, idest habentes pro aliquo tempore habitationem *extra* monasterium, licet de superioris licentia, si deliquerint, subduntur Episcopo loci, qui in eos procedere potest tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus sess. 6. c. 3. *de Ref.* — 2°. Si regularis in monasterio regularis observantiæ degat, sed notorie deliquerit extra monasterium, poterit Episcopus exigere ut Superior Monachum intra tempus ab Episcopo

definitum puniat; et de facta punitione certiorem Episcopum reddat. Si secus fecerit ipse Superior a Prælato suo privatur officio, et delinquens puniri poterit ab Episcopo sess. 25. c. 14. *de Regul.* Qua in re *Clemens VIII.* in sua Const. *Suscepti muneris* diei 18. Martii 1596. vetuit delinquentem religiosum ad aliam transferri Diœcesim. Quod si translatus fuerit, revocandus est ad Diœcesim in qua deliquit ut severe puniatur. — 3°. Subduntur Episcopis Regulares *apostatæ* vel *ejecti* a Religione ex decreto S. Congr. C. diei 11. Sept. 1624. ac relato in tom. Bull. 4. Const. 28. *Urbani VIII.* Nec non Regulares qui absque mandato in scriptis obtento recedunt a suis conventibus quocumque prætextu sess. 25. c. 4. *de Regul.*; cfr. etiam t. XI. h. l. nn. 47.—48. — 4°. Qui impediunt exercitium *jurisdictionis episcopalis,* vel delinquunt in *personam* Episcopi, possunt ab Episcopo puniri ex decreto S. Cong. C. probato a *Gregorio XIII.*, *Fagnanus* l. c. n. 76. — 5°. Monasteria vel Conventus instituti post *Urbanum VIII.* idest post 21. Jun. an. 1625., in quibus duodecim Religiosi non habitent, subduntur Episcopi jurisdictioni et visitationi. Ita ex decreto *Urbani VIII.* quod incipit *Cum sæpe contingit* edito in dicta epocha, idest die 21. Jun. 1626. Præterea cum *Innocentius X.* Const. *Instaurandæ* data idibus Octob. 1652. nonnullos parvos conventus in Italia et insulis adjacentibus suppressisset, deinde per Decretum *Ut in parvis* diei 10. Febr. 1654. quosdam ex eis restituit ea lege 1°. ut saltem sex religiosi, quorum saltem quatuor sacerdotes, in eis morarentur, et 2°. ut subjacerent jurisdictioni Episcopi localis tanquam Sedis Apostolicæ Delegati quoadusque numerus religiosorum actu commorantium ad duodecim non perveniret. Cfr. *Bened. XIV. De Syn.* l. 3. c. 2. n. 1. et seqq. Si autem sermo sit de Conventibus non suppressis per cit. Const. *Instaurandæ* subduntur jurisdictioni Episcopi illi conventus in quibus actu saltem sex religiosi, quorum quatuor sacerdotes, commorantur. Ita censuit S. Cong. super statum Regular. diei 15. Sept. 1703. apud. *Bened. XIV.* loco cit. n. 10. — 6°. Exstrui *novum* monasterium non potest sine licentia Episcopi sess. 25. c. 3. *de Reg.* Qui Episcopus debet causam erectionis perpendere et videre utrum expediat vel non fundatio hujusmodi, vocatis et auditis superioribus aliorum conventuum in loco exsistentibus et aliis interesse habentibus. Ita in Decreto *Clementis VIII.* diei 26. Augusti 1603. — 7°. Servare tenentur uti vidimus Regulares *festos dies* ab Episcopo statutos sess. 25. c. 12. *de Reg.* necnon ad processiones vocati te-

nentur accedere ead. sess. c. 13. dummodo non admodum distent. Excipiuntur qui strictiori clausuræ perpetuo vivunt. Immo possunt compelli etiam per censuras ab Episcopo S. Cong. C. in *Alban.* 23. Sept. 1617. Episcopus autem definiet, appellatione remota, quæstiones quæ circa præcedentiam exoriri possunt inter Regulares sess. 25. c. 13. *de Regul.* — 8°. In omnibus quæ sunt ordinis episcopalis, Regulares subduntur Episcopis, idest in petitione chrismatis, consecratione Ecclesiarum, susceptione ordinum etc. c. 19. §. «Chrisma» *de Præscript.* (II. 26). Quibus addenda est potestas circa literas dimissoriales ad Episcopum viciniorem Trid. sess. 23. c. 10. *de Regul.* de qua re locuti sumus in tit. XI. hujus Libri. — 9°. Subduntur Episcopo regulares *curam* animarum exercentes, et Episcopus in eos animadvertet, nisi verbum Dei prædicent, et munera parochialia rite obeant, c. 2. sess. 5. *de Ref.* et Const. *s. Pii V. Exposita* diei 22. Septemb. 1571.

187. Relate ad moniales 1°. in c. «Periculoso» un. *De statu Reg.* (III. 16) in 6°. et in c. 5. sess. 25. *de Regul.* quoad ea quæ pertinent ad clausuram monialium tribuitur Episcopis plenissima potestas, ita ut in monasteriis sibi subjectis propria, in exemptis autem procedere possint auctoritate Delegatorum Apostolicæ Sedis censuris etiam adhibitis. — 2°. Monasteria etiam exempta monialium subduntur Episcopis pro administratione bonorum juxta Const. *Gregorii XV.* «*Inscrutabili nobis*» 18. tom. 3. Bull. ita ut ipsæ regulares delinquentes circa administrationem hanc possint ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato corrigi et puniri. — 3°. Ex eadem Const. *Greg.* §. «*Ac similiter*» possunt Episcopi una cum superioribus regularibus interesse et præsidere electioni Abbatissæ. — 4°. Ex c. 7. sess. 25. *de Reg.* Episcopis datum est ut possint ante susceptionem habitus religionis et ante professionem explorare voluntatem puellarum Deo dicandarum.

188. *De visitatione sacrorum Liminum Apostolorum.* — Antiquitus Episcopi romanum iter aggrediebantur, et sacra limina Apostolorum devotionis gratia visitabant; deinde sensim sine sensu vi muneris sui incœperunt obligari ad hanc visitationem perficiendam, quemadmodum infertur ex c. 4. *de Jurejurando* (II. 24) in quo exhibetur formula juramenti præstandi a novis Episcopis. In ea enim formula novus Episcopus spondet se visitaturum limina Apostolorum. Verum visitatio hujusmodi fieri debebat solummodo ut propriam reverentiam exhiberent Apostolis Petro et Paulo,

preces fundendo ad eorum sepulchra in respectivis Basilicis, et obedientiæ et subjectionis signum manifestarent erga Cathedram Romanam; quemadmodum conjici potest ex c. 4. D. 93. et ex *Gratiano* ad c. 3. D. 93. Tandem inductum est ut capta occasione ejusdem visitationis Episcopi Ecclesiarum suarum et administrationis pastoralis rationem referrent et stàtum Diœceseos describerent, quæstiones et dubia proponerent. *Sixtus V.* vero Const. quæ incipit *'Romanus Pontifex'* data die 20. Decemb. 1585. veterem obligationem Episcoporum confirmans, et melius regulam servandam determinans, statuit, ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, licet fuerint S. R. E. Cardinales, ante munus consecrationis suscipiendum tenerentur jurejurando spondere se statis temporibus limina ss. Petri et Pauli personaliter visitaturos, et legitimo obstaculo impeditos, per procuratorem speciali mandato munitum. Tempora autem adsignata in prædicta Bulla sunt: ut nempe Episcopi Italiæ et insularum et provinciarum adjacentium ac etiam Dalmatiæ et Græcarum, quæ e regione sunt ipsius Italiæ et Siciliæ, teneantur visitationem exsequi *tertio* quoque anno; Germani vero, Galli et Hispani, Belgæ, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Iberni, necnon ceteri omnes qui in Europa sunt circa mare germanicum et balticum ac omnium insularum maris mediterranei *quarto* quoque anno; remotiores vero qui intra fines Europæ sunt et Africani, nec non insularum maris Oceani septentrionalis et occidentalis Europæ et Africæ citra Continentem novi orbis *quinto* quoque anno; Asiani vero et qui in aliis mundi partibus degunt *decimo* quoque anno.

189. Contra autem Episcopos, qui dispositioni suæ non obtemperaverint, *Sixtus V.* decernit 'eos ab ingressu Ecclesiæ ac etiam ab administratione tam spiritualium quam temporalium, nec non a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum a Capitulis eorum, omni exceptione remota, et mora cessante interim libere exigendorum, et in opus fabricæ seu ornamentorum Ecclesiarum emptione, prout major necessitas exegerit insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis hujusmodi a Sede prædicta meruerint obtinere'. Hæc porro sanctio, quoniam non est vera censura suspensionis a divinis, sed potius refert pœnæ indolem, non fuit abrogata a Const. *Apostolicæ Sedis.* Animadvertendum insuper est obligationem visitationis sacrorum liminum et relationis faciendæ

Benedictum XIV. extendisse etiam ad Abbates habentes Monasterium seu Ecclesiam cum jurisdictione quasi-episcopali in territorio separato. Ita in Const. ejusdem Pontificis *'Quod sancta'* diei 23. Nov. 1740. Porro ex alia Const. ejusdem Pontificis *'Immensa æterni Dei'* relatio status Diœceseos tradenda est S. Congregationi Concilii, cui officium incumbit relationem expendendi et postulatis respondendi.

190. Vicarii autem Apostolici relationem Vicariatus exhibent S. Congregationi De Propag. Fide; et quamvis in aliquibus regionibus restituta sit hierarchia episcopalis, tamen Episcopi illarum regionum, quoniam conservant dependentiam a. S. Cong. de Propag. Fide, eidem suas relationes exhibent. Ita Episcopi Angli ex Const. *Pii IX.* «*Universalis*» diei 29. Sept. 1850., Episcopi Hollandiæ ex Const. ejusdem Pontif. «*Ex quo*» diei 4. Martii 1855., Episcopi Scotiæ ex Literis Apostolicis *Leonis XIII.* «*Ex supremo Apostolatus*» IV. Nonas Martii 1878. Exceptio vero facta est quoad Bosniam et Herzegovinam. Nam in Literis Apostolicis «*Ex hac augusta*» *Leonis XIII.* III. Nonas Julii an. 1881. §. *Si igitur* Summus Pontifex Episcopis onus imponit relationem Diœcesum faciendi, nec ullam habet mentionem de S. Congregatione de Propag. Fide, ideoque intrat regula antiqua generalis pro Episcopis ordinariis locorum dirigendi relationem ad S. Congregationem Concilii.

191. Ne autem in status Ecclesiæ descriptione incerto Episcopi vagarentur pede, in Conc. Romano an. 1725. sub *Bened. XIII.* statutum est, ut ederetur instructio a. S. Cong. Conc. quæ designaret normam relationis hujus perficiendæ. Hæc instructio reperitur in *Append.* tom. 4. Bullar. *Bened. XIV.* Novem continet capita et per singula tum quoad materialem Ecclesiarum statum, tum quoad spiritualem, tum quoad Clericos sæculares, tum quoad regulares et exemptos et moniales omnia indicantur quæ explicare et declarare debeat Episcopus. Hac de re qui plura desiderat adeat opus ab *Angelo Lucidi, Pio IX.* auspice, editum an. 1856. quod *De visitatione Sacror. Liminum* inscribitur.

De Prælatis inferioribus.

192. Præter Episcopos jus nostrum alias Prælatos agnoscit, qui licet charactere episcopali non decorentur, et sint simplices

presbyteri, tamen jurisdictione ordinaria gaudent in utroque foro, et eorum potestas episcopalem potestatem imitatur. Hi communiter appellantur Abbates vel Prælati inferiores. A doctoribus triplex species horum Prælatorum distingui solet, et de his agit *Bened. XIV. De Syn.* l. 2. c. 11.

I[a]. species seu infima est eorum, qui præsunt certo generi personarum commorantium intra septa alicujus monasterii vel Ecclesiæ cum passiva exemptione a jurisdictione Episcopi, et immediate subsunt Rom. Pontifici. Tales sunt Superiores regulares, et Prælati sæculares cum suo Clero in Ecclesiis collegialibus exemptis, de qua re exemplum habemus in c. 5. *de Consuet.* (I. 4).

193. II[a]. species seu media est eorum Prælatorum qui habent jurisdictionem activam in Clerum et populum alicujus loci qui tamen continetur intra fines alicujus Diœceseos, a qua undique circumscribitur. Prælati hujusmodi improprie tantum et *lato* sensu dicuntur *Nullius.*

194. III[a]. species idest suprema est eorum Prælatorum qui jurisdictionem activam habent in Clerum et populum alicujus loci seu oppidi, vel aliquorum locorum vel oppidorum, quæ constituunt territorium proprium et separatum a cujuslibet Episcopi Diœcesi, quæ proinde constituunt *Quasi-Diœcesim,* ubi Prælatus, iis exceptis, quæ sunt Ordinis Episcopalis, omnia fere potest exercere quæ ceteroquin ad episcopalem jurisdictionem pertinent. Isti dicuntur Prælati proprie *Nullius* et Ordinariis locorum accensentur.

Verum a jure communi plura prohibentur non solum Prælatis secundæ speciei, sed etiam Prælatis vere Nullius. Sic ex. gr. uti vidimus, non possunt Synodum convocare, uti probat ex resolutionibus S. Congreg. *Benedictus XIV.* l. c. n. 5. Neque possunt indicere concursum ad Ecclesias Parochiales, eo quia ex Tridentino sess. 24. c. 18. *de Ref.* examen faciendum est coram examinatoribus synodalibus; et tenuit in terminis pluries S. Congr. Conc. Lib. 6. Decretor. pag. 91. et lib. 11. pag. 163. Quoad limitationem Abbatum in ordinationibus et literis dimissorialibus jam vidimus supra. In tit. 11. nn. 34., 35. seqq. Cfr. *Petra* in Const. 4. *Callisti III.* sect. 1. tom. 3., et Const. *Bened. XIV.* «*Inter multa*» diei 24. April. 1747. et *Lucidi: de Visit. Sacr. Lim.* tom. 1. cap. 6. §. 3.

Jure Decretalium potestate ordinaria in Diœcesi fruebantur

Archidiaconus et Archipresbyter. De hisce vero gradibus jurisdictionis ordinariæ egimus in suis titulis.

195. Aliquid dicendum remanet de *Parochis*. Horum institutio antiquissima est, quamvis non ita nomen: nam appellativo nomine presbyteri vel sacerdotis exprimebantur. Ita in Syn. Diœc. *Antissiodoren.* an. 578. et ita in Conc. *Liptinen.* an. 743. Pariter antiquitus cura animarum non induebat naturam potestatis ordinariæ, sed potius dici poterat officium quod Episcopus modo uni, modo alteri committebat. Hodierno autem jure parochiale munus revera ordinariam dicit jurisdictionem, eam nempe quæ dispositione ipsa juris acquiritur et censetur adnexa ipsi officio. Hæc vero jurisdictio spectato jure communi forum *internum* proprie et directe respicit. Etenim Parochus repræsentat Episcopum, qua patrem spiritualem fidelium, et paterno more delinquentes redarguit et corrigit. Hinc censuras aut pœnas publica in forma judiciali non fert, nec ab illis absolvit, quamvis hanc potestatem ex consuetudine vel ex privilegio posset adipisci.

De Parochis fusior tractatio exhibetur in Lib. III. tit. 29.

Titulus XXXII.

De officio Judicis.

1. Cum de variis speciebus judicum egerit B. Raymundus imitatus ordinem juris civilis in præsenti titulo exponit principia juris, quæ officium commune omnium judicum determinant. Judex est *persona legitima, juris et æqui perita, quæstiones definiendi jus habens.* Si igitur judex est persona legitima, a publica potestate debet constitui; nec quilibet de populo judicis munere fungi potest, sed vir sapiens debet esse et prudens, nec potest esse conditionis servilis vel natalium defectu notatus, aut infamis, vel excommunicatus. Error vero communis defectum sanare potest c. «Barbarius» ff. *de Off. Prætor.* Pariter ratione status, judices esse nequeunt Regulares.

2. Titulus inscribitur de Officio judicis. Officium in titulo exprimit usum potestatis decernendi. In hoc usu potestatis judicialis distinguitur *imperium* a simplici *jurisdictione.* Imperium enim significat coercitionem, id est potestatem coercitivam, qua judex rebelles vel contumaces ad sibi parendum compellit; jurisdictio vero simplex est facultas cognoscendi et decernendi circa bonum

jus alterutrius collitigantis. Etiam in foro ecclesiastico aliquod imperium adesse debet; secus auctoritas judicis facile sperneretur.

3. Officium vero judicis licet latissimum sit, tamen determinari potest duplici sub genere, et aliud dici potest *nobile*, aliud *mercenarium*. Officium nobile judicis locum habet, cum judex procedit quasi motu proprio jure aut æquitate suadente, seu ut dici solet ex officio, quin ulla proponatur actio judicialis stricte sumpta, quam sequi teneatur. Exempla hujus officii sunt, inquisitio rei post aliquod crimen, c. 17. *de Accusat.* (V. 1), l. 3. ff. *de Off. Præt.*, datio tutoris, vigilantia ut observetur norma juris communis. Immo etiam requisitus potest judex exercere hoc officium; cum nempe in defectu actionis, ejus auctoritas tanquam remedium extraordinarium imploratur per simplicem recursum ex. gr. cum quis exposcit designationem defensoris contra præpotentem adversarium; vel cum minor generice postulat restitutionem in integrum contra factum proprium ex quo læsionem passus est.

4. Mercenarium vero officium judex exercet, cum ad judicialem instantiam, seu actionem partis judicium aggreditur, prosequitur et absolvit. Porro actio est jus persequendi in judicio quod sibi debetur *Just.* §. 1. *de action.* Hinc actio revera determinat qualitatem et limites judicii; et sententia debet esse actioni respondens, sive eam excipiens sive eandem respuens. Proposita ergo actione, judex in eadem insistere debet, nec ab ea divergere potest, et 'postquam semel sententiam dixit, judex esse desinit . . . semel enim sive male sive bene, officio functus est'. L. «judex» ff. *de re jud.* Quare proposita actione, judex ad modum mercenarii qui opus tenetur exsequi juxta legem sibi a domino impositam, actioni ipsi inservire debet, et proinde officium ejus est determinatum, et mercenarium dicitur.

5. Quibus positis explicandum est cap. 2. h. t. ubi agitur de litis contestatione. Litis contestatione, uti traditur in suo tit. Lib. II., determinatur status quæstionis et lis definienda. *Gregorius IX.* docet, eam esse necessariam quando officium judicis loco actionis imploratur, et exemplum affert de implorato judicis officio in petitione restitutionis in integrum. Immo restitutio talis videtur pertinere ad officium nobile judicis, quod actione non ligatur, nec proinde admittit litis contestationem. Sensus vero capitis hic videtur esse, ut nempe requiratur litis contestatio, cum pro restitutione in integrum exposcitur officium judicis principaliter, et contra deter-

minatam personam, et simul cum plenaria causæ cognitione. Quo in casu non amplius agitur de recursu simplici ad judicis officium, sed de petitione quæ induit naturam juridicæ actionis, et necessitatem secumfert instituendi ordinarium judicium. Quare petitio coarctat judicis potestatem, ejusque officium de nobili mutat in mercenarium. Requiruntur vero tres conditiones: 1°. ut *principaliter* imploretur officium judicis. Nam si incidentaliter tantum sive ante, sive post ingressum causæ, non requiritur litis contestatio: ex. gr. si postuletur a judice advocatus, vel si postuletur admissio probationis omissæ ex errore facti. 2°. Ut petitio restitutionis fiat contra *determinatam* personam. Hinc si minor in genere petat restitui in integrum, ex. gr. ut ei liceat repudiare hæreditatem aditam, petitio officii judicis non imitatur actionem, nec proinde necessaria litis contestatio. Auth. Cod. *si minor se abstin.* 3°. Ut judex procedat *judicialiter*. Nam si causa sit notoria, judex summario modo procedit, nec litis contestatio requiritur: ex. gr. si quæstio fiat de alimentis a patre filio præstandis. L. 9. ff. *de Off. Procons.*

6. Officium judicis quasdam secumfert obligationes. I^a. obligatio est ut in judicando sectari debeat veritatem et *justitiam*. nec respectum habeat personarum quæ in judicio adstant. Reg. 12. *Jur.* in 6°. Hinc etiam ex c. 78. C. 11. q. 3. vitare tenetur ea quæ hominum judicium pervertere solent, idest timorem, odium, amorem et munerum desiderium. Quare judicis animus in sententia proferenda ab omni spe lucri debet esse alienus; et sententiæ venales judicum sunt ipso jure nullæ. L. «Venales» C. *Quando provocare non est necesse.*

7. Hinc interdicitur judici receptio munerum sub pœna majori vel minori pro gravitate culpæ, et restitutione muneris Ll. 3. et seqq. ff. *ad Leg. Julian. repetendam.* Verum non veniunt sub nomine munerum esculenta et poculenta moderata, quæ nempe brevi idest paucis diebus absumuntur, quæque a doctoribus comparantur xeniis, idest parvis donis quæ hospitibus dari solent. Hæc ergo accipere judici non interdicitur c. 11. *de Rescr.* (I. 3) in 6°. §. 4. et L. 16. ff. *de Off. Præsid.* dummodo ipse ea non exquirat, nec ab eis sinat animum suum flecti in prolatione sententiæ. Et ratio est; quia hæ minutæ oblationes non præsumuntur animum viri prudentis et constantis pervertere. Quare proprie prohibetur judex ea munera recipere, quæ verum lucrum important, et animum ejus inclinare valent erga personam donantem.

8. Quid vero de *sportulis?* Sportulæ erant quædam taxæ moderatæ, quas a partibus litigantibus exigebat judex initio et in fine judicii pro labore quem judex ipse in judicando sustinebat. Jure civili permissæ sunt Nov. 82. c. 9. Quoad autem jus canonicum in Decretalibus relatum, videntur sportulæ prorsus prohiberi c. 10. *de Vita et honest. Clericor.* (III. 1). Et quidem sportularum receptio judicibus ordinariis interdicitur, quia cum sint Clerici, ab Ecclesia habent, unde vivant et sufficienter sustententur. Delegatus etiam regulariter est Clericus, beneficium ecclesiasticum possidens; hinc pro delegato judice eadem militat ratio quæ ordinarium respicit. Cæterum si adsessore indigeat judex delegatus propter negotii gravitatem, eidem adsessori stipendium præstabunt partes collitigantes c. 11. *de Rescrip.* (I. 3) in 6°. §. 5. Ex dictis patet, rationem prohibitionis taxarum judicialium non procedere ex intrinseca aliqua malitia earundem, sed solummodo, uti vidimus, ex conditione judicum ecclesiasticorum, qui ex redditibus Ecclesiæ vivunt. Quare cum sportulæ per se non sint minus honestæ, possunt in tribunalibus laicalibus permitti, quoties sint utiles vel necessariæ. Et revera in tribunalibus civilibus temporalis ditionis S. Sedis sportulæ aliquando in usu fuere.

9. II°. Obligatio judicis est, ut non ex arbitrio et propria sententia judicium ferat, sed juxta *leges publicas*, quamvis ipse arbitretur legis alicujus regulam minus esse rectam præ contraria. Ipse enim non est legislator, sed magistratus, qui auctoritative legem facto applicat. Ad rem facit c. 4. C. 3. q. 7. ubi legitur 'Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticæ proposito voluntatis; sed juxta leges et jura pronunciat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, obsequitur legibus, non adversatur, examinat causæ merita, non mutat'. Hoc dicimus de lege clara; nam si verba legis multiplicem habere possent significationem, vel alia adesset lex contraria in corpore juris, judicis arbitrio remissum est, unam vel aliam amplecti sententiam c. 1. *de Constit.* (I. 2) et L. 8. C. *de judiciis.* Verum præ oculis habere debet judex praxim, idest consuetudinem forensem in similibus casibus. Porro consuetudo hæc quando constans fuit et uniformis circa sensum legi tribuendum, constituit regulam, quæ dici solet jus traditionale.

10. III°. In conflictu rationum et argumentorum probabiliora seu prævalentiora sequi tenetur. En contraria prop. 2. damnata

ab *Innoc. XI.* die 2. Martii an. 1679. 'Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem'.

11. IV°. In causis criminalibus reo favendum est, quoties ejus culpabilitas et reatus ex indubiis argumentis non constet; ad reum enim condemnandum ex lege generali, et præsertim quando agitur de gravioribus pœnis applicandis, necessariæ sunt probationes luce meridiana, ut ajunt, clariores. L. fin. Cod. *De probationibus.*

12. Et quoniam de valore probationum sermo est, quæstionem discutere aggredimur de obligatione judicis causam definiendi juxta allegata et probata in conflictu cum scientia sua privata. Hæc quæstio ad theologiam *moralem* potius pertinet quam ad jus canonicum. Quærimus igitur: quid sentiendum, si aliud judici resultet ex actis et probatis, aliud vero ex ejus *privata* scientia? In genere judex ut persona publica ex scientia publica procedere debet, nec potest suo privato arbitrio, licet per se rationali, indulgere; cn. 4. C. 3. q. 7. et c. 1. *de re jud.* (II. 27). Quod etiam ostenditur ex necessitate habendi in societate normas fixas et communes judiciorum tractandorum; privatæ autem scientiæ regula induceret varietatem maximam et difformitatem in judiciis. Quid vero si non ex conjecturis, aut vaga opinione, sed ex certa scientia contrarium videat judex quam demonstrent allegata et probata in judicio. Profecto si ageretur de reo absolvendo, quem judex sciret ex privata notitia revera reum esse, sed probationes deficerent, immo ex actis judicialibus innocens appareret, dubium non esse videtur, judicem teneri ad eum absolvendum. Ratio enim generalis superius adducta satis id evincit; et servandum est principium juris expressum in cap. 3. in fin. *Caus. possess. et prop.* (II. 12) et L. «Qui accusare» C. *de edendo.* Videlicet 'actore non probante reus absolvitur'. Hæc dispositio tum in civilibus obtinet, tum in criminalibus causis.

13. Difficilis vero solutio redditur si de opposita specie agatur. Si ex actis publicis videlicet resultet invicte aliquem esse reum, quem certissima scientia privata judicis exhibet innocentem et propitia sententia dignum; quid agendum judici? Conveniunt auctores, hoc in casu judicem experiri debere omnia honesta remedia quæ præsto esse possunt ad reum liberandum, sive de civili negotio quæstio verteretur, sive præsertim de criminali causa. Remedia hujusmodi plura adsignantur: 1°. Ut protracto judicio, ad trutinam exactius vocet probationes, sive testes iterum examinando accuratius etiam singillatim quoad omnes possibiles circumstantias,

sive instrumenta et tabulas perscrutando intimius; utrum vel veritas aliquo modo positive clarescat, vel ope alicujus exceptionis elidatur actio vel accusatio contra reum intentata. 2°. Ut si fieri possit, se incompetentem declaret, vel causam ad superius tribunal remittat, et ipse penes alium judicem testis partes sustinens, rei innocentiam et causæ justitiam prodat. 3°. Quod si ageretur de criminali causa, non desunt auctores qui docent, posse judicem reo procurare fugam ex carceribus, dummodo id consequi posset sine scandalo et sine damno tertiæ personæ. Ita *Lessius De Just. et Jur.* Lib. 2. c. 29. dubit. X. n. 77. Quæ certe remedia si rite adhibeantur, casum reddunt moraliter impossibilem in concreto ut judex in tuto et in aperto non possit collocare innocentiam rei, quam privata scientia cognoscit, aut saltem se abstinere a ferenda sententia contra propriam conscientiam.

14. Sed quid si per absonam hypothesim, hisce remediis etiam adhibitis, innocentia adhuc delitescat, et judex non possit declinare sententiam? Triplex est DD. opinio. Prima est illorum qui docent judicem contra scientiam suam et privatam opinionem in casu teneri ad sententiam ferendam. Quia judex auctoritate publica munitus, scientiam privatam oblivisci debet, ceu ad rem non pertinentem, et aliud videtur agere ut judex, aliud ut homo; c. 42. C. 23. q. 4., c. 2. *de Off. Ord.* (I. 31). Jus civile huic sententiæ adstipulatur plenissime in L. «illicitus» §. «Veritas» ff. *de Off. Præsid.* cujus paragraphi summarium est 'Judex debet judicare secundum allegata et probata, non autem secundum conscientiam'. Si vero objiciatur, inconveniens esse, imo injustum ut innocens succumbat et pœna plectatur; respondent, non semel in humanis judiciis ob defectum et imbecillitatem naturalem legum publicarum, et ob conditionem fori externi, casum verificari quo judicialis sententia rerum veritati contradicat, et tamen leges et fori dispositiones servandæ sunt ob bonum publicum, cui debet subesse bonum privatorum civium. Hanc sententiam secutus est *s. Thomas* 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3^{m}. item *Covarruvias* Lib. 1. *Varia* c. 1. n. 6. et plerique Theologi.

15. Secunda sententia docet, judicem non posse contra conscientiam judicare ex præcepto Apostoli *Rom. XIV. 23.* Despicere ergo debet judex allegata externi fori, cum certe veritatem ipse cognoscat. Non enim judex est automa ut mechanice patiatur se a pondere falsitatis adumbratæ opprimi; sed homo est qui veritati,

quacumque ex parte ea proveniat, inservire et famulari tenetur. Hinc in c. 1. *de sent. et re jud.* (II. 27) graviter puniendus dicitur judex qui sententiam profert 'contra conscientiam et contra justitiam in gravamen partis alterius'.

16. Tertia sententia cum *Lessio* in cit. dubitat. X. distinguit inter causas civiles criminalesque minores et criminales majores, quæ nempe secumferrent pœnam mutilationis vel mortis, statuitque quoad priores judicem procedere debere juxta allegata et probata contra privatam scientiam, non posse autem absolute procedere in causis criminalibus majoribus. Ratio utriusque membri est. Utique bonum publicum exigit ut privati cives, ejus intuitu, damnum patiantur in bonis fortunæ, aut aliquale damnum etiam in propria persona; at cum agatur de ipsa vita, publicum bonum non exigit ejus sacrificium, nisi in quibusdam causis, inter quas certe non est adnumeratus casus noster. Nam nulla lex præcipit, judicem teneri ad plectendum mortis vel mutilationis pœna civem innocentem, ut serventur normæ judiciorum; præsertim cum rigor judiciorum in genere servari posset, quamvis ob rationem gravissimam exceptio daretur ab earundem normarum observantia. Immo *Lessius* cit. loco n. 18. probat intrinsece malum esse, judicem pœna capitis mulctare reum, quem ex privata scientia innocentem esse cognoscit; quia 'judex nullam auctoritatem habet in vitam innocentis, cum hæc soli Deo sit subjecta'. Concludunt vero hujus sententiæ doctores judicem in tali conflictu scientiæ publicæ et privatæ teneri potius ad officium judicis dimittendum, quam posse contra innocentem sententiam capitis dicere. Prima sententia abstractis principiis juris præ cæteris sententiis cohæret; sed in praxi, dummodo casus, quem moraliter impossibilem diximus, verificetur, tertia æquitati magis consona apparet, ac proinde tenenda esse videtur. Cfr. *Lessium* l. c. et *Reiffenstuel* h. t. §. 2.

17. V°. Occasione c. 1. h. t. pertractanda breviter est quæstio: An ad officium judicis spectet utrique vel alterutri ex litigantibus advocatum adsignare, ne in judicio indefensus evadat? *Affirmativam* sententiam nobis offert c. 1. h. t. in quo *Honorius III.* refert, invocatum fuisse officium judicis ut defensorem Abbati et monasterio Fossæ Novæ concederet. Ad quæ verba adnotat Glossa, ad officium judicis pertinere ut partibus quæ defensore carent, adsignet advocatum. Consonat jus civile in L. 1. ff. §. «ait Prætor» *De postulando.* Et optime, nam judicis interest litigantium jura

et probationes in lucem deduci, ut judicium veritati cohæreat. Porro juxta cit. glos. et doctores advocatus potest salarium exigere a cliente. Si vero cliens adeo paupertate laborat ut impar sit salarii solvendi, advocatus gratuitam operam præstare tenetur, nisi forsan ex ipsius tribunalis sumptibus stipendium recipiat. Qua in re juvat adnotare ex principio charitatis christianæ institutas fuisse pias congregationes Advocatorum et Procuratorum, qui gratis miserabilium personarum jura tuentur. Romæ eminet pia Congregatio a. *s. Ivone* nuncupata, cujus*) Congregationis Confratres pauperum defensionem *pro amore Dei* suscipiunt, et ordinarie zelo mirabili ad exitum perducunt, non neglecta, si fieri possit, inter contendentes honesta transactione.

18. Sed quæritur: Poteritne *familiarem* suum judex advocatum statuere in causa? Et huic interrogationi affirmativam præbet responsionem *Honorius III.* in cit. c. 1. h. t. intimans Archiepiscopo Salernitano et Abbati s. Leonardi in Apulia, judicibus delegatis, ut ultra in judicio procederent, non obstante exceptione procuratoris monasterii Cavensis adversarii, qua reclamabat contra factum Archiepiscopi judicis, qui familiarem suum advocatum dederat Abbati et Monasterio Fossæ Novæ. Dispositio hujusmodi sapientissima est; nam revera familiaris judicis per se non potest allegari tanquam suspectus. Officium enim advocati non est ut causam faciat suam, quemadmodum de procuratore post litis contestationem dicendum est; sed eo dirigitur officium advocati ut exhibeat et declaret rationes et argumenta juris et facti, quæ clienti suo favent; sed nec emolumentum nec damnum persentit ab exitu judicii.

19. VI°. Quid vero si ab advocatis partium collitigantium aliquid fuerit omissum vel ex ignorantia vel ex malitia, eritne officium judicis supplere defectum? Et quidem si omissa fuerint ea quæ ad jus pertinent, ex. gr. si fuerit servatum silentium de aliqua lege quæ dirimendæ quæstioni inserviat, nullum dubium est judicem teneri ad supplendum defectum. Nam officium judicis est, verum et proprium jus facto applicare. Quod si omissa fuit aliqua circumstantia facti, quæ influere potest in qualitatem sententiæ; *Abbas* in c. 16. *de Test.* (II. 20) quem Glossa in c. 3. *de postul. prælat.* (I. 5) et auctores communiter sequuntur, docet, judicem

*) Cl. auctor hujus libri præfecturam ejusdem Congregationis quondam gessit.

posse et debere supplere, si quid fuerit deductum in judicium et a partibus ignoretur, quia illud est sibi notum et notorium ut judici. Ergo si omissa fuerit circumstantia facti, cujus exsistentia ab actis judicialibus deprehenditur, tenetur judex ea uti in causæ decisione; eam enim cognoscit tanquam judex, cujus officium est investigare et expendere acta judicialia. Si autem de circumstantia facti agatur ab actis judicii prorsus aliena, judex non tenetur in genere eam investigare, et supplere defectum patrocinii. Ipse enim procedit juxta allegata et probata in actis proprii tribunalis. Dixi autem in *genere;* nam si agatur de circumstantia aliqua *notoria;* cum notorium in judiciis non probetur, sed solummodo allegetur, eo quia omnibus constare censetur; hinc judex potest, et aliquando etiam tenetur, ea circumstantia uti, licet a partibus omissa fuerit arg. L. 1. C. *Qui et adversus quos in integr.* Idem dicendum, si periculum animæ occurrat, quemadmodum non semel in causis ecclesiasticis et præsertim in matrimonialibus verificatur. Sic ex officio judex debet repellere excommunicatum vitandum. C. 12. *de Exception.* (II. 25). Quod si vero ex certa, sed privata scientia judex aliquam circumstantiam facti substantialem cognoscat, subintrat theoria superius proposita de conflictu inter privatam et juridicam scientiam judicis. — Præterea judex supplet ex officio partium negligentiam in favorem publicæ utilitatis, et in specie quando agitur de bono ecclesiarum. Supplere etiam potest eandem negligentiam, excludendo ex officio testes indignos. Consulere enim debet honori publici judicii.

Titulus XXXIII.

De Majoritate et Obedientia.

Titulis de variis generibus Ministrorum seu de variis gradibus Clericorum merito subnectitur titulus qui relationem explicat inter majores et minores ordines eorundem Clericorum.

De Majoritate.

1. Majoritas exprimit excellentiam illam seu *quamcumque præeminentiam, quam unus habet præ alio cui supereminet,* ex qua præeminentia enascitur relatio obedientiæ ex parte illius qui minor est.

2. Quæstio prima proponitur de *modis* quibus majoritas *acquiritur.* Tituli majoritatis *principales* sunt duo: jurisdictionis et ordinis, quibus accedunt alii *secundarii.*

I^{us}. omnium titulus est *jurisdictionis,* sic Romanus Pontifex, licet præ Episcopis ordine non emineat, majoritate jurisdictionis omnes Episcopos longe superat. Sic Archiepiscopus major est Episcopo, Archidiaconus major Archipresbytero, c. 7. *de Off. Archidiac.* (I. 23).

II. Titulus est *ordinis.* Nam ipsa idea ordinis secumfert relationem majoris ad minorem, sc. hierarchiam. Hinc Clericus in majori ordine constitutus præstat Clerico in ordine qui priori est minor, c. 15. h. t. Sic Episcopus consecratus præstat Episcopo nondum consecrato, c. 4. *de Consuet.* (I. 4).

Quæstio proponitur: Quis præeminentia gaudet, si majoritas ordinis concurrit cum majoritate jurisdictionis; ex. gr. in parocho qui ordine est presbyter, cum Vicario Generali qui fortasse ordinem tantum diaconatus recepit?

Profecto respondendum est, Vicarium Generalem præstare Parocho respectu jurisdictionis quæ constituit primum titulum, licet Parocho semper sit superioritas quædam ex charactere sacerdotali.

Si duæ personæ ecclesiasticæ et jurisdictione et ordine omnino pares sunt, alii tituli secundarii præeminentiam definiant oportet, qui reduci possunt ad tres: dignitatem ordinantis, tempus possessionis, præcedentiam adjudicatam.

III. titulus est excellentia et prærogativa *Ordinantis.* Quare ordinatus a Pontifice ob honorem Sedis Apostolicæ aliis præstat qui sunt in eodem ordine constituti c. 7. h. t. et c. 31. *de Præbend.* (III. 4) in 6°. Adnotandum vero est, aliquem non eximi a jurisdictione proprii Episcopi ex eo quod ordinatus fuerit a Summo Pontifice. Sola enim ordinatio non habet vim excardinationis.

IV. titulus. Si neque dignitas Ordinantis diversitatem constituit etiam *tempus* ordinationis aut immissionis in possessionem potest esse titulus majoritatis juxta illud principium 'Prior in tempore, potior in jure'. Reg. 54. *jur.* in 6°. Et infertur ex c. 1. h. t. Hæc majoritas seu præcedentia est in suffragio, in sede, in signando etc. nec non in optione præbendæ, ubi jus optionis conceditur. Hæc vero majoritas orta ex tempore intelligenda est ut verificetur cæteris paribus. Hinc non datur in diversitate

ordinis aut dignitatis. Quare antiquior Episcopus non præcedet Archiepiscopo.

V. titulus. Quæstiones præcedentiæ, præcipue inter corpora moralia exortæ, singulis annis a Ss. Cc. Romanis deciduntur et uni vel alteri personæ majoritas *adjudicatur*. — Interdum præcedentia non expresse statuitur, sed ex factis concluditur, sic ex ordine enumerandi personas vel physicas vel morales. Hinc doctores ex eo quod cp. 23. *De Appell.* (II. 28) inscribitur «Patriarchæ Gradensi et S. Vitalis Presbytero Cardinali» arguunt vi juris communis Patriarcham Gradensem majoritate gavisum fuisse præ Cardinalibus ex ordine Presbyterali. Item doctores cum glossa inferunt ex c. 1. *De Decimis* (III. 13) in 6°. quod Fratres Prædicatores præferendi sint Fratribus Minoribus: inscribitur enim caput istud «Fratribus Prædicatoribus et Minoribus;» cfr. etiam c. un. *De Excessibus Prælatorum* (V. 6). Hac vero in re, quoniam facile possunt oriri quæstiones præcedentiæ, juvat referre quæ tradit *Fagnan. Com.* in c. 1. h. t. n. 22. Cum orta esset quæstio inter Fratres Dominicanos, Franciscanos, Augustinianos et Carmelitas, qui omnes ad genus mendicantium referuntur, de præcedentia; s. C. Conc. obtentis informationibus, agnovit, in loco controversiæ inolevisse consuetudinem, ut ea Religio præcederet, quæ prius habuit monasterium in eodem loco. Hæc consuetudo approbata fuit, et *Gregorius XIII.* jussit eam servari. Immo ut normam generalem figeret, edidit Constit. die 15. Julii 1583. quæ incipit *Exposcit* in qua decrevit inter mendicantes præcedere illos debere in processionibus qui sunt in quasi-possessione præcedentiæ; quod si de hac non constet, illos præcedere qui antiquiores sunt in loco controversiæ. Non negamus vero potuisse immutari rem ex privilegio aliquo posteriori. Hinc orta quæstione, nisi de hoc privilegio constet, servanda est dispositio citata Sum. Pontificis *Gregorii XIII.*

Notandum denique est majoritatem relativam competere illi personarum corpori quod moraliter conjungitur personæ in majoritate aliqua constitutæ. Non autem competit nisi in quantum uniuntur ejusmodi personæ. Hæc majoritas verificatur in cœtibus Canonicorum, qui divino mancipantur servitio. Siquidem in Diœcesi plura esse possunt Capitula, Capitulum tamen Ecclesiæ Cathedralis cætera Ecclesiarum collegialium Capitula et eorum Prælatos præcedit eo quod propius accedit Episcopo, et ejus senatum et

consilium constituit. At hæc præcedentia competit Canonicis Cathedralis Ecclesiæ quando capitulariter procedunt vel quando Capitulum repræsentant, secus vero si Canonici Cathedralis Ecclesiæ uti singuli agant; ceu probant *Pignatelli* tom. 3. Consult. XVIII. nn. 7. et seqq. et Card. *De Luca: De Præeminent.* disc. 7. n. 5., disc. 21. n. 6. et disc. 22. n. 9. Pariter Capitulum Ecclesiæ metropolitanæ præstat Capitulis Ecclesiarum Cathedralium. Archiepiscopus enim suffraganeis suis major censetur. Et Collegium Cardinalium, quod considerari potest tanquam Capitulum Romani Pontificis, superat majoritate omnia Capitula.

3. Aliquid tandem dicendum remanet de majoritate quam declarat *Innocentius III.* in c. 6. h. t. Hoc caput ita sumatur 'Imperium non præest Sacerdotio, sed subest, et ei obedire tenetur'. Innocentius conquestus fuerat cum Imp. Constantinopolitano eo quod juxta pedes suos ad sinistram sedentem haberet Patriarcham. Objicienti vero Imperatori verba s. Petri 'subditi estote omni creaturæ propter Deum, Principi tamquam præcellenti', respondit Innocentius, textum Petri sumendum esse de rebus temporalibus, non vero de spiritualibus, in quibus imperant sacerdotes. Quoniam vero spiritualia temporalibus magis præstant; hinc potestas ecclesiastica dignior est laica potestate. Quare etiam Princeps parere tenetur in spiritualibus auctoritati Ecclesiæ, cui subjicitur. Ex quo capite infertur principium, quod nempe potestas ecclesiastica majoritatem habeat præ laica potestate. Ut hæc majoritas evitaretur non defuerunt qui systema separationis omnimodæ invenerunt inter binas hasce potestates. Verum S. P. *Leo XIII.* cum antea sæpius tum ex professo in sua Encyclica «*Immortale Dei,*» d. 1. Nov. 1885 hoc systemate condemnato «ordinatam inter utramque potestatem colligationem» claris verbis enuntiavit et tutatus est.

4. Attamen una potestas non poterit alterius provinciam ingredi, et occupare potestatis jura. Utraque enim in ordine suo suprema potestas est, et ecclesiastica et civilis. Quare Ecclesia renuentibus Principibus non potest causas civiles ad suum tribunal pertrahere, nec leges ferre potest quæ civilis sint ordinationis.

5. In quo ergo Ecclesia est major potestate civili, ita ut hæc reverentiam Ecclesiæ exhibere teneatur? In duobus præsertim: in fine et in mediis. 1°. Societatis civilis finis est bonum temporale civium, Ecclesiæ vero est bonum æternum. Ut ergo fœdus consistat, ratio ordinis servanda est, auctoritas nempe civilis te-

netur subordinare finem suum seu bonum publicum bono æterno fidelium. Videlicet non audeat Princeps incrementa et utilitates civium promovere, ex quibus salus æterna fidelium detrimentum capiat. 2°. Media quibus auctoritas civilis utitur non possunt esse arbitraria, sed conformia esse debent principiis honestatis et justitiæ, idest veri bonique. At veritas et bonitas etiam in concreto idest in legibus et normis consideratæ constituunt objectum magisterii divini, quod Christus commisit Ecclesiæ, cum dixit: «Docete omnes gentes ... docentes eas servare omnia quæcumque mandavi vobis.» Quare cum Ecclesia sit magistra infallibilis et custos legitima veritatis et bonitatis in doctrina nempe fidei et in regulis morum, jure meritoque redarguit leges injustas vel impias, quæ ab auctoritate civili emittantur. Qua in re non egreditur limites suæ potestatis, et Principes obsequi tenentur Ecclesiæ judicio. Hæc generice de relatione majoritatis inter potestatem ecclesiasticam et laicam innuisse sat est. Nam tractatio hujus materiæ ad *Juris publici* expositores pertinet. In specie vero dicendum est Principem in spiritualibus subesse debere Episcopo suo arg. cit. c. 6. et expresse in c. 4. h. t. Ordinarius vero Principis est Episcopus qui residet in sede Principis. Fatendum vero est Principes pluribus exemptionibus gaudere, quæ præ oculis haberi debent.

De Obedientia.

6. Obedientia in titulo exprimit quamcumque reverentiam quam inferior in dignitate digniori exhibere tenetur. Hinc non solum complectitur subjectionem et susceptionem mandatorum legitimi superioris, sed etiam quamcumque observantiam et quemcumque honorem qui personis jure excellentioribus præstatur. Quare alia proprie dicta obedientia, alia est improprie dicta. Quoad obedientiam improprie dictam, idest quoad debitam reverentiam et honorem debitum dignioribus, animadvertimus, eam præstandam esse ab inferioribus gradu seu dignitate in casibus, in quibus, uti vidimus supra, majoritas pro aliquibus personis verificatur. Qui vero magis evolutam tractationem de hac re desiderat, adeat «*Institutiones Canonicas*» *Remigii Maschat* h. t. n. 3. vel etiam *Giraldi: Jus. Pontif.* in appendicem ad h. t. idest sect. 201.

7. De Obedientia proprie dicta sermo est 1°. in Extrav. Com. h. t. cc. 1., 2. et 3. ubi statuitur, fideles omnes obedire debere

Rom. Pontifici. Ut autem hujus obedientiæ obligatio melius innotesceret et observaretur, usque ad sæc. VI. mos invaluit, ut Episcopi juramentum fidelitatis præstarent. Deinde lex et forma statuta est in c. 4. *de Jurejurando* (II. 24). Et tandem forma invariabiliter definita est a *Clemente VIII.* et refertur in Pontificali Romano in titulo de Consecratione Episcopi. — 2°. In c. 2. h. t. ubi agitur de Obedientia quam fideles omnes in Diœcesi Episcopo exhibere debent. Et quidem ut Clerici majori vinculo subjectionis erga Episcopum devincirentur, inductum est ut presbyteri in ipsa ordinatione Ordinario suo pro tempore reverentiam et obedientiam promitterent. — 3°. Suffraganei et eorum subditi in casibus a jure statutis obedientiam præstant Metropolitano c. 11. *de Off. Jud. Ord.* (I. 31).

Hanc obedientiam etiam exhibent Religiosi propriis superioribus Regularibus c. 10. h. t. Quæ porro obedientia seu subjectio præstanda est non solum in foro interno, sed etiam in foro externo. Superiores enim Regulares jurisdictione gaudent in suis religiosis familiis.

8. Porro contra eos qui denegant obedientiam Episcopi mandatis, infligi potest ab Episcopo pœna excommunicationis c. 2. h. t. Item contra Regulares inobedientes possunt Priores et Abbates sententiam excommunicationis pronunciare c. 10. h. t. In utroque vero casu requiritur contumacia, c. 41. C. 11. q. 3.

9. Quibus positis explicandum est c. 12. h. t. quod de Obedientia agit erga Abbatissas. Sciendum est, Abbatissas et Priorissas non habere veram et proprie dictam jurisdictionem ecclesiasticam, quæ nempe ex potestate clavium derivat, posse autem habere directionem in monasterio suo præcipue quoad moniales, eisque vera præcepta imponere, quibus moniales parere in conscientia tenentur. Insuper directionem habent quoad alias personas monasterio subjectas, et immo quoad ipsos Clericos addictos servitio divino in Ecclesia monasterii. Ex qua directione Abbatissæ possunt utique eos monere et corrigere, nec non eosdem Clericos etiam suspendere a beneficiis subtrahendo fructus beneficiorum. Quare Abbatissæ et Priorissæ quandam speciem habent jurisdictionis. Quid vero si Abbatissæ vel Priorissæ jussa despiciantur a monialibus aut ab aliis personis aut ab ipsis Clericis? Ipsa quidem proprie dictas censuras ferre non potest, eo quod censuras infligendi facultas ad claves Ecclesiæ pertinet, quarum potestas

aliena est a fœminis c. 10. *de Pœn. et Rem.* (V. 38.) Potest vero Abbatissa implorare officium superioris regularis sui ordinis, qui per censuras ecclesiasticas coerceat contumaces inobedientes. Verum animadvertit *Gonzalez* in *Comm.* ad idem c. 12. n. 8. Abbatissam de las Guelgas de Burgos in Hispania potuisse constituere beneficiarios et approbare confessarios per medium presbyteri a se deputati. Sed quod magis est, *Bizzari* in sua *Collectanea* pag. 322. refert resolutionem S. C. EE. et RR. diei 22. Junii 1708, et 19. Julii 1709. ex qua infertur aliquando Abbatissam monasterii s. Benedicti Conversani in Provincia Barensi per Vicarium a se deputatum jurisdictionem exercere potuisse; qui Vicarius approbabat sacerdotes ad Confessiones recipiendas nec non Clericum a Capitulo præsentatum ad curam animarum exercendam. Quare ex hisce deducitur, Abbatissam ex privilegio apostolico habere posse jurisdictionem spiritualem, quam tamen non per se ipsam, sed per Vicarium Clericum exercere debet. Porro idem Card. *Bizzari* in eod. loc. adnotat, Abbatissæ Conversani fuisse dein sublatam antiquam jurisdictionem.

10. De modis quibus *cessat* majoritas et relativa obedientia. 1°. Quisque videt, majoritatem amitti eo ipso quo quis privilegium aut dignitatem amiserit, sive ob spontaneam renunciationem acceptatam a superiore, sive ob privationem legitime factam. Manente vero privilegio et dignitate, qui obsequium vel subjectionem exhibere tenetur, directe ab utroque vel alterutro præstando sese eximere non potest. Auctoritatem enim vel dignitatem contemneret. Potest vero indirecte sese eximere ab obsequio præstando, subtrahendo nempe vel occasionem vel materiam obsequii aut subjectionis, si id fieri jure possit.

2°. Amittitur majoritas quoad aliquam Ecclesiam vel personam, si Ecclesia vel persona constituatur vel in æquali vel in majori auctoritate aut dignitate. Exemplum hujus principii traditur in c. 16. h. t. In eo enim traditur Ecclesiam vel ejus præpositum eximi ab auctoritate Archidiaconi, cui subjiciebatur, eo ipso quod erecta fuerit in Cathedralem Ecclesiam.

11. 3um. Casus describitur in c. 8. h. t. in quo species est de Ecclesiis insulæ Cypri, subjectis ante schisma Patriarchatui Constantinopolitano, quæ tempore schismatis Romanæ Sedi unitæ permanserunt. Restituto Patriarchatu ab *Innoc. III.* Patriarcha postulavit ab eodem Innoc. ut illico revocaret et subjiceret illas

Ecclesias Patriarchatui. Rom. Pontifex ait, se id perficere nolle inauditis partibus; paratum vero se esse ad assentiendum Patriarchæ, quoties ipse in judicio postularet restitutionem Ecclesiarum, et justitia restitutionem exigeret. Ex qua responsione hoc principium deducitur, amissa majoritate per hæresim, schisma vel aliud crimen, recuperari non potest per modum facti, aut invocata auctoritate superioris inauditis interesse habentibus; sed recuperari potest intentato judicio in petitorio, idest super bono jure restitutionis, citatis partibus. Verum in judicio hujusmodi restitutio per judicem erit concedenda, quoties status Ecclesiarum non fuerit in substantialibus immutatus sub respectu jurisdictionis et præeminentiæ, non vero si hæc verificentur, ex. gr. si in novam provinciam coaluerint. Quod innuit Innocentius cum dixit 'juris namque ratio postulat, ut in eorum præjudicium, quibus eædem Ecclesiæ subjectæ sunt, nihil ordinemus'.

Titulus XXXIV.

De Treuga et Pace.

1. Expleto tractatu de Prælatis et de judicibus ecclesiasticis B. Raymundus, antequam de judiciis in Libro II. loqui aggrediatur, quosdam titulos præmittit, qui vel respiciunt aliquas personas quæ locum habent in judiciis, vel respiciunt remedia quibus litigantium pericula aut præveniuntur aut mitigantur. Horum in censu recensendæ sunt treuga et pax; pax quæ exstinguit quæstiones, treuga quæ imminuit effectus incœptæ quæstionis aut belli effervescentis.

2. Treuga, quæ etiam induciæ aut armistitium dicitur, est '*securitas et fides præstita rebus et personis ad tempus, quamvis discordia non sit penitus finita*'. Pax vero definitur '*plena discordiarum exortarum sedatio*'.

3. Treuga alia est conventionalis, alia canonica, prout vel a libera pactione spondetur, vel statuitur et imponitur ab ecclesiastica lege. Prior nempe conventionalis est juris gentium, quemadmodum etiam innuitur in c. 9. D. 1. Ei autem adsistit etiam jus Ecclesiasticum si fuerit juramento firmata. Ecclesia enim licet de civilibus quæstionibus non judicet, tamen judicare potest de quæstione religiosa, utrum nempe aliquis sit perjurus an non. Hinc cum rex Angliæ conquereretur cum *Innoc. III.* de agendi

ratione regis Gallorum qui pacem jurejurando firmatam fregerat, Innocentius redarguit regem Galliarum sibi reservans facultatem judicandi de peccato, idest de violatione juramenti. Ita in c. 13. *de Judiciis* (II. 1). Quod jus Rom. Pontificis præsertim vigebat Media Ætate, cum Principes juramentum emittebant quo spondebant se fore defensores Ecclesiæ et cujuscumque ordinis. Ecclesia recipiebat hoc juramentum, cujus erat interpres et custos; et simul legibus suis promovebat obedientiam erga Principes, qui suis satisfaciebant obligationibus. Ecclesia vero protegens treugas conventionales juramento munitas mitigabat ardorem bellorum quæ media ætate frequentissima erant inter principes et inter respublicas.

4. Quem finem studuit Ecclesia præcipue obtinere statuens in Conc. Lateran. III. ut certis temporibus, nempe a feria IV. post occasum solis, usque ad feriam II. in ortu solis, ab Adventu Domini usque ad Octavam Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad Octavam Paschæ ob mysticas significationes et ob sacrum tempus servarentur induciæ et arma silerent, ita ut qui contra canonem auderent bella suscipere, in maledictum Ecclesiæ post trinam admonitionem inciderent c. 1. h. t. Istæ induciæ appellatæ sunt *treugæ Domini*, et constitutæ fuerunt contra bella privata quæ a legibus nec probabantur, nec condemnabantur; non autem contra bella justa, auctoritate publica suscepta. Ita *Gonzalez* ad c. 1. h. t. nn. 9. et 18. et alii. Statuit insuper Ecclesia c. 2. h. t. ut tempore belli Clerici, Religiosi, peregrini, mercatores, rustici addicti agriculturæ et animalia quoque servitio agrorum occupata plena immunitate et securitate gauderent. Verum hæc historice dicta sint, contraria enim consuetudine factum est ut hæc canonica dispositio suo robore careret.

Titulus XXXV.

De Pactis.

1. Aliquid dicendum de notione pactorum ex jure civili deprompta. Leges civiles ex innumeris conventionibus, quæ inter homines perfici possunt, quasdam easque usitatiores elegerunt, quibus civilem obligationem adnectere voluere. Id autem non importat, cæteras conventiones a jure civili fuisse rejectas, sed solummodo eis non fuisse concessam actionem civilem ita ut regi deberent sola

paciscentium fide. Conditores enim legum Romanarum quædam civium probitati relinquere voluerunt potius quam omnia vinculis et necessitate legum complecti. Conventiones quæ obligationem civilem pariunt appellantur *Contractus*, reliquæ vero conventiones quæ hac obligatione destitutæ sunt, nomen generis retinuerunt et *pacta* dicta sunt. Pactum ergo juxta *Ulpianum* L. 1. §. 2. ff. *De Pactis* est 'duorum pluriumve in idem (seu in eandem rem) placitum consensus'.

2. Porro contractus ideo civiliter obligant, quia leges civiles in ipsis agnoscunt causam obligationis, quæ vel est in consensu, et contractus dicuntur *consensuales*, vel in re, et *reales*, vel in verbis solemnibus, et *verborum obligationes* dicuntur, vel in literis, et *literales* appellantur. Inter hosce contractus nonnulli, cum primum inducerentur, proprium nomen sortiti sunt, alii vero minime. Quare alii dicti sunt *contractus nominati*, alii vero *innominati*. Nominati qui et nomen et causam habent obligationis, innominati qui causam tantum habent. Causa hæc in contractibus innominatis est datio vel factum a lege probatum et habitum uti capax producendæ obligationis. Obligationi civili respondet *actio*, idest jus alicui competens persequendi in judicio, quod sibi debetur. Ergo contractus actionem civilem pariunt. Igitur Jure Romano pacta, quæ in genere conventionum permanserunt, nec obligationem civilem nec actionem producebant; destituebantur enim et nomine et causa L. «Juris gentium» §. Sed cum nulla ff. h. t. Verum pacta admissa sunt ut producerent exceptionem L. 1. ff. h. t. Is ex. gr. qui per pactum convenit super aliqua re, si deinde actionem intentet contra fidem datam, potest exceptione pacti repelli. Immo pactis adjectis contractibus, quæ dicta sunt *non nuda*, concessa est actio ipsi contractui propria. Ex. gr. si contractui emptionis et venditionis adjiciatur pactum de pretio solvendo in aliqua designata civitate, exsecutio hujus pacti peti potest a venditore mediante actione empti venditi. Insuper quædam pacta specialia a lege agnita sunt, et *legitima* appellata fuere, quæ actionem ex lege illa approbante producunt. Cætera vero pacta, quæ *nuda* dicuntur, et sunt meræ conventiones, actionem ex legibus romanis non gignunt.

3. Sed quæritur utrum ex lege *canonica* omnia pacta veram et publicam obligationem habeant, ita ut detur actio ad coërcendum illum qui datam fidem violare nititur. Et quidem c. 3. h. t.

judex studiose debet agere ut ea quæ promittuntur, opere compleantur. At clarius in c. 1. h. t. dicitur ut pacta custodiantur, idest jus canonicum pacta adprobat et vult ea servari. Verba illa autem c. 1. h. t. 'aut conventus ecclesiasticam sentiat disciplinam' exprimunt, conventionem quamcumque etiam in foro externo Ecclesiæ juridicum valorem obtinere, et per consequens ex pacto coram judice licet proponere querelam et actionem ad adigendam contrariam partem ad fidem datam servandam. Ratio est quia jus canonicum potius quam formulam, respicit rei veritatem et juris naturæ exigentiam.

4. At pactum confundendum non est cum *pollicitatione*. Pactum enim est conventio duorum vel plurium, pollicitatio autem est sponsio seu promissio unius in favorem alterius. Ex quo sequitur 1°. pactum obligare utramque partem paciscentem, si conventio sit *bilateralis*, pollicitationem vero obligare solummodo *promittentem;* 2°. pactum ex ipso facto positi consensus obligationem gignere, pollicitationem vero non obligare ipsum promittentem, nisi promissio signo aliquo externo fuerit ab alia parte *acceptata*. Nam hæc altera pars nullum jus acquirit antequam per consensus sui manifestationem ligaverit promittentem. Votum vero cum sit promissio de bono meliori et possibili, statim obligat, quia præsumitur a Deo illico acceptari.

5. Quæri potest: *quinam pacisci possunt?* Resp.: Omnes qui satis intelligunt valorem conventionis, nec a lege specialiter prohibentur. Prohibentur vero pacisci: Prodigi, interdicti, filiifamilias de rebus paternis, pupilli et minores absque consensu tutoris vel curatoris, quando agitur de alienatione bonorum §. 1. Inst. *De Auctor. tutor.* et L. «Si Curatorum» C. *De in integr. restit.;* Clerici in genere circa alienationem rerum ecclesiasticarum, prout melius declarabitur in Lib. III.

6. Quæritur: potestne quis in *tertiæ* personæ favorem pacisci? Regula generalis negativa traditur in L. «Stipulatio ista» §. «alteri» ff. *de Verb. Oblig.* ubi dicitur 'inventæ sunt stipulationes vel obligationes ad hoc ut unusquisque acquirat sibi quod sua interest'. At exceptio datur 1°. Si paciscens habeat a tertia persona mandatum, 2°. si is pro quo pactum seu stipulatio initur subjectus sit paciscenti, ut est filius patri, 3°. si agatur de re cujus interest ipsum paciscentem ex. gr. si tutor cedens contutori res pupilli pactum ineat in securitatem earundem rerum favore pupilli.

7. Si quæratur quodnam sit *objectum* pactorum, responderi potest *quamlibet rem honestam et possibilem.* Possibilem, nam ex regula «Nemo» 6. *Juris* in 6°. «nemo potest ad impossibile obligari;» honestam, nam obligatio est vinculum juris et rationis, quod locum habere nequit ubi iniquitas reperitur. Hinc quædam pacta reprobantur: 1°. Omnia pacta *simoniaca* vel *periculum* simoniæ inducentia; sic expresse pactum pro re spirituali obtinenda, cc. ult. h. t. et 5. *de Rer. Permut.* (III. 19), item pactum respiciens resignationem beneficii pro aliquo temporali faciendam, c. 4. h. t., deinde pactum resiliendi a quæstione super beneficii assecutione cum onere solvendi expensas omnes, similiter pactum Clerici promittentis pensionem vel augmentum pensionis si instituatur in beneficio, cc. 23. *de Simonia* (V. 3) et 6. h. t. 2°. Non valet pactum de *successione* in ecclesiasticis beneficiis ex. gr. si beneficia concedantur Clericis cum pacto seu modo, ut post eorum obitum in beneficio alii nominatim succedant c. 5. h. t. — 3°. Reprobantur pacta quæ *juri publico* et præsertim Ecclesiarum *præjudicium* inferunt, ut ex cap. 7. h. t.

8. Occasione c. 2. h. t. in 6°. quæstio a Doctoribus proponitur: utrum auctoritas humana possit pacta *irritare,* quæ inspecto jure naturali valida essent, et utrum hæc irritatio vires suas exserat in solo foro externo, vel etiam in foro conscientiæ. Procul dubio nemo negare potest supremam auctoritatem tum ecclesiasticam tum civilem in propria respectiva negotiorum provincia quasdam conditiones et solemnitates exigere posse ut aliquis actus vel aliqua conventio legitima sit, et valorem juridicum assequatur. Hinc omnis difficultas evanescit, si quæstio proposita ad solum forum externum coarctetur. Quid vero de foro interno dicendum? Pariter dubium nullum est, si sermo sit de legibus ecclesiasticis irritantibus aliquod pactum. Scilicet pactum hoc nullam vim habet etiam in foro interno. Quia Ecclesia in legibus suis totum hominem dirigit. Si autem agatur de legibus civilibus, hæc a Doctoribus uti tuta responsio exhibetur. Scilicet si lex civilis ob bonum publicum, et ad evitanda gravia pericula in societate aliquod pactum irritat, nec cæteroquin lex ipsa rationi et æquitati evidenter repugnat, aut peccatum foveat, irritatio protenditur etiam ad forum internum. Addimus vero saltem irritationem hanc adeo valere ut bonus fidelis, tuta conscientia possit uti jure quod ei a lege conceditur. Leges enim civiles justæ in materia civili, etiam quoad conscien-

tiam regulam legitimam et tutam constituunt. Jus Canonicum hoc principium recognovit. Nam in c. 2. h. t. in 6°. quærebatur utrum filia teneretur observare pactum factum patri dum nuptui tradebatur, ut, dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet. Hoc pactum, uti notat Pontifex in cap., reprobatur a lege civili Romana, ut patet ex L. «Pactum» C. *de Collationibus.* Jamvero Pontifex quæstioni respondet, filiam teneri ex juramento, si eidem pacto juramentum adjectum fuerit. Ergo per se irritatio hujus pacti, facta a lege civili, mulierem eximit a qualibet obligatione, et non obstante pacto, ad bona paterna regressum petere potest. Ergo jus canonicum vim legis civilis etiam quoad forum internum recognoscit. Quid vero dicendum sit de juramento, ejusque observantia in casu, explicabimus in Lib. II. in tit. 24. *de Jurejurando.*

9. Tandem occasione c. 2. h. t. quæritur utrum pactum invalidum per consensum superiorum validum reddatur. Cit. Caput ita sumatur 'Conventio invalida per consensum superioris validatur'. Quare in præsenti re habemus canonicam regulam. Hanc vero regulam ita explicant Doctores, inter quos *Layman* ad c. 2. h. t. Videlicet si invaliditas procedat ex ipso jure naturali, ita nempe ut pactum vel etiam alius actus nullo modo, nec ipso jure naturali inspecto, sit validus, hac in hypothesi neque a Supremo principe in societate potest convalidari. Confirmari enim non potest quod nullo modo est. L. «Duo sunt Titii» ff. *de testamentar. tutela.* Si autem pactum vel actus jure naturali consistant, et non valeant solummodo vi legis positivæ humanæ, princeps in societate potest consensu suo defectum auferre, et pactum vel actum validum reddere. Hoc in sensu explicandum est c. 2. h. t. cui plene concordat c. 1. *de transact.* (I. 36).

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

1. Transactio est unus ex modis quibus causa litigiosa finitur: verum stricto et proprio sensu sumpta ceu medium juridicum peculiare quæstionum finiendarum definitur in L. 1. ff. h. t.: *'rei dubiæ et litis incertæ nec finitæ, conventa et non gratuita decisio'.* Explicanda. Transactio est decisio *rei dubiæ.* Hæc verba duplicem vim habent: 1°. nempe posse transigi in re dubia nondum in-

cœpto judicio; dum scilicet timor est actualis litis futuræ; 2°. objectum transactionis dubium aliquod offerre debere; nam de re certa transigi nequit; et qui certo sciens rem aliquam sibi non spectare transegit, super ea aliquid recipiens, adstringitur etiam in foro externo onere restitutionis L. 6. §. 1. ff. *de Condic. indebiti* et glossa in c. 7. h. t. v. «dato» a Doctoribus recepta. Quoad vero forum internum, restitutionem faciendam esse patet ex eo, quod, qui recepit aliquid in casu, illud recepit et retinet absque titulo. — Dicitur dein *'et litis incertæ et non finitæ'*; quia lite finita per sententiam definitivam judicis, quæ transiit in rem judicatam, transigi amplius non potest. Excipitur tamen casus quo timeatur prudenter concessio restitutionis in integrum. — *Conventa.* Transactio enim ex partium conventione procedit, et enumeratur inter contractus innominatos bilaterales, quo nempe aliquid datur vel remittitur, ut alia pars vicissim aliquid det vel remittat ad quæstionem finiendam. Ex hac proprietate transactionis descendit: non judicem, sed partes eandem perficere. Et sane officium judicis est quæstiones dirimere decernendo cuinam parti competat bonum jus, non imponere transactionem iisdem. Utique tribunalia suprema, prout in quæstionibus quoad meritum in ditione temporali S. Sedis erat tribunal s. Rotæ, aliquando rescribere possunt 'placere de concordia'. At id rarissime accidit, et nonnisi in quæstionibus præsertim fideicommissariis quæ implicabantur magnis difficultatibus et obscuritatibus. Quo insuper in casu non initur una transactio, sed potius a judice ipso applicatur canon ille, ut nempe cum causa neque probabilis est pro utraque parte litigante, officium judicis sit dividere et adsignare litigantibus partem rei divisibilis, aut rem indivisibilem eisdem tradere ut in solidum ea fruantur. — Tandem *'non gratuita decisio'*. Nam in transactione aliquid debet dari vel promitti, aliquid retineri; secus enim esset cessio, renunciatio vel donatio. L. 38. C. h. t. Quæ ita se habet 'transactio nullo dato vel retento seu promisso, minime procedit'. Hinc adagium forense, ut nempe in transactionibus debeat adesse aliquid hinc inde remissum.

2. *De divisione transactionis.* Transactio alia est *universalis,* alia *generalis,* alia *specialis. Universalis* respicit omnes causas quæ intentatæ sunt, vel prudenter timetur ne intententur, quamvis sint diversi generis idest non ejusdem tituli, sed diversi. *Generalis* seu minus universalis ea est quæ complectitur causas ejusdem ge-

neris licet inter se distinctas, ex. gr. si transigatur in omnibus quæstionibus, quæ quandam aditam hæreditatem respiciunt. *Specialis* transactio locum habet cum controvertitur de aliqua re determinata, deque determinato titulo quæstionis. — Transactio vero si ei adjiciatur vel jusjurandum pel pœna, dicitur *jurata* vel *pœnalis*. — Transactio tandem potest esse vel *realis* vel *personalis;* prout nempe pactum transactionis concipiatur in rem vel in personam transigentis. L. 7. ff. *de Pactis.* Porro transactionis personalis favor non egreditur personam transigentis; transactio vero realis etiam hæredibus et successoribus prodest. Idem dicendum de onere quod ex transactione resultat.

3. *Quinam possunt transigere?* — Cum gratuita non sit transactio, sed alienationem dicat, ii solum poterunt transigere qui domini sunt et habent liberam administrationem et dispositionem bonorum suorum. Hinc pupilli, minores, prodigi sine auctoritate tutoris vel consensu curatoris transigere non possunt. Sic nec Prælatus super bonis monasterii sui potest transigere nisi de consensu Capituli c. 3. h. t. Nec administratores rerum ecclesiasticarum et beneficiorum sine auctoritate Superioris, nempe Episcopi aut Archiepiscopi in Episcopi defectu c. 2. h. t. Hæc locum habebant jure decretalium. Nam ex Const. *Pauli II.* quæ incipit *Ambitiosæ,* quæque legitur in c. un. *de Rebus Eccles. non alienan.* (III. 4) inter Extrav. comm. res immutata est. In ea enim Constit. præcipitur, alienationes bonorum ecclesiasticorum immobilium aut rerum mobilium pretiosarum non valere si fiant inconsulto Rom. Pontifice. Ergo a pari transactiones super eisdem bonis non valent absque Confirmatione Rom. Pontificis. Non idem dicendum de rebus mobilibus non pretiosis, aut de iis quæ servando servari non possunt. Etenim in hisce rebus transigi potest absque beneplacito apostolico. Istæ namque res absque eodem beneplacito alienari possunt. Pariter cum ex sensu Auctorum et praxi recepta res immobiles exigui valoris, non excedentes nempe pretium 40 aut 50 scutat. roman. non comprehendantur sub sanctione Constit. «*Ambitiosæ*» *Pauli II.,* sed remaneant sub dispositione Canonis «Terrulas» 53. C. 12. q. 2. ita nempe ut possint alienari auctoritate Episcopi, inconsulto Rom. Pont., hinc sequitur fieri etiam posse super eisdem rebus immobilibus exigui valoris transactionem ex sola auctoritate Episcopi. Canon. cit. qui est Conc. Agathensis ita se habet: 'terrulas aut vineolas exiguas et Ecclesiæ minus utiles, aut longe positas et

parvas, Episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem.'

4. Si transactio celebretur debitis solemnitatibus idest cum auctoritate superioris, obligat ipsam ecclesiam et successores transigentis; secus vero minime. At hoc non impedit quominus rector Beneficii aut Ecclesiæ possit de juribus Ecclesiæ transigere propria àuctoritate in sui præjudicium. Transactio enim in casu, si fiat obligabit ipsum transigentem quoadusque Ecclesiam aut beneficium possidebit. Quod innuit Pontifex in c. 8. h. t. ubi adnotat talem transactionem videri potius factam inter personas, quam inter Ecclesias, nec pacta inter alios acta aliis obesse posse. Confirmatur ex c. 5. h. t.

5. Sed quoniam de Superioris approbatione loquimur, inquirendum est quomodo concilietur dispositio capitis 8. h. t. cum jure illius temporis quoad alienationes rerum ecclesiasticarum et quoad transactiones super iisdem. Caput 8. auctorem habet *Alexandrum III.* et per consequens præcedit dispositionem Const. *Ambitiosæ* quæ est *Pauli II.* Quique primus in alienationibus bonorum Ecclesiæ beneplacitum apostolicum necessarium esse decrevit. Quomodo ergo *Alexander* in c. 8. potuit reprobare transactionem, quæ inita fuit absque auctoritate Rom. Pontificis, cum illis temporibus ad alienationes rerum Ecclesiasticarum faciendas hæc solemnitas de jure nondum requireretur? Ipse vero Pontifex in casu agebat partes judicis, qui applicabat legem facto quod acciderat. Difficultas augetur ex c. 2. in quo Alexander statuit, transactionem valere super decimis si facta fuerit cum assensu idest cum auctoritate Episcopi. Quod principium confirmatur c. 5. h. t. Quomodo ergo Alexander in c. 8. non requirit simpliciter auctoritatem superioris, sed confirmationem S. Sedis ad valorem transactionis?

6. Variæ dantur opiniones. Dici forsan posset monasterium fuisse exemptum et Rom. Pontifici immediate subjectum; ac proinde Roman. Pontificem fuisse Superiorem, cui spectabat jus confirmandi transactionem monasterii. Cui opinioni videtur congruere summa Capitis, quæ ita se habet 'transactio facta de rebus Ecclesiæ per Prælatum sine *Superioris* consensu non obligat successorem'. Verum non clare exprimitur agi in Capite de monasterio exempto, et exemptionem fuisse causam cur debuisset a S. Sede

approbari transacto. *Suarez* in L. 4. *de Decimis* c. 57. animadvertit satis non fuisse auctoritatem Episcopi, et requisitam fuisse auctoritatem Pontificis, quia agebatur de transactione cum laicis. At responsio hæc excluditur ab ipsa specie Capitis; nam transactio revera facta est inter Monachos et Sacerdotem rectorem Ecclesiæ s. M.; laici autem non erant nisi coloni Monachorum. Hinc transactio eos directe non respiciebat.

7. Quare potius tenenda videtur alia sententia. Sciendum est a prædecessoribus *Alex. III.* Monachis Cisterciensibus, Templariis et Hospitalaribus concessum fuisse privilegium non persolvendi decimas de propriis laboribus aut de prædiis excultis sumptibus propriis, cæteris vero Religiosis concessum fuisse privilegium non solvendi decimas de suis novalibus, quæ propriis manibus vel sumptibus excolebant nec non de nutrimentis animalium et de fructibus hortorum suorum. Remanebat vero obligatio religiosorum solvendi decimas quoad alias res. Hæc omnia referuntur ab ipso Alex. III. in c. 10. *de Decimis* (III. 30). Vi hujus privilegii contendebant Monachi Cistercienses Monasterii majoris, se suosque colonos eximi ab obligatione solvendi decimas in locis subjectis Ecclesiæ Parochiali S. Mariæ. Contradicente rectore hujus Ecclesiæ, inita est transactio de qua agitur in capit. nostro, qua cautum fuit ut de duabus carruatis terræ tertia tantum pars decimarum solveretur. Quare transactio eo directa est ut fieret extensio privilegii monachorum; idest per transactionem inductum est, ut in terris subjectis parœciæ, pro monachis non solum, sed etiam pro eorum colonis servaretur privilegium exemptionis ab onere solvendi integras decimas, sed solvi deberet solummodo pars decimarum. At privilegium non solvendi decimas Religiosis competens a solo Rom. Pontifice concessum fuit cc. 10. et 12. *de Decimis* (III. 30) et cc. 6., 15. et 31. *de Privil.* (V. 33). Jamvero cum privilegium sit res odiosa et exorbitans a jure, pari gressu procedunt tum ipsa concessio prima privilegii, tum extensio ejusdem ad casus non comprehensos in concessione; idest etiam extensio privilegii ut valeat roborari debet a Rom. Pontifice. Cum ergo ageretur in casu nostro de extensione privilegii, merito Alexander respondit transactionem in casu non obligare Ecclesiam parochialem nisi probaretur eam fuisse confirmatam a Rom. Pontifice. Quam explicationem insinuat ipse Pontifex in textu originali suæ Decretalis scribens 'nisi privilegium Apostolicæ Sedis super hoc

indultum coram vobis præfati monachi palam produxerint'. Ergo concludendum est, Alexandrum non contradixisse sibi et juri sui temporis.

8. *De objecto transactionis,* seu de rebus super quibus fieri potest, vel non, transactio. — *Ostiensis* in summa hujus tituli respondet: Generatim loquendo de omnibus rebus dubiis et de litibus incertis possumus transigere, exceptis iis quæ ex jure prohibentur c. ult. h. t. Ex quo illico sequitur, transactionem esse nullam si juri *naturali* aut *positivo divino* vulnus inferat. Pariter inter privatas personas transigi non potest in iis quæ sunt *publici* juris; pacto enim privatorum publico juri non derogatur c. 12. *de Foro competenti* (II. 2). Unde Clericus per transactionem non potest sibi constituere judicem laicum, quia privilegium fori toti Collegio ecclesiastico fuit indultum eod. c. 12.

9. Ut melius determinetur objectum transactionis, varia quæstionum capita expendemus. Et 1°. occasione c. ult. h. t. quærimus: utrum dari possit transactio super *matrimonio?* Quæstiones quæ matrimonium attingunt, possunt respicere: 1°. exsistentiam aut nonexsistentiam vinculi conjugalis, vel 2°. jura et officia quæ vinculum consequuntur, nempe individuam vitæ consuetudinem, thorum et cohabitationem, vel 3°. secundaria jura et accessoria matrimonii, scilicet dotem, patrimonium commune etc., vel 4°. tractatus prævios matrimonio et sponsalia inita ad præparandum matrimonium. — Quoad primum caput quæstionum transigi non potest; vel enim exstat vinculum ob matrimonium valide contractum, vel non exstat. Si primum, non posset per transactionem idest per remissionem juris alterutrius conjugis vinculum immutari aut excludi; si secundum, non posset per pactum privatum reddi validum matrimonium, quod fuerat in celebratione impedimento *publici* saltem juris invalidum. Et hoc in sensu accipi debet c. ult. h. t. Quod si vero a partibus cognoscatur, nullum fuisse matrimonium, possent amicabiliter convenire de novo contractu conjugali rite ineundo, nisi obstet impedimentum indispensabile. — Habere autem locum potest transactio circa alia tria capita. Sic ex. gr. si contracta sponsalia ab una parte impugnentur, ab alia vero asserantur, possunt partes transigere, ut vel roborentur vel mutuo consensu dissolvantur c. 1. *de Reg. jur.* (V. 41) quod ita se habet 'omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur'. Quod de matrimonii vinculo diximus etiam applicandum est religiosæ professioni, ut scilicet trans-

actio admitti nequeat sive quæ professionem nullam reddat validam, sive quæ infirmet eam quæ valida est c. 31. *de Regul. et transeunt.* (III. 31) et sess. 25. *de Regul.* cc. 16.—19.

10. Quæritur 2°. an liceat transigere super rebus relictis in *testamento?* Ex L. 6. ff. *de Transact.* non aliter transigi potest quam apertis et cognitis tabulis testamenti. Quæ inspectio non requiritur ut fiat propriis oculis, sed sufficit ut voluntas testatoris a partibus transigentibus cognoscatur. Nam qui scit aliquam rem, in legibus eam inspicere dicitur; inspicit enim per intelligentiam L. 17. ff. *de Legibus.* Ratio ob quam prohibetur transactio, tabulis non inspectis, est, ne facile eludantur ultimæ morientium voluntates, et ne homines imbecilliores fraudibus et captionibus hæredum decipiantur, ita ut modico statim recepto, ingenti renuncient commodo et utilitati.

11. Rejicitur etiam tanquam nulla transactio quæ facta fuerit *de alimentis* in testamento vel in codicillis relictis, nisi causa cognita et interveniente judicis decreto. Adest textus expressus L. 8. ff. *de transact.* Valet vero transactio aliter facta si in evidentem utilitatem alimentarii vergat ead. L. §. 6. Pariter valet transactio si de præteritis alimentis sermo sit, quæ soluta non sunt, et causam quæstioni præbent L. «de alimentis» Cod. h. t. Et ratio est quia in hac hypothesi cessat causa prohibitionis, quæ est periculum vitæ ex defectu alimentorum. Insuper absque judicis auctoritate inita valet transactio de alimentis quæ vel inter vivos concessa sunt legitime vel quæ sibi quis per contractum constituit.

12. Doctores quærunt, utrum possit fieri transactio *circa crimina.* Non loquimur de effectibus civilibus, idest de damnis illatis ex crimine. Nemo enim denegabit, fieri de hisce posse transactionem inter lædentem vel ejus familiam et læsum vel, eo deficiente, ejus familiam. Hæc enim quæstio merito æquiparatur reliquis causis civilibus, in quibus transactio prohibita non est. Loquimur de actione ipsa criminali, utrum nempe concessum sit per transactionem aliquid pretio æstimabili concedere alicui ut desistat ab accusatione promovenda. Jus civile concedit id fieri posse cum agitur de crimine capitali; quia licet cuique sanguinem suum quoquomodo redimere, non licere autem in aliis inferioribus criminibus, ne scilicet facile impunita remaneant, licere tamen in crimine falsi, ob gravem infamiam quæ incurritur, quæ mortem civilem parit. Conferri potest L. 18. C. h. t. Canonistæ vero dissentiunt. Verum

spernenda eorum sententia non est, qui juri civili adhærent. Et ratio est quia ex una parte dantur crimina in jure canonico quæ maximas pœnas secumferunt, ita ut brachio sæculari debeat tradi reus puniendus; et ex altera parte Ecclesia mater benigna est, quæque magis rigida non est potestate civili, nec positive reprobavit lex ecclesiastica dispositionem juris Cæsarei. Restrictio autem mihi facienda esse videtur quoad materiam in qua urget fideles obligatio denunciandi delinquentes: transactio enim secumferret infractionem legis ecclesiasticæ.

13. De transactione in *beneficiis* ecclesiasticis et aliis *rebus spiritualibus*. — Quæstio ab auctoribus proponitur utrum beneficium ecclesiasticum possit esse objectum transactionis. Responsio datur in c. 7. h. t. ubi reprobatur transactio super re sacra si fiat intuitu et interventu rei temporalis; labe enim simoniæ inficitur hæc transactio. Immo in genere reprobatur transactio in beneficiis vel pensionibus ex causa permutationis, quæ fiat austoritate privata absque probatione superioris. Ob periculum enim simoniæ transactiones hujusmodi prohibentur c. 5. *de Rer. permut.* (III. 19). Sub prohibitione vero c. 7. h. t. non comprehenditur transactio, in qua spirituale pro spirituali conceditur vel remittitur. Ex. gr. si ad dirimendas quæstiones super jure decimarum sacramentalium una pars litigans reciperet jus decimandi et simul alter litigans adsumeret onus administrandi sacramenta; hæc transactio prohibita non esset: nam jus spirituale cum onere spirituali concurreret. Spiritualia autem ad invicem possunt permutari c. 6. *de Rer. permut.* (III. 19). Hæc autem transactio si fiat a privatis personis absque auctoritate superioris, successores non ligat. Nemo enim potest successoris in officio pejorem conditionem reddere. Ex principiis vero expositis in titulo *De Renunciat.* facile intelligitur transactionem fieri non posse supra titulo ipso beneficii ita ut nempe qui beneficium possidet proprio marte alteri illud tribuat. Quæ transactio etiam amicabiliter et gratuito facta regularis et legitima non esset. Nam tum collatio, tum renunciatio beneficii ecclesiastici fieri debet cum auctoritate Superioris.

14. Fierine potest transactio super *jurisdictione* et relativa *subjectione?* Valet eadem responsio ac in præcedenti; ut nempe datum vel remissum pro jurisdictione non sit temporale; secus ob maculam simoniæ nulla est transactio, c. 10. h. t. Quare exorta quæstio circa jurisdictionem ac relativam subjectionem non potest

componi inter partes et remitti obligatio subjectionis sub conditione et pacto ut persona vel locus eximendus a jurisdictione solvat annuum canonem. At canon hic a jure prohibitus non est confundendus cum censu qui solvitur ab ecclesiis in recognitionem jurisdictionis Episcopi vel dignitatis et primatiæ Ecclesiæ matricis, de quo in c. 2. *de Censibus* (III. 39). Nam canon prohibitus in c. 10. h. t. tenet locum compensationis seu cujusdam pretii pro concessa exemptione census de quo in c. 2. *de Censib.* (III. 39) nihil aliud est quam signum demonstrativum subjectionis vel matricitatis. Hinc communiter in exigua præstatione consistit, ita ut appareat clare, non fieri compensationem inter jus spirituale et rem pretio æstimabilem. — Quod de juribus spiritualibus, nempe de jurisdictione diximus, applicandum etiam est rebus illis seu juribus quæ spiritualibus adnexa sunt. Hinc ex. gr. transactio in jure patronatus non valet si retineatur vel remittatur aliquid temporale et pretio comparabile in relatione ad jus patronatus, c. 10. h. t.

15. *De effectibus transactionis.* — Omnes effectus transactionis sub unico effectu tanquam sub proprio principio et fonte continentur, qui effectus est ut finis quæstioni imponatur c. 1. h. t. et L. 20. C. h. t. Quare si una ex partibus transigentibus quæstionem sopitam iterum excitare conetur, etiam sub prætextu novi instrumenti reperti, repellitur exceptione litis finitæ c. 1. *de Litis contest.* (II. 3) in 6⁰. et LL. 17. et 19. C. h. t. Omnia enim probationum capita quæ pro contendentium juribus militabant, per transactionem censentur viribus destitui, ita ut servari debeat solummodo pactorum seu transactionis pagina c. 1. h. t.

16. At transactio poteritne *rescindi?* Porro rescissio transactionis importat, ut res in pristinum restituantur, idest restituantur in eum statum in quo erant ante transactionem. Hinc reviviscunt rationes, jura et instrumenta quæ pro partibus transigentibus militabant ante transactionem, et per transactionem fuerunt viribus exspoliata. Hisce positis, quisque videt, posse 1⁰. loco transactionem rescindi et resolvi per *mutuam* contrariam partium *conventionem* ex notissima *Reg. 1. Jur.* (V. 41) in decr. *Greg.* 'omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.' 2⁰. Rescinditur si fuerit *dolo* aut *fraude* inita transactio LL. 2. et seqq. *de dolo malo* Cod. aut metu gravi extorta c. 13. h. t. — 3⁰. Rescinditur si appareat fuisse initam ex *falsa causa*, et

falsis documentis ab alterutra parte bona fide propositis L. 42. C. h. t. Res enim incidit in eum statum, a quo incipere non poterat.

Quid vero si una pars non observet ea quæ in transactione spopondit? Remittitur arbitrio alterius partis ut, implorato judicis officio, urgeat observantiam transactionis vel, si velit, a transactione resiliat.

17. Quæstio non parvi momenti diversaque cum opinionum varietate agitatur ab auctoribus, utrum locus sit rescindendæ transactioni ob læsionem ultra dimidium? Non loquimur de personis, quæ in jure habent privilegium seu remedium extraordinarium restitutionis in integrum, quæ sunt pupillus, minor, Ecclesia. Hisce enim personis conceditur hujusmodi remedium ad rescindendam transactionem ob læsionem gravem L. 1. C. *si advers. transact.* et communiter Doctores tenent cum Gloss. in c. 6. *de Empt. et Vendit.* (III. 17) v. «restituerent.» Pariter non loquimur de læsione inducta ex fraude aut ex dolo, sed de transactione læsiva bona fide inita. Uno verbo quærimus: utrum transactioni læsiva applicari possit dispositio L. 2. C. *de rescind. vendit.* Sciendum enim est ex lege cit. læsionem enormem id operari ut venditor læsus ultra medietatem, qui nempe nec recepit mediam partem justi pretii rei venditæ, possit cogere emptorem, vel ad integrum pretium solvendum, vel ad restituendam rem venditam, rescindendo venditionis contractum. Quærunt ergo DD., an transactio regi debeat eodem jure. Si quæstio esset definienda ex legibus civilibus, forsan ob legum varietatem suspensa et dubia remaneret; at inspecta quæstione juxta æquitatem canonicam, quæ naturalem æquitatem sequitur, solvenda videtur cum *Abbate* in c. 6. *de Empt. et Vend.* (III. 17) nn. 7. et 8. et aliis in sensu affirmativo, ut scilicet læsus ultra dimidium possit cogere lædentem vel ad congruam compensationem læsionis vel ad rescindendam transactionem. Agitur enim de contractu oneroso et bilaterali, in quo ferenda non est læsio non solum enormissima, scilicet ultra binas tertias partes justi pretii, sed neque enormis, ultra dimidium. At in computatione læsionis non est considerandum jus transigentis in se inspectum, seu verus valor juris et pretium rei traditæ aut receptæ, sed est inspiciendus valor juris controversi prout erat in quæstione sub dubio et timore incerti exitus litis. Hæc computatio facienda est arbitrio boni viri, omnibus inspectis circumstantiis. At fatemur

id admodum in facto difficile esse, ac proinde difficilem esse casum rescindendæ transactionis ex capite læsionis enormis. Ita *Reiffenstuel* h. t. n. 59.

Titulus XXXVII.

De Postulando.

1. Postulare ex L. 1. ff. h. t. §. 2. nihil aliud significat quam '*exponere desiderium suum vel amici sui in jure apud eum, qui jurisdictione præest, vel contradicere alterius desiderio*'. Qui vero pro altero postulat, dicitur *advocatus,* seu causæ patronus. *Differt* vero advocatus a *procuratore* 1°. quia advocatus regulariter postulat pro præsente, procurator vero pro *absente.* 2°. Procurator ex mandato partis post litis contestationem causam facit *suam* et censetur dominus ejus, quia verum dominum causæ repræsentat, advocatus vero solummodo argumenta et jura judici exhibet in tutelam *clientis* sui. Igitur in sensu tituli advocatus ille est, qui licet causam non faciat suam, tamen in judicio, seu in loco ubi solet jus reddi coram judice suppeditat et explicat rationes sive quoad principia et dispositiones legum, sive quoad circumstantias facti.

2. *Quinam advocati munus suscipere possunt?* — Quæstio hujusmodi potius quam positivam solutionem recipiat, exclusiva methodo tractanda est, et in aliam resolvitur 'quisnam *excludatur* ab hoc munere suscipiendo'. Edictum enim Prætoris explicatum a jurisconsultis in titulo Digestorum *De postulando* prohibitivum est. A lege *civili* porro excluduntur præsertim: 1°. hæretici non tolerati et infideles L. ult. C. h. t. 2°. Infames, qui postulare prohibentur, nisi pro se aut conjunctis personis. 3°. Minores *annis 17*, l. 7. ff. §. 3. h. t. 4°. Juris et literarum imperiti. Porro in moribus communiter introductum est, ut peritia in jurisprudentia pro advocatis resultet ex documentis authenticis gradus academicos comprobantibus, et ex peculiari specimine, quod persona desiderans officium advocati assumere subire debet. — Ex sacris canonibus excluduntur excommunicati, c. 7. *De Judiciis* (II. 1).

3. Quæritur an *Clerici* possint munus advocati suscipere. Distinguendum est tribunal laicum ab ecclesiastico. In *laico* foro Clerici in majoribus ordinibus constituti, aut habentes ecclesia-

sticum *beneficium*, advocati munere fungi nequeunt nisi pro se, vel pro ecclesia propria, vel pro personis sibi sanguine, non vero affectione, conjunctis, vel in causis miserabilium personarum c. 1. h. t. Indecorum enim videtur Clericum hujusmodi lucri captandi gratia sese in negotiis sæculi immiscere et coram judice laico defensoris personam gerere. — Cum vero leges prohibentes stricte sint accipiendæ, dicendum est, sub sanctione cap. 1. h. t. non comprehendi Clericos *minores* qui beneficio ecclesiastico careant. Quemadmodum firmat Glossa. Hi ergo etiam coram judice laico possunt postulare in causis civilibus, vel criminalibus civiliter actis. Verum clerici omnes sive majores sive minores, sive beneficium ecclesiasticum habeant, sive non, vetantur, in causa *sanguinis* pro actore seu accusatore patrocinium gerere, quoties causa criminaliter, idest ad publicam vindictam agitur. Periculum enim est, ne irregularitatem contrahant. Id vero contingeret, si reus mulctaretur pœna capitis vel mutilationis. Quin immo in hisce causis opportunum est, ut neque pro reo patrocinium suscipiant Clerici. — Pariter ex sensu contrario capitis sequitur, in foro *ecclesiastico* posse clericos omnes, exceptis sacerdotibus, postulare sive pro se sive pro aliis sive Clericis sive laicis. Sacerdotes excipiuntur ex c. 3. h. t. qui postulare solummodo possunt pro se, pro ecclesia propria, vel necessitate cogente etiam pro conjunctis aut miserabilibus personis. Porro hæc exceptio Sacerdotum in genere facienda etiam quoad forum ecclesiasticum, intentioni capitis innititur. Nam in c. 3. non est sermo de foro sæculari quemadmodum in c. 1., sed absolute interdicitur sacerdoti susceptio muneris advocatiæ et patrocinii, nisi in quibusdam casibus, nulla facta mentione fori. Igitur munus hujusmodi per se sacerdoti prohibetur sive tribunal sit laicum sive sit ecclesiasticum.

4. Porro animadvertimus cum *Fagnano Com.* in c. 1. h. t. nn. 20. et 21. in titulo sermonem esse de munere advocati, quod postulando impletur, idest de munere, rationes et desideria exponendi et tuendi coram judice in loco jurisdictionis et in contradictione partium. Quare ex eo quod Clericis et præsertim sacerdotibus interdicatur officium postulandi, non inde sequitur prohiberi etiam eis domi consilium dare petentibus et scriptas conficere allegationes quæ inserviant ad jura protuenda coram tribunalibus. Et quidem in more positum jam est, ut etiam Sacerdotes in Romanis Congregationibus, quæ totidem sunt tribunalia ecclesiastica,

admittantur ad causas per scriptas allegationes defendendas. Quin immo ceu adnotat *Benedictus XIV.: De Syn.* Lib. 13. c. 10. Sancta Sedes per literas in forma Brevis Sacerdotibus sæcularibus scientia juris peritis indulget, ut in tribunalibus etiam laicis possint advocati munus exercere in causis sive civilibus sive criminalibus, dummodo in criminalibus solummodo defensionem rei peragant; simulque indulget ut proprii laboris præmium possint exigere. Verum hoc indultum sub ea conditione conceditur, ut illud cesset, statim ac ecclesiasticos redditus ad honestam sustentationem habuerint, vel beneficium residentiale fuerint assecuti.

5. Quamvis Clerici aliquando, uti vidimus, possint advocatiæ munus implere, tamen numquam illud exercere possunt pro extraneis personis *contra Ecclesiam* in qua habent beneficium. Quod si fecerint, tanquam ingrati possunt beneficio exspoliari c. ult. h. t. Doctores hanc dispositionem extendunt ad casum, in quo Clericus possideat distincta beneficia in pluribus Ecclesiis et una alteri quæstionem excitet. Excipitur casus quo Clericus in una sit Prælatus; nam prælaturæ obligationes videntur excusare Clericum agentem contra aliam Ecclesiam, in qua habet beneficium. Prælatus enim est defensor natus jurium Ecclesiæ suæ.

6. Quid vero dicendum de *Regularibus?* Regulares omnes suscipere munus advocati non possunt, nisi sermo sit de *utilitate* monasterii, et nisi accedat simul *licentia* proprii superioris c. 2. h. t. in quo Pontifex dispositionem cc. 20. et 25. C. 16. q. 1. quæ erat de monachis, extendit ad Canonicos Regulares. Ob paritatem vero rationis norma hujusmodi a Doctoribus applicatur reliquis regularibus, et praxis eidem normæ constanter adhæsit. Quod si agatur de Fratribus Minoribus videntur ipsi non solum exclusi ab officio advocati suscipiendo, sed etiam non posse personaliter adjuvare advocatos, quando agitur de causis ex quibus commodum temporale ipsis fratribus redundare potest. Clem. 1. *De Verb. signif.* (V. 11) §. «Proinde.» Nam viderentur nimium animo suo adhærere bonis, quibus nuncium dederunt, quæque possidere nequeunt.

7. *De Officio Advocati.* — Advocati officium duobus continetur; idest advocatus tenetur: 1°. animadvertere et rite expendere *qualitatem* causæ defendendæ, 2°. animum intendere circa *modum* defensionis instituendæ. Quoad primum debet advocatus cavere ne

causas, quas injustas esse deprehendit, defendendas suscipiat, et vel susceptas prosequatur. Sane advocatus justitiam tueri debet, et non potest tuta conscientia causam scienter ponere damnorum sive suo clienti sive etiam adversæ parti. Unde *Lessius: De Just. et Jur.* Lib. 2. c. 31. dubit. 8. n. 48. docet 'Quando (advocatus) tuetur causam, quam advertit esse iniquam, tenetur ad restitutionem omnium damnorum quæ parti obveniunt ratione illius patrocinii, et expensarum factarum et eorum omnium quæ per litem amisit. Tenetur etiam suo clienti, si cum bona fide procedentem non monuit de causæ injustitia. Horum enim omnium est causa, vel committendo vel omittendo contra debitum officii'. — Quare idem auctor in Dubitat. seq. n. 52. docet, Advocatum suscipere non posse patrocinium causæ quæ saltem non sit probabilis.

8. Quoad vero secundum, idest quoad modum defensionis, Advocatus munus suum tenetur implere modeste, vere, ac fideliter. *Modeste*, idest abstinere debet ab injuriis ac conviciis contra adversam partem vel patronum ejus. L. 6. C. h. t. §. 1. — 2°. *Vere*, tenetur videlicet sequi veritatem; nec potest uti theoriis et principiis quæ falsa sunt, et æquitati naturali contraria; nec falsis aut ementitis documentis defensionem roborare. — 3°. *Fideliter* tandem, idest tenetur rationes et argumenta, quæ clienti suo favent, exponere et declarare eo modo quo patefiat et ostendatur eorundem virtus probationis. Ex hoc capite etiam advocatus tenetur silentium servare de secretis clientis sui, nec ea potest parti adversæ aut ejus patrono manifestare.

9. *Jus advocati* est ut operis sui et laboris conveniens stipendium recipiat. Cavere autem debet ne suum nobile et honorificum officium immodici lucri cupiditate deturpet. Quare in specie tria advocatis a legibus prohibita sunt 1°. Pactum cum cliente de quota litis præstanda in casu victoriæ. L. 53. ff. *de Pactis.* — 2°. Emptio, venditio et alii contractus cum cliente durante defensione litis. L. «Quisquis vult» C. h. t. — 3°. Redemptio idest emptio alienarum litium, pretio intercedente. L. «Per diversas.» C. *Mandati.* Porro hæc principia Legum Romanarum etiam in practica jurisprudentia canonica recepta sunt.

Titulus XXXVIII.

De Procuratoribus.

1. Juxta *Ulpianum* in L. 1. ff. h. t. '*Procurator est qui aliena negotia mandato domini administrat*'. Procurator est 1°. qui *aliena* negotia administrat; nam nemo est procurator propriorum negotiorum. Ex hac vero qualitate Procurator distinguitur ab Advocato. Nam, præscindendo etiam ab eo quod Procurator esse potest etiam ad negotia extrajudicialia, advocatus non administrat proprie litem, seu non dirigit ea quæ sunt ordinis judicialis, non suppeditat sumptus litis, non facit litem suam, nec excipit sententiam judicis, quemadmodum efficit procurator, qui ad lites constituitur; sed advocatus solummodo suppeditat argumenta tum juris tum facti in favorem clientis proprii.

Procurator 2°. *ex mandato Domini* procedit. Procurator enim personam domini repræsentat juxta fines commissionis et intentionem expressam in mandato. Adeo autem est necessarium mandatum, ut acta judicii cum Procuratore absque mandato non valeant et exceptio contra hæc acta opponi possit etiam post latam sententiam, c. 4. h. t. et l. 24. C. h. t. Excipitur 1°. si dominus tacite consentiat in procuratorem, 2°. si Procurator sit vinculo sanguinis conjunctus cum domino principali, et a fortiori si sit maritus in causa uxoris. l. 21. C. h. t.; — 3°. si sit Canonicus, negligente Episcopo vel Prælato Ecclesiæ, c. 1. *de Rest. spoliat.* (II. 13) et c. 6. *de Reb. Eccl. non alien.* (III. 13). Ex necessitate mandati differt Procurator a negotiorum gestore, qui alterius absentis et inscii utiliora negotia gerit et administrat, ex præsumpta solummodo voluntate domini. Differt a tutore et curatore, qui designantur vel in testamento vel a lege vel a judice pro pupillo vel minore vel prodigo.

2. *De variis Procuratorum speciebus.* — Procurator alius est qui ad negotia extrajudicialia deputatur, alius qui ad lites. Scilicet alius administrat negotia extrajudicialia, alius pertractat et curam habet de causis quæ in foro agitantur. Primus dicitur Procurator extrajudicialis; vel etiam simpliciter dicitur procurator *ad negotia,* alter procurator *ad lites.* Uterque vel est *generalis* vel est *specialis,* prout destinatur ad universitatem negotiorum, aut causarum, vel ad unum tantum negotium pertractandum, vel ad

unum judicium subeundum et prosequendum. — Procurator generalis aliquando destinatur adhibita formula *'cum libera'* idest cum plena et libera facultate administrandi et procedendi, aliquando vero non, idest simpliciter procurator designatur c. 4. h. t. in 6°. et L. 58. ff. h. t. — Tandem procurator aliquando datur *in rem alienam*, aliquando in *rem suam*. In rem alienam quando procurator administrat negotia aut sustinet causas in utilitatem mandantis, in rem suam procurator est qui alienum negotium in propriam utilitatem gerit, quemadmodum si creditor cedat alicui jura et actiones contra debitores. Hoc enim in casu cessionarius agit contra debitores nomine et ex mandato cedentis, at commodum ipse cessionarius percipit ex felici exitu gestionis suæ simulque periculum et præjudicium patitur. Porro procurator in rem suam improprie procurator dicitur; nam verus procurator est ille qui negotium et utilitatem alienam peragit. Utique procurator judicialis post litis contestationem facit litem suam; at id non significat procuratorem persentire debere utilitatem vel incommodum exitus judicii; nam dominus est qui effectus litis persentire tenetur, cum procurator munere suo rite functus fuerit. Facit ergo procurator causam suam quia post litis contestationem ipse est cui causa inscribitur, qui directe tractat cum judice, cui manifestantur acta judicii, intimatur decisio tribunalis.

3. Quæritur 1°. *quinam possunt constituere procuratorem.* Quidam respondent: qui domini sunt rei de qua agitur, et facultatem habent eam administrandi. Non admodum vero diversa responsio est, si dicatur, illos posse constituere procuratores qui obligari possunt, nec a lege vel canone prohibentur. Primum membrum ex eo clarum redditur, quod mandans cogitur agnoscere et admittere ea quæ a procuratore intra fines mandati geruntur. A lege autem excluduntur qui sunt sub alterius potestate aut cura. Hinc filiifamilias in bonis paternis, vivente patre, procuratorem non possunt constituere, quamvis possint in bonis castrensibus vel quasi-castrensibus. Pupillus sine auctoritate tutoris, minor sine consensu curatoris non possunt designare procuratorem. L. 11. C. h. t. Minor vero qui curatorem non habet, potest quidem ad negotia extrajudicialia procuratorem destinare, non vero ad lites. Nam procurator hic est a magistratu designandus.

4. Jure canonico excommunicati constituere procuratorem prohibentur, cum partes actoris sustinere tenentur c. ult. h. t. Nam

in judicio constituere procuratorem non potest, qui juridica personalitate caret, ut comparere possit coram judice. Jamvero excommunicati non possunt esse actores in judicio. Ergo etc. Verum quoniam excommunicati possunt tum in prima instantia sese tueri, partes rei sustinentes, tum constitui actores in gradu appellationis contra sententiam, qua damnati sunt, hinc possunt etiam in utroque casu destinare procuratores c. 7. *De Judiciis* (II. 1). Ita Prælati absque consensu Capituli, si agatur de rebus arduis vel capitulum specialiter respicientibus, constituere procuratores nequeunt ex titulo *De his quæ fiunt a Prælato sine cons. Capit.* (III. 10.)

5. Quid vero de *Universitatibus?* Etiam Universitates quæcumque possunt sibi Procuratorem constituere cc. 7. et ult. h. t. Quod si in collegio unus vel plures sint excommunicati, valet mandatum procuratorium ad agendum, dummodo in literis mandati non fuerint nomina excommunicatorum expressa, et dummodo procurator non fuerit præcise ab excommunicatis destinatus c. ult. h. t. Ratio partis affirmativæ est quia destitutis aliquibus jure agendi non censentur alii privati jure suo designandi aliam personam quæ nomine communitatis actionem intentet. At nomina excommunicatorum exprimi in mandato nequeunt, ne mandatum ipsum nullum et irritum reddatur. Expressis enim hisce nominibus, mandatum quod consideratur tanquam actus communitatis vitiaretur ex concursu eorum qui jure mandantium carent.

6. Quæritur 2°. *qui possint destinari ad officium procuratoris.* Si sermo sit de procuratore deputando ad *negotia,* tradunt auctores, nullam aliam qualitatem requiri ultra idoneitatem. Quare ille potest extrajudicialis procurator designari, qui habilis est et idoneus ad negotia vel ad peculiare negotium de quo agitur expediendum. *Aetas* vero determinatur in c. 5. in fin. h. t. in 6°. ubi dicitur, licite deputari procuratorem post ann. *17.* — Si sermo sit de procuratore *judiciali,* quoniam Edictum de Procuratoribus in jure romano negativum est, hinc illi dicendi sunt idonei, qui a jure non excluduntur ab hoc officio suscipiendo. Quare cum filiusfamilias non excludatur a jure, immo includatur c. 5. h. t. in 6°. et L. 8. ff. h. t. §. «Ipse quoque», sequitur filiumfamilias constitui posse procuratorem tam ad agendum quam ad defendendum. 2°. Laicus esse potest procurator etiam in causis spiritualibus c. 1. h. t. in 6°. Quod verificatur sive partes actoris, sive partes rei sustinere debeat. Nam procurator per se non est nisi nudus mi-

nister, nec revera in se suscipit jus spirituale, nec exercet ullam jurisdictionem. Ex sensu ergo contrario non potest deputari laicus procurator in causis spiritualibus, sive cum exercere deberet actum jurisdictionalem, quia laicus est incapax jurisdictionis ecclesiasticæ c. 2. *De Judiciis* (II. 1), sive cum directe et proxime influeret procuratio in concessionem jurisdictionis seu officii sacri. Hinc non potest dari laicus procurator ad eligendum prælatum ecclesiasticum c. 56. *de Elect.* (I. 6). Nam quamvis electores non conferant prælaturam electo; tamen per electionem acquiritur jus ad rem seu ad prælaturam, et proinde laicus concurreret ad jurisdictionem conferendam.

7. Excluduntur vero a procuratoris officio jure civili præsertim servi L. 6. C. *de Judiciis.* 2°. Milites ne castra deserant L. 7. C. h. t. — 3°. Potentiores, ne litem facientes suam aliquo influxu rigori judiciali officiant. Ita in tit. C. *Ne potentiores.* — 4°. Redemptores alienarum causarum; qui nempe causarum procurationem vel pretio suscipiunt, vel paciscuntur in exitum litis, idest ut sibi ex victoria quota seu certa pars tribuatur L. 1. C. h. t.

8. Jure Canonum excluduntur 1°. *Excommunicati*, c. 7. *De Judic.* (II. 1). Censetur enim non habere personam legalem sese sistendi coram judice. — 2°. *Infames* ex c. 1. C. 3. q. 7. Procurator enim et postulator debet esse vir famæ non suspectæ. — 3°. *Regulares* absque licentia superioris et nisi pro suo consorte in eadem lite ex Clem. 3. h. t. *Clerici* vero in casibus in quibus prohibentur suscipere munus advocati, a fortiori excluduntur ab officio procuratoris. — 4°. *Minores* annis *25,* c. 5. in fin. h. t. in 6°.

9. *De causis in quibus possit destinari procurator.* — Si causa non excipiatur a jure, in ea admitti procurator potest. Cum vero 1°. causæ omnes *civiles*, immo etiam *spirituales* non excludantur, hinc admitti in ipsis potest procurator. Valet enim in ipsis principium *Reg.* 68. *Jur.* (V. 13) in 6°: 'Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.' 2°. Idem dicendum de *criminalibus civiliter actis.* 3°. Si sermo sit de *criminalibus criminaliter actis,* distinguendum est juxta DD. inter causas quæ secumferunt pœnam *capitis* vel relegationis vel aliam pœnam *majorem*, et causas quæ pœnas *minores* promerentur. In causis secundi generis admittitur procurator tam pro reo quam pro accusatore. Non admittitur vero procurator pro reo, licet admittatur pro accusatore,

in causis primi generis, ne eludatur judicium. Cum enim sententia pœnalis intimetur procuratori, reus absens potest per fugam illam vitare. Quæ ratio non valet si agatur de pœna exsilii, aut de pecuniaria, vel de pœna afflictiva minore quæ in pecuniariam facile converti potest. Pœnæ enim hujusmodi, si reus nolit accedere, saltem in æquivalenti ab eo sustinentur æque per suam coactivam absentiam et contumaciam a loco sui domicilii. Potest vero procurator adesse etiam pro reo in causis majoribus, cum ipse in carceribus detinetur, nec ad locum judicii adduci facile potest.

10. *De potestate procuratoris.* — Potestas procuratoris considerari potest tum quoad *personam* quæ illam exercet, tum quoad *negotium* ad quod refertur. Virtute potestatis in 1°. respectu consideratæ procurator ad negotia potest quandocumque alium substituere c. 1. §. «licet» h. t. in 6°. Excipitur procurator ad contrahendum matrimonium c. fin. h. t. in 6°. Excipiuntur etiam negotia graviora, ex quibus præjudicium notabile domino principali contingere posset; quia hæc præsumuntur commissa specialiter procuratori. Pariter procurator ad speciale negotium in quo videatur electa industria personæ, alium procuratorem substituere nequit arg. c. 12. *de Off. Deleg.* (I. 14) in 6°. Procurator insuper generalis non potest integram commissionem seu potestatem ad universitatem negotiorum demandare alteri c. 1. h. t. in 6°. Procurator autem judicialis post litis contestationem, cum causam fecerit suam, potest eam alteri committere; non potest vero ante contestationem litis, nisi hanc facultatem alium sibi subrogandi in mandato acceperit, vel nisi procurator sit in rem suam. Virtute potestatis consideratæ in 2°. respectu procurator cum *speciali* mandato deputatus circa negotium extrajudiciale vel circa causam tractandam habet omnes facultates necessarias et opportunas ut vice domini negotium impleat vel causam pertractet, intra limites designatos in mandato.

11. Quid vero dicendum de procuratore cum *generali* mandato? Procurator hic potest omnia negotia administrare illis exceptis, quæ requirunt speciale mandatum. Requiritur speciale mandatum præsertim 1°. ad contrahendum matrimonium c. ult. h. t. in 6°. — 2°. ad alienandum, nisi agatur de fructibus, aut de rebus quæ servando servari non possunt L. 63. ff. h. t. — 3°. ad paciscendum seu ad transigendum L. 60. ff. h. t. — 4°. ad deferendum

juramentum calumniæ vel de veritate dicenda aut decisorium in litem Clem. 2. h. t. et c. 4. h. t. in 6°. §. «Procurator.» — 5°. ad compromittendum in personam arbitri c. 9. *de Arbitris* (I. 43). — 6°. ad opponendum crimen vel defectum contra personam electi vel provisi de beneficio Clem. 2. h. t.

12. Quid si mandatum datum sit cum clausula *'cum libera'* vel *'ut alter ego'?* Hæc clausula idem significat ac plenam et liberam negotiorum administrationem. Procurator ergo qui generale mandatum seu ad omnia negotia recepit sub hac clausula, consideratur tanquam dominus negotiorum. Hinc potest juramentum deferre, transigere et pacisci c. 4. §. «Procurator» h. t. in 6°. potest exigere credita, solvere debita, permutare, innovare et alienare, ex sensu LL. 58. et 59. ff. h. t. cum Glossa. Excipitur vero semper contractus *matrimonii* cit. c. ult. h. t. in 6°. Pariter excipitur donatio. Donatio enim consideratur ceu rerum perditio, quam nec filius perficere potest 'cui libera concessa sit peculii administratio' L. 7. ff. *de Donationibus.*

13. Quid vero si in mandato concedatur potestas etiam ea peragendi quæ requirunt speciale mandatum? Hæc clausula ceu nimis generalis consideratur, quare ea non obstante, ad evitandos abusus servatur regula, quod in generali concessione non veniant ea quæ quis verosimiliter non fuisset in specie concessurus. Quod si vero præter clausulam illam generalem etiam aliquod negotium fuerit expressum quod requirit speciale mandatum, ex dispositione c. 4. h. t. in 6°. poterit utique procurator exsequi alia quæ sint minora aut æqualia, non vero ea quæ sunt majoris momenti. Hinc in Clem. 2. h. t. proposita specie de procuratore, qui facultatem a mandante acceperat jusjurandum de calumnia interponendi, atque alia peragendi quæ requirunt speciale mandatum, respondit Pontifex, hunc procuratorem non posse nomine mandantis opponere crimina in personam electi vel provisi de beneficio. Censentur enim graviora negotia quam sit juramentum calumniæ.

14. *De Procuratoris officio.* — Procurator debet I°. mandatum suum *præsentare;* nam mandatum non præsumitur. Quod si dubitetur aliquando de exsistentia vel de validitate mandati ad agendum, tenetur procurator cautionem præbere de rato, idest dominum principalem ratum fore habiturum quidquid procurator acturus erit. L. 39. ff. h. t. §. «qui alieno.» Mandatum vero ex stylo Curiæ refert nomen constituentis procuratorem, et ipsius procuratoris con-

stituti; pariter exprimere debet tribunal apud quod procurator constituitur, nec non causam in qua constituitur, etiam diem et annum constitutionis cum clausula ratum habendi quidquid procurator ejus nomine erit acturus. — II^um. officium procuratoris est fideliter *exsequendi* commissam potestatem, nec excedendi limites mandati. Hoc posito consideremus tantisper vim et potestatem mandati. Et 1°. mandatum ad agendum in una causa eo ipso non tribuit facultatem agendi etiam in alia c. 12. h. t. — 2°. Mandatum ad lites non censetur datum ad expedienda negotia extrajudicialia. — 3°. E contra mandatum generale ad negotia datum censetur datum etiam ad judicia pertractanda, exceptis tamen iis quæ requirunt speciale mandatum c. 11. h. t. et c. 5. h. t. §. 1. in 6°. Ratio est quia nisi addatur adjectivum *extrajudiciale*, verbum *negotium* exprimit quidquid peragendum est etiam in judicio c. 10. *de Verb. Signif.* (V. 40). — 4°. Procurator datus ad defendendum seu ad respondendum in judicio non censetur datus ad agendum, qui vero datur ad agendum, videtur datus et ad respondendum, dummodo in mandato non adsit particula restrictiva ex. gr. 'solummodo' c. 12. h. t.

15. *De cessatione officii Procuratoris.* — Cessat officium procuratoris 1°. *mutuo consensu* mandantis et procuratoris ipsius. Hæc vero cessatio officii si sermo sit de procuratore judiciali, post litis contestationem fieri non debet in fraudem partis collitigantis, cum initus sit quăsi-contractus. Fieret vero in fraudem hujus, si ex. gr. Procurator cautionem præstiterit de judicato solvendo, et deinde ne ipse amplius hac obligatione teneretur, ex consensu mandantis relinqueret officium litis gerendæ. — 2°. Cessat officium *expleto negotio,* ad quod procurator datus est, vel lata sententia in quæstione principali et interposita per procuratorem appellatione. Dicimus 1°. *in quæstione principali.* Nam sententia in incidentali judicio integrum relinquit officium procuratoris. Dicimus 2°. *appellatione interposita.* Nam procurator debet appellationem interponere, ne sententia transeat in rem judicatam, vel saltem congruo tempore significare tenetur domino principali, ut ipse per se appellet. Procurator vero non tenetur invitus appellationem prosequi, seu causam agere in secunda sede judicii c. 14. h. t. et L. 17. C. h. t. — 3°. Cessat officium *morte procuratoris.* Mandatum enim non transit ad hæredes. Etenim mandatum in jure importat officium personale, cum in genere censeatur electa indu-

stria personæ. — 4⁰. *Renunciatione* ipsius procuratoris etiam invito domino, dummodo tamen fiat ex justa causa, et si agatur de procuratore judiciali post litem contestatam requiritur etiam judicis assensus L. 13. ff. h. t. Et quidem justa causa requiritur; quisque enim susceptum munus perficere tenetur L. 17. C. h. t. Causæ autem sunt: a) capitales inimicitiæ exortæ inter dominum et procuratorem; b) dignitas quæ procuratori accesserit; c) si reipublicæ causa aut privata necessitate cogente procurator diu abesse debeat; d) infirmitas superveniens, vel alia causa ejusdem ponderis L. 8. circa fin. et LL. 9. et 10. ff. h. t. — 5⁰. Cessat officium procuratoris *morte mandantis re adhuc integra.* Re enim non amplius integra procurator fecit suum negotium. Porro res desinit esse integra pro extrajudiciali procuratore, cum ipse exsecutus fuerit ea, quæ negotium commissum præparant. Pro judiciali vero procuratore res amplius integra non censetur post litis contestationem. Excipitur casus procuratoris a Prælato Ecclesiæ vel rectore et possessore beneficii constituti; hic enim procurator cessat ab officio mortuo prælato vel rectore re etiam cœpta, seu non amplius integra Clem. ult. h. t. Successor enim in Ecclesia seu beneficio non repræsentat prædecessorem, sed censetur esse nova persona. Hinc successor non tenetur recognoscere et ratum habere factum personale prædecessoris, prout est constitutio procuratoris. — 6⁰. Cessat hoc officium *revocatione mandati.* Hæc revocatio re adhuc integra fieri potest ex libera voluntate domini principalis, quin ulla adsignetur causa. (Re autem non amplius integra, revocari nequit procuratio absque rationabili causa.) *Excipitur* mandatum ad *matrimonium* contrahendum, quod potest revocari usque dum non fuerit celebratum matrimonium, etiam inscio procuratore et alia parte cum qua contrahendum erat matrimonium c. ult. h. t. in 6⁰. Regula hæc quoad procuratorem extrajudicialem fulcitur L. 8. §. 6. ff. *Mandati vel contra,* et ab ipsa suadetur æquitate, quæ non sinit aliquem pati sine justa causa præjudicium sive famæ sive bonorum in gratiam arbitrii alterius. Res vero evidens est prorsus quoad procuratorem judicialem post litis contestationem. Quamvis enim domino principali concessum sit ut cum suo procuratore suæ causæ adsit, tamen non potest ipse dominus procuratorem post litem contestatam removere ab officio nisi ex legitima causa L. 22. C. h. t. et c. 2. h. t. in 6⁰. Cujus causæ legitimitatem videre et decernere debet judex citato et audito ipso procu-

ratore. L. 17. et seqq. ff. h. t. Causæ vero ad revocandum procuratorem re non amplius integra sunt plures: Inimicitiæ inter procuratorem et dominum obortæ; affinitas vel amicalis relatio quæ enascatur inter procuratorem et adversarium domini; desiderium hæreditatis ejusdem adversarii obtinendæ, vel aliquod particulare factum quod suspectum reddat procuratorem, tandem infirmitas vel alia necessitas aut infortunium; quæ omnia, vel prorsus impediunt, vel saltem notabiliter et cum detrimento domini nimium distrahunt causæ decisionem. Conferri possunt cap. 2. h. t. in 6⁰. et L. 22. C. h. t.

16. Finito negotio, conceditur domino actio quæ dicitur *actio directa mandati* contra procuratorem, ut hic rationes reddat, et sarciat damna quæ sive ex dolo ejus sive ex culpa etiam levi domino obvenerunt.

17. Conceditur vero Procuratori *actio mandati contraria* adversus dominum ad repetendas omnes expensas occasione mandati et bona fide factas c. 7. h. t. Qua in re animadvertimus, aliquando mandatum dari procuratori pro negotio alterius personæ. Id dupliciter contingere potest: 1⁰. Vel quis mandat procuratori ut tractet negotium alterius perinde ac si esset proprium ipsius mandantis. 2⁰. Vel quis mandat pertractari negotium alienum ratione officii quo adstringitur erga patrimonium alienum. In 1⁰. casu si vires patrimonii alieni impares sunt ad solvendas expensas, mandans de proprio supplere tenetur LL. 2. et 6. ff. «Mandati.» In 2ª. hypothesi mandans de suo non tenetur ex. gr. si mandans uti tutor, administrator, vel exsecutor testamentarius commiserit procuratori aliquod negotium in judicio vel extra tractandum, expensas solvet non ultra vires patrimonii pupilli, hæreditatis etc. Ratio est quia procurator debebat agnoscere vires patrimonii, et ceteroquin sciebat mandantem negotium commisisse tutorio, administratorio etc. nomine. Hinc sibi tribuat, si nimias fecerit expensas, quas recuperare nequit.

18. *De rebus gestis ab eo qui procuratoris officium immerito sibi vindicat.* — Præter verum procuratorem etiam falsus dari potest procurator, qui nempe vel nullum mandatum habuit, vel quod habuit revocatione viribus destitutum est. Porro revocatio mandati ut ipsum mandatum juridice destruat, debet esse procuratori intimata; secus enim ipse prosequitur acta sui officii, nullo jure obsistente cc. 33. *de Rescrip.* (I. 3), 3. h. t. et Clem. un. *de*

Renunc. (I. 4). Excipi tamen debet mandatum ad contrahendum matrimonium, cujus revocatio irritat contractum, quamvis ignoretur a procuratore et ab alia parte contrahente c. ult. h. t. in 6°. Excipiunt DD. etiam illos casus in quibus non sufficit consensus præteritus aut fictus seu legalis, sed requiritur verus et perseverans. Ex. gr. si ageretur de mandato ad suscipiendum infantem in baptismo, seu de contrahenda cognatione spirituali. Porro revocatio mandati judicialis non solum procuratori, sed si lis fuerit contestata, intimari etiam debet judici aut adversæ parti collitiganti, secus acta cum procuratore revocato valent cc. 4. et 13. h. t. Idem vero dicendum est etiam de procuratore designato ad pertractandum negotium peculiare cum determinata persona. Hoc enim in casu dominus principalis quemadmodum huic personæ notum fecit mandatum procuratoris ad negotium gerendum, ita etiam intimare seu significare debet revocationem mandati. Si omittatur hæc intimatio, res gestæ cum procuratore valent, ex. gr. solutio debiti L. «Si quis servo» ff. *de solution.*

19. Peculiari mentione digna est dispositio Clem. un. *de Renunc.* (I. 4). In hac constitutione quæritur utrum valeat renunciatio beneficii vel prælaturæ facta per procuratorem cujus mandatum revocatur, sed revocatio deducta non est ad notitiam procuratoris, vel Superioris excipientis renunciationem; et *Clemens V.* respondet, valere, dummodo ex malitia eorundem aut etiam aliorum factum fuerit, quominus saltem ad alterutrum notitia revocationis mandati non pervenerit. Ex quo capite hoc principium eruit Glossa: in mandato nempe ad renunciandum beneficio paria sunt: notificatio revocationis; vel si stetit per procuratorem vel per alium, quominus revocationis notitia ad eum vel ad superiorem veniret; nec in renunciatione hujusmodi requiritur proprie dicta intimatio revocationis facta procuratori, sed sufficit etiam ut aliunde certior factus fuerit procurator de revocatione ipsa; ex. gr. si extraneus ostendat procuratori instrumentum in quo revocatur mandatum.

Hisce positis supponamus, aliquem vel nullo mandato prorsus accepto, vel ex mandato ob legitimam revocationem viribus destituto aliquid egisse procuratoris nomine. In genere hoc servatur principium ut scilicet acta per falsum procuratorem non valeant cc. 3. h. t. et 33 *de Rescrip.* (I. 3), valeant vero et sustineantur si ea rata habuerit dominus principalis, quæ ratihabitio ad

initium negotii retrotrahitur L. 56. ff. *de Judiciis.* Quod si vero dominus principalis omiserit rata habere gesta per falsum procuratorem, exceptione adversæ partis eliduntur. Hæc exceptio opponi potest sive ante sive post sententiam c. 4. h. t. fin. et L. 24. C. h. t.

Titulus XXXIX.

De Syndico.

1. Syndicus est *qui ab aliqua universitate vel collegio constituitur ad negotia pertractanda et præsertim ad lites et causas in judicio peragendas.* Ex quo patet Syndicum differre a procuratore in eo solum quod procurator *a privatis* constituatur, syndicus vero *ab universitate* vel collegio. Differt ab œconomo vel administratore, eo quod hic ad pecuniam aliaque negotia extrajudicialia administranda destinatur, syndicus vero præsertim ad lites datur. Differt ab actore; actor enim ad certam causam designatur, Syndicus vero ad universitatem causarum. In jure vero actor et Syndicus sæpe confunduntur.

2. Syndicus esse potest quicumque a procuratoris officio assumendo non prohibetur. Hinc potest aliquis eligi sive de gremio universitatis, sive extra gremium; potest esse etiam laicus in causis spiritualibus in sensu supra in tit. *de Procurat.* (I. 38) exposito. Quod si vero sermo sit de Regularibus, potest quidem uti vidimus in cit. tit. ex licentia superioris vir religiosus esse procurator ad unam vel aliam determinatam causam, non potest vero esse syndicus neque sui monasterii c. un. h. t., ne litibus et occupationibus forensibus a spiritualibus negotiis distrahantur religiosi homines. Excipit vero *Abbas* in c. un. h. t. casum necessitatis, cum nempe alius constitui non possit, quo in casu etiam monachus non prohiberi dicendus est a susceptione officii Syndici arg. c. 16. *de testib.* (II. 20) et c. 16. *de Judic.* (II. 1).

3. Cum vero Syndicus ab universitate constituatur, ejus electio est actus collegialis; hinc omnibus vocatis qui suffragii jus habent, et præsentibus duabus tertiis saltem partibus eorum, ille censeatur electus, in quem convenerit major pars præsentium. Quæ electio regulariter in instrumento authentico describitur, additis subscriptionibus saltem officialium universitatis, et sigillo ejusdem. At hæc omnia locorum consuetudo moderatur.

4. Potestas syndici æquiparatur potestati *Procuratoris generalis cum libera.* Officium ejus est ut utilitatem universitatis legitimo modo procuret. Hæc vero potestas et officium finitur eisdem modis quibus finitur potestas et officium procuratoris. Cum vero, deficientibus singillatim membris, universitas perseveret, non censetur cessare officium et potestas Syndici deficientibus illis qui eundem designaverunt.

Titulus XL.

De iis quæ vi metusque causa fiunt.

1. Post personas quæ judiciis intersunt, sequitur tractatio de iis quæ præparant materiam secundi libri, qui de Judiciis agit. Inter hæc locum tenent vis et metus, ex quibus multum pendet valor juridicus actionis.

2. Vis ex L. 2. ff. *quod metus causa* communiter definitur *'impetus majoris rei, cui resisti non potest'.* Vis si absoluta sit, tollit prorsus voluntarium, ac proinde excludit actum humanum. Cum is qui sub vi absoluta agit, non agere sed potius pati videatur c. 5. h. t., hinc actus ex vi positi juridicum effectum non habent, nec ulla obligatio exinde contrahitur. Quare qui coactus communicabat cum excommunicato, non incurrebat pœnam excommunicationis minoris cit. c. 5. h. t.

3. Relate vero ad eum qui vim passus est in bonis fortunæ specialis est dispositio c. ult. h. t. Hoc caput ita sumatur: 'Probata violentia per testes, res amissæ probantur per juramentum. Et super valore rerum amissarum taxatione judicis præmissa, et secuto petentis juramento, fit condemnatio'. Scilicet in capite sermo est de quodam qui in rebus passus fuerat violentiam, et in judicio probaverat violentiam per testes. Verum hæc probatio res ipsas ablatas non amplectebatur. Judex ergo detulit ei juramentum super numerum et qualitatem rerum ablatarum; deinde pro conditione et qualitate personarum ac rerum ipsarum æstimationem taxavit et valorem earundem rerum, ac delato juramento violentiam passo super justitia factæ taxationis, tulit sententiam contra eum qui violentiam intulerat, eundem condemnans juxta taxatam æstimationem juramento partis læsæ confirmatam. *Gregorius IX.* ratam habuit hanc sententiam. Ex quo capite hoc inferri potest principium. In casu rerum ablatarum per violentiam si per legi-

timam probationem constiterit de illata violentia, ad probandum quæ et quales fuerint res ablatæ, in defectu probationum, sufficit juramentum illius qui passus est vim, æstimatio autem seu valor rerum ipsarum taxatur prudenti arbitrio judicis, et si taxatio hæc confirmetur per juramentum a parte quæ vim passa est, altera pars condemnatur ad damna reficienda juxta taxationem hujusmodi. Hæc satis de vi.

4. **De Metu.** — Metus ex L. 1. ff. *de eo quod metus causa etc.* definiri solet *'instantis periculi vel futuri causa mentis trepidatio'.* Ex qua definitione consequitur, actus elicitos sub influxu metus procedere a voluntate quamvis trepidante. Scilicet quamvis agens secluso metu, noluisset actum ponere quem ponit, tamen revera vult id quod agit. Metus enim absolute non tollit judicium mentis. Hinc patet rationabilitas communis principii. Nempe ea quæ sub metu aguntur, sunt voluntaria simpliciter, licet involuntaria dicenda sint secundum quid.

5. *Divisiones metus.* — Metus 1°. alius dicitur ab *intrinseco*, alius ab *extrinseco* procedere. Primus locum habet cum quis timet ob causam necessariam independenter ab alieno arbitrio ex. gr. ob periculum naufragii, ob periculum inferni, vel alterius rei hujus generis. Ab extrinseco autem est metus, qui a causa libera, scilicet ab homine, incutitur. — Hic vero 2°. incutitur vel *directe ad extorquendum aliquem actum,* vel *simpliciter*, qui dicitur etiam indirecte incussus. — Uterque hic metus, sed præcipue metus directe incussus 3°. alius ex justa causa et legitime incutitur, et dicitur *juste* incussus, ex. gr. metus quem judex incutit per comminationem pœnarum; alius ex injusta causa aut illegitime, et dicitur *injuste* incussus. — Tandem 4°. alius *levis,* alius *gravis* dicitur, et 5°. rursus alius gravis *absolute,* alius solummodo *relative.* Primi et secundi generis elementa sunt damnum per se inspectum et periculum damnum subeundi pariter per se inspectum; tertii generis idest metus relativi elementum etiam est respectus ad personam cui metus incutitur, quæ ob specialem indolem vel conditionem præ aliis vividiorem experitur gravitatem damni et periculi. Hinc metus gravis ille dicitur qui *cadit in constantem virum* qui proprie tunc concipitur a viro forti et prudenti, cum damnum est grave, idest magni momenti, ex. gr. mors, mutilatio, vincula, gravis jactura bonorum et famæ si de honorato homine sermo sit, etc., et cum periculum prudenter et moraliter urgere dignoscitur. Si

alterutrum desit, metus non amplius dici potest absolute gravis. Metus vero relative gravis determinatur in *particulari,* cognita indole et agendi ratione illius qui metum patitur et illius etiam qui metum incutit.

6. *De valore juridico actuum sub influxu metus positorum.* Plura damus criteria.

I^um^. Criterium: Actus positi sub metu *intrinseco* etiam gravi valent, et obligationem sive moralem sive legalem et canonicam pariunt; nec rescissioni subjiciuntur c. 17. *De Regular.* (III. 31). Hinc votum ex metu naufragii aut mortis imminentis elicitum, servandum est. Porro validitas actus eruitur ex eo quod voluntarium perseverat sub metu, et per consequens etiam sub influxu metus actus naturaliter valet et capax est inducendi obligationem. Irrescindibiles vero sunt actus hujusmodi, tum quia per metum nulla injuria personæ irrogatur, tum quia nullo jure rescissio actuum istorum conceditur.

II^um^. Criterium. Actus editi sub metu *levi* sive directe sive indirecte incusso, sive justo sive injusto valent, nec rescissioni subduntur. — Facile enim contemni potest metus levis. Ad rem facit c. 6. h. t. quo in capite Canonici insularum obligantur ad observandam regulam cisterciensem, ad cujus observantiam se obstrinxisse asserebant ex metu, qui vero metus levis fuerat et facile superandus.

III^um^. Criterium. Actus emissi sub metu *gravi extrinseco injuste* incusso, et *directe* ad extorquendum actum *in genere* sunt jure validi, sed *rescindibiles* ad partis læsæ querelam; *quidam* vero actus sunt ipso jure *nulli.* — In genere actus sub metu gravi etc. sunt validi; nam et naturaliter subsistunt per voluntatis determinationem, quæ a metu non tollitur, et ministerio legis non irritantur cc. 2. et 5. h. t. Possunt vero rescindi ad partis læsæ querelam ob injuriam quam ipsa subiit. Quæ injuria cum locum non habeat ullo modo in metu juste incusso, nec saltem relate ad actum qui emittitur in casu metus non directe incussi ad extorquendum actum, hinc validi sunt nec rescindibiles actus eliciti sub metu, qui vel juste sit incussus, vel non incussus ad extorquendum actum.

7. Diximus, in genere actus sub metu gravi injuste et ad extorquendum actum incusso esse validos, at rescindibiles. Nam quidam actus vel contractus sub tali metu positi sunt ipso jure

nulli. In istis actibus jus voluit plenissimam libertatem. Hinc metus gravis injustus et directe incussus ad extorquendum consensum, ex intentione juris inducere dicendus est defectum in ipsa substantia actus. Quare actus sub influxu hujus metus positus, ceu deficiens in substantialibus, nullus est ipso jure. Præ primis inter istos actus ipso jure nullos recensetur *contractus matrimonialis,* qui omni libertate gaudere debet, ob effectus funestos, qui ex matrimoniis coactis sequuntur. Porro non desunt Theologi qui cum *S. Thoma* in 4. *dist.* 29. q. 1. n. 5. docent nullitatem matrimonii in hypothesi metus gravis etc. ab ipso jure naturali procedere. Certum tamen est, hanc nullitatem agnosci ab ecclesiastico jure, prout evincitur ex cc. 14., 15. et 28. *de Sponsal. et Matrim.* (IV. 1). An eadem dispositio etiam ad *sponsalia* extendenda sit, vel non, controvertitur. Verior autem sententia est negativa, quia Canones solummodo de Matrimonio loquuntur. 2°. *Professio religiosa* emissa sub metu gravi etc. nulla est ipso jure c. 1. h. t. Cui consentit sanctio Conc. Tridentini in sess. 25. *de Ref. Reg.* cc. 16. et seqq. ad 19. Hanc dispositionem juris arg. c. 1. h. t. et c. 10. C. 15. q. 1. extendunt ad quodcumque votum in alia materia. Nam, ut ait cit. Can. 10., voluntarium sibi militem eligit Christus. — 3ª species excepta est *promissio tradendi,* vel *ipsa traditio rerum ecclesiasticarum* sub metu etc. quæ non tenet ipso jure immo licet promissio vel de tradendis vel de non repetendis iisdem rebus ecclesiasticis fuerit juramento firmata, tamen hoc in casu nec ipsum juramentum ullam vim habet c. 1. C. 15. q. 6. et c. 2. *de Jurejur.* (II. 24). — 4°. *Absolutio a censura* et revocatio sententiæ qua inflicta fuit, si metu extorqueantur, nullius sunt roboris ipso jure c. un. h. t. in 6°. Hisce casibus jure canonico statutis solent auctores adjungere quosdam ex jure civili depromptos. Qui præcipui sunt 1°. Auctoritas tutoris per metum extorta L. 1. ff. §. ult. *de Auctor. tutor.* 2°. Contractus dotis promissæ vel solutæ ex metu gravi etc. initus L. «si mulier» ff. h. t. 3°. Jurisdictio per metum gravem obtenta L. 2. ff. *De Judiciis.* Pariter 4°. idem dicendum de sententia judicis sub metu gravi etc. c. 89. C. 11. q. 3. — 5°. Testamentum. Ita *Abbas* in c. 2. h. t. n. 16. et probatur arg. L. «Qui testamento» 20. §. ult. ff. *de Test.*

8. Quæritur: Quid dicendum est, si actibus sub metu positis accedat *juramentum?* Respondeo: In jure civili prævaluit principium, fraudem nempe vel dolum nemini patrocinari debere, ac

proinde jusjurandum extortum ex metu nullo modo valere, idest nullam adjungere firmitatem actibus, quos reprobat jus. Si quæstionem in sensu *canonum* inspiciamus, habemus 1um. principium expressum in c. 28. *de Jurejur.* (II. 24) ut scilicet *juramentum servandum* sit *quoties non redundet in præjudicium tertii, nec salutis æternæ;* idest quoties ejus observantia non includat peccatum. Ex hoc principio videtur sequi conclusio, ut nempe actus sub metu positus licet juridico valore careat, valeat tamen si fuerit juramento firmatus, dummodo ex valore actus præjudicium tertii non sequatur, nec sequatur damnum salutis æternæ. At etiam aliud 2um. principium obtinet, juramentum scilicet considerari tanquam *accessorium,* quod sequitur naturam actus cui accedit. Ex quo principio contraria priori descendit consecutio, nullius scilicet esse valoris juramentum actibus accedens ex metu gravi emissis, quos lex ipsa reprobat. Ut hæc duo componantur, distinguendum est inter actus nullos ipso jure, et actus qui de jure valent, sed rescinduntur judicis ministerio. Profecto si contractus vel actus cui accedit juramentum sit ipso jure nullus eo quod sub metu gravi positus est, etiam juramentum nullius valoris est censendum, idest quemadmodum actus fuisset nullus absque juramento ita etiam nullus est si accesserit juramentum. Sanctitas enim juramenti non potest confirmare quod nullimode exsistit; interest insuper quorumdam actuum plenissimam libertatem sartam tectamque esse. Exemplum manifestum habemus in c. 2. *De eo qui duxit in matrim. quam* (IV. 7) etc. de contractu matrimonii ex metu gravi inito. Quod de matrimonio dicitur, applicari etiam debet aliis actibus seu contractibus sub metu initis et ipso jure nullis, præsertim quia actus qui a jure canonico irritantur ex capite metus, ob rationem boni publici ceu nulliter positi habentur. Unde ad rem facit etiam theoria eorum Doctorum, qui tenent, juramentum vires non addere illis actibus, quos lex irritat non in bonum privatorum, sed ob rationem boni publici.

9. Quod si sermo sit de actibus sub metu gravi positis, qui ipso jure valent, sed rescinduntur ministerio judicis, et iisdem adjungatur juramentum, hoc in casu servandum est juramentum, nisi vergat in præjudicium salutis æternæ, vel nisi redundet in præjudicium tertii. Scilicet rescindibilitas actus inducta præsertim ad reparandam injuriam, tollitur, et qui juramentum emisit, censetur renuntiasse juri suo petendi rescissionem actus. Quare renunciatio

beneficii per metum facta cui accessit juramentum, servanda est ratione juramenti c. 8. *de Jurejur.* (II. 24) et c. 3. h. t. At servari non debet juramentum, seu non valet, quando vergeret in præjudicium salutis æternæ. Juramentum enim esse non potest vinculum iniquitatis. Nec pariter quis potest religionem interponere in damnum aliorum. Hinc in c. 13. *de Major. et Obed.* (I. 33) non valere dicitur juramentum Episcopi emittendi professionem observantiæ et obedientiæ coram Metropolitano, quæ professio adversetur juribus Ecclesiæ suffraganeæ.

10. Quamvis vero valeat juramentum adjectum actibus sub metu gravi positis et jure validis, tamen duo possunt animadverti: 1°. Juramentum hujusmodi esse *strictæ interpretationis.* Hinc servanda sunt ea solum quæ sub juramento promissa sunt. Quare ex. gr. qui promisit renunciare, non excluditur posse repetere beneficium c. 4. h. t. Quare si renunciavit sub juramento metu gravi elicito non impeditur quominus si eligatur, iterum beneficium assumat.

11. 2°. Qui juramentum edidit sub metu, assequi facile potest ab auctoritate Ecclesiæ *dispensationem,* atque inde agere poterit pro rescissione actus. Facile autem conceditur hæc dispensatio c. 8. *de Jurejur.* (II. 24).*)

12. *De remediis a jure concessis metum passo.* — Quidam actus sub metu gravi positi, ut vidimus, sunt nulli ipso jure, quidam vero rescinduntur ex judicis sententia. Si sermo sit de actibus primi generis, is qui metum passus est ut liberetur ab obligationibus derivantibus ex actu a se posito, requiritur saltem quoad forum externum judicis sententia, quæ factum incussi metus declaret; idest requiritur sententia *declaratoria* qua metum passus dicitur immunis ab omni vinculo positi actus. Hæc vero sententia declaratoria requiritur ad vitandos abusus, qui facile locum habere possent hac in re ex parte eorum qui vellent susceptis obligationibus sese eximere, incusantes passos timores. Hinc merito in foro externo actus validus censetur quousque contrarium non fuerit probatum. Quemadmodum ex. gr. in matrimonio verificatur.

13. Si sermo sit de actibus secundi generis sub metus influxu positis valet principium juris, quod nempe 'multa per patientiam

*) Cfr. etiam l. II. t. 24. nn. 7.—20.

tolerantur, quæ si fuerint in forum deducta, debent justitia exigente cassari' c. 18. *De Præb.* (III. 5) circa fin. Et quidem *justitia exigente;* nam justum est, eum in pristinum restitui qui ex injuria aliquod onus suscepit. Hinc rescindi possunt ad querelam partis, quæ metum passa est. Sed duplex casus fingi potest: 1°. Si qui metum passus est velit actum vel contractum consistere; 2°. si velit illum non valere. In primo casu actus vel contractus servandus est. In secundo casu duplex remedium datur metum passo, idest vel *actio* vel *exceptio,* quæ appellatur *Quod metus causa.* Exceptio conceditur quando is qui metum incussit, instet ut contractus vel promissio servetur. Actio autem *Quod metus causa* conceditur cum metum passus aliquid fecit vel dedit, ut irritetur quod fecit et reddatur indemnis.

14. Ut vero tum in 1ª. tum in 2ª. hypothesi qui metum in sui favorem allegat, opportunum remedium experiri possit, necesse est ut metum probet. Metus enim cum procedat ex facto criminoso alterius personæ, præsumi non potest. Attamen præsertim quando agitur de metu relative gravi, non semper possunt probationes afferri luce meridiana clariores. Agitur enim de ostendenda trepidatione animi, quæ non semper sufficienter manifestatur. Ubi igitur desit factum evidens incussi metus, ex. gr. comminatio mortis vel alterius gravis et instantis mali, quæstio resolvenda est ex conjecturis proximis et concludentibus, quæ animum judicis moveant, eique suadeant metum gravem revera incussum fuisse. Unde res maxime pendet ex prudenti arbitrio judicis, qui conjecturis et adjunctis proprium valorem et pondus tribuere debet. Porro *Menochius: De Præsumption.* Lib. 3. Præsumpt. 126. plures indicat conjecturas ad metus incussi exsistentiam demonstrandam. Præterea si sermo sit de actibus, qui metus purgationem admittunt, is qui metum allegat, probare debet metum per ratihabitionem non fuisse purgatum, ceu in terminis docet c. 1. h. t. circa finem.

Titulus XLI.

De in integrum restitutione.

1. Cum plura in judiciis intervenire possint, quæ eorundem pervertunt rigorem et justitiam, et viam aperiunt damnis et ruinis alterutrius litigantis; hinc æquitate prætoria invectum est reme-

dium extraordinarium restitutionis in integrum, quo qui læsionem passus est, restituitur in eum statum in quo versabatur ante læsionem. Porro restitutio in integrum non solum conceditur contra sententias judiciales læsivas, sed etiam in negotiis extra judicium gestis. Clem. un. h. t. Definitur vero restitutio in integrum '*remedium extraordinarium juris quo ministerio judicis ob læsionem res in pristinam reducuntur conditionem in qua fuerant ante ipsam læsionem*' c. ult. h. t. Dicitur vero remedium extraordinarium quia conceditur in subsidium mediorum ordinariorum, cum nempe nulla suppetat actio vel exceptio a lege tributa L. 17. §. 1. ff. *De Minorib.* Conceditur insuper propter læsionem. Læsio in casu est læsio gravis, idest alicujus momenti; de minimis namque non curat prætor, ceu notatur in L. «Scio illud» ff. *de restit. in integr.* Non autem debet esse enormis, idest quæ sit ultra medietatem justi valoris, nec enormissima, idest quæ binas tertias partes ejusdem veri valoris excedat. Nam utroque in casu ordinarium adest juris remedium, scilicet vel rescissionis aut debitæ compensationis juxta L. 2. Cod. *de rescind. vendit.;* vel declarationis nullitatis ob deficientiam substantialem justitiæ commutativæ, quæ verificatur in casu læsionis enormissimæ; quo in casu actus est ipso jure nullus, eo quia cum partes non præsumantur intellexisse quod agebant, consensus legitimus defecisse censetur. 2°. Ad concedendum hoc remedium necesse est ut actus, contractus, sententia, contra quæ conceditur, valida sint. Si enim de actu vel contractu aut de sententia invalida ageretur, præsto esset remedium extraordinarium, seu petitio in judicio ut invaliditas declaretur. 3um requisitum est ut gravis læsio non procedat ex mero infortunio, ex. gr. ex eo quod res quæ in contractum venit casu periit, sed procedat vel ex calliditate adversarii, vel ex culpa aut oscitantia procuratoris partis læsæ aut ex facilitate seu infirmitate consilii ejusdem partis læsæ, quemadmodum præsumitur in minoribus. 4°. tandem loco requiritur ut actus sit rescindibilis. Hinc contra matrimonium, professionem religiosam etc. non datur restitutio in integrum quando actus validus fuerit.

2. Quibusnam competat remedium restitutionis in integrum. — Primo conceditur *ætate minoribus* ut patet ex L. 1. et toto tit. ff. *de Minorib.* et c. 8. h. t. Porro juxta leges romanas in cit. tit. minores erant illi, qui nondum expleverant annum 25. Conceditur autem restitutio non solum personæ ipsius minoris, sed

etiam causæ; idest, potest in causa minoris, ubi læsio facta est, exposci etiam ab ejus hæredibus restitutio in integrum c. 8. h. t. Immo conceditur hoc remedium etiam cum curatoris consensus accesserit in contractu vel actu minoris. Quod de minoribus dicitur, etiam de *pupillis* dicendum est, quoad actus vel contractus celebratos cum auctoritate tutoris. Cum vero etiam *Ecclesiæ* minoribus in jure æquiparentur, sequitur eodem privilegio eas frui restitutionis in integrum, quemadmodum expresse traditur in cc. 1., 3. et 8. h. t. Sub nomine *Ecclesiarum* intelliguntur non solum Ecclesiæ proprie dictæ et beneficia, sed etiam quælibet *pia loca* seu pia institutio, ex. gr. claustra religiosa, confraternitates, hospitalia auctoritate Episcopi fundata.

3. Quid vero dicendum *de personis ipsis Clericorum?* Privilegium hujusmodi personas Clericorum quoad sua bona vel jura non respicit; nam ideo Ecclesiis datum est, quia censentur esse sub curatoribus suis ex quorum imperitia aut oscitantia facile possunt pati læsionem. Clerici autem ipsi administrant bona proprii beneficii, et idonei præsumuntur ad sua negotia exercenda. Unde ætate majoribus comparantur. Hinc privilegium restitutionis Clericis competere potest tunc solum cum sint ætate minores, quo in casu aliis minoribus æquiparantur c. 8. h. t. Quoniam vero communitates et universitates sub suis administratoribus esse censeantur, etiam ipsis remedium restitutionis in integrum conceditur L. «Respublica» C. *Quibus ex causis majores etc.*

4. Quæritur utrum remedium hujusmodi concedatur personæ privilegiatæ contra aliam personam privilegio eodem munitam; ex. gr. quid si Ecclesia ab alia Ecclesia graviter læsa fuerit? Dicendum est etiam in hac hypothesi parti læsæ competere remedium restitutionis contra lædentem; quemadmodum innuitur in c. 3. h. t. et probatur evidenter ex ratione generali expressa in cc. 1. et 8. h. t. Ratio enim est factum læsionis, quod ubi verificetur, restitutio conceditur nullo habito respectu ad personam quæ læsit.

5. Minori vero restitutio in integrum non conceditur cum firmaverit contractum juramento sponte præstito, ceu tradit Auth. «Sacramenta Puberum» Cod. *si adversus vendit.* Unde potest petere restitutionem si probaverit se fuisse dolo et malis artibus circumventum c. 28. *de Jurejur.* (II. 24) et c. «Licet» eod. (II. 11) in 6°. Pariter beneficium restitutionis non conceditur minori, si,

major effectus, ratum habuit quod egit in minori ætate LL. 1. et 2. Cod. *si major factus.*

6. Quid dicendum de ætate majoribus? Aliquando restitutio in integrum conceditur ex æquitate etiam majoribus, sed legitima occurrente causa c. 4. h. t. et L. 2. cum seqq. ff. *ex quibus causis majores restituantur.* Causæ autem sunt: 1°. Si quis læsionem passus sit eo quod reipublicæ causa diu abesse coactus est LL. 1. et 4. ff. cit. tit. Ad hanc causam reducitur etiam absentia Legatorum municipiorum L. 8. ff. eod. tit. — 2°. Si impeditus ob communem necessitatem agere non potuit. — 3°. Si quis in vinculis, servitute, aut sub hostium potestate fuerit detentus. — 4°. Si probetur fraudulenta circumventio adversæ partis c. 4. h. t. — 5°. Si adest individua consociatio causæ majoris cum causa minoris, quo in casu beneficium ætate minoris prodest etiam majori.

7. Nihilominus vero aliquatenus *differt* restitutio in integrum quæ minoribus conceditur ab ea, quæ majoribus tribuitur. Nam præterquam quod majoribus restitutio non concedatur, nisi præter gravem læsionem interveniat justa causa, restitutio in integrum majoribus non conceditur, quando aliud etiam minus pingue remedium præsto sit, ex. gr. quando possunt experiri medium appellationis; minoribus vero tribuitur etiam quando adest minus pingue remedium ad læsionem compensandam, ex. gr. quando possunt appellare. Tutius enim et utilius esse potest causam discutere in primo gradu jurisdictionis, quam in gradu appellationis.

8. *Quoadusque perdurat jus petendæ restitutionis in integrum?* Restitutio in integrum non ex justitia invecta est, sed ex æquitate prætoria; hinc actio ad petendam restitutionem esse non potest perpetua, idest perdurare nequit spatio 30 annorum, quo spatio jure civili perdurant omnes actiones, sed est temporanea; et ex c. 1. h. t. in 6°. necnon ex L. ult. C. *de Temporib. in integr. restit.* est *quadriennalis;* id est intra quadriennium proponi potest, quod pro minoribus incipit decurrere a prima die post completam ætatem minorem, cessante alio legitimo impedimento. Hoc vero quadriennium est *continuatum* quatenus computantur etiam dies feriati, est autem *utile* quia legitime impedito non currit c. L. ult. C. *de Temporib.* etc. et Doctores communiter. Quare minores possunt petere restitutionem in integrum toto tempore minoris ætatis, et insuper per quadriennium a prima die anni 26. ætatis. Pro ma-

joribus vero et pro Ecclesiis quadriennium utile ad petendam restitutionem in integrum incipit decurrere a tempore quo læsio facta fuit, et cessavit causa justi impedimenti L. 7. C. *de Temporib. etc.* Glossa in Clem. un. h. t. (I. 11) v. «*a tempore.*» Unde quadriennium non currit legitime impeditis. Ita Doctores communiter cum Glos. in L. ult. Cod. *de Præscript.* v. «Supervacaneum.» Quare a temporis decursu subtrahi debet spatium, quo graviter læsus justo impedimento detentus petere non potuit restitutionem in integrum. Ita Doctores juxta L. ult. Cod. *de Temporib. in integr. restit.* Ex hac regula sequitur etiam quadriennium incipere a die cognitæ læsionis, et per consequens quadriennium non decurrit ignorantibus. Ita *Engel* h. t. n. 11. et alii magnæ notæ Doctores. Verum in c. 1. h. t. in 6°. specialis dispositio traditur pro Ecclesiis et aliis locis piis, quæ Ecclesiis comparantur. Etenim decernit Pontifex dari posse restitutionem Ecclesiæ etiam post quadriennium, quando probetur in hoc manifestum fraudis commentum intervenisse, aut aliam rationabilem adesse causam. Ecclesia ergo in genere tenetur lege quadriennii, ita ut eo expleto, exstinguatur actio ad petendam restitutionem in integrum. Verum si probetur, prævaricationem seu collusionem locum habuisse in hoc negotio, vel adsit alia justa causa, conceditur remedium restitutionis etiam post elapsum quadriennium. Inter causas rationabiles ab auctoribus post Gloss. fin. in c. 1. h. t. in 6°. adsignatur præsertim exsistentia Prælati, qui negotium gessit in præjudicium Ecclesiæ. Hic enim verosimiliter præsumitur non fore expostulaturus restitutionem in integrum contra factum proprium. Quare docent auctores non decurrere quadriennium ad restitutionem petendam vivente adhuc Prælato vel Rectore Ecclesiæ, ex cujus facto Ecclesia læsa est. Sic etiam adsignatur uti causa rationabilis repentina mutatio Prælatorum. Qui enim ad breve tempus Ecclesiæ præest, non præsumitur statum Ecclesiæ suæ, et jura ejusdem læsa competenter cognoscere. Unde facile contingere potest, ut prælatus hic contra læsionem ab Ecclesia toleratam omittat petere restitutionem in integrum.

9. *De causis in quibus locum habet restitutio in integrum.* — Conceditur hoc remedium contra quamlibet sententiam et contra quemlibet actum vel contractum, nonnullis tantum exceptis, nec non contra lapsum temporis, dummodo in hisce minor vel Ecclesia gravem læsionem passi sint. Quoad primas propositionis partes

res clara est, ultimum membrum indiget explicatione: quomodo nempe in lapsu temporis detur restitutio. Quod hac in re peti possit restitutio patet ex Clem. un. h. t. Ut vero intelligatur quid sit hæc restitutio, sciendum est, nonnullos actus, nonnullasque probationes posse proponi solummodo intra determinatum tempus, quo elapso, inutiliter proponuntur. Ex. gr. si de re judiciali agatur, datur tempus peremptorium ad testium depositiones producendas, ad interponendam appellationem a lata sententia c. 5. *de Appell.* (II. 28). Si minor et Ecclesia hoc tempus peremptorium præterlabi inutiliter fecerint, et gravem ob lapsum hujusmodi temporis læsionem subierint, poterunt in integrum restitui, ita scilicet ut facultatem assequantur testium depositiones afferendi, vel provocandi ad appellationis remedium non obstante lapsu termini præfiniti. Idem dicendum esset si ageretur de actibus extrajudicialibus, ex. gr. si determinatum esset tempus ad redimendam rem venditam c. 8. h. t. Atque ita explicantur verba Clem. un. h. t.: 'ab Ecclesia adversus lapsum temporis, in quo se læsam asserit, in integrum restitutio peti potest'. Hinc verba hæc intelligi nequeunt de restitutione contra quadriennium inutiliter elapsum, quatenus nempe Ecclesia post quadriennium posset aliud quadriennium exposcere ad experiendum restitutionis remedium; secus enim elusoria redderetur definitio a jure facta quadriennii ad petendam restitutionem.

10. Hæc de læsione ex lapsu temporis, nunc de aliis causis. Et primo quidem relictis quæstionibus, quæ dubiæ adhuc sunt, quærimus utrum dari possit restitutio in integrum *in religiosa professione.* Qua in re distinguendum est utrum restitutio exposcatur contra ipsam professionem, vel exposcatur ut possit proponi et tractari causa de nullitate professionis. Prima restitutio nunquam conceditur. Fieri enim non potest ut qui valide professus est consideretur perinde ac si nihil egerit. Secunda vero concedi potest. Quod ut intelligatur, notandum est, Concilium Tridentinum in c. 19. sess. 25. *de Regul.* statuisse ut reclamatio contra invalidam professionem ex defectu consensus vel ex alia causa posset admitti si a religioso fieret intra *quinquennium* ab elicita professione. Elapso igitur inutiliter hoc quinquennio, peti potest restitutio in integrum, ad hunc scilicet scopum, ut causa nullitatis professionis pertractetur. Praxis s. Congregationis plene huic theoriæ respondet.

11. Quid dicendum *de matrimonio*; estne matrimonium causa in qua detur restitutio in integrum? Restitutio dari non potest quoad vinculum conjugale validum; est enim vinculum irretractabile. Restitutio autem dari potest quoad propositionem causæ circa nullitatem vinculi conjugalis.

12. Quæritur utrum detur minori vel Ecclesiæ restitutio in integrum *contra propriam confessionem* in qua læsionem subierint? Datur utique utrique hæc restitutio ex c. 2. h. t. in 6°. et ex L. «Certum» §. «In pupillo» ff. *De Confess.* At hæc restitutio conceditur quando pateat læsionem procedere ex incauta confessione falsitatis. Nam si res veritati cohæret, restitutio denegatur. Hinc si confessio accedat probationibus plenis vel semiplenis contra minorem vel Ecclesiam restitutio non datur. In utroque enim casu confessio præsumitur facta secundum veritatem.

13. Quæritur *a quo peti debeat restitutio in integrum.* Respondet c. 9. h. t. petendam esse a judicibus *ordinariis* habentibus administrationem justitiæ, seu constituentibus verum et proprie dictum tribunal. Quibus positis, si restitutio in integrum postuletur contra sententiam læsivam, petitio proponenda est vel penes tribunal judicis qui sententiam tulit, vel penes tribunal judicis superioris L. 16. circa fin. ff. *de Minor. Abbas* in c. 9. h. t. n. 7. Hinc restitutio in integrum quæ peti potest contra sententiam Romani Pontificis, peti potest solummodo in tribunali ipsius Pontificis c. 5. h. t. A judice vero *delegato* peti potest solummodo hæc restitutio vel quando quæstio de causis restitutionis concedendæ specialiter commissa est delegato, vel quando incidat in causa principaliter commissa delegato. Arbitri vero de restitutione in integrum videre nequeunt nisi quæstio de ea coram ipsis fuerit mota incidenter in causa principali c. 9. h. t.

14. Si autem restitutio in integrum postuletur contra aliquem actum, vel contractum, vel lapsum temporis, petitio ordinarie facienda est coram judice illius contra quem restitutio postulatur. Ita ex L. 2. C. *Ubi et apud quem cognit.* et ex Doctoribus inter quos *Abbas* in c. 1. h. t. n. 18. Et ratio est: quia qui petit restitutionem, gerit personam actoris, alter autem gerit personam rei. Dixi *ordinarie;* nam Ecclesia in sensu cc. 1. h. t. et 11. *de reb. Eccles. alien.* (III. 13) potest etiam contra laicum petere restitutionem coram judice ecclesiastico. Et ratio est: quia in casu Ecclesia agit ex privilegio speciali, et judex ecclesiasticus merito de

privilegiis ecclesiasticis judicat. Porro restitutio in integrum contra lapsum quinquennii concessi regularibus ad reclamandum contra propriam professionem sess. 25. c. 19. *de Reg.*, unice a S. Sede petenda est. Ita tenuit S. Congr. Conc. in *Mechlinien.* 22. Maji 1687, et praxis consonat. Ita etiam quando petenda est restitutio contra duplicem sententiam conformem pro valore matrimonii. Casus contigit in *Herbipolensi* Nullitatis Matrimonii, in qua hujusmodi restitutio concessa fuit die 17. Decemb. 1857. Et in genere a S. Sede restitutio postulanda est, quando obstat aliqua regula juris communis, circa quam dispensari debeat. Forma procedendi in causa ordinaria restitutionis in integrum est ut citetur pars adversa, et normæ judiciales observentur LL. 1. et ult. ff. h. t.

15. *De effectibus restitutionis in integrum.* — Ut ipsa inscriptio tituli satis exprimit, eo dirigitur hoc remedium juris, ut res reducantur in eam conditionem in qua versabantur antequam poneretur actus, vel iniretur contractus, vel sententia ederetur ex quibus læsio orta est. Hinc effectus restitutionis contra sententiam est ut suspendatur ejus exsecutio, et iterum proponatur causa. Effectus restitutionis in casu pro minoribus comparari potest appellationi pro ætate majoribus. Hinc si causa in qua obtenta est restitutio in integrum est arduæ inquisitionis, restitutio utique gignit novam causæ propositionem, sed non impedit precariam sententiæ exsecutionem; nisi exsecutio hæc res in eo statu poneret ut inde frustraretur vel difficile admodum redderetur remedium restitutionis ex. gr. si probabile dubium esset ne bona dissiparentur. Hæc omnia vel expresse exhibentur vel inductive inferuntur ex c. 6. h. t.

Quod si agatur de restitutione circa aliquem contractum, res reducitur in eam conditionem in qua erat antequam conficeretur contractus. Hinc utraque pars contrahens alteri debet restituere quidquid sibi obvenerit ex contractu L. un. C. *de Reputation.* et reficere expensas necessarias et utiles bona fide in re factas c. 1. h. t. circa fin.

16. Quæritur an reddito fundo per remedium restitutionis, etiam fructus restitui debeant fundi. Variæ adsunt sententiæ Doctorum. Profecto si sermo sit de contractu lucrativo pro una parte et oneroso pro alia, ex. gr. si donatum fuerit prædium, si utilis hæreditas fuerit repudiata etc., hoc in casu, cum qui restituere

debet nullum gravamen passus est, nihilque ex parte sua dedit, æquum est ut alteri parti læsæ omnia restituat, etiam fructus fundi, deductis vero expensis necessariis et utilibus. Læsio enim locum habuit non solum in re, sed etiam in fructibus. Cfr. *Lessium De Just. et Jur.:* Lib. 2. c. 7. n. 70. Si vero sermo sit de contractu bilaterali et utrimque oneroso, hæc videtur adoptanda distinctio: utrum læsio locum habuit quia minoris vel Ecclesiæ intererat possidere hunc fundum, vel quia justum pretium solutum non est. Prima in hypothesi fructus non restituuntur; quia læsio proprie in fructibus non contigit, sed in possessione fundi, in quo reintegratur minor vel Ecclesia: *Lessius* loc. cit. Secunda in specie debent restitui fructus, saltem pro rata diminuti pretii. Qui etiam fructus si fuerint bona fide percepti, subintrat theoria de bonæ fidei possessore, qui facit fructus suos, nec non regula triennalis præscriptionis.

Titulus XLII.

De alienatione judicii mutandi causa.

1. Sequitur tractatio de alio remedio juris, quod conceditur illis, in quorum præjudicium res quædam alienatur sub timore litis futuræ. Fit vero alienatio de qua in titulo, cum ex metu litis impendentis, dolo malo res transfertur in alium potentiorem, vel in personam alterius fori, ut adversario lis durior et difficilior reddatur. Ex quo conceptu patet non agi in titulo proprie de re litigiosa, quæ ex alia dispositione juris alienari non potest, et alienatio, si fiat, nulla est LL. 2. et seqq. C. *de Litigiosis;* sed de re quæ fieri potest litigiosa. Patet insuper alienationem fieri debere 1°. dolo malo, 2°. ad creandas difficultates adversario mutando nempe judicii futuri conditionem. Hinc dicitur alienatio facta causa mutandi judicium; 3°. aliquod derivare debet adversario præjudicium.

2. Quæ si verificentur, datur 1°. actio personalis contra alienantem, quæ dicitur *ad interesse,* idest ut læsus ab alienante consequatur quantum sua intererat rem non fuisse alienatam. Hæc autem actio durat per annum, idest intra annum ab alienatione facta potest institui L. 3. ff. h. t. Hæc vero quantitas arbitrio judicis determinatur LL. 1. et 3. ff. h. t. — 2°. Læsus habet actio-

nem realem, qua potest persequi rem alienatam penes acquirentem L. un. C. h. t.

3. Hoc duplex remedium statutum est proprie contra reum alienantem rem, de qua timet futurum judicium. Sed quæritur an etiam contra actorem concedatur hoc remedium? Id contingere posset si quis habens aliquam actionem exercendam contra alium, ex dolo actionem cederet tertio, qui esset potentior, vel privilegio auctus, ut reus magis vexaretur. Respondent Doctores pro affirmativa sententia innixi generali enunciatione tituli. Remedium vero in casu contra alienantem adhibet reus non per actionem, quia reus non agit, sed ope *exceptionis,* quando in jus a cessionario vocatur. Qua exceptione si reus probet alienationem actionum factam fuisse causa mutandi judicium, repellit actoris instantiam.

4. Duplex adest caput in titulo, et in utroque peculiaris juris canonici hac in re dispositio adhibetur. In cap. 1. hæc species est. Quidam impetraverunt a R. Pontifice rescriptum justitiæ in quo designabantur judices pro quadam causa determinata videnda. Adversarii ad eludendum mandatum Pontificis, antequam literæ apostolicæ pervenissent, vel delatæ essent citationes, appellarunt, vel res, de quibus judices delegati decernere debebant, alienarunt. Rom. Pontifex respondet, judices delegatos posse quæstionem videre et decernere, et jurisdictionem exercere etiam contra actualem possessorem rei alienatæ. Ex quo capite hoc deducitur principium: Licet judicis delegati jurisdictio non extendatur ultra personas in commissione designatas, tamen in casu alienationis judicii mutandi causa factæ, ejus jurisdictio comprehendit etiam personam quæ rem acquisivit. — Secundum caput sub comminatione censurarum reprobat abusum *clericorum,* qui quæstionibus emergentibus inter *laicos,* acquirunt actiones alicujus, atque ita privilegiis suis adversario incommoda creant.

Titulus XLIII.

De Arbitris.

1. Inter personas quæ de causis decernunt, ac quæstiones dirimunt, Arbitri numerantur. Arbiter lato sensu, seu generatim loquendo idem est ac vir bonus et prudens qui ad aliquod negotium et æstimandum et terminandum eligitur. Hoc in sensu qui

amicabili compositione negotium terminat, dici potest arbiter. Arbiter vero stricto sensu sumptus definitur '*Persona idonea, sive ex legis dispositione, sive ex conventione partium electa, ut circa exortam controversiam suum judicium proferat, cui partes stare debent*'. Arbiter qui ex legis præscripto constituitur, dicitur Arbiter juris; qui ex partium conventione eligitur, dicitur compromissarius. Arbiter insuper assumit partes judicis, et procedere debet ordine juris servato, et ejus sententiæ standum est, sive justa sit, sive iniqua. Porro sententia Arbitri dicitur *Arbitrium* vel *laudum*. Codices legum solent determinare normas, quibus compromissum debet fieri et quibus adhærere debet Arbiter ut ejus judicium obtineat effectum legalem.

2. Præter Arbitrum datur *Arbitrator*. Arbitrator est persona idonea quæ de negotio, ex. gr. de contractu societatis, de transactione etc. extrajudicialiter videt et componit de bono et æquo. Ex quo conceptu jam patet differre Arbitrum ab Arbitratore. Præterea Arbitratoris sententia, quæ *Arbitramentum* dicitur, ob gravem læsionem corrigitur ad arbitrium boni viri. L. «Societatem» §. «Arbitrorum» ff. *Pro Socio*.

3. Diximus Arbitros dividi inter Arbitros *juris* et *compromissarios*. Arbiter juris, qui dicitur etiam Arbiter necessitatis, ex præscripto legis constituitur. Constituitur vero vel a judice vel a partibus, prout diversa est dispositio juris. Varia dantur in jure exempla. In c. 39. *de Off. Deleg.* (I. 29) et 11. eod. (I. 14) in 6°. jubetur eligi Arbiter ad decernendum de causa suspicionis ob quam judex recusatur. Pariter ex c. 14. *de Rescript.* (I. 3) cum plures judices dissident super revocatione literarum apostolicarum, a partibus Arbitri eligendi sunt. Ex c. 46. C. 11. q. 1. quæstio exorta inter Episcopum et Clericum sibi subjectum judicio arbitrorum ex conventione partium eligendorum terminanda est. etc.

4. Porro Arbitri hujusmodi in variis differunt ab Arbitris *compromissariis*. Nam Arbitri juris habent a lege proprie dictam jurisdictionem in similitudinem judicis, et quandam coërcitionem; Arbitri vero compromissarii habent potius notionem quæstionis. Hinc non possunt testes compellere ad comparendum. 2°. A sententia Arbitrorum juris datur proprie dicta appellatio ad judicem superiorem; non potest autem appellari a sententia compromissariorum L. 1. C. h. t. — 3°. Arbitri juris possunt compelli ad suscipiendum

onus videndi causam virtute etiam obedientiæ c. 61. *de Appell.* (II. 28), non vero Arbitri compromissarii.

5. Quæritur 1°. *Quinam possunt in Arbitros compromittere?* Resp. Illi solummodo, qui habent liberam rerum suarum administrationem, et per consequens possunt transigere et alienare res suas. Deducitur hoc principium ex c. 5. h. t. ubi R. Pontifex reprobat Arbitri laudum quoad aliqua capitula de quibus Abbas Monasterii compromittens disponere non poterat.

6. Quæritur 2°. *Quinam in arbitros assumi possint.* Resp. Dummodo persona sit idonea ad negotium æstimandum et ad causam cognoscendam potest eligi ad officium Arbitri, nisi expresse a lege vel a canone prohibeatur. *Prohibentur* vero a jure *pupilli* et *minores 20 annis* L. 46. ff. h. t. Ex jure canonico autem prohibentur 1°. *Excommunicati non tolerati* c. 39. *de sent. Excomm.* (V. 39.) — 2°. Ex c. 4. h. t. cui consonat L. ult. C. h. t. *feminæ* eligi nequeunt ad officium Arbitrorum. At exceptio fit quoad mulieres præcellentes seu illustres quæ jurisdictione civili gaudent vel ex jure communi vel ex consuetudine; cit. c. 4. h. t. ubi *Innocent. III.* decernit, valere arbitrium emissum a Regina Francorum in causa inter Monachos Cistercienses et Hospitalarios super usu alicujus silvæ, eo quia ex consuetudine Regina jurisdictionem habebat in subditos suos. — 3°. *Religiosus* Arbiter eligi nequit, nisi exposcente utilitate Monasterii, et accedente consensu superioris; c. 35. C. 16. q. 1.

7. Quæritur 3°. *Quid dicendum de laicis in causis spiritualibus?* Quærimus in causis spiritualibus, nam si sermo esset de causis *civilibus* Clericorum, possent utique laici eligi in Arbitros arg. cc. 4. et 11. h. t. Et ratio est, quia Arbiter compromissarius habet solummodo notionem quæstionis, non autem exercet aliquam jurisdictionem in personas. Si vero sermo sit de causis *spiritualibus,* generatim vetantur laici in Arbitros eligi c. 8. h. t. Verum laicus ex privilegio apostolico potest Arbiter eligi in causa spirituali cognoscenda. Insuper ex dispositione juris laicus simul cum Clericis accedente auctoritate superioris ecclesiastici, seu judicis ordinarii, potest eligi in Arbitrum in causa spirituali c. 9. h. t. Neque hæc duo capita sibimet adversantur. Nam in c. 8. prohibetur quominus laicus eligatur Arbiter, eo quod indecens est, laicum de rebus spiritualibus tractare. Præsumuntur enim easdem res ignorare. At cum assumatur laicus cum Clericis, indecentia

non amplius verificatur; nam 1°. nullam exercet jurisdictionem, 2°. in causæ cognitione potest corrigi a Clericis, si quid dixerit minus sapienter aut minus conveniens cum s. canonibus.

8. *De numero Arbitrorum.* — In c. 1. h. t. prohiberi videtur assumptio Arbitrorum in numero *pari;* at in c. 12. admittitur electio eorundem in pari numero. Attenditur vero et in praxi præfertur dispositio c. 12. quod tempore posterius est capite 1. Quod si prævideatur quæstionem resolvi non posse ex electione Arbitrorum in numero pari, dari potest eisdem facultas assumendi secum alium Arbitrum. Quæ facultas ut valeat, debet esse in personam determinatam. Potest vero compromitti in unum vel in plures, ut vel ipsi videant vel alios eligant qui causam videant c. 13. h. t. Hæc duo capita 12. et 13. prima fronte videntur dissentire, sed revera componi possunt inter se. Nam ideo in c. 12. rejicitur compromissum in incertam personam, quia discordes Arbitri inter se in merito causæ, facile possent dissentire etiam in eligenda nova persona, et proinde lis facile non finiretur. Agitur ergo de specie in qua Arbitri causæ notionem jam ingressi sunt, et differentis sunt opinionis. At in c. 13. species est de Arbitro qui antequam inceperit causam videre, potest vi compromissi vel ipse videre vel in alios deputare. Timor ergo protrahendæ quæstionis non adest quemadmodum in specie c. 12. Ergo. Cfr. Glos. in c. 13. v. «Mediatorum.»

9. *De causis in quibus eligi possunt Arbitri.* — In omnibus causis, de quibus libere disponere possumus, etiam Arbitros constituere possumus, nisi exceptio detur a jure. Porro in illis causis quæ graves censentur, et ob periculum gravis præjudicii quod afferre possunt, requirunt solers judicium majorum judicum, compromitti non potest in Arbitros c. 9. *De in integr. rest.* (I. 41). Hinc ex dispositione hujus c. 9. 1°. compromitti nequit in causa *restitutionis in integrum;* sed Arbitri possunt de ea judicare solummodo si incidenter exsurgat in quæstione principali Arbitris commissa. 2°. Compromitti nequit in causis *matrimonii*, quæ vinculum respiciunt c. 9. h. t. et Glos. ibid. Causæ enim hujusmodi requirunt majores judices. Hinc penes tribunal Episcopi pertractari debent sess. 24. c. 20. *de Ref.* in Trid. et c. 12. *de Excessib. Prælator.* (V. 31). 3°. Compromitti nequit in causa *libertatis,* idest utrum quis sit ingenuus vel servus, vel utrum emancipatus sit necne. 4°. Constitui Arbitri non possunt in causis *criminalibus*

criminaliter actis. Requirunt enim imperium ex parte judicum. Possunt vero in Arbitros compromitti causæ criminales si de effectibus *civilibus* sermo sit. Præter quatuor expositas causas designatas in cit. c. 9. dantur et aliæ quæ excludunt judices compromissarios. Sunt vero: 1°. causæ *reservatæ judicio R. Pontificis,* quæque enumerantur a Glossa in c. 1. *de Transl. Episcopi* (I. 7) v. «pertineant;» 2°. quæstio respiciens *collationem beneficii,* nisi accedat auctoritas superioris; 3°. causæ respicientes *exemptionem* eorum qui immediate subduntur S. Sedi, nisi accedat consensus R. Pontificis c. 5. h. t. 4°. tandem causæ vel *liquidæ* vel in quibus locum habuit *res judicata.* Compromissum enim est ad modum transactionis, quæ de re certa fieri nequit. Excipe nisi post rem judicatam vel in ejus exsecutione, vel in consectariis quæstionis possit oriri; quo in casu Arbitri eligi possunt, quemadmodum tradit c. 11. h. t.

10. *De potestate et officio Arbitrorum.* — Procedit hæc *potestas* ad modum potestatis judicis delegati, quamvis vera potestas ad sensum juris dici nequeat, quia jurisdictio non conceditur a privatis hominibus. Tanta vero est Arbitrorum potestas, quanta in compromisso exprimitur. — *Officium* vero Arbitrorum est ut ordine judiciali servato procedant, et juxta formam expressam in compromisso. Quæ nisi servetur arbitrium non valet. Hinc ex. gr. possunt compromittentes constituere ut Arbitri procedant summarie et de plano. Quo in casu semper tenentur Arbitri audire partes, et cætera peragere, quæ inserviant ad res humano et rationabili modo cognoscendas. Hinc pariter si in compromisso partes edixerint ut vel omnes vel major pars Arbitrorum convenire debeant ad conficiendum plenum laudum, hæc lex debet observari, et si secus fiat, arbitrium viribus caret. Quod si plures dati fuerint Arbitri, et nihil fuerit adjectum, laudum erit illud in quod major pars Arbitrorum consenserit c. 2. h. t. (I. 22) in 6°. — Quid vero dicendum si quis ex arbitris suffragium non tulerit? Si *moriatur* unus ex Arbitris, tunc nec alii procedere possunt. Non enim amplius integrum perseverat collegium personarum a partibus constitutum. Quod si unus *renuerit* suffragium dare, tunc alii procedere possunt c. 2. h. t. in 6°. Nam etiam in tribunali collegiali, si unus judex sese abstineat a judicio ferendo, valet nihilominus sententia, quæ profertur a reliquis. At exceptio facienda est, nimirum, nisi in compromisso dictum sit, ut *omnes*

procedant. Quod si nec omnes nec major pars conveniat, quæstio non est definita, sed Arbitri functi sunt munere suo et eorum cessat officium. Si vero quæstio esset de summa pecuniæ ex. gr. 50 et unus ex tribus Arbitris judicium ferret pro integris 50, alter pro 25, tertius pro 20, arbitrium valeret, et sustineretur sententia tertii; nam omnes certe conveniunt solvenda esse scutata viginti. Ita c. 1. h. t. in 6°.

11. Arbitri non possunt *excedere* limites causæ sibi commissæ. De una ergo ad aliam causam nequeunt transire. Possunt vero videre et decernere de iis quæ necessario et intrinsece connectuntur cum causa principali, ita ut nisi de illis decernerent, quæstio circa principalem causam perseveraret. Infertur hoc principium ex cc. 5. et 21. *de Off. Deleg.* (I. 29) ubi in commissione causæ principalis censetur delegatum fuisse accessorium, licet de accessorio mentio facta non fuerit. Quare Arbitri possunt decernere de exceptionibus tam dilatoriis quam peremtoriis; constituunt enim partem ordinariam defensionis partium. Idem dicendum de causa restitutionis in integrum, quæ inciderit in progressu quæstionis principalis. Possunt insuper statuere diem solutionis perficiendæ L. 23. ff. h. t. Possunt 3°. decernere de fructibus rei frugiferæ quæ arbitrii objectum constituit. Possunt 4°. condemnare in expensis litis; quæ condemnatio potest etiam locum habere in casu quo unus ex compromittentibus contumax fuerit, eumque Arbitri condemnabunt ad solvendas expensas, quas alius compromittens ob contumaciam adversarii fecerit.

12. Ad officium Arbitrorum spectat insuper sententiam *in præsentia partium* proferre, nisi in compromisso dictum fuerit posse laudum pronunciari etiam una ex partibus litigantibus absente c. 10. h. t. Quoad *tempus* pronunciationis laudi si fuerit in compromisso definitum, servandum est, secus debet esse congruum, et una parte instante cogi possunt Arbitri ut tempus hoc congruum præfiniant. Quoad vero *locum* pronunciandi laudi, vel ille est, qui a partibus constitutus fuit, vel nisi fuerit constitutus, laudum pronuntiabunt Arbitri ubi acceptarunt compromissum. L. 21. §. 10. ff. h. t.

13. *De effectibus arbitrii.* — Compromissum fieri potest vel *simpliciter,* vel sub adjecta *pœna* contra eum qui laudum noluerit acceptare. Iterum pœna potest adjici *principaliter,* scilicet ut obli-

gatio sit solummodo ad subeundam pœnam, vel ad confirmandam ipsam *obligationem* conventionis. Si pœna principaliter adjecta fuerit, poterit agi contra non acceptantem laudum ad solvendam pœnam, qua soluta ad nihil aliud tenebitur. Quod si minus principaliter apposita fuerit pœna, ea soluta, adhuc integra perseverabit obligatio principalis, perinde ac si fuisset compromissum purum ac simplex. Quæ obligatio compromissi puri et simplicis qualis sit et quos effectus juridicos producat, explicandum est. Distinguendum vero est utrum arbitrium fuerit tantummodo a compromissariis pronunciatum, vel fuerit etiam homologatum, idest acceptatum a partibus. Hæc vero acceptatio fieri potest vel expresse vel tacite; tacite, si intra 10 dies non contradixerint partes. Si acceptatum fuerit arbitrium, datur parti volenti vel actio in factum coram judice ordinario, qui exsequitur laudum Arbitrorum quasi sententiam a se latam quæ in rem judicatam transierit; vel etiam exceptio si altera pars actionem intentet contra laudum LL. 4. et penult. C. h. t. et c. 9. h. t. Quod si laudum non fuerit homologatum a partibus, conceditur parti volenti actio contra aliam ad interesse. Hac vero actione pars resiliens a laudo tenetur alteram servare indemnem, idest debet eidem solvere quanti intererat ejusdem, arbitrium exsecutioni mandari. Quod si vero in compromisso compromittentes juramentum emiserint se servaturos fore arbitrium a compromissariis edendum, tunc non datur actio ad interesse, sed servari prorsus debet arbitrium. Hoc enim in casu non præsumitur observantia juramenti vergere in præjudicium salutis æternæ quando compromissum legitime fuerit confectum c. 9. h. t.

14. *De remediis contra injustum laudum.* — L. 27. §. «Statim» ff. h. t. in genere statuit servandam esse sententiam Arbitrorum, sive ea æqua sit sive iniqua sit, ob eam rationem, quia compromissum est ad modum contractus, quo compromittentes conveniunt in sententiam virorum probatorum. Hinc quidquid compromissarii decreverint, habendum est quasi fuerit ab ipsis compromittentibus constitutum. At si laudum injustum fuerit, datur nihilominus remedium a jure ut corrigatur. Et primo quidem si sermo sit de Arbitris necessariis, qui Arbitri juris dicuntur, parti læsæ præsto est remedium appellationis c. 11. *de Off. Deleg.* (I. 14) in 6°. Si vero sermo sit de laudo edito ab arbitris compromissariis, distinguendum est utrum fuerit homologatum vel non. Si non fuerit homologatum et contineat evidentem iniquitatem, pars læsa poterit im-

plorare officium judicis ut injustum laudum arbitrio boni viri corrigatur et ad æquitatem reducatur; *Abbas* in c. 23. *de Jurejur.* (II. 24) n. 29. et alii. Porro judex erit idem, qui debuisset videre de causa nisi partes compromisissent in Arbitros. Quod si arbitrium fuerit a partibus homologatum, tunc nec appellatio competit, nec reductio ex sententia boni viri L. 24. §. 2. h. t. At si iniquitas laudi notoria et manifesta sit, quamvis actio non detur ad laudum corrigendum vel irritandum, tamen datur parti læsæ exceptio ad repellendum adversarium qui instet pro observantia laudi. Hæc vero exceptio esse potest una ex illis quæ opponi possunt contra transactiones læsivas, ex. gr. falsitatis, fraudis, timoris, erroris LL. 28. et 29. C. *de Transact.* Præsertim vero opponi potest exceptio doli contra ipsum adversarium, qui ob manifestam iniquitatem laudi, cujus exsecutionem exposcit, præsumitur esse in dolo. Hæc exceptio est perpetua, idest proponi potest etiam ultra 10 dies statutos pro approbatione laudi quotiescumque exposcatur exsecutio laudi. Quod si injustitia laudi secumfert peccatum irremissibile a partibus, ex. gr. simoniam, usuram proprie dictam, laudum esset ipso jure nullum, quemadmodum Doctores inferunt ex c. 2. h. t.

15. *De modis quibus exspirat potestas seu officium Arbitrorum.* — Exspirat potestas seu officium Arbitrorum 1°. *pronunciatione laudi* in causa principali ipsis commissa; ita ut nequeant arbitri iterum causam videre, et corrigere propriam sententiam L. 19. ff. h. t. Judex enim prohibetur a jure bis videre et decernere in eadem causa. Diximus vero *in causa principali;* nam in sententia interlocutoria possunt Arbitri judicium mutare et corrigere. Exspirat 2°. *mutuo compromittentium consensu.* 3°. *Morte Arbitri,* vel unius ex pluribus Arbitris, nisi fuerit adjecta clausula in compromisso 'ut si non omnes possint, saltem aliqui negotium videant' c. 42. *de Off. Deleg.* (I. 29). 4°. *Morte* alterutrius *ex compromittentibus* c. 10. h. t. Compromissum enim in genere non obligat hæredes; censetur enim factum a compromittentibus ob amicitiam vel saltem fiduciam quam habent erga personas Arbitrorum. Potest vero etiam hæredes obligare, si id caverint expresse compromittentes. Quo in casu non exspirat compromissum per mortem alterutrius compromittentis L. 27. ff. h. t. 5°. Exspirat *lapsu diei* præfiniti in compromisso L. 1. C. h. t. 6°. Si ab una parte fuerit causa delata ad judicem *ordinarium.* Quo in casu licet pars quæ compromisso non stetit solvere pœnam in compromisso statutam

cogatur, tamen Arbiter de causa videre non poterit. 7°. *Recusatione suspecti* Arbitri L. 9. ff. h. t. ob enatam inimicitiam vel ob aliam justam causam, vel alia justa recusatione, ex. gr. si ob ingravescentem morbum Arbiter vel incapax efficiatur prorsus ad laudum proferendum, vel diu differre debeat pronunciationem laudi cum præjudicio alterutrius compromittentium L. 15. ff. h. t.

Subnectimus huic libro I. duo S. Sedis acta notatu dignissima, ex quibus unum decretum S. C. EE. et R. R. agit *de titulo ordinationis respectu Regularium*, alterum est Const. Apostolica *De prohibitione et censura librorum.*

Appendix I.

ad Librum I. Decretalium Gregorii IX.*)

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium.

Decretum — 4. Novembr. 1892.

Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium Institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum hujusmodi societatum egressus, et consequens, ex jure constituto, regressus in diœcesim originis. Hæc autem graviora efficit temporalium bonorum inopia qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi sæpe providere nequeunt ut illi vitam honeste traducant. Hæc, aliaque id genus, etiam de alumnis Ordinum votorum solemnium, perpendentes nonnulli Sacri locorum Antistites, pro Ecclesiastici ordinis decore et fidelium ædificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium SSmus D. N. *Leo* PP. *XIII.* detulisset Sacræ huic Congregationi Episcoporum et Regularium Negotiis et Consultationibus præpositæ, Emi. Patres in Conventu Plenario habito in Vaticanis ædibus die 29. mens. Augusti anni 1892, prævio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris temporibus servandas.

---

*) Sc. ad tit. 11. n. 47.

Quas cum SS. D. N. in Audientia d. 23. Sept. hujus anni 1892 infrascripto Secretario benigne impertita probare et confirmare dignatus fuerit, ea quæ sequuntur per præsens decretum Apostolica Auctoritate statuuntur et decernuntur.

I. Firmis remanentibus Constitutione *S. Pii V.* diei 14. Oct. anni 1568, incipient. *Romanus Pontifex,* et declaratione sa. me. *Pii* PP. *IX.* edita die 12. mens. Junii anni 1858, quibus Superioribus Ordinum Regularium prohibetur, ne literas dimissoriales concedant Novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo Paupertatis ad SS. Ordines promoveri valeant, eædem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum *simplicium,* ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum literas dimissoriales concedere pro SS. Ordinibus, vel quomodocumque ad sacros Ordines alumnos promovere titulo Mensæ communis, vel Missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem *simplicia,* sed *perpetua* jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui *saltem* per *triennium* permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta quæ ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis jam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbata.

II. Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad Majores Ordines alumnus Congregationis votorum *solemnium* promoveatur quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus. — Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam Sacros Ordines suscipiat triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut Clericus vota *solemnia* nuncupare possit quamvis non expleverit triennium, quoad Instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti Constitutionibus præscripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

III. Dispositiones contentæ in decreto S. C. Concilii jussu sa. me. *Urbani VIII.* edito die 21. Septembris 1624 incipien. *Sacra Congregatio,* ac in decreto ejusdem S. C. jussu sa. me. *Innocentii XII.* edito die 24. mens. Julii anni 1694, incipien. *Instantibus,* ac in

aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in *expellendis* propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandæ imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum *simplicium,* quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper Ordinibus constituto dimittendo; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem, externam, et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorregibilis. Ut autem quis incorregibilis revera habeatur, Superiores præmittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem; qua nihil proficiente Superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium ejusdem Instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non præsentaverit, Superior, seu Tribunal, defensorem, ut supra, alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post hæc Superior cum suo Consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quæ tamen nullum effectum habebit si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eamdem S. C. definitivum judicium prolatum non fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus præscriptis, et facultatem procedendi summario modo juxta praxim vigentem apud hanc S. C.

IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in Sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint *perpetuo suspensi maneant,* donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac præterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

V. Qui in Sacris Ordinibus constituti et votis *simplicibus* obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, *secus* suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium tempora-

lium qui quovis professionis vinculo jam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

VI. Professi tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad Sacros Ordines non admittantur, nisi, præter alia a jure statuta, testimoniales literas exhibeant, quod saltem per annum sacræ theologiæ operam dederint si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum, saltem *per triennium,* præmisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

Hæc de expresso Sanctitatis Suæ mandato præfata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romæ, ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 4. novembris 1892.

I. *Card.* VERGA *Præf.*
† Jos. M. *Arch.* CÆSARIEN. *Secretarius.*

APPENDIX II.
ad Librum I. Decretalium Gregorii IX.*)

Decreta Generalia**)
DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM.

TITULUS I.
DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

CAPUT I.
De prohibitis apostatarum, hæreticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.

1. Libri omnes, qui ante annum MDC. aut a Summis Pontificibus, aut a Conciliis œcumenicis damnati sunt, et in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut *olim* damnati fuerunt: iis exceptis, qui per hæc Decreta Generalia permittuntur.

*) Sc. ad tit. 31. nn. 73.—82. **) Hæc *Decreta* publicata sunt una cum Const. Apostolica „Officiorum ac munerum."

2. Libri apostatarum, hæreticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, jure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

Caput II.

De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacræ Scripturæ.

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacræ Scripturæ, etiam Ecclesiæ Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatæ, etsi fideliter et integre editæ appareant, iis dumtáxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliæ versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editæ.

Caput III.

De Versionibus vernaculis Sacræ Scripturæ.

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectæ, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectæ, atque illæ præsertim, quæ per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non

semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimæ Ecclesiæ leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hæ nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quæ supra (n. 5) statuta sunt.

Caput IV.

De libris obscenis.

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut prælegendi erunt.

Caput V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatæ Virgini Mariæ, vel Sanctis, aut Catholicæ Ecclesiæ ejusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicæ Sedi detrahitur. Eidem reprobationis judicio subjacent ea opera, in quibus inspirationis Sacræ Scripturæ conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliæque hujus generis superstitiones docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quæ narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quæ novas inducunt devotiones, etiam sub prætextu quod sint privatæ, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiæ licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiæ et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

Caput VI.

De Sacris Imaginibus et Indulgentiis.

15. Imagines quomodocumque impressæ Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiæ sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novæ vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticæ potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quæ divulgatæ jam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

Caput VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare præsumat: si secus factum fuerit, hæ novæ editiones prohibentur.

19. Litaniæ omnes, præter antiquissimas et communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de Beata Virgine, quæ in sacra Æde Lauretana decantari solent, et litanias Sanctissimi Nominis Jesu jam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ, mysticæ, aliosque hujusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo præter legitimæ auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

Caput VIII.

De Diariis, foliis et libellis periodicis.

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de hujusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, præsertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente justa et rationabili causa, publicet.

Caput IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem præposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subjectis. Pro Urbe tantum, hæc facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Prælati jurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se præcepto teneri hujusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

Caput X.

De denunciatione pravorum librorum.

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina prævalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicæ Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinæ laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causæ exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicæ, libros, aliaque scripta noxia in sua Diœcesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum judicium ea deferant opera vel scripta, quæ subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremæ auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II.

DE CENSURA LIBRORUM.

Caput I.

De Prælatis librorum censuræ præpositis.

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quæ supra (no. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacræ Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea præscriptis.

32. Quæ ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis præpositæ publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hæ nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscujusque Congregationis præscriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacræ Congregationis Propagandæ Fidei præpositæ de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura præsentium Decretorum vi Apostolicæ Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici juris fiunt.

36. Regulares, præter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facul-

tatem a Prælato, cui subjacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si Auctor Romæ degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, præter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

Caput II.

De censorum officio in prævio librorum examine.

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere ut eis examinandis spectatæ pietatis et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (juxta Benedicti XIV præceptum) animo a præjudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiæ sanctæ dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice præ oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

Caput III.

De libris præviæ censuræ subjiciendis.

41. Omnes fideles tenentur præviæ censuræ ecclesiasticæ eos saltem subjicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum præbeant.

Iidem prohibentur quominus, absque prævia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

Caput IV.

De Typographis et Editoribus librorum.

43. Nullus liber censuræ ecclesiasticæ subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris præferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, justas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas ejusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, ejus in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, præcipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

Caput V.

De pœnis in Decretorum Generalium transgressores statutis.

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, libros apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quæ his Decretis Generalibus præcipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam pœnis coërceantur.

Præsentes vero literas et quæcumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis

Nostræ vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cujusvis gradus et præeminentiæ inviolabiliter in judicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel prætextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum literarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quæ Nostræ voluntatis significationi his præsentibus ostensis haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, VIII. Kal. Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.

A. CARD. **MACCHI.**

A. Panici, *Subdatarius.*

Visa

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.

(L. † P.)

Reg. in Secret. Brevium.

I. Cugnonius.

Finis Libri I. Decretalium Gregorii IX.

Laus Deo.

Index rerum.

Titulus III.

De Rescriptis. p. 26—39.

Titulus IV.

De Consuetudine. p. 40—51.

Titulus VI.

De electione et electi Potestate. pag. 51—78.

Titulus V.

De postulatione Prælatorum.

Titulus VII.

De translatione Episcopi.

Titulus VIII.

De auctoritate et usu Pallii.

Titulus IX.

De Renunciatione.

Titulus X.

De supplenda negligentia Prælatorum.

Titulus XI.

De temporibus Ordinationum et qualitatibus Ordinandorum.

Appendix ad Tit. XI.

Votum auctoris ægre prætermissum.

Titulus XII.

De scrutinio in ordine faciendo.

Titulus XIII.

De ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatui.

Titulus XXVIII.

De officio Vicarii. p. 220—258.

Titulus XXIX.

De officio et potestate Judicis delegati. p. 258—276.

Titulus XXX.

De officio Legati. p. 276—281.

Titulus XXXI.

De officio Judicis Ordinarii. pag. 282—370.

De Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.

De numero, divisione et jure optionis Cardinalium. pag. 288.

De Creatione Cardinalium. p. 290.

De dignitate S. R. E. Cardinalium.

De munere S. R. E. Cardinalium. pag. 297.

Titulus XXXII.

De Officio Judicis.

Titulus XXXIII.

De Majoritate et Obedientia.

Titulus XXXIV.

De Treuga et Pace.

Titulus XXXV.

De Pactis.

Titulus XXXVI.

De Transactionibus.

Titulus XXXVII.

De Postulando.

Titulus XXXVIII.

De Procuratoribus.

Titulus XXXIX.

De Syndico.

Titulus XL.

De iis quæ vi metusque causa fiunt.

Titulus XLI.

De in integrum restitutione.

Titulus XLII.

De alienatione judicii mutandi causa.

Titulus XLIII.

De Arbitris.

Index titulorum.



PRÆLECTIONES
JURIS CANONICI

QUAS

JUXTA ORDINEM DECRETALIUM GREGORII IX.

TRADEBAT

IN SCHOLIS PONT. SEMINARII ROMANI

FRANCISCUS SANTI
PROFESSOR.

EDITIO TERTIA EMENDATA ET RECENTISSIMIS DECRETIS ACCOMMODATA

CURA

MARTINI LEITNER,
DR. JUR. CAN.
VICERECTORIS IN SEMINARIO CLERICORUM RATISBON.

LIBER II.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATI.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.
MDCCCXCVIII.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 31. Augusti 1897.

Dr. Fr. X. Leitner,
Vic. in Spir. Gen.

PRÆLECTIONES
JURIS CANONICI.



LIBER II.

Decretalium Gregorii IX.

Liber II.

Titulus I.

De Judiciis.

1. Ecclesia Christi, quæ societas publica est et perfecta in ordine suo, quæque charitatis non minus, quam justitiæ normis regitur, suas leges non solum, sed suum etiam publicum tribunal habeat necesse est, quo justi et æqui recta ratio definiatur et servetur. Etenim ad regimen publicum rite institutum obtinendum non solum requiritur ordinatum legum systema, sed etiam necessarius est certus et legitimus modus, quo leges constitutæ enatis controversiis applicentur. Ecclesia igitur, ut sarta tectaque sint jura Christi fidelium tam clericorum quam laicorum, et ut consulatur honori et securitati personarum, habere debet normas certas et rationabiles, quibus controversiæ cognoscantur et recto judicio definiantur. Complexus harum normarum, seu regularum, quibus judicia inter fideles in foro externo Ecclesiæ reguntur, appellari potest *ordo judiciarius*. Liber secundus Decretalium de hoc ordine judiciario pertractat. Primus titulus agit in genere de judiciis.

2. *Judicium* varia sub significatione accipitur; in sensu autem tituli nihil aliud est nisi 'Legitima controversiæ, quæ est inter actorem et reum apud Judicem disceptatio et definitio'. *Legitima*, quia judicialis controversiæ cognitio procedere debet juxta leges;

judicia enim instituta sunt, ne privata auctoritate et arbitrio jura individuorum vindicarentur, et protegerentur.

3. In hac legali cognitione causæ *tres* personæ principaliter judicium constituunt, nempe *actor*, qui auctoritatis publicæ protectionem invocat, *reus*, qui actionem ex adverso institutam exceptionibus repellere nititur, et *judex*, qui auditis hinc inde in disceptatione rationibus, vice Principis fungens, legis virtutem sententia sua propositæ quæstioni applicat. Atque ita completur judicium.

4. Ex data notione sequitur judicium differre *a quæstione*, *a causa*, *a lite*, *ab instantia*. *Quæstio* est ipsa res vel jus controversum, quod nondum in judicium deductum est, sed deduci potest. Hinc alia est quæstio *juris*, alia quæstio *facti*. Secunda est, si quæratur de existentia ipsa facti, aut de ejus circumstantiis. Quæstio juris est, cum quæritur de morali qualitate facti, seu an et quomodo sub legis dispositione cadat factum aliquod. Uno verbo quæstio juris versatur circa sensum legis facto alicui applicandum. *Causa* est ipsa quæstio deducta in judicium. Hinc causa appellari potest materia judicii. *Lis* proprio sensu sumpta est ipsa controversia vel contentio partium post contestationem judicialem. Hinc dicitur lis pendere penes tribunal. *Instantia* est actualis exercitatio judicii a litis contestatione incipiens, usque ad sententiam definitivam, seu est jus certum prosequendi incœptum judicium coram eodem judice, cujus competens jurisdictio per litis contestationem agnita est a partibus collitigantibus.

5. Quæritur: an hoc jus sit *perpetuum* vel *tempore* perimi possit. Instantiæ jure romano erant in genere triennales in causis civilibus, biennales in criminalibus, scilicet causæ omnes vel triennio vel biennio terminari debebant. Ita in l. «properandum» 13. §. 1. C. *De Judiciis*. Jure autem canonico dictum est instantias esse perpetuas, c. 20. h. t. At hæc perpetuitas instantiarum non est absolute accipienda; possunt enim etiam instantiæ perimi præscriptione *triginta* annorum, quemadmodum perimuntur ipsæ actiones, quæ instantias pariunt. At perpetuitati instantiarum etiam in sensu exposito acceptæ obstare videtur dispositio Conc. Trident. in c. 20. sess. 24. *De Ref.* ubi Concilium statuit, causas omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes in prima instantia cognoscendas esse coram Ordinariis locorum, atque omnino infra biennium a die motæ litis terminandas esse. At in foro hæc

dispositio conciliaris recepta est ita ut non denegetur instantiis judicialibus perpetuitas, quam habent actiones, videlicet perpetuitas quæ non excedat triginta annos. Ita præsertim tribunal S. R. Rotæ in pluribus decisionibus, et præ aliis in Causa *Tudertina Parochialis* 3. Martii 1732. §. 3. Et merito. Nam Tridentinum in casu, quo intra biennium causa non esset finita, haud quidem disposuit ut instantia perimeretur, sed edixit ut post id spatium seu biennium, liberum esset utrique parti, vel alteri illarum, judices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu quo reperta fuerit, assumant, et quam primum terminari curent. Quare post biennium mutatur quidem judex, sed instantia, quæ incœperat, adhuc perseverat. Hinc quoties a Sede Apostolica concedantur gratiæ ob litis pendentiam, sustinentur si nondum ab initio litis fuerint elapsi triginta anni.

6. Verum etiam ante lapsum triginta annorum perimitur instantia duobus in casibus. Scilicet 1°. si judex reo parato ad sese tuendum, et actore nimium negligente, ad fraudes præcavendas pronunciat sententiam qua declaret litem esse *desertam*. 2°. Si elapso decennio a litis contestatione indubie constet de *injustitia* instituti judicii.

7. Quomodocumque perempta sit instantia ante causæ definitionem, jus partis non perimitur, sed solum censetur defecisse illa exercitatio, seu tela judicii, quæ incœpta erat, quæque habetur ceu non facta. Hinc pars, quæ jus suum prosequi intendit, novum aggredi debet judicium, novamque provocare instantiam.

8. Ex quo patet perempta instantia, etiam censeri nullius roboris effecta fuisse acta judicii, seu acta quæ inservierunt ad ordinandum judicium constitutum, scilicet libellum, litis contestationem, terminum peremptorium ad comparendum, vel satisdandum, incidentales quæstiones de competentia judicis, et alia hujusmodi. Ac non ita dicendum est de actis causæ, quia hæc acta possunt valere etiam in alio judicio quod instituatur. Acta autem causæ ea sunt, quæ respiciunt meritum, et diriguntur ad inquisitionem et probationem veritatis, ex. gr. confessiones partium, testium depositiones, instrumenta producta etc. Acta scilicet hæc possunt invocari et adhiberi etiam in alia instantia, seu in alia tela judicii proposita, dummodo tamen judicium inter personas easdem agitetur, et modus agendi non mutetur. Nam si inter alias personas judicium agatur, vel si a judicio summario transitus fiat ad judi-

cium ordinarium et solemne, etiam acta causæ sunt renovanda. Et ratio est quoad primam partem, quia juxta 2. Cod. in tit. *'Quibus res judicata non nocet'*: 'Res inter alios acta nobis nec prodesse nec nocere potest.' Quoad vero secundam partem, quia judicium ordinarium et solemne debet actibus solemnibus constare.

De Divisione judiciorum.

9. 1°) Ratione causæ efficientis judicium aliud *ecclesiasticum* dicitur, aliud *sæculare*, prout jurisdictio judicis procedit ab auctoritate Ecclesiæ, vel principis civilis societatis. Quare hoc in discrimine non ad personam judicis, sed proprie attenditur ad originem jurisdictionis.

10. 2°) Ex causa finali ad quam dirigitur, judicium dividitur in *civile*, in *criminale* et in *mixtum*. *Civile* judicium est illud in quo actor directe persequitur proprium interesse, sive illud procedat ex contractu, aut ex alio titulo mere civili, sive procedat ex alieno crimine. Hinc in foro cum quis passus est injuriam ex crimine, dicitur civiliter agere contra delinquentem, si in judicio damni reparationem solummodo exposcat. Judicium vero civile si persequatur directe personam ceu principaliter obligatam dicitur *personale*, si procedat contra possessorem rei ad rem ipsam vindicandam dicitur *reale*. Hinc judicium hoc vindicat rem penes quemcumque alium possessorem. *Criminale* judicium est illud in quo ex delicto agitur ad vindictam publicam procurandam, pœnamque delinquenti infligendam. *Mixtum* vero judicium illud appellatur, in quo actor expostulat simul et pœnam rei et damni reparationem.

11. 3°) Tertia divisio originem trahit ex causa materiali, seu ex materia judicii, et aliud est judicium *petitorium*, aliud *possessorium*. *Petitorium* dicitur judicium cum quæstio versatur circa proprietatem rei, vel circa jus. Ex. gr. si instituatur actio vindicatoria, si quæstio sit an competat alicui personæ jus præsentandi ad beneficium, ex titulo canonico vel non, etc. *Possessorium* vero cum agitur de possessione rei, vel de quasi possessione juris, sive sermo sit de acquirenda possessione, sive de retinenda, sive de eadem recuperanda.

12. 4°) Quartam divisionem repetunt doctores a causa formali, seu a forma qua judicia pertractantur, et aliud est judicium *ordi-*

narium et *solemne,* aliud vero *summarium* et *œconomicum.* Primum illud est in quo servantur præscriptiones non solum juris naturalis, sed etiam juris positivi sive civilis in tribunali civili, sive ecclesiastici in judiciis ecclesiasticis. Præscriptiones juris positivi dicuntur etiam *solemnitates*, quia reddunt judicium solemne et publicum. Hinc judicium hujusmodi dicitur fieri *cum strepitu forensi.* Dicitur vero ordinarium, quia communiter in definiendis judicialiter controversiis, hæc forma solemnis et publica judiciorum servanda est. De hac forma solemni judiciorum præcipue agit liber secundus Decretalium. Judicium summarium illud est, in quo observantur solummodo dispositiones juris naturalis, quæ apud omnes gentes necessariæ habentur ad legitime cognoscendam veritatem in controversiis. Dicitur vero extraordinarium, quia in eo non servatur undequaque ordo juris positivi. De hoc judicio agit Clem. 2. *De Verb. Signif.* (V. 11) in qua definitur natura judicii summarii, ut scilicet necessaria non sit trina vel duplex formalis citatio, contestatio litis, et tempus juridicum, nec admittantur dilationes, exceptiones declinatoriæ fori aut appellationes dilatoriæ, et longiores contentiones advocatorum et procuratorum; post recursum ab actore propositum et reo a judice intimatum, sufficiant probatio necessaria actoris et defensio competens rei. Quibus auditis et expensis judex potest sententiam ferre.

13. Per summarium processum, seu œconomicum judicium pertractantur causæ, 1°) quæ sunt *modicæ entitatis.* Quænam sint causæ modicæ entitatis non conveniunt doctores, præ oculis autem a judice, cui a jure communi relinquitur decisio entitatis causæ, habenda maxime est conditio personarum litigantium. In ditione temporali Romani Pontificis juxta dispositionem expressam in '*Regolamento*' edito anno 1834 §. 1709 causæ summariæ ratione quantitatis, sunt quæ non superant scutata romana quinque. 2°) Ex Clem. 2. h. t. summario judicio decernuntur causæ, quarum *prorogatio* esset evidenter *noxia* et plerumque etiam tertii præjudicium secumferat. Hujusmodi sunt causæ electionum et provisionum beneficiorum, quæ differri nequeunt, ne Ecclesiæ et beneficia diu careant suo rectore. Pariter causæ omnes matrimoniales, respicientes vinculum, id est valorem matrimonii, summario judicio tractantur ob periculum incontinentiæ. Animadvertendum vero est hodierno jure in causis nullitatis matrimonii pertractandis, servandas esse normas Constitutionis *Benedicti XIV. 'Dei Miseratione'.* Nihilominus

etiam nostris temporibus interdum conceditur, ut procedatur summarie, i. e. neglectis normis Constitutionis «*Dei Miseratione*»; cfr. decreta S. C. Inquisitionis, d. 27. Aprilis 1887 et d. 1. Febr. 1888; rescripta S. C. Concilii, d. 18. Febr., 6. Maj., 12. Aug. 1865 et d. 31. Jul. 1869. Summarie etiam peraguntur causæ usurarum ob præjudicium eorum quibus restitutio facienda est. Hisce causis ob paritatem rationis comparantur causæ alimentorum, depositi, mercedis et spolii. — Auctores vero præter hæc genera causarum, ob personarum respectum tradunt judicio summario expediendas esse etiam causas pupillorum, viduarum et peregrinorum, necnon religiosorum, quos non decet implicari negotiis forensibus, et ambagibus solemnis judicii. Cap. 26. *De Accusationibus* (V. 1). Animadvertendum tandem est etiam in causis, quæ privilegio gaudent judicii summarii, posse confici ordinarium processum ac posse expediri per solemne judicium, quoties actor viam judicii ordinarii ingressus fuerit. Nam Clem. citata id non impedit, et actor cujus interest causam citius terminari, sibi imputet si facto suo privilegio celeris judicii renuntiaverit. Ita doctores.

De personis quæ concurrunt in judicio.

14. In judicio partem habent præcipuam, judex, actor et reus. In judiciis autem criminalibus non semper adest proprie dictus actor, idest accusator, qui nempe adhærens fisco causam suam faciat. At ad criminale judicium instituendum contra determinatas personas, semper requiritur vel accusatio vel publica fama, ex qua judex procedit per inquisitionem, quæ *specialisissima* dicitur.

I⁰. De Judice. Judex est, qui jurisdictionem habet vel propriam et ordinariam, vel delegatam in causam sententia sua finiendam. Quomodo autem constituuntur judices vel Ordinarii vel delegati quibusque dotibus præditi esse debeant, in libro primo decretalium descriptis titulis determinatur. Quare ab hisce explicandis rebus abstinemus. Potius quærimus utrum valeant acta et sententia prolata a judice, qui æstimatur quidem uti talis, sed vitio occulto laborat ex quo vere judex non est. Ex. gr. si quis judex constitutus est pro uno genere causarum, et officium exercet in aliis etiam causis. Responsio datur in celebri lege 4. ff. *De off. Prætorum,* quæ est de Barbario Philippo aliquo, qui cum servus fugitivus esset, ac proinde incapax jure romano munera publica obeundi præturam Romæ petiit, simulans se esse hominem liberum

et civem romanum, præturamque assecutus plura edixit et decrevit. Cum vero quæreretur, an gesta ab hoc magistratu putativo sustinerentur, responsum est sustineri ob æquitatem et commune bonum. Concordat c. 1. §. «Verum tamen» C. 3. q. 7. Ex hisce locis juris inferunt doctores valere sententiam judicis putativi, quoties error fuerit communis, id est quoties publice et in populo existimatur esse verus et legitimus judex. Hinc opinio contraria unius vel alterius de populo non officit; æstimatio enim non desinit esse communis. Requiritur vero ut titulum saltem coloratum habeat judex, seu adsit probabile nec spernendum argumentum, cui innitatur credulitas populi. Hinc si pateat judicem esse intrusum, id est non fuisse destinatum ad officium judicis a superiore legitimo, sed sese immicuisse in negotiis judicialibus auctoritate propria, opinio populi non sufficit ad reddendos validos actus hujus judicis putativi.

15. II°. De Actore et Reo. Quærunt doctores quinam possint esse in judicio, et partes sustinere actoris et rei. In genere omnes possunt qui a nulla lege prohibentur; omnes enim generatim possunt jus suum vindicare si fuerit ab alio usurpatum, et tueri si oppugnatum fuerit in judicio. Juxta leges *romanas* arcebantur a judicio: *servi* ob defectum personalitatis civilis; *pupilli, minores* et *mulieres* absque tutoris vel curatoris auctoritate ob consilii infirmitatem; *filii familias* ob defectum administrationis bonorum. Jus canonicum legis civilis dispositiones excipere non dedignatur, quamvis nonnullas faciat exceptiones. Ex. gr. Minorennis *Clericus*, si est major 14 annorum, in causis beneficialibus vel aliis spiritualibus absque consensu curatoris potest vel per se vel per procuratorem in judicio agere. Ita cap. 3. h. t. in 6°. Idem dicatur de *laicis* fidelibus in causis *matrimonialibus* vel *juris patronatus*. Cf. cc. 13. et 14. *De Restit. Spoliat.* (II. 13). Sed insuper speciales tradit normas, quibus 1°) nonnullæ personæ in judicio esse non possunt ob *censuras*, quibus ligantur; 2°) nonnullæ ob *defectum voluntatis*, quam ob professionem religiosam amisisse censentur; 3°) nonnullæ tandem ob jus coarctatum in *administratione* rerum *ecclesiasticarum*.

16. Ex 1°. capite arcentur a judiciis, ne sustineant actoris partem, omnes, qui sunt excommunicatione innodati, ut hac pœna medicinali compulsi, facilius ad pœnitentiam et reconciliationem inducantur. Cap. 8. *De Sent. Excomm.* (V. 11) in 6°. Hodie vero

post Constitut. *'Ad evitanda' Martini V.* excommunicati *vitandi* ipso jure non possunt in judicio admitti, excommunicati autem non vitandi exceptione repelli possunt. Cap. 1. *De exceptionibus* (II. 12) in 6°. Utrique autem conveniri possunt ut rei in judicio. Cap. 7. h. t. Ratio est quia secus de sua malitia referrent commodum. Excommunicatus non vitandus si conveniatur, poterit per se in judicio comparere, si autem fuerit vitandus cogitur ad designandum procuratorem, qui ejus nomine respondeat. Cit. cap. 7. h. t.

Admittuntur vero excommunicati in judicio etiam uti actores a) quando velint ostendere sententiam excommunicationis esse nullam ob *neglectam formam* a jure statutam. b) Si velint probare esse *injustam*. Sed hoc in casu quia sententia lata est in forma juridica, et proinde præsumitur valida quoadusque injusta non appareat, absolventur ad cautelam a vinculo censuræ, et deinde admittuntur ad judicium, cujuscumque generis sit. c) Si in judicio damnuntur, possunt *appellare* ad tribunal superius, et in hac secunda instantia possunt partes actoris sustinere. Ratio est quia appellatio censetur actus necessarius et species defensionis. Idest qui appellat a sententia contra se latam, proprie non agit, sed censetur velle complere defensionem suam, et rationes novas et validiores exhibere. d) Admittuntur etiam uti actores excommunicati quando sermo est de causis, in quibus verificatur periculum *spirituale*, seu periculum peccati. Sic ex. gr. si quæstio sit de divortio a conjugio vel de nullitate matrimonii. Tandem e) quando periculum est *in mora*, idest nisi cito actio instituatur contra reum rationabiliter timeri potest ne jus ipsum omittatur. Ex. gr. si debitor bonis cedat vel fugam arripiat. Hoc etiam in casu excommunicati possunt agere in judicio.

17. Ex 2°. capite a judiciis tamquam ex generali regula arceantur *Religiosi* homines, nisi adsit licentia proprii superioris. Ita gloss. in c. 11. C. 12. q. 1. Ratio est quia Religiosus caret bonis et voluntate, quibus in professione renunciavit, ita ut quidquid acquirit, non sibi, sed monasterio acquirat. C. 7. *De Offic. Ordin.* (I. 31) et c. 6. *de statu Monachor.* (III. 35). Hinc cum monasterium complectatur et tueatur jura monachorum, sequitur religiosos non posse conveniri vel convenire in judicio, de causa civili, sed monasterio reservari partes agere actoris vel rei pro suis religiosis. Non idem vero dicendum de causa criminali crimina-

liter acta, nam hac in specie conveniendus est ipse Religiosus reus, non monasterium. Ita communiter doctores. At non desunt casus in quibus etiam absque venia Superioris saltem concessa explicite et in specie possit Religiosus homo stare in judicio. a) Si *Superior* monasterii *deliquerit*, poterunt Religiosi illum accusare et sustinere quæstionem etiam cum expensis monasterii. Cc. 11. et 26. *De Accusationibus* (V. 1). Ratio est ne secus impediatur vel differatur nimium correctio morum et reformatio monasterii. b) Si Religiosus persentiat se *injuste gravatum* ex dispositione superioris, qua expulsus fuerit a monasterio, vel compellatur egredi ab eodem,*) aut spoliatus fuerit aliquo jure spirituali quod ei competit, ex. gr. voce activa vel passiva in electionibus, poterit absque licentia Superioris in judicio agere. Ita doctores innixi intentioni c. 22. *De Rescript.* (I. 3). c) Non indiget licentia Superioris Religiosus ut in judicio adsit, quoties legitime a residentia *longe absens*, ex. gr. causa studiorum, læsus fuerit in aliquo contractu necessario vel passus fuerit injuriam. Eo ipso enim quod habeat licentiam commorandi extra monasterium, censetur etiam habere facultatem ea peragendi sine quibus pacifice vivere et commorari non potest. Arg. l. 18. ff. *De Judiciis* §. 1. Faciunt ad rem. cc. 5. et 29. *De Offic. Deleg.* (I. 29). d) Potest Religiosus esse in judicio absque Superioris licentia, quoties de consensu Superioris habeat et administret *beneficium* aliquod scilicet præposituram, prioratum, parœciam vel aliam administrationem peragat, et quæstio agitatur circa jura vel bona beneficii ipsius, vel entis administrati. Arg. c. 16. h. t. et Clem. 1. *De Rescript.* (I. 2). Administrandi enim officium habet adnexam facultatem custodiendi et defendendi jura adnexa administrationi. e) Tandem Religiosus agere potest auctoritate propria et nomine monasterii, quoties impedito vel absente prælato, urgeat *necessitas* sistendi in judicio, et periculum sit in mora.

18. Ex 3°. capite exclusio personarum jure canonico a judiciis respicit *Prælatos et Capitula* ob mutuam limitationem in negotiis peragendis. Quod ut intelligatur, sciendum est prælatum sive sæcularem sive regularem possidere *prælaturam* in titulum, et administrare nomine proprio bona et jura beneficii sui. Si de istis bonis vel juribus controversia oriatur, prælatus poterit absque capituli consensu partes actoris vel rei in judicio exercere.

*) Quando subditi religiosi jure expelli possint, consulatur l. III. tt. 31. et sqq.

Ratio deducitur ex officio prælati, qui censetur esse proprius et ordinarius custos et defensor rerum et jurium boneficii sui. Cap. 19. §. fin. *De Elect.* (I. 6). Insuper prælatus etiam ob datam fidem in possessione beneficii accipienda, tenetur tueri bona et jura beneficii. Quare in judiciis nomine proprio negotia poterit pertractare. Optimum vero erit, et juris intentioni maxime conveniens, si procuratorem designet, qui ejus vicibus fungens acta propria prosequatur. Verum si prælatus male versatus fuerit in judicio suo et ex ejus negligentia amiserit bona vel jura prælaturæ, conventus solus seu capitulum etiam sine licentia prælati, poterit in judicio petere ut bona vel jura restituantur. Cap. «Si quis Presbyter». *De Reb. Ecc. non alienand.* (III. 13). Etenim in hoc capite conceditur cuique de clero facultas reclamandi, et procedendi in judicio contra illegitimum factum Rectoris beneficii, ex quo facto beneficium læsum fuerit.

Quandoque vero bona et jura sunt *communia* inter prælatum præsertim regularem et capitulum seu monasterium, sive quoad rem et fructum, sive saltem quoad administrationem. Hoc in casu prælatus solus etiam, quin audiat consensum capituli sui poterit in judicio esse, si sermo sit de causis minoris momenti, quæque respiciant ordinariam administrationem; nam prælatus saltem considerari potest ceu procurator generalis ad negotia. At non idem dicendum de negotiis et causis magni momenti seu de arduis rebus, ex quibus grave præjudicium capitulo vel monasterio posset resultare. Nam valet in casu intentio juris communis, ut scilicet prælatus non possit pertractare negotia nimis ardua absque consensu capituli. Cc. 4. et 5. *De his, quæ fiunt a Prælat.* (III. 10). Capitulum vero nullo modo absque licentia prælati poterit esse in judicio in bonis communibus cum prælato suo. Cap. 9. h. t. Hinc acta a capitulo absque prælato nulla sunt nisi rata deinde habeantur ab eodem prælato, c. 42. C. 12. q. 2. et Gloss. in c. 21. *De Rescript.* (I. 3) v. «debeant». Idem ferme etiam dici potest, si sermo sit de bonis quorum fructus seu redditus non cedunt prælato vel capitulo, sed destinantur cultui divino et aliis operibus pietatis vel misericordiæ, quæque quoad administrationem communia sunt prælato et capitulo. Quod si sermo sit de bonis peculiaribus capituli, quorum nempe administratio et usus fructus ad ipsum capitulum distincte spectat, poterit ipsum capitulum irrequisito prælato negotia judicialia peragere. Id enim postulat ratio administrationis. At excipi-

untur graviora negotia, seu quæstiones nimis arduæ, quæque bonis capitularibus magnum præjudicium possent inferre. Hisce scilicet quæstionibus sese immiscere non potest capitulum irrequisito prælato, inspecto jure communi, quod considerat capitulum ceu unum corpus cum prælato suo, cujus corporis prælatus est caput. Ita in cap. 4. *De his quæ fiunt* (III. 10) etc., et cap. 15. *De Testament.* (III. 26). Dixi *inspecto jure communi,* nam in praxi maxime attenditur consuetudo.

19. Ut de personis, quæ in judicio habent principalem partem, tractatio compleatur, quæritur utrum judex possit adigere actorem et reum, ut *personaliter* in judicio sint præsentes. — Huic quæstioni respondet cap. 1. h. t. in 6°. in quo statuitur pro generali regula responsio *negativa.* Ratio est quia ab ipso jure inducta est dispositio ut ad litigantium jura defendenda destinari possint procuratores, qui causam suam faciant et possint in omnibus ipsos litigantes repræsentare. — Videtur obstare cap. 14.« Pastoralis» h. t. in quo statuit Pontifex *Innoc. III.* partes per se ipsas et non per advocatos factum proponere debere in judicio. At post dispositionem cap. 1. h. t. in 6°. difficultatem non facit cap. objectum. Nam cap. 1. in 6°. potest considerari ceu correctio cap. 14. h. t. in Decretalib. *Greg. IX.* Vel si placet animadverti potest in cap. 14. obligari partes litigantes ad proponendum factum per seipsas non absolute, sed per oppositionem ad advocatos. Et merito. Quia advocatus proprie proponit judici et tuetur jus. Non excludit vero cap. 14. procuratores, qui possint factum proponere. Procurator enim per litis contestationem fit dominus litis, et hoc ipso censetur esse persona principalis in judicio. Cf. Cap. 1. *De Procurat.* (I. 19) in 6°. Igitur partes per seipsas neque factum proponere tenentur. At dari possunt rationabiles causæ, quibus sit necessaria præsentia partium vel alterutrius ex eis in judicio. Hinc ipsum cap. 6. citatum statuit aliquando posse judicem cogere partes, ut per seipsas adsint in judicio. Et 1°) quidem si sermo sit de judice delegato a Papa, et in delegatione cautum fuerit ne partes ipsæ vel alterutra ex eis in judicium compareat. Ex quo patet judicem delegatum in genere non posse adigere partes ad comparendum, sed requiritur ut id sit *expressum* in *delegatione.* 2°) In causa *criminali* id potest judex. Nam cum sententia dicatur in personam, hæc debet reperiri sub potestate judicis, præsertim cum si absens posset per fugam sese eripere a pœna eidem adsignata per sententiam. Hinc in causis criminalibus verus procurator nequit con-

stitui neque pro reo, neque pro actore. Ipse enim actor debet libello seu querelæ subscribere, et nomine ejus causa incipitur et ultra procedit. 3°) Potest judex partes coram se pertrahere, ut personaliter intersint, quoties sit opus, ut præstent *juramentum* calumniæ et de veritate dicenda. 4°) Tandem idem potest exigere judex, quando juris seu causæ necessitas id postulet. Ex. gr. si facienda sit inspectio personæ actoris vel rei ad cognoscendam ætatem, maturitatem consilii et etiam sinceritatem dicendi, quæ omnia melius dignoscuntur ex consideratione personæ et indole, quam ex relatione procuratoris.

20. At quid dicendum de mulieribus? Cap. 2. h. t. in 6°. tradit non posse mulieres invitas trahi ut compareant coram judice, neque ad ferendum testimonium, sed si illud sit necessarium, judex mittat tabellionem, ut illud excipiat, vel ipse idem accedat ad testimonium excipiendum. Hic vero accessus judicis debet esse ex causa rationabili, et si fiat ex fraude, statuitur pœna contra judicem accedentem. At hoc 1°) intelligendum est de mulieribus *honestis*, has enim non decet vagari. 2°) Capitis dispositionem intelligendam esse de judicio *civili*, non vero de criminali, in quo si mulieres reæ fuerint, possunt adigi ad comparendum personaliter. Insuper dici potest rigorem citati capitis contraria consuetudine correctum fuisse.

21. Tandem, ut titulo imponamus finem dicendum est de effectu judicii. Effectus relate ad judicem est obligatio ad causam definiendam juxta normas justitiæ, et regulas judiciorum peragendorum. Qua data a judice definitione, pars, quæ favorabilem sententiam obtinuit, assequitur jus suum. Effectus vero judicii relate ad partes est, ut nec actor nec reus possit, altera parte invita, recedere a judicio. Quod si quis recedat, habetur uti temerarius litigator, quique cogi potest ad refundendas expensas adversario. Ita statuitur in §. 1. Instit. *De pœna temere litigantium.*

Titulus II.

De Foro competenti.

1. Forum competens est tribunal judicis, in quo causa tractanda est ut legitime finiatur. Cum vero judex competens debeat habere jurisdictionem contra reum, ut eum sive personaliter sive saltem per procuratorem sistere cogat coram se; hinc si actor et

reus ad diversum territorium pertineant, forum competens ad causam definiendam est tribunal judicis, cui subest reus, seu forum rei. Quare invaluit principium expressum in capp. 5. et 8. h. t. *actorem* nempe *sequi debere forum rei.* Utique post incœptum judicium etiam actor subest judici, cui debet in processu actorum judicialium obtemperare; at potestas judicis dirigitur proprie ad reum, quem, si leges exigant et actor vincat, sententiæ vinculo adstringit ad satisfaciendum instantiæ actoris. Ac proinde donec finitum non sit judicium, non potest reus recedere a judicio. Actor vero potest liti nuncium dare, et solutis expensis jam factis, potest sese eximere a potestate judicis. Quare actor revera non subest necessario jurisdictioni judicis.

Reus igitur ex dictis conveniendus est apud forum proprium. Quodsi multiplex forum habeat, eliget actor forum, quod maluerit, ad quod reum pertrahat. Opinio hæc est communis apud doctores post l. 2. ff. *de Judiciis* et gloss. in cap. 17. h. t.

2. At quid dicendum si reus conveniatur apud judicem sibi non competentem? — Profecto si indubia sit incompetentia, quemadmodum ex. gr. si territorium rei sit prorsus distinctum a territorio judicis, et ratione domicilii apud judicem conveniatur, potest reus spernere actionem contra se intentatam, et judici vocanti non parere, quemadmodum expresse cavet l. ult. ff. *De Jurisdict. omnium judicum.* Quia valet principium vulgatum et expressum in cap. ult. *De Const.* (I. 2) in 6^{0}.: 'Extra territorium jus dicenti impune non paretur.'

3. Quod si dubia sit competentia judicis, reus tenetur ad tribunal venire, sed opponere potest judici exceptionem incompetentiæ, idest exceptionem declinatoriam fori, et hanc exceptionem congruis rationibus comprobare. Porro hæc exceptio proponi debet ante litis contestationem. Si enim reus cognoscens incompetentiam, litem contestatus fuerit, et prosecutus acta judicii, videtur juri suo renunciasse, ac proinde agnovisse et approbasse personam judicis et ejus jurisdictionem prorogasse. Nam agitur de vero judice, cujus proinde partes possunt prorogare, seu extendere jurisdictionem. Hinc postea non potest reus declinare judicium l. ult. *De Exceptionib.* Propositis argumentis ad probandam incompetentiam, ipse judex est, sive ordinarius sive delegatus, qui ea expendere debet, et judicium ferre de sua competentia vel incompetentia, in causa cognoscenda et definienda. Immo quamvis neutra pars ex litigantibus objiceret incompetentiam judicis, ipse ex officio cogno-

scere et decernere poterit, utrum ex statu actorum constet de competentia sua vel non. Conf. l. Si quis ex aliena ff. *De Judiciis*. Neque hoc mirum esse debet: nam ex competentia vel incompetentia in aliqua causa nullam retrahit utilitatem judex. Ergo non præsumitur suspectus. Nec difficultatem facit dispositio diversa juris, in casu judicis suspecti, qua nempe cautum est, ut de suspicione allegata contra judicem, alter distinctus judex decernat, nam suspicio respicit ipsam personam judicis, et qualitas vel relatio personalis illum reddit minus idoneum vel ineptum ad sententiam rectam ferendam. Hinc ipse non potest judicare de causa suspicionis. At competentia procedit ex ratione territorii, seu provinciæ, in qua quis jurisdictionem possidet, vel ex natura causæ, aut ex qualitate personarum litigantium. Hinc est quæstio per se indifferens relate ad judicem. Ceterum si judex immerito sese competentem declaraverit, qui excipit ejus incompetentiam, poterit ad tribunal superius provocare.

4. Ut determinetur competentia judicis, prius de ejus jurisdictione videndum est circa varia genera causarum. — Cum jurisdictio judicis in causis definiendis importet legis applicationem factis et enatis controversiis, hinc potestas judicialis imitatur naturam potestatis legislativæ. Cumque duplex sit legislator nempe princeps civilis pro negotiis temporalibus et humanis, et Ecclesia pro rebus et negotiis spiritualibus; hinc duplex forum datur, *sæculare* et *ecclesiasticum*. Jam vero nonnullæ causæ sunt propriæ alterutrius tribunalis, nonnullæ possunt in utroque tractari et dicuntur esse *mixti* fori.

5. Et 1°) certum est causas ecclesiasticas, sive agitentur inter clericos, sive inter laicas personas, pertractari debere in foro ecclesiastico quoad jus directum, ita ut si judex laicus audeat de facto causam ecclesiasticam definiendam assumere, possit prohiberi a tribunali ecclesiastico, etiam sub comminatione censurarum. Capp. 2. et 3. *De Judiciis*. (II. 1.) Non prohibentur vero laici, quominus in causis spiritualibus adhibeantur adsessores, seu consiliarii judicis ecclesiastici. Ita in Cap. 11. §. „Assessorem" *De Rescript*. (I. 3) in 6°.

Diximus quoad jus directum, seu quoad quæstionem principalem. Nam si sermo sit de consequentiis, quæ independenter a causa in merito videri possunt, vel quæque jam supponunt definitam causam principalem, simulque sit quæstio de materia mere temporali, potest quæstio hæc deduci et inde definiri etiam a judice

sæculari. Ita ex. gr. si resoluto per sententiam judicis ecclesiastici matrimonio quæstio instituatur de qualitate vel quantitate dotis restituendæ mulieri. Pariter si locati fuerint laico fructus beneficii vel redditus decimarum, et conductor pactam pensionem solvere renuat: si jus patronatus reale accessorie fuerit alienatum cum fundo, et quæstio oriatur de alienationis fundi valore, poterit de ea decernere judex laicus, dummodo in libello specifica quæstio non introducatur circa jus patronatus.

6. Causæ autem *ecclesiasticæ* sunt, quæ versantur circa res seu jura *spiritualia* vel *spiritualibus adnexa.* Hinc causæ ecclesiasticæ sunt non solum quæ respiciunt gratias supernaturales et virtutes, sed etiam quæ respiciunt res quæ causant gratias, immo etiam res, quæ pertinent ad divinum cultum, ad regimen et conservationem Ecclesiæ et ministerii sacri. Quare causa ecclesiastica habetur, quoties quæratur ex. gr. de valore professionis religiosæ aut de valore electionis vel collationis beneficii, vel de virtute juramenti, vel de jure patronatus, vel de sponsalium et matrimonii validitate, vel tandem, aliis omissis, de juribus beneficii alicujus, de jure sepulturæ in loco sacro etc. In istis causis judex sæcularis decernere nequit, neque ex commissione Episcopi aut alterius prælati Papa inferioris. Quia prælatus Pontifice inferior derogare nequit juri communi, juxta quod laica persona est incapax jurisdictionis ecclesiasticæ. Cap. 10. *De Constit.* (I. 2).

Causæ *civiles* decernuntur coram judice laico, quia legibus sæculi negotia civilia reguntur. At si qualitas spiritualis civili negotio superaddatur, seu si jurisjurandi fide firmetur civile negotium, et de valore hujus datæ fidei quæstio agitetur, definienda est quæstio a judice ecclesiastico. Cap. 13. *De Judiciis* (II. 1).

7. Præter causas mere ecclesiasticas et mere civiles adsunt etiam causæ, quæ dicuntur *mixti fori.* Sunt scilicet causæ illæ quæ attingunt tum rempublicam civilem, tum societatem religiosam. Ita ex. gr. causa adulterii quoad pœnam applicandam adultero, non vero quoad divortium semiplenum. Dixi non vero quoad divortium, nam ad Ecclesiam spectat jus cognoscendi et decernendi, utrum perseverent necne obligationes ex vinculo sacramentali matrimonii derivantes. Fiunt etiam mixti fori causæ, quæ licet civiles sint natura sua, tamen recipiunt qualitatem religiosam. Sic si contractui accessit juramentum, et quæratur utrum sustineatur necne obligatio contractus, seu jus contractus. Pariter si testa-

mentum a laico factum fuerit, et in ea relicta fuerint legata pia, pro exsecutione horum legatorum piorum, causa redditur mixti fori. E contra causæ ecclesiasticæ si sub respectu civili solummodo agantur, non vero super ipso jure et quæstione in merito possunt etiam coram tribunali civili pertractari. Sic ex. gr. causæ decimarum et juris patronatus originaliter sunt ecclesiasticæ, at si quæstio sit de nudo facto possessionis, et laicus solvere recusat decimas, poterit contra ipsum in foro civili institui civile judicium.

8. In mixtis judiciis hoc adest proprium èt characteristicum, ut nempe sit locus præventioni causæ, et ille judex decernere possit in causa, qui negotium præoccupaverit. Hæc dicta sint de diversitate jurisdictionis. Posita hujusmodi diversitate jurisdictionis, quæri potest quomodo penes unumquodque tribunal, idest penes quodcumque forum ecclesiasticum et sæculare quis sortiatur proprium et competens tribunal.

Modi ordinarii sortiendi forum.

9. In cap. ult. h. t. 4 modi ordinarii adsignantur ad sortiendum proprium forum: 1⁰) *Domicilii,* 2⁰) *Contractus,* 3⁰) *Delicti,* 4⁰) *Rei sitæ.*

Ad 1ᵐ. Domicilium in genere significat locum diuturnæ residentiæ seu commorationis. Domicilium aliud dicitur *originis*, aliud *habitationis.* Originis domicilium illud est, in quo parentes stabilem residentiam habebant tempore nativitatis. Hoc domicilium in jure canonico solummodo inservit ut quis habeat Episcopum proprium ratione originis ad ordines valide et licite suscipiendos, non autem ad sortiendum forum competens. Etenim ad sortiendum competens forum requiritur ex cap. 17. h. t. domicilium habitationis, quod consistit in actuali et permanenti sede, quæ aliquo in loco figatur. Hoc domicilium aliud *proprie domicilium* dicitur, aliud *quasi domicilium.* Domicilium est locus, ubi quis suam residentiam habet cum animo ibidem perpetuo permanendi. Quare ad illud constituendum requiritur et *factum commorationis,* et *animus,* seu intentio perpetuæ habitationis. Notandum vero est non esse in jure determinatum tempus habitationis ad constituendum domicilium, sed censetur constitutum domicilium simul ac quis re et facto declaravit se velle in loco aliquo in perpetuum permanere. Hinc magis respicitur intentio perpetuam figendi habitationem, quam

diuturna ipsa habitatio. At ex habitatione diuturna decem annorum præsumitur contractum domicilium, etiam cum non constet certo de intentione perpetuo figendi sedem in loco aliquo. Porro ad hanc intentionem probandam præsertim attenditur si quis in locum suæ residentiæ transtulerit vel omnes fortunas suas, vel majorem partem fortunarum suarum.

10. *Quasi domicilium* est locus diuturnæ commorationis, tamen absque animo permanendi ibi in perpetuum. Mora diuturna est in genere, quæ majorem anni partem attingit. Animus vero diu commorandi, præsertim ex scopo mansionis deprehenditur. Sic ex. gr. qui publico officio funguntur in loco, qui studiorum causa resident in urbe, qui servitio aut famulatui addicti sunt, ostendunt animum diuturnam habendi mansionem in loco. E contra causa recreationis, vel necessitas complendi aliquod negotium, excludit animum acquirendi quasi domicilium. Quia causa commorationis potest post brevissimum tempus deficere. Hinc qui hoc fine ad tempus in aliquo loco commoratur, dicitur potius *hospitari* quam *habitare* in eodem loco l. 1 ff. *De his qui dejecerunt.**)

Hisce præmissis certum est domicilium proprie dictum, seu perpetuæ habitationis jus fori competentis tribuere. Cap. ult. h. t. Immo forum domicilii dicitur verum et naturale forum, quisque enim ratione domicilii proprie dicitur subditus auctoritati et jurisdictioni locali, et forum hoc domicilii est generalius præ aliis seu concurrit cum quolibet alio foro, ita ut possit reus apud hoc forum trahi etiam pro contractibus alibi celebratis, vel re alibi sita, et quidem sive actor præsens sit, sive absens.

At quid dicendum de quasi domicilio? Ex recepta sententia, quis ob quasi domicilium acquirit forum pœnitentiale, ita ut proprius parochus quoad sacramentorum administrationem ille dicatur, in cujus parochia per longum tempus, idest per majorem anni partem fuerit commoratus, vel commorari intendat. Relate autem ad externum forum certum est posse aliquem conveniri coram judice quasi domicilii, de actibus ibidem gestis. At quid de actibus gestis et de rebus extra locum quasi domicilii constitutis? Videtur tenenda esse sententia affirmativa, nam per quasi domicilium saltem pro majori parte anni, aliquis fit subditus loci et participat

*) De domicilio (quasi-dom.) respectu matrimonii cfr. l. IV. t. 3.

de moribus et privilegiis ejusdem. Hinc in jure supponitur posse aliquem habere duplex domicilium aliud *principale* aliud *minus principale.* Ita cap. 15. h. t. Confirmatur autem sententia a. l. 19. §. 2. ff. *De Judiciis.*

11. Ad 2m. Ratione *delicti* etiam modo ordinario forum fit competens. Videlicet qui aliquod crimen admiserit, sortitur forum in loco criminis, adeo ut licet alibi domicilium habeat, possit nihilominus a judice loci in quo crimen patravit comprehendi, si adhuc in ipso territorio commoretur, et pœna congrua condemnari. Ita cc. 14. et ult. h. t. Hæc dispositio inducta est partim quia melius acta judiciaria complentur in loco ubi crimen admissum est, partim quia congruum est ut ordo læsus per crimen restituatur per exemplum et pœnam in eodem loco ubi læsionem passus est. Porro dispositio specialis est in jure ex cap. 14. h. t. ut scilicet judex loci delicti possit pronunciare sententiam contra clericum delinquentem alterius domicilii, et si ita gravitas delicti postulet, ut privetur beneficio suo, possit eum tali pœna mulctare, seu privare beneficio quod alibi possidet. Attamen exsecutio sententiæ reservatur Episcopo in cujus diœcesi clericus delinquens possidet.

12. Si quæstio fiat de *peregrinis* et *forensibus,* dicendum est regulariter eos non obligari legibus loci ubi tamquam peregrini versantur, adeoque nec transgredientes leges locales posse puniri. At ceu transgressores puniri possunt quoties ex legis violatione scandalum oriatur vel damnum, vel quoties dispositio legis etiam peregrinos afficiat expresse. *Vagi* conveniuntur in loco ubi reperiuntur, et sortiuntur ibi forum etiam quoad contractum alibi celebratum, et delictum alibi perpetratum.

13. Ad 3m. Tertius modus ordinarius sortiendi forum est *contractus.* Scilicet qui in alieno territorio contraxit, vel fingatur contraxisse, eo quod in eodem territorio se soluturum promiserit, poterit ibidem relate ad eumdem contractum trahi in judicium, quamvis domicilium ibi non habeat. Ita in cc. 17. et ult. h. t. Ita l. «heres» et l. «omnem obligationem» ff. *De Judiciis.* Animadvertendum est hic nomine contractus non solum venire proprie dictos contractus, sed etiam quasi contractus, seu negotia omnia, ex quibus oriri potest obligatio civilis. Ex gr. tutela, administratio bonorum etc. Regula autem proposita urgeri non potest, quando

partes in ipso contractu designarunt locum solvendæ obligationis, quemadmodum in praxi observatur communiter.

14. Ad 4^{m}. Ratione *rei sitæ* quis sortitur forum sibi competens. Videlicet quis potest conveniri coram illo judice in cujus territorio reperitur res litigiosa. Cc. ult. et 3. h. t. Hæc dispositio locum habet sive res sit mobilis sive sit immobilis. Nam judex loci, qui repræsentat principem, habet generalem et altam administrationem supra res omnes, quæ exstant in territorio suæ jurisdictionis. Hinc quamvis reus sit alterius domicilii, nihilominus poterit obligari ad comparendum in loco, ubi reperitur res de qua quæstio est. Ut vero res subjiciatur foro peculiari, debet in loco esse ceu in statu permanenti, non vero modo precario et transeunti, quemadmodum si res custodiæ causa detineretur, vel alibi reperiretur veluti in transitu.

Modi extraordinarii sortiendi forum.

Præter modos ordinarios et communiores sortiendi forum, dantur et alii qui appellari possunt *extraordinarii*. De his breviter.

15. I^{us}. modus extraordinarius nobis exhibetur *a relatione* et respectu omnium fidelium *cum* Romana Curia et *Romano Pontifice*. Sciendum est enim Romanum Pontificem jurisdictione præditum in omnes Christifideles, posse etiam causas eorum spirituales videre et decernere. Hinc fideles omnes censentur habere domicilium commune in urbe, et Romam advenientes, ibidem ad tribunal Romani Pontificis pertrahi posse. Ut hæc dispositio intelligatur, consideranda est decisio cap. ult. h. t. Quidam Episcopus apud Apostolicam Sedem constitutus, a suo adversario in judicium vocatus est. Episcopus proposuit exceptionem declinatoriam fori, quod nempe Romæ domicilium non haberet, neque ibi verificaretur alius titulus ad forum competens sortiendum. Romanus Pontifex interrogatus in quæstione respondit: Utique Episcopum potuisse conveniri Romæ, quia Romana Ecclesia est omnium Ecclesiarum mater et magistra, at potuisse revocare domum seu forum domicilii, si ex aliqua justa et necessaria causa Romam venisset. Ex quo capite inferunt doctores, 1^{0}) omnes clericos et omnes laicos fideles Romam venientes, veluti habentes Romæ domicilium posse conveniri ibidem in causis ecclesiasticis, at eisdem præsto esse jus revocandi domum. Hoc autem jus nihil aliud est

quam privilegium concessum illis, qui ex causa justa et necessaria, vel quasi necessaria Romam se conferunt, ut si ibi conveniatur in judicio, possit legitime excipere se Romam ob alium scopum, non vero litigandi causa venisse, nec paratam habere defensionem, et judicium esse instituendum in loco sui domicilii, ubi tutus de suo bono jure plenissime respondebit, et satisfaciet quæstioni. Ex quo sequitur non gaudere privilegio domum revocandi illum, qui Romam venit solatii causa, aut ob negotium omnino liberum et suæ voluntati remissum omnino. — Inferunt 2°) ex eodem cap. posse Pontificem causas ad suum tribunal per avocationem trahere. Avocatio causæ nihil aliud est, quam translatio litis pendentis coram inferiori judice, facta ad superiorem in eo statu in quo apud inferiorem reperitur. Scilicet vi jurisdictionis supremæ Romanus Pontifex potest ob rationabiles causas ad suum tribunal vocare quæstiones, quæ agitantur in tribunali inferiori.

16. Posset objici dispositio tridentina sess. 24. c. 20. *De Ref.* in qua legitur 'Causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia ab Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur'. Respondemus vero Conc. Trid. noluisse derogare cap. ult. h. t. nam 1°) ubi voluisset, expressisset quemadmodum fecit circa alia capita, quæ abrogavit vel correxit. In eod. cit. cap. 20. post verba objecta, ipsum Concilium prævidit et probavit casum avocationis causarum ad Romani Pontificis tribunal, statuitque hanc avocationem faciendam esse ex urgenti rationabilique causa, et per rescriptum signaturæ Sanctitatis suæ manu propria subscribendum.

17. IIus. modus extraordinarius sortiendi forum est *prorogatio jurisdictionis.* Prorogatio ex cc. 1. et 2. *De Judiciis* (II. 1.) a doctoribus definitur 'extensio jurisdictionis judicis de consensu partium facta ultra limites, intra quos cæteroquin esset constricta'. Cum extensio jurisdictionis procedat ex consensu partium litigantium; patet illico prorogationem jurisdictionis esse modum extraordinarium sortiendi forum competens. Dicitur *extensio* nam jurisdictio judicis non comprehendisset illos actus quos prorogata comprehendit. Hæc extensio autem jurisdictionis supponit: judicem, cujus jurisdictio prorogatur, esse jam a principe constitutum in suo officio. Nam privati homines nequeunt magistratum creare. Sed partes litigantes possunt extendere jurisdictionem judicis ultra li-

mites suos, quia partes ex facto proprio possunt sese reddere subditos alicujus judicis. Sic ex. gr. possunt partes eligere domicilium in territorio alicujus judicis, vel contrahere in eodem territorio, a pari possunt sese subjicere auctoritati alicujus judicis in propriæ causæ decisione.

18. Fit vero prorogatio 1⁰) De persona ad personam; 2⁰) De re ad rem, seu de causa ad causam; 3⁰ De tempore ad tempus; 4⁰ De loco ad locum.

De persona ad personam prorogatur jurisdictio, cum partes litigantes judici sese subjiciant, qui in eas cæteroquin jurisdictionem non haberet. — *De re ad rem* prorogatur jurisdictio, quando judex constitutus pro decidenda aliqua causa, vel uno genere causarum, ex personarum consensu fit competens etiam in alia causa, vel in alio genere causarum, quæ tamen habent relationem ad causam vel ad genus causarum, in quibus judex jurisdictionem habebat. Hinc judicis causarum civilium jurisdictio prorogari nequit ad causas criminales, et viceversa. Optime vero judex civilis potest competentiam obtinere ex consensu partium de quantitate ad quantitatem; ut scilicet judex, qui jurisdictionem pro causis centum aureos attingentibus habet ex partium consensu possit judicium facere ultra hanc pecuniæ summam. — *De tempore ad tempus* fieri potest prorogatio, cum judici ex rescripto definitum sit tempus, aut ex jure debeat intra aliquod tempus causam terminare, potest ejus jurisdictio prorogari ex partium consensu ultra illud tempus. Ita in l. 2. ff. *De Judiciis* §. „Si et judex.“ Hæc vero prorogatio, præsertim si sermo sit de judice delegato, debet fieri antequam finitum sit tempus præfixum judici. Nam elapso hoc tempore, finita censetur jurisdictio, et proinde prorogari nequit, sed iterum concedi debet ut judex possit procedere. Ita cap. 4. *De Off. Delegati* (I. 29). Tandem *de loco ad locum* fit prorogatio, quando judex qui in aliquo loco judicialiter procedere debeat, sive quia erat ibi proprium territorium, sive quia ex commissione Superioris determinatus erat locus officii sui exercendi, extra hunc locum procedit ex consensu partium et sententiam dicit.

Quæritur: utrum prorogari possit jurisdictio *cujusque* judicis sive ordinarii sive delegati? — Resp. De loco ad locum, et de tempore ad tempus prorogatio fieri potest sive judex sit ordinarius, sive delegatus. Cap. 4. *De Off. Deleg.* (I. 29) et c. 11. §. „In

nullo" *De Rescript.* (I. 3) in 6°. At prorogatio de persona ad personam et de re ad rem, solummodo in judice ordinario potest locum habere. Ratio est quia judex delegatus judex non est nisi ex commissione ordinarii judicis, qui et causam definiendam, et personas quibus jus reddendum est designat. Quare expresse cap. 40. *De Off. Deleg.* (I. 29) decernit: jurisdictio delegata ad alias personas nequit prorogari. Hoc vero intelligendum est de ipsa causa principali in merito. Nam relate ad accidentalia judicii ex. gr. relate ad quantitatem fieri optime potest prorogatio jurisdictionis. Ita Abbas. in cit. cap. 40. *De Off. Jud. Del.* (I. 23) §. 12.

19. Ut *valeat* prorogatio requiritur 1°. ut partes consentiant in judicem ex certa scientia, scilicet requiritur ut sciant, judicem per se non esse judicem proprium, et carere jurisdictione in negotio, quod definire suscipit ex partium commissione. Hinc neque valet consensus præstitus vel ex errore vel ex metu gravi. Nam in utroque casu legitime præstitus non est, nec esse potest fundamentum actuum legitimorum. 2°. Ut prorogatio fiat valide, debet fieri a partibus *jure non impeditis.* Aliquando ad prorogandam jurisdictionem judicis requiritur consensus judicis ordinarii et competentis. Unde partes impediuntur quominus ex propria electione prorogent jurisdictionem judicis non proprii. Sic ex. gr. in causa feudali non potest prorogari jurisdictio absque consensu domini. Cap. 5. *De Judiciis* (II. 1). Sic clerici non possunt in se prorogare jurisdictionem judicis ecclesiastici, nisi ex consensu proprii Episcopi. Cap. 18. h. t. Non possunt vero clerici vel laici, neque ex consensu Episcopi prorogare jurisdictionem ecclesiasticam in persona laica, quæ jurisdictionem ecclesiasticam obtinuerit in aliquo negotio, ex privilegio apostolico. Ita infertur ex cc. 12. et 18. h. t.

20. III^{us}. modus extraordinarius sortiendi forum competens, derivat ex continentia, idest *ex connexione causarum.* Siquidem receptum et vulgare principium est causæ continentiam dividi non debere. Quare si causæ ita inter se connectantur, ut una sine altera pertractari nequeat, ab eodem judice cognoscendæ et definiendæ sunt. Ita in cap. 3. *De Judiciis* (II. 1) in 6°. et ll. 3. et 19. Cod. *De Judic.* Quod si non obstante continentia seu connexione causæ, processus instituatur coram diversis judicibus, potest opponi exceptio declinatoria fori. Hæc vero exceptio opponenda est ante litis contestationem, secus processus valet.

21. Continentia causarum verificatur 1° ratione *dependentiæ* causæ unius vel plurium ab altera. Hinc causæ incidentales pertractandæ sunt coram quo causa principalis agitatur. At si incidens causa sit *spiritualis*, et causa principalis pendeat apud tribunal laicum, tribunal laicum debet supersedere quoadusque causa spiritualis incidens finiatur in tribunali ecclesiastico. Ex. gr. si quæstio sit de hæreditate, et in dubium vocetur matrimonium, ex quo natus est actor, debet definiri ab ecclesiastico judice valor matrimonii antequam judex laicus procedat in causa hæreditatis. Cap. 3. *De Ordine Cognitionum* (II. 10), cc. 5. et 7. *Qui filii sint legitimi* (IV. 17). At si quæstio incidens est meri *facti*, ex. gr. si quæstio fiat an quis natus sit ex matrimonio vel ex fornicatione, seu si controvertatur solum de facto matrimonii contractus, vel si opponatur alicui sententia excommunicationis, vel quod contractus adnexum habeat juramentum, in hoc casu etiam judex civilis potest videre de causa incidenti. Nam purum factum licet in re ecclesiastica, potest haberi ceu objectum juris civilis.

22. Ita etiam 2°) ratione *generalis actionis*, datur causæ continentia, seu connexio, quoties diversæ res, aut diversæ causæ continentur sub una generali actione; ex. gr. tutelæ vel negotiorum gestorum. Quare tutor coram eodem judice debet reddere rationem de rebus gestis in pluribus territoriis, et cum personis pertinentibus ad competentiam diversorum judicum.

23. Datur 3°) connexio causarum ratione personarum, quoties duo vel *plures* sint conveniendi in *eadem* causa, ex. gr. plures correi in eadem causa, plures cohæredes, qui ratione domicilii ad diversum judicem pertineant, debent conveniri penes unum judicem, qui ad normam juris communis ille erit, qui causam præoccupaverit contra unum ex correis, vel contra unum ex cohæredibus. Tandem ratione *rei* est causa connexa, quoties de eadem re plures oriantur quæstiones, quæque proinde ab eodem judice finiendæ sunt. Sic qui judicavit de adulterio, judicabit etiam de restitutione dotis. Cap. 3. *De don. inter vir. et uxor.* (IV. 20).

De foro privilegiato.

24. Etiam *privilegium* juris inducit competentiam fori. Hoc privilegium non respicit tribunal, sed personas subjectas. Si enim respiceret tribunal, tunc haberetur jus pro uno tribunali, ut posset

ad se trahere causas pertinentes ad tribunal inferius, ac proinde esset species avocationis causarum. Sermonem instituimus de privilegio fori, quod personis clericorum competit.

25. Quæritur *quo jure* inductum sit privilegium fori ecclesiastici clericis competens. — Resp. Diversa est sentiendi ratio doctorum. Aliqui tuentur privilegium hujusmodi ex jure *divino* esse. Innituntur cc. 4. *De Censibus* (III. 20) in 6°. et 30. *De jurejur.* (II. 24), in quibus capitibus expresse dicitur personas ecclesiasticas immunes esse jure non solum humano, sed etiam divino a laicorum potestate. Confirmant vero propriam sententiam eo quod in Ecclesia Christi duo sint genera personarum; c. 7. C. 12. q. 1.; et duplex sit potestas ecclesiastica et civilis, quarum prior tanto secundæ præstat, quanto nobiliora sunt spiritualia præ temporalibus. Jamvero ipse ordo potestatum exigit ut Superior non subjiciatur inferiori. Igitur qui potestatem ecclesiasticam possident immunes esse debent a laica, vi ipsius institutionis potestatum, id est jure divino.

26. Aliorum sententia est immunitatem hanc totam pendere a jure *humano,* et quidem ortum habuisse ex concessione laicæ potestatis. Quod probare conantur ex pluribus locis juris præsertim ex cap. ult. *De rebus Eccl. alienand.* (III. 13) in quo asseritur libertatem ecclesiarum munitam fuisse privilegiis principum sæcularium. Quare in auth. »statuimus« Cod. *De Episcopis et Clericis* per modum legis privilegium fori clericis conceditur.

27. At media sententia inter utramque videtur tenenda esse, ut nempe dicamus privilegium hujusmodi institutum fuisse et determinatum ab Ecclesia et recognitum ab auctoritate civili, inniti vero intentioni juris divini, id est habere fundamentum in jure divino. Hæc sententia apprime firmatur a Conc. Trid. in cap. 20. Sess. 25. *De Ref.* ubi tradunt Patres hoc privilegium constitutum fuisse *divina ordinatione,* et ecclesiasticis sanctionibus. Porro hæc locutio satis indicat Concilium non tenuisse immunitatem Clericorum a laica potestate procedere ex stricto et proprie dicto jure divino. Ordinatio enim divina exprimit intentionem juris, non vero præceptum et legem positivam Christi. Aliis verbis jus divinum est ipsa voluntas Dei, aliquid præcipiens, vel aliquid prohibens hominibus intimata vel per humanam rationem vel per divinam revelationem. Ordinatio autem divina comprehendit ea quæ constituta quidem sunt ab Ecclesia, tamen directe fundantur in

ipso jure divino, quatenus jus divinum melius explicent et evolvant, efficiantque ut concreta œconomia christianæ societatis, perfectiori modo respondeat spiritui et intentioni divini institutoris Ecclesiæ.

Confirmatur hæc sententia ex facto. Nam variis modificationibus hoc privilegium ex Ecclesiæ auctoritate subjectum fuit, ita ut dici possit in sua specifica forma et in sua conditione juridica, hoc privilegium pendere ab ecclesiasticis sanctionibus. Neque mirum si in sacris canonibus aliquando hoc privilegium de jure divino esse dicatur. Nam sæpe inter fideles N. T. dictum est esse de jure divino id quod solum maxime erat conveniens et fuerat observatum in V. T. Ita loquuntur canones in materia de decimis ecclesiasticis. Principes vero laici nihil aliud fecerunt in suis legibus quam fateri, ratum habere et civili sanctione tueri id quod in Ecclesia observabatur, et eadem Ecclesia utens jure suo, ex potestate sibi a Christo facta, instituerat. Cujus institutionis semina in Paulinis epistolis reperiuntur. Etenim in 1. *Tim.* V. 19. nulla facta exceptione inter crimina mere ecclesiastica, et crimina communia, Paulus normam determinat ab Episcopo servandam in accusatione contra presbyterum recipienda scribens 'Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus'.

28. Ex data notione hujus exemptionis personarum clericorum a laica potestate sequitur, privilegium fori non absolute esse necessaria pro Ecclesiæ conservatione, secus esset de stricto jure divino, pertinere tamen ad honorem et dignitatem Ecclesiæ, ut in suo statu permanenti facilius respondeat intentioni divini Institutoris. Quare privilegium hujusmodi nisi servetur, non parum nocumenti ordinarium regimen et ordinaria conditio Ecclesiæ patitur. Exinde concluditur non posse illud contraria consuetudine præscribi. Cc. 8. et 17. *De Judiciis* (II. 1). Quia consuetudo nullius est valoris, quando abrumpit nervum ecclesiasticæ disciplinæ. Cf. hac in re cc. 7. *De Præscrip.* (II. 26) et 5. *De Consuetudine* (I. 4) necnon dicta superius in tit. *De consuetudine* (I. 4) nn. 5—10.

29. Quæritur utrum privilegium fori, quod Clericis competit, possit tolli a *Romano Pontifice,* et Clerici ipsi subjici laicæ potestati.

Revocamus in mentem privilegium clericorum sortiendi forum proprium, non respicere in sensu tituli causas ecclesiasticas et of-

ficia sacri ministerii clericorum, sed causas *mere civiles* et *criminales* eorumdem. Nam si de causis ecclesiasticis sermo esset, quamvis posset R. Pontifex aliquam causam laicæ personæ delegare, tamen procul dubio non posset in genere causas omnes ecclesiasticas relinquere laicæ potestati et absolute sine ulla limitatione derogare privilegio auctoritatis ecclesiasticæ, quod inductum est jure divino. Jure enim divino propria et supernaturalis potestas in Ecclesia instituta est, qua et leges ferantur, et quæstiones in causis spiritualibus dirimantur. Renunciare huic divini juris privilegio, idem esset ac transferre in laicas personas, seu in civilem principatum eam potestatem, quam Christus Sacerdotibus suis pro regimine spirituali Ecclesiæ concessit. Sermo igitur est de causis civilibus et criminalibus clericorum.

Profecto non admitterem Rom. Pontificem posse destruere immunitatem clericorum, et *prorsus cassando* privilegium fori, omnemque destruens distinctionem inter clericos et laicos, penitus clericos in judiciis submittere laicæ potestati. Nam aliquo modo servanda est semper intentio juris divini, seu divina ordinatio qua clerici præstant laicis, et sublimiorem dignitatem possident. Rom. vero Pontifex, qui supremam habet potestatem in ædificationem et non in destructionem Ecclesiæ, prohibetur ea decernere, quæ lædunt honorem status Ecclesiæ universalis, ceu post gloss. in cap. 4. *De Concess. Præbend.* (III. 8) adnotant et defendunt principes juris nostri interpretes. Quisque autem videt non parum minui honorem et dignitatem Ecclesiæ Christi, si per modum legis a supremo capite ejusdem Ecclesiæ, tribunalibus laicorum submitterentur non clerici minores, sed etiam majores et ipsi Episcopi. Pastores enim ab ovium judicio penderent, Ecclesia politicæ potestati subjiceretur.

30. At ob urgentes *circumstantias,* ob specialem conditionem locorum et temporum, potest Romanus Pontifex vel tolerare, vel etiam permittere, ut causæ clericorum a laicis personis quibusdam in locis, et certis sub conditionibus, cognoscantur et definiantur. Quæ permissio si de christianis personis sermo sit, considerari etiam potest ceu species delegationis ecclesiasticæ, quæ ex privilegio Pontificis etiam a laicis potest exerceri. Ad rem facit c. »Decernimus« 2. *De Judiciis* (II. 1). Pariter ob rationabiles causas potest Rom. Pontifex privilegium fori modificare et aliquantisper immutare, necnon coarctare intra limites strictiores sive relate ad

loca, sive relate ad personas, sive relate ad causas. Quemadmodum videmus factum a *Bonifacio VIII.* cap. un. *De clericis conjugat.* (III. 2) in 6°. qui exclusit ab hoc privilegio clericos conjugatos, non gestantes habitum et tonsuram, et a Tridentino in cap. 6. Sess. 23. *De Ref.*, ubi Patres decernunt novam conditionem ut clerici minores fori privilegio gaudeant.*)

31. Quæritur an clericus possit *renunciare* suo juri et assentiri ut coram laico judice conveniatur.

In cc. 12. et 18. h. t. *negativa* datur responsio. Scilicet renunciatio non valet sive fiat coacte sive libere, sive etiam juramento firmetur. Hinc altera pars seu actor non potest conventione cum clerico inita etiam cum juramento juvari, ut eumdem clericum ad laicum tribunal pertrahat. Ratio decisionis ex natura privilegii deducitur. Privilegium enim quamvis respiciat personas clericorum, tamen non est mere personale et in commodum directum et exclusivum personarum. Concessum siquidem est singulis clericis prout pertinentibus ad cœtum ministrorum Ecclesiæ et in honorem ordinis clericalis, ac proinde considerari potest ceu privilegium publici juris cœtus clericalis, cui juri pacta privatorum seu individuorum clericorum derogare nequeunt, uti ait Pontifex in cap. 12. h. t.

32. Quæritur: *quibusnam* competat privilegium fori.

Privilegium est *clericorum.* Hinc 1° Clerici in *majoribus* ordinibus constituti eo frui debent, quoadusque facti incorregibiles et ab ordine clericali depositi et degradati tradantur curiæ sæculari. Cap. 10. *De Judiciis* (II. 1). 2°) Clerici etiam *minores,* seu qui vel simplici tonsura initiati sunt, vel minores ordines susceperint, dummodo conditiones a jure requisitas observent. Conc. Trident. in c. 6. Sess. 23. *De Ref.* has conditiones exponit. Videlicet a) ut clericus *habitum* et *tonsuram* deferat; b) ut alicui Ecclesiæ *inserviat* de mandato Episcopi, vel in Seminario clericorum commoretur, vel in Schola aut Universitate de licentia Episcopi

---

*) Rem illustrant artt. 13. et 14. Concordati Austriaci, d. 18. Aug. 1855: art. 13. „Temporum ratione habita Sanctitas Sua *consentit,* ut Clericorum causas *mere civiles* . . . judices sæculares cognoscant et definiant;" art. 14. „Eadem de causa S. Sedes *haud impedit* quominus causæ ecclesiasticorum pro criminibus seu delictis . . . ad judicem laicum deferantur;" (posterius tantum cum restrictionibus et exceptionibus).

quasi in via ad majores ordines versetur. Quod si clericus fuerit conjugatus præter duas allatas conditiones, requiritur ut ejus matrimonium fuerit cum unica et virgine juxta cap. un. *De Cleric. conjug.* (III. 2) in 6°. Qua in re animadvertendum est non requiri *explicitum* mandatum Episcopi, qui designet Ecclesiam clerico minori, sed sufficere mandatum *præsumptum*, seu satis esse si clericus inserviat de facto alicui Ecclesiæ, nec Episcopus resistat. Ita resolvit S. Cong. Con. in *Neapolit.* 1. Febr 1614. 3°) Nomine clericorum veniunt etiam *monachi*, et *regulares* omnes Religionum ab Ecclesia approbatarum, tam professi, quam novitii. Insuper veniunt etiam moniales et earum conversæ et novitiæ. Omnes enim istæ personæ addictæ censentur divino servitio, et mancipatæ speciali modo, muliebri conditioni adæquato, sacris mysteriis. 4°) Veniunt tandem sub eodem censu *eremitæ*, qui habitum susceperint ab Episcopo, et ab ejus jurisdictione et correctione dependeant.

33. Quæritur: an in *criminalibus* causis semper clericus gaudeat privilegio fori. De hac quæstione agit cap. 10. *De Judiciis*, (II. 1) in quo statuit Pontifex ordinem servandum in applicatione pœnarum contra clericos facienda, et decernit solummodo clericum incorregibilem amittere privilegium fori, illumque esse tradendum curiæ laicali, ut congrue puniatur. Ordo pœnarum hic est. Cum constiterit de clerici crimine, quod promereat depositionem, clericus deponendus est ab Episcopo. Si se corrigat clericus, et pœnitentiæ injunctæ satisfaciat, non ultra ad alias pœnas proceditur. Quod si incorregibilis sit, quia vel eadem vel alia crimina patret, excommunicatur. Crescente autem contumacia anathemati subjicitur, quæ pœna major ipsa excommunicatione censetur, quia scindit penitus hominem ab Ecclesia, et quia solemnioribus ceremoniis infligitur; c. 106. C. 11. q. 3. Quod si adhuc non resipuerit, et in profundum malorum devenerit, traditur curiæ sæculari, digna pœna, ceu persona laici hominis, plectendus.

Non desunt doctores, qui tenent jure canonico pro quolibet crimine gravi ex. gr. homicidii insidiosi, aut sacrilegii, furti etc.; clericum statim non servatis juribus cit°. Constitutionis *Cœlestini III.* tradi curiæ sæculari, et ita explicant citatum cap. 10. Verum contra dicendum est. Nam *Innocentius III.* successor Cœlestini in cap. 6. *De pœnis* (V. 37) respicit clericos deprehensos in latrociniis, aliisque magnis criminibus esse quidem deponendos,

non vero brachio sæculari tradendos. Quare vera explicatio cap. 10. *De Judiciis* (II. 1) est, ut nempe instar regulæ generalis, neminem clericorum, quantumvis flagitiosum posse statim degradari ab Episcopo et tradi curiæ sæculari, sed servandum esse ordinem pœnarum cap. 10. nec esse tradendum curiæ sæculari, nisi cum apparuerit incorregibilis.

Excipiuntur autem crimina sive ex jure communi antiquo, sive ex constitutionibus pontificiis posterioribus, pro quibus constituta est absolute pœna degradationis clerici, et traditio rei illico facienda curiæ sæculari. Crimina sunt præsertim 1) crimen *hæresis,* et specialiter ex lapsu iterato. Cap. 9. §. «Præsenti,» et §. «Illos» *De Hæreticis* (V. 7). 2°) Crimen *falsificationis literarum Apostolicarum.* Cap. 7. *De crimine falsi* (V. 20). 3°) *Conspiratio* in *proprium* Episcopum; c. 18. C. 11. q. 4. 4°) Crimen *assassinii,* dummodo secuta sit sententia declaratoria assassinii. Cf. Const. »*Aequa et circumspecta*« *Clement. VIII.;* nec non cap. 1. *De Homicidio* (V. 4) *in 6°.* 5°) Crimen nefandum *sodomiæ.* Const. »*Horrendum illud scelus*« *S. Pii V.* 6°) Tandem clerici falsi monetarii in *Italiæ* finibus. Const. (74.) *Urbani VIII. In suprema.*

Carent etiam privilegio fori clerici, qui hystrionum artem per *integrum* annum exercuerint. In hac enim hypothesi ipso jure clericus amittit omne privilegium ordinis clericalis. Cap. un. *De vita et honestate clericorum* (III. 1) in 6°. Quod si ad brevius tempus hanc artem exercuerit clericus, et tertio monitus eam non reliquerit, per sententiam judicis exspoliatur omni privilegio clericali. Cit. cap. un. *De vita et honest. cler.* in 6°.

34. Quæritur: an clericus gaudeat privilegio fori etiam pro obligationibus civilibus, vel criminibus contractis, *antequam* clericali militiæ esset adscriptus. Profecto nullum dubium est gaudere privilegio fori ecclesiastici, si res sit adhuc integra, seu si quæstio nondum fuerit deducta ad tribunal. Privilegium enim superveniens, eximit ab onere, quo quis antea tenebatur. C. 16. *De Privilegiis* (V. 33) et c. 52. C. 16. q. 1. Præsertim cum nulla præventio præcesserit ex parte judicis, quo judex fecerit causam suæ jurisdictionis. Arg. cap. 19. h. t. — Quid vero si præventio causæ locum habuerit, nec fuerit amplius integra. Distinguendum est inter causam civilem et criminalem. In civili poterit quidem judex laicus procedere usque ad sententiam definitivam et illam exsequi in *bonis,* non vero in *persona* clerici. Scilicet non potest clericum

in carcerem conjicere, vel alia pœna personali eum plectere. Quia persona clerici exempta est a laicali potestate. Si vero sermo sit de criminali causa, iterum distinguendum est, utrum laicus qui deliquerat factus fuerit clericus ex *honesta* intentione, aut ex *fraude* ad vitandam jurisdictionem laici tribunalis. In primo casu clericus gaudet privilegio fori. In secundo vero minime. Hinc potest judex laicus procedere et pronunciare sententiam contra clericum, illam tamen exsequi utique potest in bona clerici, non vero in ipsam clerici personam, nisi fuerit degradatus et curiæ sæculari traditus. Ratio est quia ipsum jus abhorret a fraude, qua quis ut fugeret sæculare judicium, clericalem habitum assumeret, ceu ait Trident. in c. 3. Sess. 23. *De Ref.* Hinc acta judicii contra clericum valent, licet ejus persona perstringi nequeat a laico judice, ob ejus personalem immunitatem.

35. Quid vero si dubium oriatur an aliquis præventus a judice laico sit necne clericus?

Si clericus minor antequam caperetur a judice vel præveniretur in causa sese, dimisso habitu, gerebat uti laicum, vel non servabat alias conditiones tridentinas in c. 6. Sess. 23. *De Ref.*, dubitari nequit, quin judex laicus procedere contra ipsum possit. Quod si vero reus captus vel præventus a judice, gestaverit habitum et tonsuram, et simul revera dubitatur utrum sit clericus necne, cognitio qualitatis clericalis pertinet ad judicem ecclesiasticum. Cap. 12. *De Sent. excomm.* (V. 11) in 6°.

36. Quæritur: utrum excommunicatio incurratur quando ad forum *laicum* aliquis clericus *trahitur.*

Respondeo: Quæstio considerari potest tum relate ad judicem tum relate ad actorem, qui clericum trahit ad tribunal civile seu laicum. In cap. 2. h. t. traditur judicem, qui præsumat ad suum tribunal clericum trahere, incurrere excommunicationem majorem, ita ut ab Ecclesia sequestratus habeatur, quoadusque reatum suum non emendaverit. Hæc pœna renovata est a *Martino V.* in Const. *'Ad comprimendas'*, edita Kal. Feb. an. 1428: nec non renovata est in Bulla *'In cœna Domini'* sub nn. 15. 17. 18. Pœna hujusmodi erat latæ sententiæ, hinc ad eam refertur Const. Summi Pontificis *Pii IX. 'Apostolicæ Sedis'* lata d. 12. Octobris 1869, in qua coarctantur censuræ ecclesiasticæ, adeo ut modo ex antiquo jure non amplius exsistant censuræ latæ sententiæ præter illas, quæ in dicta Const. vel explicite, vel saltem implicite infliguntur.

Porro inter excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatas n°. 7°. legitur excommunicatio. Contra *Cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones; item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ.*

1°. Quoad *judicem* S. C. Inquisitionis, Pianæ Constitutionis legitima interpres, rem declaravit, d. 1. Febr. 1871 his verbis: »Excommunicationem eos non attingere, qui *subordinati* sint, etiamsi judices fuerint, sed in eos latam esse, qui a nemine coacti, vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt.« Ex allatis locis sequitur judicem, qui ratione officii sui, idest sub imperio legis procedit in cognitione causæ civilis vel criminalis contra clericum, qui ad tribunal ejus trahitur, *non incurrere* pœnam excommunicationis latæ sententiæ. Quare in hoc puncto correctum est jus antiquum.

37. Quoad *actorem* qui agendo apud judicem sæcularem contra ecclesiasticum cogit eundem judicem sæcularem ad trahendum ad suum tribunal personam ecclesiasticam, res jam decisa est; nam S. C. Inquisitionis hanc epistolam declaratoriam »omnibus locorum Ordinariis pro norma communicandam esse censuit«:

In constitutione Pii IX. s. m. quæ incipit *Apostolicæ Sedis moderationi* IV. id. Oct. 1869 cautum est, «excommunicationem «Romano Pontifici reservatam speciali modo incurrere — *Cogen- «tes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum «tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones; «item edentes leges vel decreta contra libertatem et jura Ecclesiæ»*.

Cum de vero sensu et intelligentia hujus capitis sæpe dubitatum fuerit, hæc Suprema Congregatio S. Romanæ et Universalis Inquisitionis non semel declaravit — caput *Cogentes* non afficere nisi *legislatores* et alias *auctoritates* cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones. — Hanc vero declarationem Sanctissimus D. N. *Leo* Papa XIII probavit et confirmavit; ideoque S. hæc Congregatio illam cum *omnibus* locorum Ordinariis pro norma communicandam esse censuit.

Ceterum in iis locis in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur jura sua persequi nisi apud judices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipso-

rum Ordinario veniam petere ut clericos in forum laicorum convenire possint: eamque Ordinarii *nunquam denegabunt* tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicæ non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad judices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, præsertim si fuerit clericus, animadvertere pœnis et censuris *ferendæ* sententiæ uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverint. Datum Romæ die 23. Januarii an. 1886.

38. Pauca ad explicandam hanc declarationem adjungemus: 1°. Citata excommunicatio non afficit nisi *legislatores* aliasque *auctoritates* qui vi vel legis ab ipsis latæ vel mandati emissi cogunt judices, minime vero *subditos* qui, licet violent privilegium fori agentes contra clericum apud judicem sæcularem, attamen non cogunt judicem *ferendo* legem, sed solummodo *utendo* lege jam lata.

2°. Ex his (sub. n. 1°.) patet: dictam declarationem non tangere nisi excommunicationem; quare actores ejusmodi, licet excommunicatione non puniantur, *peccatum* violationis privilegii fori tamen positis ponendis non evitabunt.

3°. Ad evitandum autem etiam peccatum, necessarium est ut actores sive laici sive clerici impetraverint veniam agendi coram judice sæculari et quidem ab Ordinario, si clericus presbyter et inferioris gradus ad forum sæculare trahendus foret, a *Sede Apostolica* vero, si agitur de Episcopis ad judicem laicum trahendis. Hæc venia regulariter ab Ordinariis non est deneganda, maxime cum in pace concilianda frustra jam laboraverint.

4°. In violatores privilegii fori, inprimis in clericos, qui neque veniam Ordinarii impetrare volunt, animadverti potest pœnis *ferendæ* sententiæ.

De amissione privilegii fori.

39. Amittitur a clericis privilegium fori 1°) ob aliquod *crimen* supra descriptum, vel ob incorregibilitatem in criminibus, aut ob exercitium artis mimicæ, vel histrionis juxta dicta superius. 2) Si clericus in minoribus ordinibus constitutus, carens beneficio eccle-

siastico non deferat habitum et tonsuram, nec inserviat alicui ecclesiæ, aut non versetur in Seminario, vel in aliqua universitate studiorum de licentia Episcopi. Diximus *carens beneficio ecclesiastico.* Nam si clericus minor sit assecutus beneficium ecclesiasticum, gaudet privilegio fori, quamvis non deferat habitum et tonsuram, quemadmodum resolvit S. Congregatio Concilii teste *Fagnano* in cap. 4. *De Rescriptis* (I. 3) n. 3°. Ratio juridica est quia Tridentinum in cap. 6. Sess. 23. *De Ref.* loquitur sub disjunctione. Regula autem 76. Juris in 6°. statuit 'in alternativis sufficiat alterum impleri'. Verum contra clericum minorem, qui possidet beneficium ecclesiasticum et deserit habitum clericalem et coronam, dantur sua remedia juris. Si vero sermo sit de clerico minori, qui neque possessionem neque titulum habeat beneficii ecclesiastici, ut gaudeat privilegio fori requiritur, ut deferens habitum et tonsuram vel alicui ecclesiæ deserviat de mandato Episcopi, vel de licentia Episcopi degat in aliquo seminario, vel versetur pariter de licentia Episcopi in aliqua studiorum universitate. Ex quo patet clericum minorem non habentem beneficium amittere privilegium fori quoties vel habitum et tonsuram non deferat, vel si deferat non satisfaciat uni saltem ex illis tribus conditionibus. Quoad vero onus clerici gestandi habitum et tonsuram adverti debet, ad amittendum privilegium fori requiri depositionem habitus et tonsuræ *constantem et permanentem,* quæ nempe faciat arguere voluntatem relinquendi statum clericalem. Hinc si clericus occasione aliqua, et ad breve tempus deponat habitum clericalem quem solet gestare, non privatur privilegio fori. Ita respondisse S. Congregationem Concilii testatur *Fagnanus Com.* in cap. 1. h. t. n°. 20. Idem pariter dicendum de pœna privationis beneficii contra clericum non gestantem habitum et tonsuram statutam a *Sixto V.* in Constitutione '*Cum Sacrosanctum*'. Scilicet non incidit in pœnam privationis beneficii, ac proinde non amittit privilegium fori clericus beneficium possidens qui aliquando intermiserit gestationem habitus et tonsuræ. Ita S. Congreg. Concilii die 6. Oct. 1612.

Immo sciendum est clericum incidentem in pœnam privationis beneficii ex Bulla '*Cum Sacrosanctum*' non amittere privilegium fori, nisi post latam a judice ecclesiastico sententiam declaratoriam facti, scilicet clericum deseruisse habitum et tonsuram. Ita S. Congregatio in cit°. resolutione d. 6. Oct. 1612.

Ratio harum dispositionum est quia clericus solitus gestare habitum et tonsuram, si aliquando consuetudinem intermittat, non illico dicendum est propositum immutasse. In materia insuper pœnali et odiosa amissionis privilegii factum non dicitur, quod factum non durat. Arg. cap. 3. *De Verb. signif.* (V. 40) et cap. «Ad nostram» 8. *De Regular.* (III. 31).

40. Quæri potest: quid sit dicendum de *potestate Episcopi* circa clericos, qui non observantes requisitas conditiones Concilii Tridentini in cap. 6. Sess. 23. *De Ref.* amiserint privilegium fori.

Ex resolutione S. Congregationis in Causa *Leodiensi.* 12. Nov. 1630, confirmata a Summo Pontifice *Urbano VIII.* ann. 1634 die 1. Augusti, potest Episcopus revocare ad suum tribunal clericum, qui amisit privilegium fori; ratio est quia privatio privilegii est contra personam clerici, non vero in præjudicium auctoritatis ecclesiasticæ. Verum post declarationem Summi Pontificis *Pii IX.* datam d. 20. Nov. 1860 per organum S. Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ immutata videtur esse dispositio juris hac in re. Nam in casu amissionis privilegii fori ob non servatas conditiones tridentinas c. 6. sess 23.; jubet Pontifex clericum omnia amittere illico privilegia status clericalis et considerandum esse ac tractandum ceu personam mere laicam. Jam vero persona mere laica in causis civilibus et criminalibus, non Episcopo, sed tribunali civili subjicitur.

TITULUS III.

De Libelli Oblatione.

In præsenti titulo incipit tractatio de *ordine* judiciali. Postquam visum est quid sit judicium, et in quo foro judicium sit tractandum, de introductione judicii agit B. Raymundus.

1. Quamvis olim *libellus* a *citatione* distingueretur ita ut libellus esset scriptum actoris, in quo factum seu speciem et petitionem exponebat, et citatio esset judicis mandatum reo missum ad comparendum, tamen hodie revera non distinguitur unus ab alia, et idem est citatio ac libellus introductivus judicii. Etenim idem scriptum continet intentionem actoris et mandatum judicis, quo reus vocatur ad comparendum coram eodem judice, ut petitioni actoris satisfaciat. Definitur vero libellus juxta sensum de-

cretalium '*Brevis scriptura claram et explicitam continens intentionem actoris vel accusatoris*'. *Brevis scriptura* quia ut valeat scripto confici debet; breviter vero intentionem actoris exprimit, nam non est revera defensio juris, sed potius est index facti et tituli petitionis propositæ contra reum. *Clara* debet esse citatio, est enim fundamentum pro determinando statu quæstionis, et in controversiis circa limites et materiam quæstionis attenditur plurimum *intentio* expressa in libello introductivo judicii. Hæc intentio actoris tria debet continere 1°) *factum;* 2°) *Quid et quantum* petat actor; 3°) *Causam seu titulum,* ex quo petat. Dicitur *accusatoris* vel *actoris,* quia actor proprie in civilibus, accusator in criminalibus locum habet.

2. Quæritur utrum actor possit libellum *immutare* vel *emendare.* Immutatio libelli contingit cum ob errorem in causa petendi, seu in titulo juris quod vindicatur, vel in actione instituta corrigendus sit libellus, et alia causa ponenda est, aut alia actio instituenda. Ita ex. gr. si quod quæsitum est ex mutuo, quærendum sit ex titulo venditionis vel locationis. Correctio hujusmodi censetur afficere libelli substantiam. Emendatur vero libellus cum corrigendus sit defectus accidentalis vel circa quantitatem rei petitæ, vel circa extensionem obligationis, vel circa obscuritatem petitionis. Hinc emendatio relinquit integram causam petendi et actionem institutam, et consistit in restrictione vel ampliatione petitionis, vel in explicatione dubiæ locutionis. Hisce positis actor potest libellum mutare judici oblatum ante litis contestationem, non vero post litem contestatam. Sed si mutatio fiat post litem contestatam debet recedi a priori introducto libello et judicialis instantia renovari. Hoc principium fulcitur l. «Edita actio». C. *De Edendo* et l. Nemo C. *De Jurisdictione omnium judic.* Ratio utriusque partis est quia ante litis contestationem revera inceptum non est judicium, neque reus ullam suscepit obligationem insistendi in defensione proponenda contra determinatam actionem sibi intentatam. E contra post litem contestatam determinatum est punctum quæstionis, et censetur initum fuisse quasi contractum inter actorem et reum decertandi in actione proposita. Quod si actori liceret actionem vel titulum petitionis mutari, mutaretur judicium et frustra reus pararet congruam defensionem contra judicium sibi intentatum. Nam posset facile eludi ab actore per mutationem petitionis.

Merito igitur statutum est actorem inducentem immutationem post litis contestationem teneri ad novum judicium instituendum, et ad factas expensas reo fundendas. Hinc si actor causam petendi seu titulum suæ actiónis non probat, succumbit in judicio, quamvis aliam causam probet. Ita C. 3. §. «Cæterum». *De Sent. et Re jud.* (II. 14) in 6°. Judex enim sententiam ferre debet juxta petitionem libelli, et causa non probata, non potest ultra petita judicare. Cap. 2. *De ordine cognitionum* (II. 10) et 24. *De Accusationibus* (V. 1).

3. *Emendatio* libelli fieri potest ab actore etiam post litem contestatam usque ad sententiam exclusive. Quare si minus petierit quam petere potuisset, non impeditur actor quominus sub eadem jam instituta actione plenum postulet sibi debitum. Ratio est quia per emendationem non mutatur natura quæstionis, et reus non debet renunciare defensioni, quam sibi jam præparaverat. Quod si emendatio restrictionis non fiat ab actore et ex exceptione proposita a reo judex restringat sententia sua petitionem, actor assequetur expensas pro rata victoriæ, reliquæ reo condonantur. Verum ad melius tutandum jus actoris, et vitandum periculum emendationis solent adjici in libello clausulæ, quæ dicuntur *salutares* in hunc ferme modum: Exposito facto additur 'Super his omnibus peto mihi justitiam fieri omni meliori modo et forma, qua de jure fieri potest'. Quod si agatur de solutione facienda a reo, adjici solet clausula 'Solutio fiat in exposita quantitate, sin minus in ea quantitate, quam judex decreverit.' Per hanc clausulam censetur actor omne suum jus repetere, quamvis de omnibus et singulis rebus non meminerit in libello.

De Citatione.

4. Quamvis nostris moribus libellus introductivus judicii cum citatione confundatur et unum pro altero nuncupetur, tamen citatio poterit optime a libello distingui, et revera jure decretalium distinguebatur. Nam libellus directe actorem respicit, cujus intentionem refert, citatio vero directe respicit reum, qui mandato judicis parere tenetur.

Definiri potest '*Actus legitimus, quo quis ex mandato judicis vocatur in judicium, juris experiundi causa*'. Citatio revera est initium judicii, quatenus secumfert actum judicis imperantis in personam rei.

Citatio alia dicitur *juris*, alia *ab homine* quemadmodum innuit Clem. 2'. *De Pœnis.* (V. 8). Citatio juris locum habet cum ipsa lex statuit tempus intra quod reus debeat comparere coram judice, ad sese defendendum vel purgandum. Exemplum habemus in cap. 1. *de Election.* (I. 6) in 6°. ubi tum qui electi sunt ad dignitatem ecclesiasticam, tum qui electionem impugnant tenentur adire Sedem Apostolicam intra certum tempus. Quo in casu ipsum jus vocat ad Sedem Apostolicam. Citatio fit ab homine quando ex judicis mandato procedit. — Hæc vero citatio dividitur, ut alia sit *publica*, alia *privata.* Publica citatio est, quæ fieri solebat voce præconis, modo autem fieri solet vel per edictum in publico loco, ex. gr. ad valvas Ecclesiæ affigendum, vel per insertionem in publicis foliis intimatur, et dicitur citatio *edictalis.* Hæc porro citatio in praxi adhibetur cum reus latitat, aut est incerti domicilii. Cap. 3. *De Dolo et Contum.* (II. 14). Privata citatio ea est, quæ fit directe in personam rei, cui absque strepitu intimatur. Quæ citatio subdividitur in *verbalem* et *realem.* Verbalis fit vel per nuncium seu apparitorem, vel magis ordinarie per literas judicis in forma authentica directas reo. Realis est, quæ fit per capturam personæ citandæ.

Citatio etiam dividitur in *simplicem* et *peremptoriam.* Simplex citatio est, quæ non reddit reum contumacem priusquam tribus vicibus repetita fuerit, et congruum temporis intervallum reliquerit. Peremptoria est quæ pro tribus simplicibus decernitur, et congruum tempus, quod assignatur, dicitur assignari peremptorie. Seu ita decernitur et præfinitur per unam citationem tempus, ut eo elapso nisi comparuerit citatus, habeatur uti contumax.

Tandem citatio alia est *generalis*, alia *specialis.* Generalis qua ad judicium vocantur, quicumque putaverint rem in judicio gerendam interesse sibi. Specialis est citatio qua certa vel certæ personæ in jus vocantur.

De Necessitate Citationis.

5. Citatio in §. fin. Inst. *De Pœna temer. litig.* dicitur litis fundamentum seu prima pars judicii. Quare ut reus conveniatur prorsus necessaria est, nisi reus jam fuerit in judicio. Hinc judicium contra absentem non citatum nullius roboris est. Cap. 10. *De Constit.* (I. 2). Citatio enim spectat ad naturalem defensionem,

quæ uti vidimus necessaria est non solum in solemnibus judiciis, sed etiam in summariis et œconomicis. Clem. 2. *De Verbor. Signif.* (V. 11). Quæ ratio etiam validior evadit ex praxi hodierna uniendi in citatione libellum introductivum judicii, seu expositionem facti et intentionem actoris. Hinc ex citatione reus non solum diem judicii cognoscit et locum, sed etiam causæ punctum, et titulum actionis contra se intentatæ. Excipi potest casus judicii criminalis, in quo evidenter constet de crimine et de rei culpabilitate, ita ut nulla defensio eidem possit aptari. Cap. 5. §. «Præterea». *De Appellationib.* (II. 28). Hinc notorietas criminis et auctoris non sufficit ut omittatur citatio rei, sed requiritur ut nulla possit esse rei defensio. Arg. cap. ult. *De Off. Deleg.* (I. 14) in 6°. et c. 21. C. 2. q. 1. In quo sermo est de condemnatione duorum Episcoporum Thietgaudii Colonien. et Guntherii Treviren. absentium et non citatorum, quia eosdem Lotharii regis adulteri tutores et fautores fuisse «totus pene orbis undique ad limina seu sedem confluens Apostolicam» *Nicolao I.* referebat.

6. Non semper tamen perfici potest citatio personalis et specialis. Nam si ignotum sit quot et qui causam habeant in negotio, nequeunt singuli ad tribunal vocari. Quare per edictum citantur in genere omnes interesse habentes. Cap. ult. *De Elect.* (I. 6) in 6°. In quo statuitur post electionem factam in Ecclesia per edictum invitari omnes quorum interest, ut, si velint, intra certum tempus coram judice competente electionem impugnent. Idem servatur in collationibus beneficiorum juris patronatus. Animadvertendum vero est hodie in juribus civilibus, ubi jus competat certis personis, non valere citationem generalem contra interesse habentes, quamvis ignoretur quinam ipsi sint.

De Tenore Citationis.

7. Requiritur 1°) ut apponatur nomen *judicis* citantis, et insuper exprimatur utrum ex jurisdictione propria et *ordinaria* procedat, vel ex *delegatione* judicium instituat. Hæc conditio requiritur ut reus possit cognoscere illico an judex sit necne competens, an suspectus, et an teneatur vel non ad comparendum. Et si sermo sit de judice delegato, tenetur judex ostendere partibus authenticum exemplar mandati delegationis. Si enim judex delegatus non probaverit delegationem, ejus intimatio non attenditur Cap. 31. *De Offic. Jud. Deleg.* (I. 29) et cap. 2. *De Dilation.* (II. 8).

2°) Debet exprimi nomen et cognomen *rei* citandi ita clare et distincte, ut cum alio non confundatur. Quod si contra fiat, licet reus contumax sit, non potest contra eum sententia exsecutioni mandari. Cc. 34. et 36. *De Rescript.* (I. 3). Si vero sermo sit de corpore morali sufficit ut in jus vocetur superior, qui eidem præest.

3°) Exprimi debet diserte nomen et cognomen *actoris*. Judex enim in judiciis privatorum exercet officium mercenarium, seu insistere debet instantiæ, et ab ea movetur ad cogendum reum ut compareat.

4°) Requiritur ut exprimatur causa seu *intentio* actoris. Immo quia hodiernis moribus libellus conjungitur cum citatione, in citatione petitio actoris fulcitur etiam titulo suo, seu exprimitur *causa* petendi. Qua cognita videt reus, utrum possit necne tueri vel renunciare debeat juri oppugnato ab actore. Cap. 2. *de Dilationibus.* (II. 8) et cap. 3. h. t°.

5°) Exprimi debent *locus* et *dies* judicii ad comparendum. Dies vero adsignari debet ita ut sit a) certus nempe determinatus, b) justus seu legitimus, scilicet non feriatus. Diebus enim feriatis nemo potest compelli. Cap. ult. *De Feriis.* (II. 9). c) Terminus seu dies adsignatus debet esse opportunus, videlicet debet haberi ratio distantiæ loci judicii a loco in quo commoratur reus. In ipsis codicibus determinantur dies pro diversitate distantiarum. Si autem tempus peremptorium sit minus breve, effectum contumaciæ non gignit.

6°) Porro citatio fieri debet per *ministrum* ad hoc deputatum, qui citationis exemplar debet reo ipsi tradere, aut ejus procuratori, vel in ejus domicilio relinquere, vel coram testibus, in domibus ubi versari solet, affigi. Minister vero hic deputatus judici referre debet factam fuisse intimationem citationis, seu citationem præsentatam fuisse reo tali loco et die. Ministro autem hæc referenti creditur, nisi contrarium probetur et ejus relatio in acta judicii inserenda est.

De Effectibus Citationis.

8. 1°) Primarius effectus citationis est, ut reus judici legitime citanti *respondere* teneatur.

2°) Cum uti vidimus per citationem desinat esse res integra et judex incœperit exercere jurisdictionem suam, hinc si sermo sit

de judice delegato, effectus citationis est ut ejusdem potestatem *perpetuet.* Cc. 20. et 30. *De Off. Deleg.* (I. 29). Quare si e vivis excedat delegans, vel cesset esse judex, post emissam citationem a delegato, jurisdictio delegati non cessat.

3⁰) Si natura causæ patiatur præventionem, seu si possit causa a pluribus cognosci, citatio ab uno judice missa, *præventionem* inducit in ejus favorem.

4⁰) Si ad reum citatum pervenerit citatio, aut si per eum steterit quominus non pervenerit notitia citationis missæ, inducit litis pendentiam, seu verificatur principium juris *'Ut lite pendente nihil innovetur.'* Clem. 2. *Ut lite pendente.* (II. 5).

5⁰) Facit rem *litigiosam,* seu objectum quæstionis incipit esse sub judicis potestate, ita ut alienari nequeat. Auth. «Litigiosa.» Cap. *De litigiosis.*

6⁰) Per citationem interrumpitur *præscriptio,* quæ inceperat in favorem possessoris alicujus rei, vel quasi possessoris juris. L. 3. et l. 4. Cod. *De Præscript. 30 vel 40 annor.* Ratio est quia citatio tollit aut suspendit bonam fidem, quæ ad præscriptionem continuandam necessaria est.

Animadvertendum ultimo loco est citationem invalidam nullum producere effectum, atque haberi ceu non factam. Clem. 3. §. fin. *De Election.* (I. 3). Et cap. ult. *De feriis.* (II. 9). Verum si reus citatus sciens et volens compareat, censetur firmari citatio, et acta quæ exinde subsequuntur, sustinentur.

Titulus IV.

De Mutuis Petitionibus.

1. Mutua petitio nihil aliud exprimit quam *conventionem* ex parte actoris et *reconventionem* ex parte rei. Dicitur vero reconventio seu reciproca petitio, quia exprimit actionem quam instituit reus contra actorem ut ab eo aliquid petat. Quare in eodem judicio locum habent binæ petitiones. Quod ut intelligatur sciendum est judicia alia dici posse *simplicia,* alia *duplicia.* Judicium simplex illud est in quo actor petit et reus respondet proponendo exceptionem. Duplex vero illud est in quo judicis sententia non minus in reum quam in actorem dirigitur. Hinc aliquo modo actor est simul etiam reus, et viceversa reus est simul etiam

actor. Exemplum horum judiciorum habemus in judicio *familiæ erciscundæ* et de *communi dividundo.* Quibus in judiciis tum actor tum reus communia, licet non semper paria, habent onera et jura, ac proinde non potest unus absolute absolvi vel condemnari, sed sententia ex natura ipsa judicii et ministerio judicis fertur in utrumque. Quandoque autem leges permittunt ut judicia, quæ vel natura sua essent simplicia, fiant duplicia ex facto et petitione rei, qui actorem reconveniat. Inducta hæc legum dispositio est ut lites minuantur et plures quæstiones uno judicio, si fieri possit, terminentur.

Definiri autem reconventio potest '*Reciproca actio rei contra actorem coram eodem judice facta saltem ante conclusionem in causa vel ad destituendam, vel ad minuendam saltem virtutem et efficaciam petitionis ab actore propositæ.*' Hinc ex. gr. si Titius Cajum citet ad solvendum 100 quæ debebat ex mutuo, et Cajus creditor est Titii pro summa 70 scutatorum ex titulo locationis et conductionis, Cajus potest reconvenire Titium pro hac summa, et idem judex utrumque judicium tractabit, unaque sententia complebit.

2. Quæritur: in *quibus* causis concedatur reconventio.

Pro regula generali dicendum est, in *omnibus* causis locum habere posse reconventionem, sive solemni, sive etiam summario judicio tractentur. Clem. 2. *De Verb. Sign.* (V. 11) §. «Verum». — At nonnullæ causæ *excipiuntur:* 1⁰ excipiuntur ex natura rei causæ *criminales criminaliter actæ.* Nam mutua petitio seu reconventio dirigitur ad destruendam vel ad minuendam petitionem actoris. Jam vero reus non obtinet pœnæ imminutionem aut absolutionem, si de alio vel simili crimine accuset actorem, seu accusatorem. 2⁰) Non conceditur reconventio in causa *spolii.* Nam quando agitur de quæstione spolii, ante omnia in integrum restituendus est spoliatus, nec ultra proceditur in causa principali nisi facta sit restitutio. Cap. ult. *De ordin. cognit.* (II. 10). Hinc ex. gr. si Titius spoliatus a possessione rei sua agat contra Cajum spoliantem, non admittitur reconventio Caji, qui dicat rem esse suam, sed prius restituere tenetur rem Titio, et deinde tractabitur judicium in merito proprietatis rei. 3⁰) Reconventio non datur in causis ceteris *exsecutionis,* quæ nempe requirunt promptam expeditionem. Sic ex. gr. non admittitur reconventio in causa depositi restituendi. Cap. ult. *De Deposit.* (III. 16). 4⁰) In causa, quæ

summarie agitatur locum habere nequit reconventio causæ ordinariæ et tractandæ judicio solemni. 5°) Reconventio non conceditur quando natura causæ, quæ per reconventionem tractanda proponitur, judicis capacitatem seu *competentiam* prorsus *excedat*. Quemadmodum si coram judice laico proponatur mutua petitio super quæstione mere spirituali. Cap. 3. *De Ord. cognitionum* (II. 10). 6°) Non conceditur in causa *appellationis*. L. 1. ff. *Tum, qui appellaverit*. (49. 11.) Ratio, quæ a Doctoribus redditur est, quia judex appellationis non est voluntate electus, sed necessarius. Judicium scilicet appellationis suscipitur ob gravamen toleratum in prima instantia. Hinc judex appellationis solummodo videre debet an exsistat necne hoc gravamen, judicat scilicet de merito causæ prout erat in prima instantia. 7°) Non datur reconventio in judicio coram *arbitris*. Cap. 6. *De Arbitris* (I. 43). Ratio est, quia judices compromissarii non possunt prætergredi limites compromissi. Quare coram arbitris compromissariis solummodo exceptiones rei admitti possunt. Istæ enim pertinent ad propriam defensionem rei. At mutua petitio et reconventio locum habere nequit quia est nova actio, quæ fulcitur titulo distincto ab eo cui innititur causa in compromisso comprehensa. Porro hæc dispositio valet pro arbitris compromissariis, seu qui eliguntur ex conventione partium, non vero pro arbitris juris, qui comparantur vere et proprie dictis judicibus. 8°) Reconventio proponi non potest a reo *excommunicato*. Nam reus excommunicatus licet in judicio possit ut reus conveniri, et inde a sententia judicis appellare, tamen actionem reconventialem instituere nequit, secus esset vere et proprie actor in prima sede judicii, et haberet aliquid amplius ultra suam defensionem necessariam. Cf. cap. 5. *De Exceptionibus* (II. 25). Tandem 9°) nulla est reconventio reconventionis. Secus mutuæ petitiones possent procedere in infinitum, quod et jus nostrum reprobat in cap. 2. *De Rescriptis* (I. 3) in 6°. Hinc reo proponenti actionem reconventionis ex mutuo non potest opponi ab actore alia reconventio ex alio titulo prorsus distincto ab actione, quam ipse actor instituerat.

3. Quæritur: an *clericus* coram judice *laico* possit reconveniri a laico, quem uti reum convenerat.

Profecto non loquitur hic de reconventione in causa spirituali, vel adnexa spiritualibus. Nam in hisce causis certum est laicum

non posse reconvenire clericum. Causæ enim spirituales vel connexæ spiritualibus natura sua constituunt materiam potestatis Ecclesiæ, quam Christus Dominus distinctam fecit a laica potestate. Sermo igitur est de causis civilibus ac criminalibus civiliter actis, quæ proinde attingere possunt clericum non qua personam divino mancipatam servitio, sed respiciunt clericum qua civem, et jura civilia in societate christiana possidentem.

Hisce positis dicimus jure canonico quæstionem hanc *non* absolvi, nullum scilicet esse locum juris ex quo pateat absque dubio quid sit sentiendum in themate. Hinc nil mirum si in diversas trahantur sententias doctores. Nobis videtur *affirmativa* sententia esse tenenda, clericum scilicet posse reconveniri a laico coram sæculari judice. Rationes plures sunt: 1°) Quia punctum quæstionis in causis mutuarum petitionum, seu reconventionis a reo propositæ ad id reducitur, ut definiatur a judice utrum clericus actor creditor sit et in qua quantitate contra laicum conventum. Igitur in eodem judicio poterit locum habere sive proprie dicta exceptio, qua reus directe excludat petitionem actoris, vel etiam poterit a reo laico urgeri oppositio alterius tituli, vi cujus ipse reus vel nihil debeat, vel saltem debeat minus quam clericus actor in sua instantia proposuit. Atqui in hoc præcise consistit reconventio. Nam reconventio præcise dirigitur vel ad destruendam vel ad minuendam efficaciam petitionis actoris. Unde reconventio a Doctoribus dicitur esse species defensionis. Igitur optime poterit conservari in judicio clerici contra laicum.

2°) Jus nostrum permittit clerico ut agat contra laicum coram peculiari judice, ita ut etiam jure canonico valeat principium, actorem sequi debere forum rei. Cc. 5. et 8. *De Foro compet.* (II. 2). Eidem igitur concedere debet facultatem, ut in judicio æqualitas servetur. Atqui æqualitas non servaretur quoties reconventio non posset institui. Nam dum ex una parte clericus petere posset, laicus ex adverso impediretur quominus suam petitionem proponeret, ex qua justa compensatio jurium exsurgeret.

3°) Tandem animadverti potest in jure nostro hoc principium statui, ad evitanda scilicet dispendia litium reconventiales instantias promovendas esse coram eodem judice, nec actorem posse sese liberare a reconventione rei, invocando et excipiendo incompetentiam judicis. Ita expresse in cap. 3. *De Rescriptis* (I. 3) in 6°.

cui capiti consonant cap. 6. *De Arbitris* (I. 43) et aliquo modo etiam cc. 1. et 2. h. t. Jamvero cum statuatur hoc principium generice, et nulla facta distinctione laicos inter et clericos, satis indicant Pontifices eodem jure uti debere clericos et laicos in casu instantiæ reconventionalis. Animadvertendum vero est juxta *Fagnanum* in *Comm.* ad Cap. 3. *De Ordine cognitionum* (II. 10), n°. 35. hac in materia ob defectum juridicæ resolutionis, plurimi faciendam esse *consuetudinem* locorum.

4. Quæritur: *quandonam* proponenda est reconventio.

Ex cc. 1. et 2. h. t. et melius ex Clement. 2. *De Verb. Signif.* (V. 11) infertur reconventionem proponendam esse sub initio vel saltem statim post litis contestationem antequam edatur juramentum calumniæ. Et merito. Quia si reconventio tempore congruo proponatur, poterit uno processu causa reconventionis ventilari unaque sententia definiri cum causa ab actore primitus introducta. At præter hanc reconventionem, quæ proprie dicta et ordinaria appellatur, quia omnes effectus sortitur reconventionis, reconventio proponi etiam potest, longe post litem contestatam, dummodo conclusio in causa facta non fuerit. Cap. 3. *De Rescript.* (I. 3) in 6°. Quo in casu reconventionis causa non potest æquali passu procedere, et eadem sententia totum negotium compleri, attamen reconventio valebit ad prorogandam jurisdictionem judicis, ita ut nempe possit idem judex sententiam ferre etiam in causa reciprocæ petitionis.

Modus seu ordo procedendi in mutuis petitionibus, saltem quando reconventio proposita est initio quæstionis, hic est, simul utraque causa tractatur, sed præcedentia actori semper tribuenda est. Videlicet antea discutitur articulus ab actore in conventione propositus, et reus tenetur respondere, deinde vero tractatur titulus a reo in reconventione objectus. Cf. Cap. 1. h. t. et Cap. 2. *De Ordine cognitionum* (II. 10) §. «Nos autem.»

Nec obstat quod aliquando conventio et reconventio finiri non possunt una sententia numerice considerata; nam revera binæ sententiæ possunt considerari tamquam una sententia, quæ pendentiæ litis inter actorem et reum satisfaciat. Præterea hæ binæ sententiæ unam sententiam constituere dici possunt propter continuationem temporis et contextum prolationis earumdem.

De Effectibus reconventionis.

5. Cum vi mutuarum petitionum par esse debeat conditio actoris et rei, et eodem judicio terminari debeat conventio et reconventio, consequitur *actorem* teneri ad *respondendum* reo proponenti reconventionem; ac proinde si actor recuset reo satisfacere in actione reciprocæ petitionis, reus non poterit obligari ad respondendum actori in causa conventionis.

2⁰) Secundus effectus reconventionis est ut ipsa *proroget* jurisdictionem judicis. Scilicet reconventio extendit jurisdictionem judicis in causa, quam promovit reus contra actorem, ita ut licet ceteroquin eam causam non potuisset judex videre et definire, possit vero eam decernere virtute reconventionalis actionis. Excipiuntur relate ad tribunal sæculare causæ, quæ ab eodem nequeunt cognosci juxta ea, quæ supra dicta sunt.

3⁰) Tertius effectus reconventionis est ut causa *ejusdem* debeat tractari *eodem* processu, et finiri *eodem* judicio quo finitur causa primitus promota ab actore. Cap. 2. §. «Nos autem». *De Ordine Cognitionum* (II. 10).

4⁰) Quartus effectus seu proprietas reconventionis est ut inducat causarum *adæquationem*. Scilicet eodem jure censeri debent actio primitiva et actio reconventionalis. Cap. 2. h. t. Hinc idem modus procedendi servandus est in causa ab actore proposita et in causa proposita a reo. Hinc etiamsi conditio quædam in ordine procedendi faveat actori, favere etiam debet reo in actione reconventionali. Sic ex. gr. si judicium agitetur coram judice delegato, et concessa sit delegatio sub conditione ut finito judicio non detur appellatio in favorem rei, neque actor poterit appellare a sententia, quæ lata fuerit in actione reconventionali.

Titulus V.

De Litis Contestatione.

1. Prosequitur Beatus Raymundus ordinem judiciorum. Judicium incipit ab oblatione libelli, et mandato citationis. Reus excipit libellum et deliberat utrum debeat vel opponere actori aliam actionem illumque in judicio reconvenire, vel debeat obsecundare intentioni actoris, aut eidem serio resistere. Quare a judice designatur dies in qua reus et actor coram eodem judice comparen-

tes vel personaliter vel per procuratorem, manifestant seriam et deliberatam voluntatem incipiendi et prosequendi judicium. Atque ita dicuntur litem contestari. Hinc expleto titulo de oblatione libelli, ac de mutuis petitionibus proponitur titulus de litis contestatione.

Litis contestatio definitur: *'Petitio actoris in jure proposita, et congrua negativa responsio rei facta animo litigandi'*. Ita ex cap. un. h. t. Juxta alios definitur: *'Judicii constitutio facta affirmatione unius et contradictione alterius litigantis'*. Duplex ergo est contestationis elementum petitio nempe actoris, et negatio rei coram judice facta, ex quibus patet utriusque voluntas prosequendi judicium. Adeo necessaria est contestatio litis in judicio ordinario, ut nisi ea procedat, non possit judex judicium prosequi.

2. Quæritur: *quibus modis* inducatur litis contestatio.

Gregorius IX. R. P. respondet in cap. un. h. t. non esse litis contestationem factam per positiones et responsiones ad eas, sed per petitionem etc. Igitur positiones actoris non constituunt contestationem litis. Nomine positionum veniunt breves quædam orationes, seu articuli in quibus referuntur assertiones factorum pertinentium ad causam controversam. Super quibus assertionibus petitur responsio ab adversario producenda, ex qua responsione sive in tota sive pro parte actor eximitur ab onere probandi factum assertum; prout nempe reus sive in toto sive pro parte factum ab actore expositum admiserit. Si quidem in more positum fuit ut ad reddendam expeditiorem telam judicialem, actor posset cognoscere quid admitteretur in facto a reo, quid vero negaretur, atque ita actor cognosceret illico quid ipse probare teneretur, quid vero pacificum haberet cum reo. Ipsæ leges concesserunt actori jus proponendi istas assertiones facti, seu positiones ac proinde reo onus imposuerunt respondendi. Nisi autem respondeat præsumitur eisdem assentiri, seu positiones actoris admittere.

Porro etiam reo concessum est jus positiones proferendi adversus actorem, quibus actor tenetur satisfacere. Ut vero teneatur reus vel vicissim actor positionibus respondere, positiones debent esse claræ et distinctæ nec non conjunctæ cum causa, de qua agit libellus introductivus judicii.

3. Quibus positis cum positiones solummodo exhibeant assertiones facti alicujus, non illico secumferunt animum seu intentio-

nem firmam litigandi. Nam qui asserit aliquod factum, et desiderat illud ab adversario admitti, nihil petit ab eodem adversario, idest non petit suum jus, quemadmodum etiam adversarius, qui illi assentitur in admittenda facti existentia, aliquod jus eidem non certe concedit. Quare per *positiones* propositas ab actore, et per congruas *responsiones* rei *non* inducitur litis contestatio.

4. Pariter per solam exceptionem, quæ a reo opponatur non inducitur litis contestatio. Cap. 2. h. t. in 6°. Nam litis contestatio fit per contradictionem seu negationem oppositam actioni seu petitioni actoris. Exceptio autem non est contradictio, sed videtur potius directa ad declinandam petitionem. Quare in *Reg.* 63. Jur. in 6°. dicitur 'Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri'. Immo nonnullæ habentur in jure exceptiones, quæ prorsus contrariæ sunt litis contestationi. Quemadmodum sunt *exceptiones declinatoriæ fori*, et *exceptiones dilatoriæ.* Hæ enim exceptiones quia tendunt ad agnoscendam auctoritatem judicis et ad judicium incipiendum, diriguntur potius vel ad excludendum prorsus judicis officium in negotio de quo agitur, vel saltem ad distrahendum in aliud tempus judicium.

5. Tandem non inducitur contestatio litis, quoties post oblatum libellum ab actore, reus petitionem acceptet et confiteatur ea ductus intentione ut evitet judicium. Nam ut docet l. «Si Reus» ff. *De Procurat.* quando reus est paratus ad solvendum, cogi nequit ad suscipiendum judicium. Hinc in hoc casu non habet locum sententia definitiva, sed solum præceptum judicis designans tempus ad solvendum cum aliqua dilatione.

6. Quomodo ergo efficitur litis contestatio?

Glossa in cap. 54. *De Elect.* (I. 6) v. «Responsionem» animadvertit litis contestationem fieri regulariter per petitionem actoris, et negationem oppositam a reo. Id vero desumitur ex cap. un. h. t. et ex dicto cap. 54. *De Elect.* Quare ad litem contestandam præter actoris instantiam et petitionem, requiritur negatio ex parte rei, qui velit contendere in judicio. Non autem opus est ad litis contestationem, ut reus neget jus actoris quoad omnes ejus partes, sed censetur lis contestata quoties etiam aliquo modo resistat reus, ex. gr. licet confessione facta debiti contracti, contendat tamen tempus non advenisse solutionis perficiendæ.

Pariter quamvis, uti vidimus, in genere per exceptionem non inducatur litis contestatio, tamen si appareat exceptionem non fuisse simplicem, sed adjunctam habuisse negationem oppositam intentioni actoris in libello propositæ, etiam inducta esse censetur contestatio litis. Ita si reus diceret 'Nego vera esse, quæ actor dicit, et exposcit, nego scilicet existere titulum ex. gr. mutui aut locati conducti ab actore contra me propositum, eo quod numquam mutuum accepi, aut domum actoris conduxi; quod si vera essent quæ asserit actor, opponerem et oppono exceptionem præscriptionis, donationis etc.' Exceptio hujusmodi non est simplex sed includit animum resistendi intentioni actoris. Hinc ea inducit litis contestationem. Hæc interpretatio applicanda est cc. 6. *De Exceptionibus* (II. 25) et 16. *De Testam.* (III. 26) et aliis similibus locis juris, in quibus supponitur litis contestatio inducta fuisse per exceptionem oppositam a reo. Animadverti debet nostris moribus etiam in negotiis ecclesiasticis litigiosis, quæ tractantur penes sacras Congregationes Romanas, dum proceditur juris ordine servato, contestationem litis perfici per concordationem dubiorum seu quæstionum agendarum, quæ concordatio conficitur vel coram Cardinali causæ relatore in S. Congregatione Episcoporum et Regularium, vel coram auditore Secretarii, juxta praxim S. Congregationis Concilii.

De effectibus contestationis litis.

7. Profecto loquimur de contestatione litis, quæ valide facta fuerit, nam invalida contestatio litis nihil operatur Authen. «Offeratur.» C. *De litis contest.*

Quo posito I^us^. effectus contestationis litis est *constitutio judicii*, scilicet per eam status quæstionis figitur et determinatur natura judicii, ita ut facta litis contestatio impediat, quominus fiat libelli mutatio. Quare definita natura judicii potest inde in actibus judicialibus procedi etiam usque ad sententiam definitivam, ad quam non posset in judicio solemni et ordinario deveniri, absque litis contestatione. Cap. un. h. t. — 2°) Per litis contestationem ineunt partes ligitantes *quasi contractum* et suscipiunt obligationem prosequendi tale judicium determinatum in contestatione, seu comparendi coram judice, quoties opus fuerit, et non recedendi temere ab eodem judicio. Immo si reus est alienigena, sese ac-

commodare debet statutis et normis judicialibus loci, ubi litigat. — 3⁰) Actiones pœnales, quoad effectus civiles, quæ oriuntur ex delicto post litem contestatam transeunt contra *hæredes* delinquentis. Tenentur enim et conveniuntur isti hæredes non tam ex delicto, (vi cujus non tenerentur, nisi in quantum ad eos pervenerit occasione delicti,) quam ex quasi contractu litis contestatæ. §. 1. Inst. *De Perpet. et Temp. action.* — 4⁰) Litigantes suscipiunt obligationem de *judicato solvendo.* Seu pars, quæ adversam patitur sententiam, cogitur ad præstandum id, quod in sententia definitum est. Unde ex quasi contractu litis contestatæ oritur actio judicati. — 5ᵘˢ. effectus est, ut non possit judex recusari, nisi ex causa, quæ deinde superveniat, aut quæ exstiterit antea, sed notitia ejus post litem contestatam acquiratur. Ratio est, quia partes litigantes per litis contestationem censentur consensisse in judicem et renunciasse juri recusationis. C. «Nemo.» C. *De Juris d. omn. jud.* et C. 25. *De off. deleg.* (I. 29). 6⁰) Hinc etiam nequeunt amplius opponi exceptiones *declinatoriæ fori,* aut *dilatoriæ* judicii. Cœptum enim censetur esse judicium, et agnita jurisdictio judicis. Cap. 20. *De Sent. et Re Jud.* (II. 27). 7⁰) Per litis contestationem actiones temporaneæ efficiuntur *perpetuæ* in sensu juris. Scilicet non perimuntur, nisi longa præscriptione 30 vel 40 annorum. L. ult. C. *De Præscript. 30 ann.* 8⁰) Quamvis *procurator* ad lites possit ante litem contestatam revocari a litigante etiam absque causa, tamen post litis contestationem *revocari nequit,* nisi adsit justa causa. Cap. 3. *De Procurat.* (I. 19) in 6⁰. Procurator enim per litis contestationem fecit causam suam, seu factus est dominus litis, quique proinde a possessione litis removeri non potest, nisi ex rationabili et cognita causa, quæ eum suspectum reddat vel minus idoneum ad patrocinium sustinendum. 9⁰) Tandem per litis contestationem interrumpitur *præscriptio* etiam longi temporis. L. 26. C. *De rei vindicat.*

Titulus VI.

Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam diffinitivam.

1. Ex notionibus generalibus circa valorem juridicum partium corporis juris nostri sequitur, rubricam tituli præsentis veram legem exhibere. Nam determinatum et præceptivum sensum habet.

Hinc ceu generalis et præceptiva norma accipiendum est principium rubricæ, ut nempe non debeat judex procedere ad receptionem testium, et ad sententiam proferendam, nisi antea lis fuerit contestata. Et merito; nam ante litis contestationem adhuc punctum quæstionis non determinatum esse censetur; et incertum est utrum lis secutura sit necne. Hinc litis contestatio dicitur esse fundamentum et principium judicii, ac in actibus judicii procedi non potest, nisi antea cognita sit petitio actoris et negatio rei, ex quibus apertum fit, quid sit probandum ab actore et a reo, cognoscitur propria qualitas judicii, et determinantur limites quæstionis. Confirmatur hoc ex regula cap. ult. h. t.

2. In rubrica tituli interdicitur sententia *diffinitiva.* Nam sententia *incidentalis*, seu *interlocutoria* potest pronunciari etiam ante litis contestationem. Interlocutoria sententia est, quæ non attingit meritum causæ, seu causam principalem, sed respicit quæstionem secundariam, quæ cum principali ita conjungitur, ut non possit causa in merito plene definiri, nisi antea judicium interlocutorium fuerit completum. Sic ex. gr. si reus proponat exceptiones declinatorias fori, vel exceptiones incompetentiæ, vel dilatorias judicii, si quæstio sit, utrum reus fuerit legitime citatus, vel utrum revera sit contumax, atque alia hujusmodi. De istis rebus videt judex, antequam etiam partes compareant, ut litis contestationem perficiant. Ratio est, quia quæstiones hujusmodi respiciunt ipsam competentiam judicis; aut ex iis dependet, utrum procedendum sit necne ad litis contestationem. Ex qua animadversione sequitur, posse recipi a judice etiam ante litem contestatam testium depositiones, quæ inserviant ad definiendas causas incidentales, et ad proferendas sententias interlocutorias.

3. Hisce explicatis tenet regula generalis, ut videlicet lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam diffinitivam. Verum hæc regula videri possit actori contraria, et lædere jus illius, quod experiri intendit. Nam si reus contumax esset, nec possent recipi testium depositiones, eludi possit actoris instantia. Quare merito nonnullæ *exceptiones* admissæ sunt.

4. I^a. exceptio: Juxta dispositionem cap. 5. h. t. §. 1. etiam in judiciis ordinariis et ante litis contestationem, ne rerum memoria pereat, et copia probationis ex fortuitis casibus subtrahatur, possunt recipi depositiones testium, quoties *periculum* urgeat et timor adsit, ne possint *deficere* sive ob mortem testium, quæ

proxima prævideatur, sive ob longinquam peregrinationem et diuturnam absentiam. Quæque ut locum habeant, requiritur 1°) Ut adsit rationabilis *causa.* 2°) Ne videantur recipi dolose testium auditiones requiritur ut citetur pars, *contra quam* illæ recipiuntur, dummodo possit citari, vel si non possit, citari cessante impedimento eidem denuncietur receptio testium jam facta. Quæ conditiones si omittantur, receptio testium non valet. Ita cap. 5. h. t. §. 1. Verum adnotat *Abbas* in idem caput receptionem hanc non esse nullam ipso jure, sed nullam reddi exceptione partis adversæ, aut sententia judicis. Hinc, nisi exceptio opponatur, valet sententia, quæ depositionibus hujusmodi innitatur. Judicis autem arbitrio remittitur decernere, quando periculum seu timor revera adsit vel non. Animadverti debet, interpretes adhærentes intentioni juris judici tribuere facultatem recipiendi ante litis contestationem depositiones testium, quoties rationabiliter timeri possit, ne testes ob moram longiorem rerum obliviscantur vel veritatem abscondant vel occultent. Immo possunt testium depositiones recipi, antequam judicium incipiat, si periculum adsit, ne memoria pereat. Cap. 41. *De Testibus* (II. 20).

5. II°. exceptio est in casu *contumaciæ rei.* Scilicet si reus legitime citatus comparere neglexerit ad contestationem litis perficiendam et periculum sit in mora; si videlicet causa exquirat expeditam solutionem, poterunt hoc in casu non solum excipi testium depositiones, sed etiam poterit procedi ad sententiam diffinitivam. Ita in cap. 5. h. t. §. «Porro.» Quare duo requiruntur, ut absque litis contestatione procedatur 1°) *contumax* absentia rei; 2°) natura causæ quæ *celerem* requirat expeditionem. Hanc celerem expeditionem exquirunt præsertim causæ matrimoniales quoad valorem vinculi ob periculum incontinentiæ; causæ respicientes provisionem Ecclesiarum vacantium; causæ alimentorum, usurarum etc. Cf. Clem. 2. *De Verb. Signif.* (V. 11) et Clem. 2. *De Judiciis* (II. 1).

6. Quod si sermo sit de causa, quæ non requirat expeditam solutionem, jure canonico servanda est regula generalis de non recipiendis testium depositionibus ante litis contestationem, neque procedi potest ad sententiam diffinitivam. Sed opportuna præsto sunt remedia ad frangendam rei contumaciam. Remedia hæc exhibentur in cc. 3. et 5. h. t. §. «In aliis vero,» et in tt. 14. et 15. h. l. II. Scilicet distinguendum est inter personalem et realem

actionem, id est inter actionem, qua quis prosequitur *personam* ceu directe sibi et proprie obligatam, et actionem, quæ dirigitur contra *rem* determinatam, quam actor prosequitur uti sibi specialiter obligatam.

Si in actione *reali* reus sit contumax, praesto sunt remedia inferius exposita in tit. *De dolo et contumacia* (II. 14) n. 8. et tit. *De eo qui mittitur in possessionem causa rei servandæ* (II. 15). — Quod si sermo esset de actione *personali*, ad frangendam rei contumaciam jus tribuit judici præter facultatem utendi gladio spirituali censurarum caute tamen adhibendam, remedia descripta inferius n. 2. tit. *De eo qui mittitur* etc. (II. 15).

7. III^a. exceptio respicit quæstionem nondum inceptam, sed periculum futuræ quæstionis, et testium depositiones recipiuntur ad perpetuam rei memoriam. Regula hæc est. Si quis timeat, ne in futurum quæstio excitetur super aliquo contractu, vel negotio, cujus sua interest, potest adire judicem et obtinere, ut audiantur formaliter testes, qui præsentes fuerunt contractui vel negotio, et eorum allegationes publicentur; et ne pereat memoria contractus vel negotii, poterit impetrare, ut eædem allegationes publicis tabulis inserantur, seu super ipsis publicum instrumentum conficiatur. Receptio autem testium antequam fiat, denunciari debet interesse habentibus, ut, si velint, dum ea perficitur, præsentes adsint. Hæc sapiens dispositio insinuatur in cap. 5. h. t. §. «Sunt et alii;» fusius vero et clarius traditur in cap. 41. *De Testibus* (II. 20), cujus species hæc est: Quidam nobiles ære suo ædificarunt Ecclesiam in Diœcesi Sabinensi, eamque sufficienti dote muniverunt. Quare ex dispositione sacrorum canonum jus patronatus assequi poterant. Jus patronatus nobiles isti exercuerunt, nominantes primum Ecclesiæ rectorem. Verum fassi sunt, se nullum velle retinere jus in eandem ecclesiam, quam in posterum volebant fore liberam et a vinculo patronatus solutam. Rector Ecclesiæ timens, ne memoria periret promissæ libertatis, judicem Sabinensem adiit, ut juberet receptionem testium. Hic animo reputans principium tituli nostri '*Ut lite non contestata non procedatur ad receptionem testium* etc.' dubius hæsit. Res delata est ad *Innocent. III.*, qui imperavit, ut testes idonei, qui negotio interfuerant, et fundatores Ecclesiæ audierant, diligenter examinarentur, et interim receptio testium denunciaretur fundatoribus Ecclesiæ, vel eorum hæredibus, ut, si vellent, interessent, et tum dicta testium, tum denunciatio facta fun-

datoribus vel eorum hæredibus in publicum instrumentum redigeretur. Dispositio h. c. 41. nil aliud est quam exemplum quod regulam c. 5. h. t. §. 5. illustrat: «Sunt et alii casus similiter speciales,» ait Innocentius in dicto §. 5., «in quibus absque litis contestatione legitime possunt testes produci,» et in duobus a dispositione c. 5. h. t. §. 1[i]. differt: Nam 1[o] juxta cap. 5. recipiuntur depositiones testium vel ob imminens periculum *mortis*, vel ob diuturnam *absentiam*. Juxta mentem cap. 41. *De Testibus* recipiuntur testimonia, quamvis neutrum verificetur, sed solum *conservandæ memoriæ* causa. Hinc omnes indifferenter idonei testes interrogantur sive juvenes sive senes, sive incolumes sive infirmitate laborantes. 2[0]. Depositiones juxta cap. 5. h. t. consignentur judici pro causa *præsenti*, depositiones vero juxta cap. 41. *De Testibus* debeant publicari ad perpetuam rei memoriam, et ad evitandas lites *futuras*.

Hic referenda est

Resolutio

S. Congr. Concilii die 23. Januarii an. 1875 habita in causa Monacensi 'Species'.

8. Ex Bavaria, ut ex aliis Europæ regionibus, frequentes sunt transmigrationes in Americam et alias regiones trans oceanum, ex desiderio præsertim nanciscendi meliorem fortunam. Non semel evenit, ut istorum transmigrantium memoria fere pereat. Sæpe autem evenit, ut desiderio vagandi hac illac ignoretur domicilium seu locus, in quo actu commorantur. Jamvero in Bavaria ex longa, ut asseritur, consuetudine hæc inducta est disciplina, ut nempe uxor derelicta a viro, qui longinquas petiit regiones, libellum porrigat Curiæ episcopali expostulans sententiam separationis seu divortii a thoro et cohabitatione. Productis in Curia depositionibus testium et aliis documentis ad probandum virum transmigrasse in longinquas regiones nec notitiam haberi domicilii ejus, tribunal Ecclesiasticum reum citat per edictum, ut intra congruum tempus vel per se vel per procuratorem compareat, et citatio affigitur publicis in locis, nec non per ephemerides vulgatur. Elapso inutiliter tempore ad comparendum, judex procedit in causa usque ad sententiam diffinitivam divortii.*) Hæc praxis Archiepiscopo

*) Tribunal autem civile accepta sententia tribunalis ecclesiastici *decrevit* de effectibus civilibus (educationis et tutelæ filiorum, administrationis

Monacensi visa non conformis jure communi et arbitratus est eam condemnari a Rubrica tituli VI. '*Ut lite non contestata non procedatur ad testium auditionem, aut ad sententiam diffinitivam*' et a cap. 1. ejusd. tit. — In contrariam abeuntibus sententiam aliis Episcopis Bavariæ, quæstio proposita fuit in S. Congr. Concilii die 23. Jan. an. 1875 sub dubio: 'An in casu parte absente citata per edictum seu programmata, eaque non comparente, testes recipi et examinari possint, et sententiam definitivam pro separatione maritali a cohabitatione et thoro liceat proferre.'

9. S. Congregatio ob reverentiam debitam Archiepisc. Monacensi et aliis Episcopis experiri et præmittere voluerat votum consultivum Eminentissimi viri, qui opinatus fuit pro affirmativa resolutione, et S. Congreg. die prædicta habita respondit '*In Voto.*'

Pro hac quæstione et aliis similibus præstat præcipua argumenta expendere, quæ a viro Emõ allata fuere.

Ium. argumentum. Ideo jus commune in Decretalibus relatum exegit contestationem litis in causa divortii quoad thorum et cohabitationem, quia indoles et natura hujus causæ illam expostulat. Nam judex ut officio suo fungatur, et studeat partes sibi invicem conciliare, et utramque deterrere a separatione maritali, opportunum est, ut partes ad suam præsentiam convocet, statum quæstionis ab ipsis cognoscat, peculiares circumstantias investiget, quibus prudenter providendum est. Hinc nil mirum, si jus canonicum statuerit per pœnam excommunicationis compellendum esse contumacem ad comparendum coram judice. Cap. 1. h. t. Verum hæc dispositio optima est, cum agitur de reo, qui commoratur in loco judicis, vel in loco non dissito. At non idem dicendum est de reo in *longinquis* commorante, cujus notitia non habeatur, cujus commorationis locus ignoretur, quique prævideatur difficulter aut impossibiliter redire posse. Si agatur enim de reo tali, quisque videt præfatam dispositionem canonicam casui aptari non posse et pœnam inutilem prorsus esse. Insuper intimatio censuræ in hoc casu non bene consonat cum sobrietate, prudentia, et circumspectione, quæ Tridentinum Concilium vult adhiberi in usu censurarum. Ergo

bonorum et dotis recuperandæ), sed a Calendis Januarii 1876 jam non accipit sententiam ecclesiasticam ob introductum matrimonium, quod vocant, civile juxta legem Imperii Germanici, d. 6. Febr. 1875.

casus propositus talis est, ut dici non possit incidere, utique ex immutatione temporum, sub dispositione cap. 1. h. t.

IIᵐ. argumentum. In sensu juris antiqui excommunicatio in hypothesi contumaciæ rei, dum agitur de quæstione separationis conjugum, non est a jure inducta, ut imponeretur finis judicio, sed ut esset remedium juridicum, quo reus contumax adigeretur ad litem contestandam, ita ut, si reus insordesceret in censura, seu si sperneret censuram, posset judex ultro procedere. Jamvero in nostra hypothesi de viro commorante in longinquis regionibus insordescentia in censuris saltem ordinarie verificari non potest. Non enim ordinarie loquendo citatio per edictum potest ad eumdem pervenire, et per consequens vir ignorans censuram contra se comminatam eam non incurrit; hinc deest elementum necessarium, ut insordescentia in censura verificetur. Quo posito in casu nostro deest elementum necessarium, seu elementum, quo finis imponeretur judicio modo legitimo. Atque ideo judicium perpetuo maneret suspensum, quod non consonat intentioni juris nostri. Concludendum est igitur, speciem nostræ quæstionis extraneam esse a dispositione capitis 1. h. t.

IIIᵐ. argumentum. Ipsum jus canonicum modificationes quasdam posuit circa rigorem juridicum ordinis servandi in foro Ecclesiæ. Ita celebris Clement. «Dispendiosam.» *De Judiciis* (II. 1). Ita Clement. «Sæpe contingit.» 2. *De Verb. Signif.* (V. 11). Pariter notabat Emus Consultor, tribunal S. Rotæ Romanæ, licet sit tenax custos traditionum antiquarum, aliquas tamen modificationes subiisse in ordine ad formas judicii servandas ob mutatas circumstantias. Pariter notabat, post Concordatum inter Apostolicam Sedem et Imperatorem Austriæ fuisse confectum, et publicatum et adprobatum ordinem quemdam servandum in causis matrimonialibus pertractandis, et in hoc fuisse appositas modificationes quasdam Veteri Juri. Et tandem placuit eidem referre textum *Sanchezii De Matrim.* Lib. X. Disp. 19. ubi ait: 'Rationi esse videtur consentaneum, ut Judices Ecclesiæ non teneantur cum Indorum neophytis in divortii sententia ferenda figuram ac judicii strepitum servare, prout servant, et servare debent cum Hispanis, ob speciales circumstantias locorum et personarum.' Ex quibus omnibus juxta mentem clarissimi Consultoris hæc duo concludi possunt. Vel species in quæstione *non includitur* sub dispositione veteris juris; vel etiamsi inclusa fuisset primitus ratione legis generalis, tamen

ob immutatas temporum circumstantias, et ob adjuncta concurrentia in casum dicendum est, sanctionem cap. 1. h. t. hodie *applicari non posse* speciei supra propositæ. Unde hæc finalis conclusio: Consuetudo in Bavaria exsistens circa modum procedendi in causis separationis quoad thorum et habitationem non adversatur juri canonico.

De causis criminalibus.

10. Quærunt Doctores: quid sentiendum sit in *causis criminalibus.*

Si in causis criminalibus procedatur civiliter, valet regula generalis et valent etiam superius memoratæ exceptiones. Quod si sermo sit de causis criminalibus criminaliter actis, in quibus adsit adhærens fisco, seu proprie dictus accusator, rigidior est conficiendus processus, ac rigidior servatur modus procedendi, ac proinde valet maxime regula rubricæ tituli præsentis, ita ut procedi nequeat ad testium depositiones recipiendas, antequam lis fuerit contestata pro instituenda accusatione. Possunt vero testes recipi ante litis contestationem ad probandam innocentiam rei. Arg. cap. 41. *De Testib.* (II. 20). Pariter possunt recipi testium depositiones, et revera recipiuntur ante litem contestatam, cum proceditur ad detegendum reum alicujus criminis per viam inquisitionis. Ita cap. ult. §. «Sunt et alii» h. t. Hæc regula etiam servatur, quando proceditur in causa criminali post simplicem denunciationem. Ita gloss. in cap. ult. h. t. v. «Regulariter.» Denunciatio autem ab accusatione in eo differt, quod proprie dicta accusatio facit accusatorem adhærentem fisco et dominum causæ, ita ut respondere debeat de exitu causæ. Denunciatio autem non secumfert ullam obligationem relate ad denunciantem, quicumque sit exitus causæ.

Titulus VII.

De Juramento Calumniæ.

1. Cum religionis virtus maxime conducebat ad tutiorem et expeditiorem exitum judiciorum, inter normas judiciales institutum fuit juramentum calumniæ. Quod juramentum cum soleret præstari immediate post factam litis contestationem, hinc post expositionem juridicam litis contestationis merito subnectitur præsens titulus.

Juramentum calumniæ est illud, quod præstatur ab utroque litigante, seu tum ab actore, quam a reo super tota causa, quo spondent se bona fide, credentes habere bonam causam, animo litigandi, non vero calumniandi persecutores cursum judicii sive in proponenda et defendenda actione, sive in respondendo actioni propositæ ab actore.

Juramentum calumniæ quatuor capita *continet:* 1⁰) Partes litigantes jurant, se ideo litem prosequi, quia *credunt,* sibi præsto esse bonum jus. Quare juramentum est supra credulitate, non vero supra scientia. 2⁰) Secundum elementum jurisjurandi calumniæ est, ut partes promittant, se non usuras fore *falsa* probatione, nec fore locuturas in causa contra *animi* proprii sententiam. 3⁰) Promittunt litigantes, se non fore petituros *dilationes* in fraudem litis *protrahendæ.* 4⁰) Declarant partes, se *nihil dedisse* aut *daturas* fore causa patrocinii, nisi quod jura permittant, sive judicibus, sive aliis personis, exceptis propriis advocatis et defensoribus.

2. Juramentum calumniæ inspecto jure communi præstandum est, quoties alterutra pars illud ab altera requirit, ita ut censeatur esse pars judicii. Potest vero præstari sive a partibus principalibus, sive ab eorum procuratoribus; cap. ult. h. t. in 6⁰. dummodo tamen mandatum speciale ad hoc peragendum datum fuerit. Ita l. 2. §. «Sed quia veremur.» C. *De Jurejurando propter calum.* Juxta cap. 1. h. t. clerici sive in causa civili, sive in causa criminali prohibentur 'jurare de calumnia, sed præstatio juramenti deleganda esse dicitur idoneis personis. Immo interdicitur Episcopis juramentum præstare absque venia Romani Pontificis; clericis absque licentia Episcopi. Derogatum vero est relate ad Clericos necessitati delegationis faciendæ per dispositionem cap. 5. h. t. ubi a *Lucio III.* præcipitur clericis personalis præstatio juramenti. Item relate ad Episcopos derogatum est necessitati delegationis in cap. 7. h. t.

3. Ex dispositione cap. 1. præstabatur juramentum calumniæ in *primo* litis *exordio.* Sed *Bonifacius VIII.* in cap. 1. h. t. in 6⁰. declaravit, posse præstari hoc juramentum in qualibet parte litis. At una tantum vice potest præstari in eadem instantia. Auth. «In isto Juram.» C. *De Jurejur. propter calum.* Quia juramentum hoc est generale, totamque causam complectitur. Verum in causa appellationis iterum præstandum est juramentum, quia causa in

gradu appellationis novam telam judiciariam constituit. Cf. cap. 2. §. 1. h. t. in 6°.

Præstandum autem est in omnibus causis, in quibus probatione opus est, sive procedatur judicio solemni, sive procedatur judicio summario. Magnæ notæ vero Doctores excipiunt causas criminales criminaliter actas, in quibus juramentum excludunt ob periculum perjurii.

4. Juramentum calumniæ potest quidem remitti *tacito* partium consensu, non vero expresso. Scilicet potest uterque ex litigantibus non exigere juramentum calumniæ, at pacto expresso non potest renunciare ejusdem præstationi.

Ratio est, quia introductum fuit hoc jusjurandum non proprie in commodum privatorum, sed potius in favorem publicum ob securitatem judiciorum; ut scilicet in judiciis statim appareret veritas, et calumnia vel fraus removeretur. Unde juramentum calumniæ dum providet tutelæ et protectioni justitiæ, simul etiam consulit expeditiori solutioni quæstionum in foro. Cum igitur introductum sit juramentum hoc in publicam utilitatem, potest eidem applicari adagium 'Juri communi privatorum factis derogari non potest.' Sed etiam potior alia est ratio ad excludendam remissionem juramenti calumniæ ex conventione expressa partium. Scilicet si hæc remissio valeret, videretur litigantibus concessa facultas impune calumniandi. Jamvero hoc pactum includeret immoralitatem, ac proinde nullius est valoris. Cap. ult. *De Pactis* (I. 35).

At tacite remitti potest juramentum calumniæ. Videlicet si omissum fuerit ex eo, quod neutra pars illud requisiverit, valent acta judicii. Ita in cap. 2. §. 2. h. t. in 6°.

5. Jure antiquo adeo vigebat jus exigendi juramentum calumniæ, ut si actor recusavisset illud præstare ab ipsa actione et instantia cecidisset, et ceu improbus litigator repellebatur a judicio, reus vero renuens juramentum calumniæ præstare, habebatur pro confesso.

6. Hoc juramentum non amplius in forma judiciali servatur. Emitti autem hodie debet a *Postulatore causæ* in processibus, qui pro *Beatificatione* et *Canonizatione* Servorum Dei construuntur. Insuper in actibus judicialibus communibus loco juramenti calumniæ saltem aliquando servatur juramentum malitiæ, et juramentum de veritate dicenda. Juramentum malitiæ, de quo sermo est in cap. 2. h. t. in 6°. illud est, quod præstatur non super in-

tegra causa, sed super aliquo, vel aliquibus articulis causæ, quoties adsit præsumptio contra unum ex litigantibus, quod malitiose agat, et studeat justitiæ exercitium impedire fallaciis et fraudibus. Juramentum de veritate dicenda illud est, quod a testibus emittitur circa scientiam, seu de veritate, quam quis certus est se scire. Quare hoc juramentum distinguitur a juramento calumniæ, quod credulitati innititur.

Titulus VIII.

De Dilationibus.

1. In ordine judiciorum post litem contestatam plerumque conceduntur dilationes, seu spatium aliquod, ut probatio actoris et defensio rei rite præparentur. Quare opportunum est, post tractatum de contestatione litis cognoscere, quid sint et quando concedantur dilationes. Dilatio potest etiam concedi extra judicium. Nos vero in titulo consideramus dilationes *judiciales*, quæ nempe in tela judiciaria partem habere possunt, seu quæ conceduntur in decursu judicii.

Dilatio judicialis definitur communiter '*Justum temporis intervallum, quod ad aliquem actum judicii commodius vel probandum vel expediendum actori aut reo conceditur*'. Dilationes inductæ sunt, ut tutius posset judex procedere ad sententiam definitivam. Cap. ult. h. t. Quamvis enim societatis intersit judicia quam citissime expediri, ne jura civium quoad societatem civilem, et fidelium quoad Ecclesiam diu incerta maneant, tamen congruum tempus concedendum est litigantibus, quo possint documenta perquirere, testes invenire, probationes parare. Quare justum intervallum temporis conceditur litigantibus, quo suspenditur actio judicis in causa, ut alteruter litigantium, qui dilatione indiget, sibi sufficienter provideat. Hoc temporis intervallum debet esse justum; si enim termini peremptorii necessitate non urgente nimis coarctentur, juxta cap. 1. h. t. conceditur appellatio contra decretum judicis, quo termini dilationis designati sunt.

2. Dilationes ex *causa efficiente* sunt: *legales, judiciales, conventionales*. Dilationes *legales* conceduntur ab ipso jure communi, vel statutis locorum, ex. gr. spatium decem dierum seu decendii ad appellandum a lata sententia. Dilationes *judiciales* arbitrio et

prudentia judicis designantur. *Conventionales* vero ex partium conventione statuuntur; ex gr. si partes unanimi pacto conveniant de negotio prorogando etc.

3. Ad rem nostram potius alia divisio facit, quæque deducitur ex triplici *parte judicii.* Scilicet aliæ sunt, quæ conceduntur in prima parte judicii a citatione nempe usque ad litis contestationem, quæ sunt *dilationes citatoriæ* et *deliberatoriæ.* Aliæ sunt, quæ conceduntur post litem contestatam usque ad sententiam definitivam, quæque dicuntur *probatoriæ.* Tandem aliæ dantur in tertia parte judicii, quæ vel conceduntur ad differendam sententiam, et dicuntur *diffinitoriæ,* aliæ *exsecutoriæ,* quæ dantur ad designandum tempus executionis sententiæ. De singulis breviter.

Dilatio *citatoria* est, quæ conceditur illi, qui in jus vocatur. Cum scilicet præsumi nequeat, quemlibet citatum statim posse deserere propria negotia, et judicem adire, hinc in ipsa citatione adsignatur tempus congruum ad comparendum. Immo si semel citatus reus non compareat, debet secundo et tertio vocari, et singulis vicibus sufficiens spatium dierum determinari. Aliquando vero ob periculum rei, vel ob difficultatem locorum, una tantum citatio mittitur *peremptoria,* et elapso tempore in ea designato ad comparendum, citatus constituitur in contumacia. Dilationes citatoriæ in jure romano decendio definiebantur. L. 68. et seqq. ff. *De Judiciis* et l. 13. §. 2. Cod. eod. t. Ex jure autem canonico habemus designationem diei ad comparendum judicis arbitrio remitti, qui pro diversitate temporum et pro distantiis locorum et adjunctis personarum potest moderari dilationes citatorias. Ita cc. 24. *De Off. Deleg.* (I. 29), 4. *De in integr. restitut.* (I. 41) et 15. *De Appell.* (II. 28). At plurimum attendendus est stylus Fori et Curiæ cujuslibet in quo negotium tractatur. In codice judiciario *Gregorii XVI.* anno 1834 pro ditione temporali S. Sedis termini ordinarii ad comparendum sunt vel tres vel octo dies. Quod si periculum sit, ne res pereat, vel timeatur fuga personæ, vel negotium moram non patiatur, ex. gr. si quæstio circa alimenta præstanda versetur, judex potest jubere citationem, quæ dicitur *ad urgentiam,* in qua brevius tempus de uno ad alium diem destinetur. Quo inutiliter elapso judex precarias provisiones suscipiet.

Dilatio *deliberatoria* est, quæ post oblatum libellum conceditur reo ad expendendum et deliberandum, utrum petitioni actoris, vel saltem alicui articulo assentiri debeat, vel resistere desideret. Hæc

dilatio conceditur etiam actori, quando reus proponat exceptionem, ut ipse actor deliberet an et quomodo exceptionem admittere intendat. Juxta præscriptum juris communis, (Auth. «Offeratur.» C. *De Litis Contestatione)* dilatio deliberatoria diebus viginti constat. Interpretes ex juris intentione inferunt, posse judicem ex rationabili causa arctare tempus hoc ad brevius intervallum, vel etiam illud protrahere. Adnotandum vero est, juxta dispositionem cap. 2. h. t. non concedi dilationes deliberatorias, quoties reus per citationem potuit plene instrui et cognoscere quæstionem contra se propositam. Scilicet quando cum citatione transmissus est etiam libellus, in quo causa et motiva describuntur, simulque congruum tempus fuerit assignatum ad comparendum, quo possit etiam commode deliberare: eo ipso absque novis dilationibus potest reus deliberare, utrum debeat nec ne causam suscipere. Quare nova dilatio deliberatoria videretur a reo expostulari solummodo ex desiderio differendi impune judicium. Atqui hæ dilationes reprobantur ab optima praxi judiciorum agendorum.

4. Dilatio *probatoria* ea est, quæ post litem contestatam actori conceditur ad probandam actionem suam, reo ad probandam suam exceptionem. Ex textu juris romani ex l. 1. C. *De Dilationibus* concedenda est dilatio 3 mensium, quoties testes et probationes sumendæ sunt in eadem provincia ubi lis pendet; 6 mensium si ex aliena provincia exspectanda sint documenta vel testium depositiones; tandem 9 mensium et non ultra, quoties hæc ex remota provincia exspectanda sint. Hæc lex potest offerre notionem ad criterium juridicum concipiendum hac in materia. Verum doctores conveniunt designationem temporis ad exhibendas probationes prudenti judicis arbitrio esse remittendam, qui intra limites convenientes, et servata æqualitate inter actorem et reum, majores vel minores dilationes concedere possit, juxta diversam rationem temporum, distantiarum, qualitatum negotiorum, et personarum litigantium.

5. Porro juxta jus romanum receptum est in causis civilibus, seu non tractantibus de applicatione pœnæ, dilationem concessam censeri peremptoriam, id est unam tantum concedendam esse dilationem ad probandum, ne lites in infinitum protrahantur. L. ult. ff. *De Feriis.* Hinc si post primam dilationem judex novam vellet concedere, posset altera pars legitime contradicere, et conqueri de actu sibi præjudiciali. Excipitur vero duplex casus: 1°) cum

ob *legitimum impedimentum* probatio in spatio primæ dilationis parari non potuit. Hoc vero impedimentum non præsumitur, sed exstitisse demonstrandum est. 2°) Cum *nova documenta* emerserint, et novæ cognitæ fuerint probationes, adhuc tamen enucleandæ et ordinandæ sint. De hujus tamen rei veritate juramentum præstare debet, qui dilationem expostulat. Cap. 4. *De Exceptionibus* (II. 25). Immo in hisce duobus casibus ex interpretatione cc. 15. et 55. *De Testib. et Attestation.* (II. 20) inferunt doctores, posse judicem concedere etiam secundam et tertiam dilationem, non vero quartam, nisi qui eam petit cum juramento protestetur, se ob necessitatem, non vero in fraudem judicii nec malitiose novam dilationem expostulasse. Dixi, hanc illationem doctores deduxisse ex interpretatione cc. 15. et 55. *De Testibus;* nam revera in hisce capitibus prohibetur quarta productio testium, non vero nominatim dilatio. At glossa productionem accipit pro dilatione. Nam in intervallo unius dilationis non unus, sed successive plures possunt produci testes. Plures ergo productiones testium distinctæ, idem exprimunt ac plura intervalla, et repetitas dilationes ad probationes parandas vel præsentandas.

6. *Definitoria* dilatio ea est, quæ datur ad causam ope sententiæ definiendam. Insuetum non est in judiciis, ut judex, postquam conclusum est in causa, differat sententiam ad alium diem, etiam post notabile intervallum temporis, vel ut melius causam cognoscat, vel præsertim ut interim partes, si velint, pacifica conventione rem componant.

7. *Exsecutoria* dilatio datur parti collitiganti, quæ causa cecidit, ad satisfaciendum sententiæ, seu ad præstandum id, in quo condemnata est. Cap. 15. *De Sentent. et Re jud.* (II. 27). Et quidem si sermo sit de actionibus personalibus, dilationes exsecutoriæ regulariter ad 4 menses protrahuntur. Cap. 26. *De Off. Deleg.* (I. 29). Diximus regulariter, nam potest hoc tempus ex rationabili causa vel protrahi, vel etiam ad brevius arctari. Cap. 15. *De Sent. et Re jud.* (II. 27) § «Sed nec.» Quod si sermo sit de actionibus realibus, differtur ad decem dies completos exsecutio sententiæ, quia hoc temporis intervallum utile est ad appellationem proponendam.

De Effectibus Dilationum.

8. I^us. effectus est, ut judex agere *nihil* possit circa *causam* vel articulum causæ, quem dilatio attingit, usque dum tempus in dilatione concessum non effluxerit. Quod si judex in actibus processerit, acta nullius sunt valoris. L. 3. *De Dilat.* Potest vero judex agere et procedere super aliis articulis causæ, super quibus concessa non sit dilatio, et in tota causa procedere poterit, quando causa dilationis cessaverit. Porro in dilationis intervallo computantur etiam dies feriarum, dilatio enim datur de die ad diem. Quod si dilatio concedatur absenti, doctores conveniunt, eam incipere a die intimationis eidem factæ. Non enim quis ignorans beneficio frui potest.

II^us. effectus dilationis a judice concessæ est, ut sortiatur effectum sententiæ *interlocutoriæ.* Dilatio enim conceditur per decretum judicis ad certum tempus et ad certum effectum, ex. gr. ut unus ex litigantibus producat testes aliquos audiendos. Si tempus inutiliter præterlapsum fuerit, non amplius post finitam dilationem auditur super eadem re, nisi adsit magna causa; sed judex procedere potest ulterius in causæ cognitione et definitione.

TITULUS IX.

De Feriis.

1. Quoniam non singulis anni diebus in foro licet agere, hinc in ordine judiciorum describendo præstat designare, quinam sint dies, in quibus publicum tribunal silet, et acta judicii fieri prohibentur. Hujusmodi dies appellantur *dies feriati* vel simpliciter *feriæ.* Unde in genere feriæ sunt dies illi, in quibus quidam actus prohibentur. Relate autem ad rem nostram *feriæ vel dies feriati sunt dies illi, in quibus vacandum est ab actibus judicialibus.*

2. Divisio feriarum est, ut aliæ sint *solemnes,* aliæ *repentinæ.* Feriæ solemnes sunt, quæ statis anni temporibus recurrunt, et proinde ordinariæ sunt. Repentinæ sunt illæ, quas extra ordinem indicit princeps vel magistratus ob causam repentinam. Solemnes distinguuntur in *sacras* et *profanas.* Sacræ sunt dies illi, in quibus ex præcepto Ecclesiæ abstinendum ab operibus servilibus, ac sanctis operibus cultus divini insistendum est; profanæ sunt,

quæ institutæ sunt propter alias humanas necessitates, vel ob utilitatem, quæque præsertim sunt feriæ rusticæ. Feriæ hujusmodi inductæ sunt in commodum illorum, qui agriculturæ sunt addicti, et complectuntur tempora messis, vindemiæ, et nundinarum.

3. Actus judiciales prohibentur in istis omnibus feriis; at juxta cap. 5. h. t. discrimen intercedit inter ferias repentinas et sacras, et ferias profanas. Nam actus judiciorum si perficiantur in feriis repentinis et sacris, nulli sunt atque irriti ipso jure, etiam consentientibus partibus litigantibus. Hinc qui coram judice non compareat diebus feriatis, non habetur uti contumax, qui autem accedit ad judicem, agere nequit vel in causa progredi. Valent vero actus judiciales in feriis rusticis, si partes consentiant. Ratio est, quia feriæ hujusmodi in utilitatem et commodum privatorum institutæ fuerunt, cui proinde commoditati possunt partes litigantes renunciare, si placet. L. 2. C. *De Feriis;* cap. ult. h. t. Ex facto autem forsan repetito renunciationis sensim sine sensu inductum est, ut a foro recesserint hujusmodi feriæ rusticæ. Hinc potius occupatio specialis agricolarum statis anni temporibus, causam offeret judici legitimam ad concedendam dilationem.

4. **De Feriis sacris.** Christus D. Sacramentorum institutor exstitit, et necessitatem cultus divini sæpe inculcavit, nec non propriam ejusdem indolem et characterem exhibuit, cum penes *Joann. IV.* 21. 23. aiebat 'Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem, sed venit hora et nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate'. Attamen Christus non determinavit ritus particulares cultus, nec modum, nec tempus, nec locum ad debitum Deo cultum præstandum. Sed officium hæc omnia determinandi reliquit Ecclesiæ, quæ est custos depositi revelationis, magistra fidei, interpres traditionis, et moderatrix œconomiæ practicæ religionis, inter Christi fideles. Hinc Apost. *Paulus* 1. Cor. XI. 34., cum plura statuisset de Sacra Synaxi concludit 'Cetera cum venero disponam'. Ecclesiæ igitur proprium est, quemadmodum docet Pontifex h. t. cap. ult. designare dies in quibus fideles solitis ab operibus abstinentes, cultui divino speciali modo vacent, ut publica societas revera appareat religiosa. Factum Ecclesiæ jus confirmat. Nam Ecclesia ferias solemnes statuit, seu dies designavit quos specialiter divino cultui consecravit. De hisce diebus sermo est in cc. 1. et ult. h. t., et in Constit. «*Universa*» *Urbani VIII.* edita Idib.

Septemb. an. 1642 in qua referuntur omnes dies festi. Non omnes vero adhuc observantur festi dies, qui designantur in veteribus canonibus et in Urbani Constitutione. Nam *Sixtus V.* in quodam decreto, de quo meminit *Benedictus XIV.* in Const. *Ab eo tempore,* 5. Nov. 1747. §. 27., jam concesserat facultatem piscandi diebus festis habitatoribus Castri, tamen horis meridianis et post auditam Missam. Hinc quodammodo festi dies dimidiabantur. Deinde factum est ex decreto *Pii VI.* diei 23. Maji 1798 ut in quibusdam diebus festis auferretur præceptum Missam audiendi et simul abstinendi ab operibus servilibus. Quoad regna peculiaria reductiones dierum festorum factæ sunt a Romanis Pontificibus per peculiares Constitutiones vel per Concordata.

5. Profecto dies festos pro tota Ecclesia potest designare et constituere Summus Pontifex; pro qualibet vero diœcesi constituere potest Episcopus, et quidem juxta jus decretalium expressum in cap. 5. h. t. hosce festos dies constituit cum expresso consensu Capituli sui, nec non cum tacito saltem consensu populi, quatenus nempe non constituantur dies festi contra voluntatem et commodum populi, ne populus fortasse contemnat dies festos, quos arbitratur sibi et negotiis suis adversari. Ita in cap. 5. h. t.

6. Concilium vero Trident. in c. 12. Sess. 25. *De Regular.* facultatem adsignandi dies festos in diœcesi Episcopo soli tribuit, quin mentionem faciat cleri et populi, quos insuper festos dies ab Episcopo statutos, ait Concilium, observandos esse etiam a Regularibus. Tamen *Urbanus VIII.* in cit. Const. *Universa,* licet non revocaverit hanc facultatem indicendi novos festos dies de præcepto; tamen hæc habet 'Ne dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate, deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus, ab indictione sub præcepto novorum festorum studeant *abstinere*'. S. Rituum C. vero ad quæsitum «An Episcopus in sua diœcesi alia festa instituere possit de præcepto præter illa quæ in dicta bulla *(Urbani VIII.)* expressa sunt?» respondit d. 23. Junii 1803: *Negative.*

7. Specialis insuper regula practica introducta est in electione Patroni principalis loci, ut nempe non possit Episcopus procedere absque populi consensu. Ita S. Congr. in *Trajanensi,* 15. Jun. 1632; et in *Neapolit. Patronatus,* 15. Septemb. 1656.

8. Quæri potest: quonam spatio *contineatur* feria sacra.

In cap. 1. h. t. quod refert Decretum *Gregorii IV.* in Concil. apud *Compendium* ann. 833 traditur ferias esse observandas a vespera ad vesperam. Verum in cap. 2. h. t. quod desumptum est ex Decretali *Alex. III.* (non ad Eppum Triburien. aut Terdonen., sed ad Archiepiscopum *Upsalensem)* dicitur servandam esse hac in re locorum consuetudinem. Hinc ex contraria consuetudine inductum est ut feria inciperet et decurreret a media nocte ad mediam noctem. Huic consuetudini adstipulantur loca juris, nempe c. 11. D. 3. *De Consecr.;* nec non c. 34. *De Offic. Jud. deleg.* (I. 29). Hinc mos invaluit in Ecclesia Romana forsan primum ob dispositionem legum civilium et ob morem populi romani expressum in l. «More romano» ff. *De feriis,* in qua computatio diei per horas 24 perficitur a media nocte ad aliam mediam noctem. Hunc Ecclesiæ Romanæ morem reliquæ Ecclesiæ fere per totam Europam secutæ sunt, et uniformis consuetudo enata est, qua communiter recepta est computatio feriarum supra dicta. Hinc computatio diei festi a vespera ad vesperam reservata solummodo est solemni recitationi vel cantui horarum canonicarum, idest sacræ Liturgiæ.

Animadvertere præstat ex theoria hucusque exposita sequi, non posse excludi consuetudinem aliquam in peculiari Ecclesia, de computatione diei festi, quæ fiat a vespera ad vesperam. Nam in cap. ult. *De Consuet.* (I. 4) et cap. 2. h. t. traditur vim legis habere consuetudinem, quæ sit rationalis et legitime præscripta.

Actus prohibiti die festo.

9. Quæritur: *quinam actus* prohibeantur fieri diebus feriatis.

In cap. 3. h. t. in genere dicitur diebus majestati Altissimi deputatis ab omni opere servili cessandum esse. In cap. 1. vero h. t. plura in specie prohibentur peragi in feriis sacris. 1°) Prohibetur *mercatus.* Antiquitus mercatus non distinguebatur a nundinis relate ad canonicam prohibitionem. Verum cum ex consuetudine inductum esset, ut variis in locis diebus festis nundinæ celebrarentur in commodum præsertim agricolarum, hinc *Benedictus XIV.* in cit. Constit. *Ab eo tempore.* d. 5. Nov. an. 1745 dum prohibet absolute celebrari mercatum diebus festis, ita ut si incidat mercatus die festo debeat ejus celebratio præponi die antecedenti, tolerat vero nundinas diebus festis sub conditione ut tem-

pore divinorum officiorum claudantur apothecæ, nec exerceantur commercia, ut qui ad nundinas confluxerunt Missæ sacrificio et divinis officiis intersint. Porro in §. 16. ejusd. Constit. quid nomine mercatus, quid vero nundinarum nomine veniat, explicat Pontifex. Nundinas, ait, intelligimus, quæ sunt de rebus majoribus, et semel in anno fiunt, vel raro in eodem loco, et de longinquo ibidem conveniunt homines. Mercatum vero, qui fiat in rebus minoribus ad quotidianas necessitates pertinentibus, et fiat singulis hebdomadis, et ab hominibus de vicino ibidem convenientibus. Si quæstio vel dubia oriantur, possunt conferri Constit. *Bened. XIV. Paternæ charitatis officium.* diei 24. Aug. 1744 et *Nihil profecto.* d. 12. Aug. 1742.

10. 2°) Ex cap. 1. h. t. prohibetur *placitum.* Nomine placiti intelligitur judicium seu actus illi qui pertinent ad forensem strepitum, et ad exercitium jurisdictionis *contentiosæ.* Non prohibetur igitur diebus festis exercitium *voluntariæ* jurisdictionis. Hinc perfici potest manumissio, adoptio, absolutio, dispensatio, designatio tutoris vel curatoris. Diebus ergo festis prohibentur judicia civilia. Excipitur vero casus, quo vel urgeat necessitas, vel pietas suadeat. Cap. 5. h. t. Quare etiam diebus festis ratione necessitatis possunt tractari causæ alimentorum, causæ mercedis, vel etiam actus illi judiciales confici possunt, qui si differantur periculum est ne res pereat, vel ne persona auctoritatis vigilantiam effugiat. Ratione pietatis possunt exerceri actus judiciales, quando agitantur causæ debilium et miserabilium personarum, quæ dilationem non patiantur. Item possunt tractari causæ spirituales electionum et inquisitionum; possunt etiam definiri causæ, quæ pacem et concordiam respiciunt. In judiciorum prohibitione in specie consideratur citationis et definitivæ sententiæ prohibitio, ut scilicet nec transmitti possit citatio, nec proferri aut exsecutioni demandari sententia. Cap. 5. h. t. Et quidem relate ad citationem si præsentetur per apparitorem die feriato non attenditur; sic etiam non attenditur si terminus ad comparendum adsignetur dies feriatus, ni forte agatur de aliquo judicio, quod etiam tractari potest die feriato. Quod si vero determinetur in genere ad comparendum terminus ex. gr. post tres dies, non vero dies in specie, et forte dies termini incidat in feriam, valet citatio, sed citatus comparebit die postero.

11. 3°) In cap. 1. h. t. diebus festis exerceri prohibentur judicia *criminalia*, quæ nempe diriguntur ad infligendam pœnam capitis, vel aliam pœnam.

12. 4°) Tandem prohibentur *sacramenta*, nisi urgeat necessitas. Nomine autem sacramentorum in cap. 1. h. t. venit *juramentum*. Quoniam vero ferme omnes contractus firmabantur juramento, et observantia contractuum religioni committebatur, hinc sub prohibitione cap. 1. h. t. venit solemnis delatio et præstatio juramenti, nec non stipulatio publica contractuum, quæ nempe fiat per notarium.

13. Quæritur: quid servandum sit in casu feriarum *particularium*, an videlicet servandæ sint feriæ actoris, vel rei, vel judicis.

Conveniunt doctores observandas esse ferias *judicis*, et tribunalis penes quod agitatur quæstio. In ordinandis enim judiciis attenditur consuetudo fori in quo ordinatur judicium, non autem attenduntur mores et consuetudo locorum in quibus commorantur litigantes.

14. Quæ superius exposita sunt, prohibentur peragi diebus festis. Ut autem cognoscatur intentio benigna matris Ecclesiæ in prohibendis operibus servilibus diebus festis, consideranda est species et dispositio cap. 3. h. t. Decretalis relata in hoc capite directa dicitur Archiepiscopo Triburiensi. Verumtamen tempore *Alexandri III.* Tribur nihil aliud erat nisi Villa imperialis prope Maguntiam. Quare potius cum Cujacio dicendum est Alexandrum epistolam suam misisse alicui prælato Daniæ, Sueciæ, seu Norvegiæ, e. gr. Archiepiscopo *Upsalensi*, cui Alexander plures misit epistolas quia in prædictis locis piscatio alecium frequens est. Hisce positis en species. In aliquibus locis ob telluris sterilitatem fideles nihil vel fere nihil ex agrorum industria percipiebant; piscationi autem operam dabant, et magnam utilitatem capiebant ex alecium captura. Cum vero in oceano horum piscium maxima est multitudo, post æquinoctium dividitur in acies, quæ terram versus properant, et eorum captura facilis est et copiosa. Cum ergo statis temporibus piscatio hujusmodi tantummodo fieri possit, si omittenda fuisset diebus festis, periculum erat ne occasio propitia capturæ piscium, cum magno populi detrimento evanesceret. Hinc Alexander III. consultus respondit concedendo diebus festis, exceptis tamen majoribus anni solemnitatibus si terræ sese alecia

inclinaverint, urgente necessitate eorum capturam fideles facere posse, ita tamen ut post factam capturam aliquam partem piscium Ecclesiis propioribus et pauperibus distribuerent. Quare glossa post allatam speciem et responsionem Pontificis in materia de qua agitur, scilicet circa prohibitionem operum servilium in diebus festis ait 'Nota: Necessitas facit licitum quod alias esset illicitum'. Hæc vero conclusio conformis est mentis *Gregorii IX.* in cap. ult. h. t. ubi Pontifex declarat abstinendum diebus festis a quibusdam actibus nisi necessitas urgeat et pietas suadeat.

15. Quæri tandem potest: ad quem spectet *corrigere* et violatores pœna *plectere* dierum festorum.

Responsio exhibetur in Constit. *Cum Primum. S. Pii V.* d. 1. April. an. 1566. §. 7. Videlicet si sermo sit de violatione præcepti negativi, quod nempe vetat exercitium operum servilium et aliorum actuum prohibitorum datur locus præventioni, ita ut tum laicus tum ecclesiasticus judex possit de hac re cognoscere. Quod si vero sermo sit de violatione positivi præcepti, seu de violatione præcepti audiendi Missam, correctio et pœnæ applicatio pertinet exclusive ad Episcopum, idest ad judicem ecclesiasticum.

Titulus X.

De Ordine Cognitionum.

1. In progressu judicii ante sententiam diffinitivam, possunt enasci plures quæstiones, quæ a judice sunt expendendæ et juridice terminandæ. Hinc ne confusio oriatur, opus est videre quo ordine diversis quæstionibus sit satisfaciendum. Quare merito præsens titulus positus est in explicatione ordinis judiciarii. Hic vero titulus *distinguitur* tum a titulo de mutuis petitionibus tum a titulo de exceptionibus. Nam mutuæ petitiones exhibent actionem ac reciprocam reconventionem contra actorem; titulus vero de exceptionibus pertractat de exceptionibus quibus reus sese defendere nititur. At titulus præsens agit de pluribus quæstionibus cognoscendis, sive proponantur ceu actio principalis sive per modum actionis et reconventionis, sive etiam distinctæ inter se proponantur. Hinc titulus præsens est generalior præ aliis.

2. Ordo cognitionum communiter definitur '*modus seu ordo observandus a judice in examine plurium quæstionum, quæ in eo-*

dem judicio, et inter easdem personas concurrere possunt'. Solent vero a doctoribus proponi regulæ generales, quibus ordo hic cognitionum definiatur.

3. *Prima Regula.* Ubi inter easdem personas plures causæ concurrunt, quarum una *pendeat* ab alia, hic ordo servandus est, ut nempe prius discutienda et definienda sit causa a qua alia pendet, quam hæc altera expendatur et definiatur. Ratio enim judiciorum postulat, ut uniformitas in sententiis obtineatur, et consequentia cum antecedentibus componantur. Jamvero si regula allata sperneretur, facile evenire posset ut decisio causæ antecedentis, differret a definitione causæ, quæ ab ea dependet. Quare prius causa antecedens discutienda est; deinde definiatur causa subsequens, quæ a prima dependet. Ex. gr. quæstio de jure percipiendi fructus beneficii ex titulo particulari puta ex titulo distributionum, pendet ab alia quæstione quæ est de legitima et canonica assecutione ipsius beneficii. Unde si concurrant istæ binæ quæstiones, prius de hac secunda tractandum est quam de prima tractetur.

4. Huic regulæ est *secunda regula* subalterna. Scilicet quando contra intentatam actionem opponatur quæstio præjudicialis vel exceptio peremptoria, prius agendum est de quæstione præjudiciali, et de exceptione peremptoria, quam cognoscatur et definiatur actio primitus inita. Quæstio præjudicialis relate ad aliam causam est illa ex qua ita pendet hæc altera causa, ut ex definitione primæ quæstionis præjudicium seu damnum pati possit. Peremptoria exceptio ea est, quæ si probetur, cadit omnino causa principalis cui objicitur.

5. Quæstio præjudicialis potest 1°) induci ex *facto* ipsius *actoris* et *contra* ipsum *actorem.* Scilicet cum binas habeat actiones ex eodem titulo, si unam eligat et experiatur, non potest causa cadente deinde ad aliam regredi actionem. Exemplum habemus in cap. 25. *De Election.* (I. 6) in 6°. ubi canonicis iterantibus electionem ejusdem personæ ad vacantem Ecclesiam, ob exortum dubium primæ electionis, qui fuerat bis electus prohibetur agere ex utraque electione ad confirmationem obtinendam, sed obligatur ad proponendam unam tantum electionem, ita ut si causa cadat, non possit aliam proponere electionem. Exemplum etiam habemus in cap. un. *De Postul. Prælator.* (I. 5) in 6°. ubi prohibetur simultanea via postulationis et electionis ad obtinendam prælaturam.

6. 2°) Præjudicialis quæstio est quidem *contra actorem*, sed ex *facto adversarii*, qui nempe quæstionem proponat, qua probata perimatur jus actoris. Quo in casu quæstio confunditur cum exceptione peremptoria. Exemplum offertur in cap. 1. h. t. ubi cum mulier ageret ad repetendum virum suum, et vir excepisset eam esse sibi consanguineam, jubet Pontifex antea tractari debere de consanguinitate, quam de restitutione viri. Nam si constitisset mulierem esse viro consanguineam, matrimonium nullum esset, nec vir mulieri restituendus esset. Pariter si poneretur actio ad obtinendam paternam hæreditatem, et contra fieret exceptio nativitatis vel legitimi matrimonii, antea videndum esset utrum qui agit revera sit filius, vel utrum ex legitimis nuptiis ortus fuerit. Exemplum etiam exceptionis peremptoriæ exhibetur in cap. 5. *De Renunciatione* (I. 9) in quo cuidam reposcenti beneficium ecclesiasticum, objecta fuit exceptio liberæ renunciationis, et Pontifex jubet antea definiendam esse quæstionem utrum actor liberam ediderit nec ne renunciationem.

7. Non solum vero quæstiones præjudiciales et peremptoriæ exceptiones finiendæ sunt antequam ultra procedatur in cognitione causæ principalis, sed etiam quæstiones incidentales, quibus non solutis non possit principale negotium expediri. Sic ex. gr. si quæstio fiat utrum dilatio concedenda sit necne; utrum revera sit in ætate major vel minor, qui in judicio adest. Idem dicendum de exceptionibus declinatoriis, quibus nempe vel judex a judicando repellitur quia incompetens aut suspectus, vel actor ab agendo quia ex. gr. excommunicatus, vel ipsa instantia impugnatur, quia non bene proposita. Imo regulariter de istis exceptionibus videndum est ante ipsam litis contestationem. Cap. 4. *De Exceptionibus* (II. 25); cap. 20. *De Sent. et Re jud.* (II. 27).

8. *Differentia* adest inter exceptiones *peremptorias*, et *declinatorias;* nam in peremptoriis exceptionibus una sententia satisfacit exceptioni et quæstioni principali, in declinatoriis vero non una sententia sufficit pro exceptione et merito quæstionis, hinc post diffinitam exceptionem, proceditur ad meritum causæ. Quare si quis excitet quæstionem antiquam, vel petat jus controversum, et eidem objiciatur transactio, sententia, quæ transactionem definiat, etiam satisfacit quæstioni primitivæ.

9. *Tertia Regula.* Si concurrant plures æquales causæ inter easdem personas, nec sit una alteri præjudicialis, *simul*, regulari-

ter, tractandæ sunt, servato inter eas ordine *temporis* quo inceperunt. At si pro aliqua periculum sit in mora, eidem prælatio concedenda est. Pariter si una ex propositis sit altera major, vel materia, vel scopo, major præferenda est. Ita causa spiritualis causæ civili, criminalis civili præponitur; sive enim materia in causa spirituali, sive scopus publicæ reparationis violati ordinis in criminali majoris sunt æstimationis, præ utilitate privati civis in causa civili.

10. *Quarta Regula.* Si causæ tractandæ sint ab judice *diverso,* idest si pendente judicio penes unum tribunal, exsurgat quæstio influens in diffinitionem ejusdem judicii, quæ tractari debeat apud aliud tribunal, hoc in casu, qui tractat causam principalem tenetur ejus prosecutionem suspendere, quoadusque alter judex causam incidentalem decreverit. Hinc si quæstioni civili opponatur exceptio quæstionis spiritualis, uti esset causa de valore excommunicationis, vel matrimonii, antea esset hæc causa coram judice ecclesiastico videnda, quam judex laicus possit ultra procedere in causa civili. Ita ex cap. 3. h. t. et cap. 5. *Qui filii sunt legitimi* (IV. 17). Hæc regula locum habet, quando natura causæ incidentis talis est ut excludat in judice prorogationem jurisdictionis, de qua supra vidimus, quemadmodum verificatur in causa spirituali, quæ incidat in judicio civili judicis sæcularis. Secus enim valet alia regula, ut nempe idem judex qui causam principalem videt, videre etiam debeat causam incidentalem. Cap. 3. *De Donation. inter virum et uxorem* (IV. 20). Porro judex causæ incidentalis, statim ac incipit eam cognoscere, debet admonere judicem causæ principalis, eique inhibere quominus procedat in causa. Quæ inhibitio si omittatur, valent acta judicii, quæ inde fiant usque ad sententiam definitivam judicii exclusive. Non valeret autem sententia definitiva, nam posita et non definita quæstione incidentali, judex non præsumitur a jure rite instructus in causæ. Hinc ex ipsa lege suspensa remanet jurisdictio judicis, ad ferendam sententiam in negotio principali, per consequens sententia si feratur censetur valore suo juridico carere. Ita doctores interpretantes cap. 3. h. t.

11. Coronidis loco innuendum esse censemus, *spoliatis* de suis bonis privilegium concedi, de quo in suo titulo pertractabimus, ut si spoliator spoliatum conveniat, et spoliatus proponat exceptionem spolii, causa hæc spolii debeat definiri ante causam intentatam a spoliatore. Ita cap. 2. h. t. Diximus si spoliatus spoliationem pro-

ponat in forma exceptionis ad sese tuendum ab actione contra ipsum excitata, nam si spoliatus spoliationem proponeret in forma actionis, seu si reconveniret spoliatorem et institueret actionem ad obtinendam restitutionem rerum sibi ablatarum, hoc in casu censerentur esse duæ actiones principales, seu actio primitus proposita, et reconventionalis actio spolii a reo deinde instituta. Quare hoc in casu non datur locus prælationi, sed simul utrique actioni æque satisfaciendum est juxta regulam tituli '*De mutuis petitionibus*'.

TITULUS XI.

De Plus Petitionibus.

1. Inter quæstiones incidentales, quæ possunt oriri in judicio, certe adnumerantur illæ, quæ exsurgunt ex male concepto libello causæ introductivo. Quare postquam visum est quo ordine tractandæ sint quæstiones, quæ in processu judicii exoriantur, subnectitur titulus de quibusdam specialibus quæstionibus, quæ ex excessu petitionis ab actore propositæ fluunt. Quadruplici modo potest actor excedere limites debitos in libello et plus petere. 1°) *Re;* 2°) *loco;* 3°) *tempore;* 4°) *causa.*

2. 1°) *Re* actor excedit in petitione cum in materia seu in quantitate, vel summa sibi debita plus petat. Ex. gr. qui creditor est in quinquaginta, petat centum, vel qui jus in parte rei tantum habet, petat eam sibi integram adjudicari.

3. 2°) Plus petit actor ratione *loci,* cum vel nullus locus in obligatione designatus est, et actor postulat ut sibi res præstetur in loco sibi commodiori, vel si locus designatus est, et actor petit sibi rem ex. gr. mercem præstari in alio loco distincto a priori. Quæ loci diversitas sive ratione expensarum pro re transferenda, sive pro majori pretio rei in loco ab actore designato potest reo inferre gravamen.

4. 3°) *Tempore* actor plus petit, cum ante designatum diem, vel ante eventum conditionis, petit solutionem obligationis et præstationem rei.

5. 4°) *Causa* plus petit actor, cum petat rem determinatam sibi præstari in casu alternativæ obligationis cujus electio ad reum pertineat. Sic ex. gr. si poterat reus præstare vel centum, vel equum, et actor taxative expostulat equum. Pariter si petat actor in specie determinata quod sibi debetur in genere.

6. Porro non censetur plus petere qui ante litis contestationem corrigat petitionem. Nam uti vidimus ante litis contestationem, actor impune etiam mutare potest libellum, nec vere adhuc suscepit obligationem erga reum propositam tuendi actionem. Et habetur aperta dispositio in cap. un. h. t. Pariter revera pœnas plus petitionis probabiliter non incurrit, qui ante sententiam seu conclusionem in causa corrigit libellum. Nam licet post litis contestationem non possit mutari amplius libellus, seu de una ad aliam actionem, de uno ad alium titulum fieri transitus, tamen salva libelli substantia, emendari libellus potest, quemadmodum vidimus in Tit. *De Libelli oblat.* Verum in utroque casu si ob plus petitionem constet, reum majores expensas fecisse, actor reficere eidem tenetur excessum expensarum, seu expensas pro rata excessus in petitione.

7. **De pœnis plus petitionis.** In jure romano contra plus petentes statuta erat pœna caducitatis actionis; seu qui plus petebat et persistebat in obstinatione petendi, cadebat jure suo. Excusabat vero ab hac caducitate minor ætas et magna erroris causa. Ita in §. «Si quis agens.» Inst. *De Action.* At præsertim ex jure canonico in cap. un. h. t. mutatio inducta est. 1°) Plus petentibus *tempore* duplicantur induciæ, seu duplicatur tempus solutionis perficiendæ. 2°) Qui plus petunt *re, loco* aut *causa* condemnantur in expensas et ad interesse, seu damnum, quod reo ex plus petitione acciderit, reficere debent.

Titulus XII.

De Causa possessionis et proprietatis.

1. Sequitur ordo cognitionis causarum in specie, seu exhibetur modus quo tractari debeant et definiri judicia circa possessionem, et circa proprietatem. Jam vidimus judicium aliud esse petitorium, aliud possessorium. Petitorium nempe illud est, quod versatur circa jus et proprietatem rei, possessorium vero illud est, quod possessionem rei, vel quasi possessionem juris solummodo respicit. Jura enim non vere possidentur, seu sensibiliter non apprehenduntur, sed in similitudinem rerum sensibilium dicuntur quasi possideri. Tractatio igitur instituitur de possessione et proprietate, de judiciis possessorio et petitorio.

2. **Possessio** juxta suam simplicem ac naturalem notionem *definitur: 'Physica rei detentio per quam homo suam in eadem re activitatem exercet'.* Dicitur *physica;* omnes enim in possessione vident corporalem tantum relationem præcisione facta a justitia vel injustitia actus. *Rei detentio;* quia ad conceptum naturalem possessionis non sufficit, quod quis videat rem et eam possidere dicatur, sed requiritur ut tactu corporali eam apprehendat ac teneat. *Per quam homo suam in eadem re activitatem exercet;* ad habendam enim possessionem non sufficit quæcumque rei detentio, sed necesse est ut hæc detentio sit actus humanus, idest sit volita et quidem non quocumque modo, sed præcise ad hoc ut res ipsa physica hominis activitati subjiciatur.

Verumtamen, ut quisque per se videt, nimis angusta sese exhibet hæc possessionis notio, arctis inclusa limitibus facti materialis et animi, non satis aptari poterat omnibus quæstionibus, quæ in hac materia evenire poterant. Hinc opus utriusque juris civilis et canonici, quo primitiva illa ac simplex possessionis notio ampliata ac munita juridicis effectibus est. Juxta hanc sic definiri posset possessio *'Rei detentio corporis, animi, juris adminiculo suffulta'.* Juris autem adminiculum non hoc sensu sumi debet, quatenus nempe possessio in jure consistat, sed indicat tantum ipsum possessionis factum aliquando justis ex rationibus omnino tamen independentibus a quæstione proprietatis et juris, ab ipso jure defendi ac tueri.

3. *Divisio:* Possessio alia est *naturalis,* alia *civilis:* naturalis illa est quæ non producit effectus juridicos; civilis, quæ vel omnes vel saltem unum producit juridicum effectum.

Possessio alia est *bonæ fidei,* alia *malæ fidei.* Prima obtinet cum possessor rem detinet uti suam ex *probabili* saltem opinione dominii. Dixi *probabili* quia satis est argumentum sufficiens de existentia tituli, vel saltem de præsumptione tituli, quemadmodum verificatur in centenaria et immemoriali possessione. Malæ fidei possessio locum obtinet cum ipsa probabili opinione dominii careat, seu cum quis possideat rem uti suam, quam certo scit esse alienam, vel saltem prudenter dubitat rem alienam esse.

Demum possessio alia est *justa,* alia *injusta* seu *vitiosa.* Prima est quæ nec vi, nec clam, nec precario; altera aut vi aut clam aut precario acquisita est. Quoad injustam possessionem obtinet principium quod in genere nequeat opponi adversus eum,

relate ad quem injusta est; verum prodesse potest adversus extraneos. L. 53. ff. *De acq. vel amit. poss.* Hinc nil impedit quominus injusta possessio possit esse etiam civilis.

4. **De proprietate.** Quoniam possessio dirigitur ad effectus dominii seu proprietatis percipiendos, solet facile una pro alia suscipi. At apprime inter se distinguuntur; immo, ut ait *Ulpianus* in L. 12. §. 1. ff. *de acq. vel amit. possess.* nihil commune habet proprietas cum possessione. Nam possessio tota consistit in facto; proprietas vero in jure, definitur enim *'jus in re corporali, ex quo facultas enascitur de eadem pro libito et cum aliorum exclusione disponendi'.*

Quare nil mirum si non infrequens sit ut aliquis sit possessor et non dominus, alter vero dominus et non possessor. Quia licet effectus primarius proprietatis sit possessio rei ad percipienda emolumenta et fructus ejusdem, tamen aliquando dominus vel non possidet, vel in possessione pacifica non versatur. Hinc verus dominus rei in institutione judicii caute procedere debet et eligere judicium vel petitorium vel possessorium, prout magis videat sibi expedire. Nam non semel contingit ut dominus rei causæ cadat in possessorio judicio, eo quod revera non possidet, dum si instituisset judicium petitorium victor profecto exstitisset.

5. *Differunt* etiam possessio et proprietas in *modo* quo acquiri et amitti possunt. Ad acquirendam enim proprietatem duo necessario requiruntur, *titulus* nimirum, seu causa remota, et *modus* seu causa proxima acquisitionis. Nec titulus sine modo nec modus sine titulo proprietatis acquisitionem producunt. — Contra possessio *solo modo* sine titulo acquiri potest. Modus autem quo acquiritur possessio constituitur vel ab *occupatione* vel ab *accessione* vel a *traditione,* et quidem a traditione non tantum propria, sed et impropria, ut est traditio, quæ *longa manu* dicitur, et ea quam *symbolicam* vocant, quæ scilicet fit per symbola clavium, instrumentorum etc. Quin immo et a traditione ficta, quæ ut ajunt, *brevi manu* perficitur, quæque tunc locum habet, cum jam materialis rei detentio apud eum invenitur, cui nunc rei possessio traditur. Ad modum autem quod attinet, quo proprietas et possessio amitti possunt, proprietas *solo animo non* amittitur; amitti vero potest *solo animo* possessio; animus enim est elementum essentiale possessionis, quo deficiente, et ipsa possessio deficiat necesse est.

Denique differunt in *effectu;* possessio enim producit judicium *possessorium,* seu melius interdicta et remedia possessaria; proprietas vero producit judicium *petitorium* et persequitur rem apud quemcumque possessorem, seu tribuit rei vindicationem. Igitur revera possessio distinguitur a proprietate, et una potest etiam juridice exsistere absque alia. Hinc nil mirum si utraque suos habeat effectus.

6. **De effectibus possessionis.** Scimus equidem quæstionem inter Juristas esse in adsignandis possessionis effectibus, recentioresque cum F. C. *Savigny (Tratt. de la possess.)* communiter retinere 2 tantum esse veros possessionis effectus, *usucapionem* nimirum et *interdicta.* At quidquid sit de hac quæstione, nos hic scholasticæ utilitatis gratia et eos enumerabimus possessionis effectus, qui uti tales minus proprie habentur.

1⁰) Ceu generale principium traditur in reg. 65. Jur. in 6⁰. '*Melior est conditio possidentis*'. Si quidem cum jura in societate ecclesiastica et civili, non sint res prorsus abstractæ, sed formam habeant concretam, diriguntur enim ad reale bonum fidelium et civium, hinc revera jura conceduntur et obtinentur, ut possideantur. Ex quo sequitur præsumptionem induci ab ipsa possessione de proprietate. Quare in dubio exorto circa proprietatem, melior est conditio illius, qui possidet, quique præsumitur dominus rei vel juris quoadusque contrarium non probetur. Pariter si duo causam habeant ab eodem domino, seu concessionem juris ab eodem habent ille præfertur cui etiam possessio juris concessa est, quamvis concessio juris sit posterior. Excipitur tamen casus, quo prior concessio juris adeo perfecta in suo genere censetur, ut alteri neque jus, neque possessio ejus dari possit. Hæc exceptio valet præsertim in causis matrimonii, et in beneficiis. Concessio enim juris per matrimonium de præsenti juxta cap. 5. *De Sponsa duorum* (IV. 4), et concessio beneficii, juxta cap. 7. *De Præbendis* (III. 4) in 6⁰. sustinentur etiam contra secundam concessionem juris vel beneficii, cui accesserit possessio.

2⁰) Possessio bonæ fidei tribuit jus *administrandi* rem possessam, et ejus juribus legitime utendi. Quare possessor bonæ fidei potest domum locare, ejusque contractus sustinetur. Sic etiam qui est in quasi possessione juris eligendi vel præsentandi clericum ad prælaturam vel beneficium, valide eligit vel præsentat, quamvis postea

appareat eum jure activæ electionis vel nominationis carere. Cap. 24. *De Election.* (I. 6) et cap. 19. *De Jure patr.* (III. 38).

3°) Possessor bonæ fidei ob rationem præsumptæ proprietatis facit *suos fructus* rei, quam possidet. De qua re fusius inferius.

4°) Si tempore natæ litis quis nec vi nec clam nec precario possideat, a judice debet *manu teneri,* seu defendi et conservari in possessione, usque ad exitum judicii, vel saltem usque dum periculum non exsurgat, ne res litigiosa pereat. Immo si possessor ex privata vi et invasione exturbetur, potest vim vi repellere, et suam tueri possessionem.

7. **De effectibus proprietatis** fuse non loquimur, nam possunt comprehendi sub generali appellatione juris utendi, fruendi re sua, de eaque libere disponendi, si res possideatur, vel rem assequendi si ab alio detineatur.

8. Nunc de Causa possessionis et de Causa proprietatis. Tum circa possesssionem, tum circa proprietatem oriri potest quæstio. Hinc dantur causæ possessionis et proprietatis. Causa possessionis ea est, in qua principaliter agitur de possessione rei, vel quasi possessione juris acquirenda, vel retinenda, vel recuperanda. Scilicet actor petit ut judex, præscindendo interim a dominio rei, declaret ad actorem ipsum pertinere possessionem rei. Causa proprietatis ea est, in qua principaliter et directe agitur de proprietate, et actor quærit, ut sibi rei proprietas adjudicetur. Porro cum sola possessio possessorem non faciat dominum rei retentæ, hinc causa possessionis dicitur *causa momenti* vel causa *momentanea.* Ratio est quia qui vicit in possessorio, potest causa cadere in petitorio judicio, quod vel brevi intervallo, vel eodem tempore intentatum una simul cum possessorio judicio finiatur, et possessor rem illico restituere tenetur. Exemplum hujus theoriæ exhibetur in cap. 6. h. t.

9. Causa possessionis *triplex* est, seu vel *acquirendæ,* vel *retinendæ,* vel *recuperandæ* possessionis. Causa proprietatis *una* est ex qua oritur judicium petitorium. Triplici causæ possessionis respondet triplex judicium possessorium, quod et interdictum appellatur, forsitan quia judicium possessorium *interim dicatur* et ad tempus; seu interim judex aliquid jubeat vel prohibeat directe circa possessionem vel quasi possessionem integro remanente litigantibus jure agendi, et judici jure decernendi de proprietate rei.

Interdicta possessoria in jure *romano* introducta sunt. Primitus distinguebantur ab actionibus, quæ a jure civili, idest ab *ipsa lege* procedebant, dum contra interdicta non erant nisi verborum formulæ et conceptiones, quibus *prætor* aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat, quod tum maxime locum habebat, cum de possessione ageretur. At hodie sublatis actionum et interdictorum formulis solemnibus, interdicta in suo genere non distinguuntur ab actionibus et nil aliud sunt quam actiones possessoriæ, idest actiones in factum, quibus imploratur judicis auctoritas, vel ad *acquirendam* possessionem, si nondum possideatur, vel ad *retinendam*, si turbetur; vel ad *recuperandam*, si amissa fuerit.

I. Interdicta *adipiscendæ* possessionis 5 numerantur:

a) *Interdictum quorum bonorum.* Competit directe quibus a prætore data est bonorum possessio; utiliter vero cuivis hæredi vel successori in aliquo jure ex. gr. beneficii, ad obtinendam possessionem rerum hæreditariarum vel juris, contra eum qui possidet pro hærede vel pro possessore, qui est nudus possessor hæreditatis, vel rei, vel juris, sciens hæreditatem vel rem vel jus non esse suum et interrogatus cur possideat, respondet possideo quia possideo.

b) *Interdictum quod legatorum.* Competit hæredi adversus legatarium, qui rei legatæ possessionem marte proprio occupavit, ad hoc ut ejusdem rei possessionem assequatur.

c) *Interdictum possessorium.* Competit bonorum emptori ad rerum emptarum possessionem assequendam.

d) *Interdictum sectorium.* Est simile possessorio, daturque sectori, seu ei qui publice bona mercatur ad rerum mercatarum possessionem acquirendam.

e) *Interdictum Salvianum.* Conceditur domino domus vel prædii rustici pro securitate pensionis, contra conductorem vel colonum super rebus invectis et illatis in domum vel prædium.

II. Interdicta *retinendæ* possessionis 2 exhibentur:

a) *Interdictum 'Uti possidetis'* reddi solet quoties de possessione rei immobilis controversia est, et quæritur uter ex litigantibus possidere debeat. Tunc judex per hoc interdictum, eum potiorem ex litigantibus esse jubet, qui eo tempore quo interdictum redditur, nec vi, nec clam, nec precario possideat.

b) *Interdictum 'Utrobi'.* Hoc pariter interdictum in eumdem finem redditur de rerum tamen mobilium possessione, et in eo

illum potiorem esse jubet judex, qui majore parte ejus anni nec vi, nec clam, nec precario possederit.

III. Interdicta *recuperandæ* possessionis reducuntur ad interdictum *'Unde vi'* quod conceditur ad recuperandam possessionem rerum immobilium illi, qui a possessione fuit vi dejectus.

Hæc tria interdicta non solum valent in materia civili, sed etiam servantur in materia canonica, seu in beneficiis, pensionibus, redditibus bonorum ecclesiasticorum, et in exercitio jurisdictionis ecclesiasticæ. Quare qui vi dejicitur a possessione beneficii, pensionis etc., potest juxta principia juris tradita in cc. 17. et 19. *De Rest. Spoliat.* (II. 13.) agere interdicto *'Unde vi'*.

10. Circa causam possessionis et proprietatis quæri 1°. potest: *quo ordine tractandæ sint.*

Ex cc. 5., 7. et 36. *De Testibus* (II. 20) habemus licitum esse prius agere de proprietate, quam de possessione rei. Videlicet si placeat actori, omissa quæstione possessionis, quæ oppugnatur, poterit illico intentare quæstionem de proprietate. At *non expedit* quæstionem proponere de proprietate, quando in promptu habeatur possessorium interdictum. Nam difficilioris probationis est causa proprietatis. Sane qui vult probare se dominum esse rei, ostendere debet titulum dominii et originem tituli legitimam, seu ostendere debet revera dominum fuisse illum a quo dominium derivatum est, et insuper ostendi debet translatum fuisse dominium per contractum vel actum de jure habilem ad transferendum dominium. Quæ omnia sunt difficilis probationis, et si unum deficiat, qui expertus est judicium petitorium, causa cadat necesse est. E contra vero causa possessionis facile probatur, nam 1°) ad acquirendam possessionem, sufficit testamentum non injustum, quod nempe legibus aperte non opponatur, vel concessio tituli juridice facta ab eo, qui titulum concedere poterat. 2°) Ad retinendam possessionem sufficit factum quod quis nec vi, nec clam, nec precario possederit. Factum vero hujusmodi probari potest vel per instrumentum adeptæ possessionis, vel per veram apprehensionem rei, vel per fictam et symbolicam immissionem in possessionem. Probari etiam potest ex perceptione fructuum rei, et solutione tributorum et expensarum.

Quod si pares probationes pro possessione ex utroque litigante proponantur in causis beneficialibus, neutri favendum est quia duo-

bus concedi beneficium non potest, in causis profanis seu civilibus locus est strictæ formæ interdicti *uti possidetis, ita possideatis.* Videlicet uterque litigans conservabitur in possessione sua rei usque ad exitum judicii proprietatis.

3°) In interdicto *unde vi* sufficit ut actor probet se aliena vi a possessione fuisse dejectum. Quæ omnia facilioris sunt probationis præ illis quæ in causa proprietatis probare necesse est.

11. Quæritur 2°. an coram *eodem* judice debeat tractari causa possessionis et proprietatis.

Si sermo sit de judice delegato non potest dividi inter duos delegatos judices causa possessionis et causa proprietatis, sed ab eodem judice utraque causa debet cognosci. Ita deducitur ex cap. 1. h. t. in quo *Gregorius* alludens ad l. 10. C. *De Judiciis* respondens Duci Siciliæ expostulanti duos judices delegatos, unum pro causa proprietatis, alium pro causa possessionis rescripsit causam ab uno eodemque judice esse cognoscendam. Ratio dispositionis est, quia qui adversarium ad plures judices pro causis inter se connexis pertrahere nititur, insinuat suspicionem fraudis, et animum vexandi eumdem suum adversarium. Quod si sermo sit de judice ordinario, videtur etiam non posse dividi continentia causarum possessionis et proprietatis, sed utraque esse expedienda et definienda ab eodem judice. Nam licet in cit.° cap. 1. h. t. quæstio resolvatur proprie de duplici judice delegato, prout dux Siciliæ postulabat, tamen invocatur principium generale pro omnibus judicibus. Ait enim Pontifex 'Legali provisione decretum est tum momenti, cum proprietatis causam sub uno judice debere cognosci.' Ratio est quia optime una alteri causæ conjungitur, et una ad aliam mirifice intelligendam inservit. Hinc cognitio magis completa et tutior erit, si tum de possessione, tum de proprietate idem tribunal judicet. Hinc si unus ex collitigantibus alterutram ex causis, vel possessionis vel proprietatis ad diversum judicem trahat, potest repelli exceptione declinatoria fori ob continentiam causarum.

12. Sed exceptio admittenda est 'Nisi causa proprietatis *distincti* fori exsistat a causa possessionis'. Hæc exceptio verificatur in causis ecclesiasticis, quæ, quando agitur de *nuda possessione* juris contra laicam personam, sunt *mixti* fori, ac proinde etiam decerni possunt a judice laico. Quando autem agitur de *proprie-*

tate et de jure possidendi, ad tribunal *ecclesiasticum* pertinent. Hoc enim in casu, quamvis causa possessionis a laico judice definiri potest, non potest vero causa juris possidendi et proprietatis cognosci ab eodem judice, sed definienda est a judice ecclesiastico. Ratio prioris partis ex eo deducitur, quod quæstio nudæ possessionis reducitur ad quæstionem meri facti ex. gr. utrum quis possederit et exturbatus a laico fuerit a jure eligendi, præsentandi, seu melius quæritur an revera a laico fuerit Ecclesiæ vel clerico illata injuria in eorum possessione. Quare objectum quæstionis est civile et temporale. Nil ergo mirum si contra personam laici in hac quæstione sententiam dicat tribunal laicum; at idem tribunal simul de causa juris seu proprietatis decernere nequit. Cap. 2. *De Judiciis* (II. 1). Afferri potest exemplum causæ juris patronatus, quæ in cap. 3. *De Judiciis* (II. 1) dicitur causa ecclesiastica: et tamen si quæstio est de mera possessione contra laicum, potest a judice laico definiri. Non vero potest a sæculari judice decerni causa proprietatis, quemadmodum etiam tractari nequit causa possessionis, quæ instituatur contra clericum. Idem dici debet in causa electionis perficiendæ ad Prælaturam, de qua agit cap. ult. *De Judiciis* (II. 1).

13. Quæritur 3°. An et quando possit causa possessionis *cumulari* cum causa proprietatis.

Cumulare causam possessionis et proprietatis idem est ac coram eodem judice et simul, seu eodem judicio, agere de utraque causa et possessionis et proprietatis.

Videretur cumulatio fieri non posse, nam causa possessionis est momenti, et possessio, si contra possessorem pronuncietur sententia in petitorio, cessat. Hinc sententia lata in petitorio juxta cc. 3. et 6. h. t. absorbet sententiam in possessorio. Tamen permissa est in jure cumulatio causæ possessionis et proprietatis. Ita in genere in cap. 2. h. t. Ratio est quia opportunum est, si fieri possit, brevitati judiciorum consulere, quæ brevitas facilius obtinetur, si eodem judicio non solum de possessione agatur, sed etiam de proprietate. Sed ut clarius procedatur præmittendum est ad duos casus varias cumulationis species reduci, scilicet 1°) Si actor *utramque* causam proponat possessionis et proprietatis. 2°) Si unam *actor* proponat et aliam *reus,* quemadmodum ex. gr. si actor possessorium incipiat petens sibi adjudicari possessionem prædii,

reus e contra excipiat rem esse suam, et postulet sibi adjudicandam esse proprietatem.

14. *De 1^{0}. Casu.* Ex cc. 3. et 4. h. t. patet non esse actori prohibitum actiones cumulare. Nam quamvis causa possessionis sit causa momenti, quæque proinde præcaveat pericula futura, quæ ex judicio de proprietate actor timere potest, tamen utile est ut ipse pronunc declaretur legitimus possessor relate ad præteritum, præsertim ne molestiis afficiatur pro fructibus perceptis et consumptis. Quare licet actor proposuerit judicium petitorium, poterit utiliter possessorium simul urgere.

Aliqua difficultas exsurgit in judicio retinendæ possessionis, seu in interdictis *uti possidetis* et *utrobi.* Nam interdictum retinendæ possessionis et judicium proprietatis super eadem re videntur inter se pugnare. Judicium enim petitorium ad vindicandam rem exercetur. Ergo qui hoc judicium experitur, implicite fatetur rem non possidere. Quomodo ergo simul agere poterit interdicto retinendæ possessionis?

At in cc. 1. 2. 4. et 6. h. t. generaliter actoris cumulatio admittitur. Igitur excludi non potest species cumulationis in casu interdicti retinendæ possessionis. Nec valet ratio objecta. Nam actio vindicatoria judicii proprietatis non importat per se tacitam confessionem amissæ possessionis, potest enim quis vindicare rem suam, quam alter solum naturaliter detinet, ipse vero conservat juris possessionem rei ejusdem. Hinc in l. 12 ff. *De Adip. poss.* dicit Ulpianus 'Non videtur possessioni renunciasse, qui rem vindicavit.' Quare dominus rei posset contra detentorem agere judicio tum petitorio quia dominus, tum retinendæ possessionis quia civiliter possidet.

15. *In 2^{0}. casu.* Duplex fingi potest species. 1[a]) Si *actor* instituat judicium *petitorium*, et *reus* resistat promovendo exceptionem *possessionis.* 2[a]) Si actor promoveat judicium *possessionis,* et reus opponat exceptionem *proprietatis.*

Relate ad 1[am] speciem cumulatio utique admitti potest, at adnotant interpretes exceptionem a reo convento de possessione propositam non præjudicare actori, nisi quoad plenitudinem causæ, quia potest utique declarari in aliqua re proprietatem esse alicujus, quin noceat exceptio possessionis. Scilicet poterit actori tribui proprietas, et inde assequi possessionem; reo autem poterit legi-

tima possessio adjudicari pro anteacto tempore ut restringatur restitutio fructuum. Quare actor recuperabit ex petitorio judicio rem suam, sed non omnes fructus recuperabit, quos recuperavisset, si exceptio possessionis non fuisset opposita. Non obtinet igitur actor victoriam quoad *plenitudinem* causæ.

16. At quid de 2ª. specie? Scilicet quid si actor proponat possessorium judicium, et reus opponat judicium proprietatis?

Quid sentiendum sit de institutione interdicti recuperandæ possessionis, et de opposita exceptione proprietatis, videbimus in titulo sequenti, ubi sermo est de restitutione possessionis illis facienda, qui ab ea per violentiam dejecti fuerunt.

Hisce adnotatis dari potest cumulatio judicii, quando actor proponat interdictum retinendæ possessionis, et reus excipiat proprietatem. Nam cumulatio admittitur quoties utilitas inde sequatur. Jamvero in casu ex utroque judicio potest utilitas derivari. Actor si victor exsistat, declaratur legitimus possessor, saltem usque nunc, reus vero qui dominus declaratur incipit ex judicio inde possidere. Quare actor qui non omnes tenetur ob victoriam in possessione fructus restituere, utilitatem percipit in ordine ad præteritum tempus, reus vero obtinet rem suam et aliquam fructuum partem.

Verum cumulatio dari non potest cum actor proponat interdictum *adipiscendæ* possessionis, et reus instituat judicium proprietatis. Nam cum actor non possideat, sed solum dicat se habere titulum ad rem possidendam, hinc si alter excipiat se esse dominum in casum incidimus contrariarum petitionum, quarum una aliam excludit, et inutiliter de possessione quæritur unius, cum adsit proprietas alterius; vel frustra quæritur de proprietate alterius, cum titulus adsit, seu jus prioris ad rem uti suam habendam. Utrumque ergo judicium utile non est, ergo nec locus est cumulationi judiciorum, sed solummodo pertractari debet judicium *petitorium*.

17. Quæritur 4º.: *Quo ordine* procedere debeat judex cum proponitur simul causa possessionis et proprietatis.

Et in primis judex ex dispositione cap. 2. h. t. commixtim audire debet allegationes et testes pro utraque causa. Auditis hinc inde probationibus, judex judicio tum possessorio tum petitorio simul satisfacere debet, et utramque causam una eademque

sententia comprehendet, ita scilicet ut prius pronunciat de possessione rei, deinde pronunciat de proprietate. Sed dum sententia exsecutioni mandatur præmitti debet exsecutio partis, quæ respicit proprietatem, et deinde exsecutioni mandanda est pars sententiæ, quæ est super possessione. Ita in cap. 6. h. t. decernitur. Ratio hujus ordinis judicialis est hæc: Prius debet *definitio* dari de possessione, tum quia facilius de possessione judex pronunciat sententiam, tum quia judicium possessorium melius determinat rem de cujus proprietate quæritur in petitorio. Ast non est idem ordo servandus in *exsecutione* sententiæ, sed prius immittendus est in possessionem rei litigiosæ, qui victor exstitit in proprietate, deinde debent determinari inter actorem et reum effectus possessionis legitimæ, quæ in sententia recognita est. Ratio est 1°) quia proprietas est possessione nobilior, hinc prius exsecutioni mandanda est sententia, quæ eam respicit. 2°) Quia frustra mandaretur exsecutioni sententia in possessorio momentaneo, cum deinde statim per exsecutionem sententiæ in petitorio elideretur, et possessio iterum auferenda esset ut alteri traderetur. At frustranea prorsus et inefficax non est sententia in possessorio, licet res litigiosa domino concedatur. Nam utilis est tum relate ad expensas litis judicii possessorii quas victor recuperat, tum relate ad restitutionem fructuum perceptorum, quos omnes et integros non restituet.

18. Quæritur 5°. Utrum qui incepit judicium petitorium ob difficultatem probationis possit *regredi* ad judicium possessorium.

Ex cap. 5. h. t. *affirmativam* habemus resolutionem quæstionis, ita ut regressus admittatur a judicio petitorio ad interdictum adipiscendæ, et ad aliud recuperandæ possessionis, dummodo tamen conclusum non fuerit in causa. Dicitur autem facta conclusio in causa cum partes post probationes quas paraverant, ulterioribus probationibus et allegationibus expresse vel tacite renunciant, et causam judici definiendam permittunt. Et quidem permittitur hic regressus; nam distincta judicia sunt possessionis et proprietatis, nec quis penitus causa cadere debet, eo ipso quod proprietatem sufficienter non demonstret. Sed interim poterit instituere judicium possessorium, et a judice impetrare ut possit commodis et privilegiis possessionis frui, saltem donec adversarius plene probaverit se esse dominum. Poterit scilicet actor suspendere vel differre judicium proprietatis, et instituere judicium possessionis, eo quod

et possessio suos habeat effectus. Exemplum exhibetur in cap. 36. *De Testibus* (II. 20), ubi moniales quædam ingressæ incaute judicium proprietatis, agnita difficultate exitus intentati judicii petitorii, ipso judicio relicto, aliud quoad possessionem ingressæ sunt. Adnotat vero glossa in cap. 5. h. t. v. «De recuperanda» regressum permitti ad duo interdicta nempe adipiscendi et recuperandi possessionem, non vero ad interdictum *retinendi* possessionem, et dat rationem, quia qui vindicat rem eo ipso, regulariter loquendo, fatetur se non possidere. Ergo qui instituit judicium petitorium non potest transire ad judicium possessorium, exposcendo ut manu teneatur in possessione.

At difficultas objici potest ex dictis in titulo *de libelli oblatione*, facta nempe litis contestatione, non posse mutari libellum et novam intentari actionem. Verum re intimius inspecta apparebit revera mutationem non induci. Nam actor promovens interdictum possessorium, non renunciat judicio petitorio, quod instituerat, sed illud, eo quod est difficilis probationis, non urget ut in tuto ponat possessionem, saltem quoadusque reus non probaverit sibi competere proprietatem rei litigiosæ. Potest vero regressus fieri antequam conclusum fuerit in causa, nam postea novæ probationes non admittuntur, et partes collitigantes, quidquid habent, videntur remisisse prudenti judicis arbitrio, ut quam primum definitive pronunciet de juribus ipsarum.

19. Exceptio autem proponitur in cit. cap. 5. h. t. 'Nisi judex, qui de causa cognoscit, hoc ipsum viderit expedire. Ex. gr. cum ex perspicuis indiciis facile arguitur iniquitas invasoris, et simul casu vel malitia ipsius invasoris, subtracta fuerit spoliato facultas probandi dominium'.

20. Peculiari animadversione digna est dispositio Clem. un. h. t. quæ in specie loquitur de regressu a petitorio ad possessorium in causis beneficialibus, et statuit in istis causis devolutis per appellationem ad *Sanctam Sedem*, posse ab utraque parte collitigante regressum fieri a petitorio ad possessorium, ita ut si spoliatio possessionis facta fuerit, petitorium in odium spoliantis ante conclusionem in causa debeat suspendi, et ultra procedatur in possessorio noviter intentato. Hæc dispositio singularis est. Nam juxta principia juris in gradu appellationis, causa debet suscipi in eodem ordine, in quo erat in prima instantia, nec ullus regressus a pe-

titorio ad possessorium potest admitti. Quare casus Clem. un. h. t. est specialis, et locum habere potest solum in causis beneficialibus per appellationem devolutis ad tribunal S. Sedis.

Titulus XIII.

De Restitutione Spoliatorum.

1. Cum in genere pertractatum sit in titulo præcedenti de causa possessionis, in specie modo agendum est de causa possessionis in casu *spolii.*

Spolium aliquis patitur quoties ex magna et notoria injustitia a possessione sua dejicitur. Unde spolium definiri potest '*Dejectio a possessione rei, vel quasi possessione juris ex magna et notoria injustitia*'. Spolium non solum locum habet quando *privato* arbitrio et vi aliquis a sua possessione expellitur, sed etiam cum dejectio a possessione perficitur ex *judicio* evidenter non justo. Cap. 1. h. t. *Fagnanus* in id. Judicium non justum idem est ac non legitimum, seu illud est in quo judex procedit privato suo arbitrio, spernens normas publicas a lege statutas. Hinc distinguitur *sententia* injusta a *judicio* injusto. Sententia injusta ea est, quæ licet lata est juxta normas in judiciis perficiendis servandas, tamen juris applicatio in ea non rite procedit. Unde per sententiam injustam læditur bonum jus alterius ex partibus collitigantibus. Contra hanc sententiam ad corrigendum abusum ejus datur appellatio. Judicium vero injustum illud est in quo spretus est ordo judicialis, et manifesta est legis jurisprudentiæ organicæ læsio. Si virtute hujus judicii evidenter injusti aliquis a possessione dejicitur, spolium *juridicum* pati dicitur. Judex enim procedens contra normas pro judiciis a lege statutas, habetur ceu persona privata. Quare præsumptio veritatis et justitiæ non adsistit amplius eidem judici, dum sententiam profert. Exemplum habemus ex Tridentino, quod sæpe gradus servandos in pœnis applicandis a judice statuit ex. gr. in specie clerici concubinarii possidentis beneficium. Si spreto ordine statuto judex illico altioris gradus pœnas decernat, neglectis gradibus inferioribus spolium intervenisse dicitur.

2. Hisce expositis ad determinandam notionem spolii, exhibenda sunt *remedia,* quæ a jure spoliato tribuuntur.

In jure romano dejecto ex magna et notoria injustitia a sua possessione dabatur interdictum '*Unde vi*' quo poterat spoliatus possessionem recuperare. Hoc interdictum erat personale, et concedebatur contra ipsum spoliantem, vel eum qui mandatum dedit de spolio perpetrando, vel contra eum qui consensit in spolium nomine suo patratum, minime vero contra tertium possessorem rei spoliatæ. Hanc juris civilis dispositionem libenter accepit jus nostrum, eamque ampliavit duobus aliis remediis, de quibus sermo est in c. 18. h. t. et in c. 3. C. 3. q. 1.

3. In c. 18., quod est *Innoc. III.*, sapientissimus Pontifex concedit spoliato actionem, quæ dicitur *actio spolii*, contra *quemcumque tertium* rei possessorem qui rem per spolium occupatam sciens ejus originem, recipit et tenet. Dicitur contra quemcumque tertium possessorem, quia tertius possessor in jure relate ad nos ille est qui rem nostram obtinuit non a nobis, sed ab alio, quamvis res antequam ad actualem possessorem perveniret, per plures manus, seu possessores transierit. Igitur ex dispositione hujus capitis rem per apertum spolium sublatam, quamvis per mille manus transierit, poterit actione spolii repetere spoliatus quin teneatur ostendere proprietatem ejusdem, dummodo ab eo possideatur, qui sciverit rem per spolium ablatam fuisse. Manifestum est hujusmodi actionem ab Innocentio spoliatis concessam nil aliud esse nisi ipsum interdictum '*Unde vi*' extensum ad *tertios* detentores malæ fidei rei spoliatæ, prout clare colligitur ex ipsius c. 18. inspectione. Romanus enim Pontifex in hoc cap. loquitur de beneficio restitutionis a jure spoliatis concesso, quod beneficium non obstante ipsius juris civilis rigore extensum vult quoque contra eos qui scienter rem receperint ratione ductus indolis prorsus canonicæ 'eo quod non multum intersit quoad periculum animæ injuste detinere, ac invadere alienum'. Videlicet ipsum factum personale invasionis alterius possessionis, quod constituebat in jure civili fundamentum interdicti 'Unde vi' considerat Pontifex veluti continuatum ab iis, qui rei spoliatæ detentores scienter exstiterint.

4. Secundum remedium est ex c. 3. C. 3. q. 1. quod ex ipsis verbis canonis dicitur a juristis *remedium redintegrandæ.* Hoc remedium vi canonis concessum est Episcopis vel spoliatis vel vi dejectis, extensum tamen ob quandam interpretationem clericis omnibus, qui ob spolium amiserint vel res suas vel res Ecclesiæ suæ, contra quemcumque etiam tertium possessorem, sive *bona*

fide possideat sive *mala*, sive ad eum res *cum* titulo pervenerit, sive *absque* titulo. In hoc autem consistit remedium, quod Episcopi vel clerici spoliati ante quamcumque accusationem, debeant de omnibus rebus sublatis redintegrari, et quidem in loco ubi ablatæ fuerunt; clara enim sunt verba canonis 'Redintegranda sunt omnia Episcopis . . . . . ante accusationem aut regularem ad synodum vocationem eorum'. Cui consonant etiam verba c. 3. C. 2. q. 2. . . . 'Nullus episcopus spoliatus debet accusari priusquam integerrime restauretur'. Ex quibus et natura hujus remedii et in quo differt a superiori indigitatur. Remedium enim cap. 18. constituit *actionem*, remedium vero cn. 3. constituit *exceptionem*, quod clarum etiam fit ex hac observatione, quod nempe Innocentius inutiliter actionem spolii favore spoliatorum constituisset in suo decretali, si jam in jure canonico provisum spoliatis fuisset per actionem c. 3. C. 3. q. 1.

Tria ergo sunt remedia quæ a jure spoliato tribuuntur: 1°. Jure romano dabatur ejectis a possessione interdictum *'Unde vi'* quod erat personale, i. e. urgeri poterat contra solum *spoliatorem.* 2°. Jus canonicum amplectitur hujusmodi remedium et æquitate suadente concedit Episcopis et clericis spoliatis *exceptionem* contra quemcumque detentorem rei spoliatæ sive bonæ sit sive malæ fidei (c. 3. C. 3. q. 1.). 3°. Ulterius progreditur *Innocent. III.* qui a possessione dejectis dat *actionem* contra tertios detentores rei, qui rem per spolium ablatam fuisse sciverint.

5. Remedia exposita conceduntur illi, qui a possessione dejicitur. Quod si quis nomine *alieno* possideat, ex. gr. procurator, colonus, inquilinus, conductor, non ipsis, sed domino rei conceditur remedium recuperandæ possessionis; ipsi enim solummodo rem detinent, dominus autem revera possidet. Cap. 9. §. fin. h. t. Conceditur vero remedium hoc emphyteutæ, quia habet dominium *utile.* L. 3. ff. *De vi et vi armata.* Cum conductio ad *longum* tempus potest haberi ceu quædam alienatio dominii utilis, hinc etiam huic conductori remedia recuperandæ possessionis conceduntur.

6. Quæritur: utrum *prædo* spoliatus rebus vi possessis, restitutionis beneficio frui possit.

Et quidem si spoliatus prædo sit a tertia persona, quæ dominus rei non est, valet regula cap. 5. h. t. etiam prædonem restituendum esse in possessione. Hæc regula recepta erat etiam a

jure *civili* in l. 1. ff. *De vi et vi armata* §. «quia». Ratio autem regulæ est odium, quo jus nostrum et civile merito prosequuntur spolium. Nam factum spoliantis dum est usurpatio contra publicam auctoritatem et privatam proprietatem, potest non pauca incommoda et perturbationes gignere et excitare in societate. Nec dicatur latronem non esse in vera ac legitima possessione rei ablatæ, nam id valebit in ordine ad dominum rei, non vero relate ad alios; quia relate ad extraneas personas non retinet rem cum injuria. Hinc in l. ult. ff. *De acquirenda possessione* dicitur 'Adversus extraneos vitiosa possessio prodesse solet.' Immo relate ad extraneos tenetur prædo rem ablatam custodire et defendere, ut eam restituat vero domino.

7. Quid vero si prædo spolietur ab ipso *domino* rei, qui occupet rem suam?

Profecto non loquimur de occupatione *in continenti* facta a domino, nam tunc esset potius justa defensio proprietatis, et dominus in re sua tuenda potest vim vi repellere. Loquimur ergo de spoliatione prædonis a domino facta *in intervallo*. Et distinguendum est inter prædonem *notorium* et *occultum*. In casu prædonis *occulti*, de cujus nempe fraude et violentia non evidenter constet, cum ejus injustitia in publico non pateat, si a possessione dejiciatur, coram societate censetur facta eidem injuria. Quare spolium patratum esse censetur, ac proinde ejus purgationi, seu restitutioni locus est, quemadmodum l. «Cum fundum» ff. *De vi et vi armata* aperte tradit. Quod si vero dominus occupet rem suam, eamque auferat a prædone, qui *notorie* talis est, scilicet de cujus spolio patrato contra legitimum dominum evidenter constet, restitutioni locus esse non potest, nam notorius defectus proprietatis obstaret. Scilicet quamvis possessio inducat præsumptionem proprietatis, tamen præsumptio cedere debet veritati, quando certum est et notorium rem ablatam prædonis non esse, sed domini, qui rem a prædone recuperavit. Quare cessante prorsus ex parte prædonis præsumptione veritatis, eidem facienda non est restitutio rei, quia spolium locum non habuit. Ita doctores communiter innixi dispositioni cap. 6. *De Caus. possess. et propriet.* (II. 12) in quo Pontifex sollicitus est ut cognita proprietate prius exsecutioni demandetur dispositio sententiæ, quæ de proprietate est, antequam demandetur exsecutioni dispositio circa possessionem.

8. Porro in judiciis in quibus intrat causa spolii, receptum est principium '*Spoliatus ante omnia est restituendus*'. Cap. ult. *De Ord. Cognition.* (II. 10); *et c. 3. C. 3. q. 1.* Scilicet qui spolium commisit, non auditur in judicio, nisi purget spolium, seu nisi restituat rem ablatam, quamvis proprietatis exceptionem proponat, et promptam habeat defensionem.

9. Verum plures *exceptiones* patitur generale hoc principium. 1ª. exceptio exhibetur in cap. 1. h. t.; et cap. 20. *De Sent. et Re jud.* (II. 27). Scilicet spoliato restitutio ante omnia facienda non est, si ipse expresse vel tacite *consentiat* judicium *petitorium* compleri, quin sibi possessio restituatur. Tacita renunciatio juri restitutionis præsumitur, quoties spoliatus vel non excipiat contra spoliatorem de proprietate agentem, vel non appellat a decreto judicis qui procedere intendit in judicio proprietatis. Adeo autem hæc renunciatio spoliatori prodest, et nocet spoliato, ut nec judex ex officio suo possit restitutionem jubere, quia judex ultra petita procedere non potest.

10. 2⁰) Si *notorius* sit defectus proprietatis, in eo a quo ablata est possessio, dummodo simul constet sufficienter proprietatem rei pertinere ad spoliantem. Ratio exceptionis est tum quia frustra restitueretur possessio, quæ illico esset postea concedenda iterum spoliatori, tum quia spoliatus ob notorietatem juris dominii alieni, dolo videretur petere restitutionem. Quemadmodum enim ait regula *59. Jur. in 6⁰.*: 'Dolo facit qui petit quod restituere oportet eumdem'. Requiritur autem ut constet sufficienter proprietatem pertinere ad spoliantem, nam secus ipse cum causam non haberet cum possessore rei, eidem injuriam irrogasset auferendo possessionem, et per consequens spolium esset purgandum.

11. 3ª. Exceptio deducitur ex cap. 2. h. t. in 6⁰. et in genere exprimi potest ita ut restitutio facienda non sit spoliato, quando occupanti possessionem adsistat *jus commune*, seu *præsumptio* juris communis, et spoliato resistat. Hoc in casu spoliato restitutio facienda non est, nisi ipse demonstret titulum sui juris, idest nisi demonstret proprietatem. Ratio est quia quoadusque non pateat et non producatur hujusmodi titulus acquisitæ legitimæ possessionis, præsumitur possessio injusta fuisse, prout ea, quæ est juri adversa. Exemplum affertur in cap. 2. h. t. in 6⁰. de solutione decimarum 'Juxta doctrinam Apostoli'. Si spiritualia vobis sub-

ministramus, cur non et temporalia recipiemus? Parochus qui sacramenta administrat, de juri communi percipit decimas et obventiones ecclesiasticas intra limites parœciæ suæ. Jamvero quidam canonici de facto decimas exigebant de prædiis in aliqua parœcia existentibus. Vacante parœcia novus rector electus fuit, qui absque ulla contestatione incepit decimas colligere in omnibus parœciæ prædiis. Canonici experti sunt interdictum *possessorium* recuperandæ possessionis et petierunt *purgationem spolii*. Parochus exceptionem proprietatis opposuit. Canonici invocarunt principium superius allatum *'ante omnia spoliatus redintegrandus est'*. Sed re delata ad *Bonifacium VIII.* respondit Pontifex fallere hoc in casu principium generale, eo quod parochus non solum in promptu habebat defensionem, sed etiam pro se habebat fundatam intentionem in jure, canonici vero adversam intentionem juris patiebantur. Quare ubi jus commune spoliatori favet, resistit vero spoliato, purgatio spolii facienda non est, sed quæstio proprietatis definiri debet. Hoc principium valet non solum in decimis, sed etiam in beneficiis, quæ vi juris communis præsumuntur liberæ collationis, et ad Episcopum eorum provisionem pertinere. Valet etiam in ceteris juribus, seu causis spiritualibus in quibus jus commune generali norma aliquid disponit, ex quo præsumptio juris exsurgat.

12. 4°. Exceptio a generali principio etiam verificatur in causis *matrimonialibus*. Jam vidimus supra ex dispositione cap. 1. *De Ord. Cognition.* (II. 10) primitus esse finiendam causam juris et judicium *petitorium*, quam possessorium, quoties exposcenti possessionem objiciatur exceptio *nullitatis* matrimonii. Sed res magis etiam aperta fit ex cap. 13. h. t. Species capitis hæc est. Matrimonium initum fuerat legitima sub forma, et secuta erat etiam cohabitatio contrahentium. Mulier vero conjugii pertæsa discessit a viro, asserens matrimonium fuisse nullum ob impedimentum quarti gradus consanguinitatis. Vir autem institit coram judice ecclesiastico, et petiit purgationem spolii, quod passus erat, seu petiit ut eidem restitueretur mulier, et redintegraretur vitæ conjugalis consuetudo. Delata est quæstio Romano Pontifici *Innocentio III.* qui respondit 'vel mulier paratas habet in continenti probationes pro nullitate contractus conjugalis, vel non'. Si primum, respondet Innocentius, restitutionem mulieris non esse interim faciendam, nam quando probationes nullitatis in promptu sunt, peccati periculum

ex restitutione mulieris immineret. Quod si mulier paratas non habeat probationes, et longas dilationes petat, respondet Pontifex, restitutionem esse faciendam, quia præsumptio est contra mulierem, quæ sine Ecclesiæ judicio et sua potius temeritate recessit, et censetur divortium tentasse ex fraude, eo quod pertæsa viri sui, declinare cupiat obligationes matrimonii.

13. Quid vero si mulier in hac secunda hypothesi *certo sciat* matrimonium invalidum esse?

Profecto species esset diversi et contrarii judicii in foro *externo* et *interno*. Nam in foro *externo* ad fraudes præcavendas præsumitur validum matrimonium quoties juxta leges canonicas celebratum est, nisi aliter positive et sufficienter probetur. Verum mulier si certo sciat vitium substantiale conjugii, quod nullum est, non potest maritali affectu cohabitare cum viro, et non solum debitum conjugale petere non potest, sed etiam illud reddere prohibetur. Immo licet ab judice adstringeretur ad maritalem conversationem pœna excommunicationis, tamen obtemperare judici non deberet mulier, sed potius teneretur quoad forum externum pœnam sibi inflictam humiliter tolerare. Ita *Innocentius*. Ratio est quia in foro *interno* præsumptio cedere debet veritati. Hinc vir et mulier in casu vivere debent ceu frater et soror. Quare ex allatis rationibus deducitur, spolium in matrimonio non esse purgandum, quoties pars, quæ spoliavit, in promptu habeat sufficientes probationes ad ostendendam nullitatem contractus matrimonialis.

14. Sed quæritur: *quando* revera spolium in *matrimonio* verificetur.

Recolendum est jus conjugale initiari per sponsalia inter habiles personas contracta, constitui et firmari per matrimonium ratum, tandem revera compleri et perfici per matrimonii consummationem. Profecto si sermo sit de jure conjugali incompleto sponsalium, non datur, si una pars recedat proprio arbitrio, spolium juris *matrimonialis,* sed tantum *sponsalitii* i. e. urgeri poterit observantia contractus sponsalitii.

15. Si sermo sit de altero casu, seu de matrimonio rato, quoties unus ex conjugibus etiam auctoritate privata, ob finem a canonibus concessum scilicet si ingrediatur et vota nuncupet in religione approbata alium conjugem deserat, spolium non verifica-

tur. Cap. penult. *De Probationibus* (II. 19). Ratio est quia quoad hunc casum non adest possessio vel quasi possessio, ergo neque spolium. Idem valet in solutione matrimonii rati tantum legitime, i. e. dispensatione Sum. Pontificis facta. At si post initum matrimonium et inceptam cohabitationem, et ante consummationem, unus ex conjugibus alium deserat, potest conjux derelictus *petere* restitutionem, eo quod est revera casus spolii, nam ex *privata* auctoritate pars discedens, alteram jure suo spoliavit. Verum notant doctores per matrimonium contractum et nondum consummatum, si mulier deducta fuit in domum viri, *plenam* possessionem juris conjugalis inductam non esse, unde locum non fieri integræ restitutioni, nempe restitutioni quoad habitationem et thorum, sed solummodo fieri locum restitutioni quoad habitationem, et alia obsequia conjugalia, citra copulam carnalem. Nam ut plena restitutio fiat in cap. 8. h. t. requiritur ut mulier fuerit non solum legitime desponsata, sed etiam a viro suo cognita. Scilicet exigitur matrimonii consummatio. *Sanchez: De Matrim.* lib. 7. Disp. 112. n. 8. *Pirhing* h. t. n. 69. Immo si post contractum matrimonium, mulier antequam deduceretur ad domum viri aufugeret, restituenda esset neque quoad habitationem, et ad alia obsequia conjugalia, idest nullo modo posset adhiberi interdictum possessorium '*unde vi*'. Nam revera vir nullam acquisivit possessionem uxoris suæ. Attamen quoniam matrimonium contractum est, posset mulier vi contractus obligari ad cohabitationem et thorum, nisi aliquam justam exceptionem protulerit. Ita cit. doctores.

16. In tertio casu, scilicet matrimonii *rati et consummati*, si pars, quæ discedit non probaverit matrimonium fuisse ab initio nullum, et nullum revera esse, datur casus spolii, et plena redintegratio facienda est. Nam revera spoliatus est ille conjux, qui ab alio post consummatum matrimonium privata auctoritate deseritur. Etenim per consummationem vera et plena inducta est possessio juris conjugalis. Excipitur vero casus, quo prudenter timeri potest de tuta conditione mulieris, quæ virum deseruit. Timor autem hujusmodi verificatur quando vir sit rigidæ indolis, et sævitiæ et minæ prævideantur, nisi vir sufficienter caverit de securitate ejus. Hoc in casu mulier, juxta sensum cap. 8. h. t. tradenda esset alicui honestæ feminæ caute custodienda, vel posset in monasterio sese recipere, ubi viri et propinquorum ejus effugeret violentiam. Hæc exceptio aptanda est etiam casui matri-

monii non consummati, de quo supra. Immo doctores tradunt restitutionem hoc in casu non esse faciendam quoad cohabitationem, quoties periculum adsit, ne vir copulam per violentiam extorqueat.

17. 5) Exceptio a regula generali verificatur, cum spoliatus ante spoliationem *sponte* dominio suæ rei *renunciaverit*, quam deinde spoliator occupavit. Ita ex cap. 3. h. t. in quo exemplum proponitur de clerico, qui sponte renunciaverat beneficio suo, et deinde cum adhuc illud possideret, exspoliatus eodem per occupationem alterius, petiit restitutionem beneficii sui. Hæc vero dispositio legitima est, quia qui rei suæ, scilicet juri suo et proprietati renunciavit, eo ipso visus est renunciasse possessioni et juribus quæ ex eadem derivant, quia possessio legitima in eo esse nequit, qui scit non esse se dominum. Verum ut hæc exceptio consistat, renunciatio facta debet esse a domino, antequam alter rem occupet. Si enim renunciatio facta fuerit post spolium, non valet et restitutio facienda est ex dispositione cap. 2. h. t. Ratio est ex eodem cap. 2. h. t. quia præsumitur violentia et metus, si renunciatio fiat post spoliationem commissam.

18. 6°) Exceptio: si spoliatus post spoliationem, ineat *pactum* cum spoliatore, quo promittat se non acturum fore judicio possessorio recuperandæ possessionis. Ita communiter doctores, quia pacta sunt opere complenda. Cc. 1. et 3. *De Pactis* (I. 35). Hæc vero exceptio confundi potest cum prima exceptione. At in specie quoad pactum notandum est, illud, ut valeat, ineundum esse post spolium patratum. Nam si pactum fieret ante spolium, cum contineret concessionem faventem facto illicito spolii, pactum hujusmodi non sustineretur. Textus clarus adest in l. «Si unus.» v. «Pacta» ff. *De Pactis*. Idem dicendum si spoliatus post spolium *juramentum* ediderit de non petenda restitutione ante causæ principalis definitionem. Nam juramentum servandum est, quoties non vergat in præjudicium salutis æternæ.

19. 7°) Tandem non observatur principium generale, quoties post spolium perpetratum, persona spoliati ex defectu juridico facta est *inhabilis* ad agendum. Ex. gr. si percellatur pœna excommunicationis. c. 5. C. 3. q. 4. et cap. 7. *De Judiciis* (II. 1).

Hisce explicatis valet principium generale '*Spoliatum restituendum esse ante omnia, exceptis casibus a jure expressis*'.

20. *Quid* vero restitutio spolii *operatur?*

Principium constitui potest 'restitutionem comprehendere non solum ipsam rem, et ipsum jus, sed etiam rei *fructus*'. Fructus alii sunt *naturales*, alii *industriales*. Naturales sunt illi quos res sponte sua producit, nihil aut fere nihil cooperante humano studio et labore. Quemadmodum sunt poma, fœnum, ligna. Industriales sunt, qui ex diligenti cura hominis proveniunt potius, quam ex ipsa natura ex. gr. segetes. Industrialibus accensentur etiam oleum et vinum, sive quia non minimum industria hominis proficit pro eorum copia, sive quia ex opera hominis eorum fructuum naturalis forma mutatur.

Sunt qui tertiam speciem fructuum assignant, nempe fructus *civiles*, prout sunt usuræ, pensiones domorum, navium vel curruum vecturæ. At quoniam eorum major vel minor quantitas ab industria hominis pendet, merito possunt inter industriales recenseri.

Quod si quæstio oriatur de natura aliorum fructuum, circa quos leges tacuerunt, utrum naturalibus vel industrialibus sint accensendi, relinquendum est prudenti *arbitrio* judicis.

In sensu juris alii sunt fructus qui dicuntur *percepti*, alii *pendentes*. Percepti illi sunt, qui ex opera hominis sunt separati vel a solo, vel ab arbore, cui ex naturali productione adhærebant. Tales ergo sunt ex. gr. non solum frumentum in horreum translatum, sed etiam spicæ recisæ, licet nondum conversæ in triticum fuerint, vel receptæ in cellariis.

Pendentes vero fructus ii sunt, circa quos opera hominum pro eis colligendis adhibita non fuit; et proinde pars fundi esse videntur. Quare fructus pendentes sunt olivæ, quæ ventorum impetu deciderunt in terram.

Percepti fructus alii sunt *exstantes*, alii *consumpti* prout is, qui possidet, eos converterit in suos usus, vel non.

Quid de *restitutione* a spoliatore facienda?

Si sermo sit de spoliatore, seu de invasore violento, hic ceu malæ fidei possessor tenetur restituere cum re occupata fructus omnes non solum perceptos et consumptos, sed etiam illos, quos prior legitimus possessor percipere potuisset. Ita in cap. 11. h. t.

Quare non attenditur quid invasor aut possessor malæ fidei perceperit, vel ditior alteruter factus fuerit occasione possessionis injustæ, sed potius respicitur ad damna, quæ passus est legitimus possessor ob spoliationem toleratam. Ratio enim est, quia spoliatus debet indemnis fieri ex facto spoliationis, scilicet debet redintegrari etiam de damnis, quæ ob patratum contra se spolium passus est. Cap. ult. *De injuriis et damno dato* (V. 36), cui præiverat l. 1. ff. *De vi et vi armata.* §. «Non solum.»

21. At quid dicendum si fructus omnes et damna sarciri non possint a spoliatore, poteritne ultra procedi in judicio proprietatis, si spoliator dicat se esse dominum?

Huic quæstioni respondet cap. 16. h. t. Species est: Pontifex *Innocentius III.* mandaverat quibusdam judicibus, ut cogerent *Ovetensem* Episcopum ad restituendam *Zamorensi* Episcopo partem diœcesis occupatam et fructus omnes. Interim Ovetensis Episcopus excepit se amisisse Episcopatum ex Regis spoliatione, nec proinde posse fructus omnes restituere. Judicibus dubitantibus quid esset agendum, respondit Innocentius, inanem esse actionem quam debitoris inopia excludit; ideo exspectandam esse restitutionem Episcopatus favore Episcopi Ovetensis, ut deinde eum obligarent ad fructuum restitutionem. Quare integra restitutio spolii quoad fructus omnes et damna, facienda est solummodo juxta spoliatoris vires, nec urgenda est, si spoliator prematur inopia. Unde si spoliatus experiatur judicium possessorium, et spoliator excipiens proprietatem non valeat omnia interim restituere, procedendum erit in judicio proprietatis, si constiterit spoliatorem fecisse quod potuit, seu restituisse fructus, et damna reparavisse juxta vires suas. Quare ex hoc capite inductum est privilegium pro personis miserabilibus, ne ob impotentiam perficiendæ restitutionis completæ in favorem legitimi possessoris, ipsæ miserabiles personæ amittant proprietatem rerum suarum, quæ ab alio possidentur, aut saltem impediantur quominus interim in judicio persequantur proprietatem rerum earumdem. Quod profecto species esset patulæ injustitiæ. Quamvis enim spoliator in casu usus est illegitimo modo, nempe spolio, ad rem recuperandam, tamen semper verum est illam rem occupasse, quia suam esse putabat. Aequitas ergo canonico jure optime secumfert pœnam restitutionis spolii non adeo esse urgendam, ut ejus intuitu et favore, ipsa rei proprietas labefactetur.

22. Quæritur: quid dicendum, si *incerta* sit quantitas damni, nec spoliatus possit probare singulas res quas perdidit, scilicet non possit ostendere suas fuisse singulas res, quas asserit se amisisse ob spolium contra se patratum?

Si constet evidenter de spolio in genere, et de ejus auctore, judicis officium erit damni reparandi quantitatem, seu restitutionis faciendæ, juxta personarum qualitatem determinare. Facta hac taxatione damni defertur spoliato juramentum, et si juraverit hic, non minus damnum passum se fuisse, quam fuit a judice taxatum, standum erit huic juramento, et spoliator ad damnum in taxata quantitate sarciendum condemnabitur. Ita in cap. ult. *De iis quæ vi metusque causa* (I. 40); huic præiverat l. «Si quando.» C. *Unde vi.*

23. Quoniam in causa possessionis et proprietatis verificari potest quæstio restitutionis faciendæ a possessore bonæ fidei, hinc opportunum arbitramur inquirere an et quinam fructus a possessore legitimo et bonæ fidei vero domino vindicanti rem suam, sunt restituendi.

Possessor bonæ fidei in l. 48. «Bonæ fidei.» ff. *De Acquir. domin. rerum.* quoad fructus dicitur pene domini loco esse. Quare fructus omnes facit suos, sive naturales sive industriales, ita ut eos possit tuta conscientia retinere, iisque uti frui, quoadusque judiciali actione non urgeatur. At si res evincatur a domino suo, possessor tenetur fructus naturales et industriales sive pendentes sive exstantes restituere, deductis tamen expensis pro cultura, industria et cura adhibita circa illos fructus. Ita jus civile a canonistis receptum, quia a canonibus non reprobatum et naturæ consentaneum. Cf. l. 22. «Certum est.» C. *De Rei Vindicat.;* et cit. leg. 48. *De Acquir. rer. Dominio.* Ratio dispositionis est, quia possessor bonæ fidei quoad fructus non *vere,* sed *pene* dominus est, seu conditionate dominus est, et quoadusque non appareat verus dominus, qui recuperando rem suam, eam ad se revocat cum suis fructibus. Res enim fructificat domino.

Neque dicatur possessorem ex industria sibi comparasse fructus industriales, nam quæcumque admittatur industria, semper constabit fundamentum et objectum industriæ fuisse rem alienam. Ceteroquin satis erit provisum juribus possessoris bonæ fidei, quoties pro fructibus exstantibus vel pendentibus recipiat expensas factas in exercitio culturæ aut industriæ suæ. Sunt vero qui

dicunt fructus mere industriales exstantes non esse restituendos, quia ferme ex integro procedunt ab opera et labore possessoris. Verum l. 22. «Certum.» C. *De Rei Vindicat.* in genere loquitur de omnibus indiscriminatim fructibus exstantibus, et ait restituendos esse. En verba legis 'Certum est malæ fidei possessorem omnes fructus solere cum ipsa re præstare; *bonæ fidei vero exstantes,* post autem litis contestationem universos'. At si fructus percepti et adhuc exstantes, si in possessione pacifica et bonæ fidei fuerint retenti per triennium a tempore perceptionis, censentur præscripti favore possidentis, quemadmodum totidem res mobiles. L. «Si sequitur» ff. §. «fruct.» *De Usucapione.*

24. Quid dicendum est de fructibus *consumptis* a possessore bonæ fidei?

Vel ipse ditior factus est vel non. Si ditior factus non est ex usu et fruitione fructuum tum naturalium tum industrialium, quos ex re *aliena* percepit, nihil restituere tenetur. Ita doctores communiter cum gloss. in cap. 11. h. t. Ratio est quia cum ex una parte non amplius fructus hujusmodi exstent, non possunt restitui, et ex altera cum possessor ex eorum perceptione verum commodum non habuerit, si eos restituere teneretur, non quidem utilitatem, sed positivum detrimentum retulisset ex legitima possessione. Hoc principium exonerans possessorem a restitutione fructuum consumptorum extenditur ad tempus durationis bonæ fidei. Atqui post litem contestatam non censetur in jure possessio esse amplius bonæ fidei, hinc qui fuerat in bona fide, tenetur restituere fructus perceptos et consumptos post litem contestatam.

25. At si possessor bonæ fidei ex fructibus rei alienæ consumptis veram utilitatem expertus fuerit, seu si revera *ditior* factus fuerit, juxta sententiam *Abbatis* in cap. 11. h. t. n. 6., quam *Reiffenstuel* h. t. n. 149. communiorem dicit, restituere tenetur in quantum ditior factus est etiam ante litem contestatam, sive fructus fuerint naturales, sive industriales, recuperabit vero expensas factas, nec non mercedem culturæ, et curæ adhibitæ in re aliena. Quare restitutio facienda est quoad excessum, ut aiunt, obtentæ locupletationis. Firmant hanc theoriam 25. §. «Consuluit.» ff. *De heredit. petitione,* et ll. 1. et 20. ff. eod. §. 6. Ratio juris autem est, quia semper verum est in quacumque hypothesi augmentum, quo locupletior factus est possessor, procedere ex re aliena. Hinc

possessor ex aliena jactura ditior factus est. Jamvero adagium juris fert neminem posse legitime ditiorem aliena jactura sese reddere. Ergo possessor bonæ fidei restituere debet etc.

Dixi superius juxta *sententiam Abbatis,* quia non desunt doctores qui distinguunt inter judicia particularia et judicia universalia. In judiciis universalibus prout est judicium petitionis hæreditatis, de quo agunt citatæ ll. 20. et 25. ff. *De hæreditatis petit.*, tradunt restitutionem faciendam esse etiam de eo, in quo possessor ditior factus est, eo quod locupletatio censetur esse inhærens ipsi substantiæ hæreditariæ, et per consequens dum evincitur et restituitur hæreditas, evicta censetur et est restituenda etiam ipsa locupletatio. Si autem sermo sit de judicio particulari, prout est judicium rei vindicationis, doctores isti tradunt possessorem bonæ fidei restituere non teneri fructus consumptos, eo quia leges civiles possessoribus bonæ fidei ex titulo particulari præcipiunt solummodo restitutionem fructuum exstantium. L. 22. C. *De Rei Vindicat.;* et absolute docent possessorem bonæ fidei lucrari fructus consumptos. L. «Sed et loci» ff. *finium regundorum* et §. «Si quis a. non domino.» Inst. *De Rer. Divis.*

Animadvertimus in materia civili, prout est restitutio fructuum, dispositionem juris civilis suum valorem habere etiam in ordine ad constituendam regulam fori ecclesiastici, immo etiam conscientiæ.

Ceterum non admitterem ullo modo, posse dominum rei exposcere ab antiquo possessore, ex titulo particulari, fructus etiam perceptos et consumptos, quando tempora legitimæ præscriptionis elapsa fuerint. Nam si possunt fructus exstantes vel percepti præscribi, a fortiori poterunt præscribi fructus consumpti in bona fide.

Censetur autem possessor locupletior factus, ex fructibus rei alienæ, quando occasione fructuum alienæ rei, quibus usus est, non fecit sumptus ex propriis bonis, quos ceteroquin facturus fuisset cum detrimento rei suæ. Quare si possessor occasione fructuum alienæ rei majores fecerit expensas, non tenebitur omnia restituere, sed solum ea restituet, quæ consumpsisset ex bonis suis, et non consumpsit, eo quod ditior factus est, ob alienam rem. Pariter si possessor aliquid ex fructibus rei alienæ donaverit, ex quo actu nihil emolumenti sperat sibi obventurum, ditior factus non dicitur, nec proinde restituere debet quanti interest.

26. Tandem si quæratur: quoadusque perseverare *præsumatur* bona fides, et ex quo possessor censeatur constitutus in mala fide in ordine ad fructuum restitutionem, dicendum est malam fidem præsumi a litis contestatione. Ita in cit. l. 22. Cod. *De Rei Vindicat.* ubi dicitur post litem contestatam restituendos esse fructus universos.

Titulus XIV.

De Dolo et Contumacia.

In judiciis exercendis non raro intervenit dolus et contumacia, quæ vel retardant prosecutionem et exitum litis, vel offerre possunt in specie etiam materiam causæ incidentalis. Quare in explicatione ordinis judiciarii, in jure nostro tractatur de dolo et contumacia.

De Dolo.

1. Dolus in jure romano nihil aliud erat nisi sollertia et calliditas. Hinc sollertia prout finem honestum vel pravum habebat, dicta est *dolus bonus* vel *dolus malus.* Dolus in jure nostro juxta tituli præsentis vim et intelligentiam sumitur pro dolo malo, atque ita definitur. *'Calliditas, seu fallacia, vel machinatio adhibita ad alterum fallendum et decipiendum.'*

Dolus præsertim in contractibus consideratur. Hinc quæstio proponitur de valore contractus, in quo locum habuit dolus. Dolus potest contractum inficere vel *in substantia,* vel *in qualitatibus accidentalibus* et *accessoriis.*

Quando incidit in *substantiam,* seu quando ipsam materiam mutat, contractus nullus est ipso jure ex defectu naturalis consensus. Nam deceptio substantialis inducit in alio contrahente errorem substantialem; qui aliquam in rem consentit, dum res ista est prorsus alia et distincta ab ea, quæ in ejus mente versatur, revera non consentit. Voluntas enim sequitur intellectum. Cf. l. »Non idcirco.« C. *De juris et facti ignor.* Exemplo res explicatur. Ita si quis arbitratus objectum coëmptum esse gemmam, quod reapse est vitrum, non censetur consensisse in vitrum, et proinde ex defectu consensus nullus est contractus, qui nihil aliud est, quam 'duorum vel plurium in idem placitum consensus.'

2. Quod si fraus vel dolus incidat in qualitates *secundarias*, distinguendum est utrum dolus dederit *causam* contractui, vel non. Causam dedisse contractui dolus censendus est, quando quis ad contractum celebrandum inductus est ex ipsa fallacia, seu ex dolosis persuasionibus, et nisi ipsæ persuasiones adfuissent, certe non contraxisset. Aliis verbis. Dolus dat causam contractui, quoties aliquis inducitur ad contractum celebrandum præcise ob rei qualitatem, circa quam ex dolo alterius contrahentis deceptus est. Non autem dedisse causam contractui dolus censendus est, quando in contractu solummodo incidit dolus, ita ut contractus celebratus etiam fuisset, si dolus non adfuisset. Unde dolus fecit ad summum, ut contractus facilius celebraretur. Profecto si dolus circa qualitates accidentales causam *non* dedit contractui, sed solum incidit in contractum, contractus valet, sed ab altera parte peti potest compensatio læsionis, quæ ex dolo derivavit sibi. Ita communiter. Et merito. Nam ex una parte quoniam dolus, secundarias qualitates respiciens, causam non dedit contractui, salvam relinquit substantiam contractus, et censetur verus interfuisse consensus; ex altera vero parte certum est unum ex contrahentibus læsionem passum fuisse ex malitia alterius. Quare dum ex una parte contractus sustinetur, ob integritatem substantialem consensus, ex altera parte etiam facienda est compensatio læsionis, quæ ex fraude provenit.

3. Quod si dolus in accidentalibus circumstantiis causam dederit contractui, communiter a doctoribus recipitur theoria *Lessii: De Just. et Jure.* lib. 2. Cap. 17. Dubitat. n. 29., qui docet contractum per se sustineri, et nullum ipso jure non esse, sed posse rescindi et in irritum reddi ad partis læsæ petitionem. Ratio theoriæ est, quia etiam sub influxu et actione hujus doli remanet sufficiens consensus circa substantiam rei, idest circa objectum contractus ita ut conventio stare possit. Hinc per se contractus valet; valere etiam contractum præstat ad vitanda pericula negotiorum commercii, quæ possent nutare, si ex dolo in accidentalibus nullus esset contractus ipso jure. At ne jura civium lædantur, et ne fraus alicui prosit, poterit pars, quæ læsionem ex dolo passa est rescissionem contractus petere. Verum exceptio verificatur in contractibus vel actibus qui a jure irrescindibiles habentur. Isti enim vel statim invalidi sunt, vel si in principio fuerunt validi, deinde rescindi nequeunt. Quare contractus isti, vel actus positi sub dolo,

qui afficit qualitates secundarias, validi sunt, qui vero dedit causam contractui vel actui, potius dicendi sunt nulli ipso facto.

Non desunt qui quæstiones circa materiam doli resolvunt applicando principia quæ regunt materiam læsionis. Hinc in casu læsionis gravis vel enormis derivatæ ex malitia alterutrius contrahentis concedunt decipienti optionem vel præstandi indemnitatem alteri parti, vel rescindendi contractum, si est rescindibilis. In casu læsionis minimæ contractus sustinetur, sed indemnitas præstanda est. In casu autem enormissimæ læsionis, cum deficere censeatur ipsa substantia contractus, nullus est contractus ipso jure. Theoria hujusmodi admitti potest, sed magis æqua est prior, quæ non tam damnum toleratum considerat, quam ipsam decipientis malitiam, et malum fallendi propositum.

4. Hæc dicta sint de dolo, qui relationem habeat præsertim ad contractus. In genere vero quæri potest quomodo consulatur a jure illi qui dolum passus est. Et quidem si quis dolo circumventus aliquid præstitit ex quo damnum passus est, habet ex jure prætorio Romanorum, æquitati naturali innixo, *actionem personalem* contra decipientem, ad consequendam indemnitatem. L. 1. ff. *De Dolo malo.* Eadem æquitate naturali suadente, conceditur a civili jure ipsa eademque actio contra *hæredes* et *successores* decipientis, ut teneantur præstare id quo ratione doli locupletiores facti sunt. L. »Si plures.« ff. *De Dolo malo.* Quod si positivum damnum passus non est ille qui fuit dolo circumventus, sed in jus vocetur et præstat, quod spopondit, poterit utiliter se tueri *exceptione doli mali.* Ita in jure romano statutum legimus §. 1. Inst. *De Exceptionib.*, et æquitas naturalis plene consonat eidem. Aequum enim non est ut qui circumventus est, juridice urgeatur ab ipso decipiente, et eo ipso in negotio in quo deceptus est, judicii actionem sustineat. Datur vero hæc exceptio quoties aliquid contra æquitatem naturalem exigatur. L. «apud Celsum» ff. *De Doli mali Exception.* At idem jus romanorum excipit casum parentum vel patroni. Scilicet quoties vel parentes, vel patronus aliquid exigant etiam præter naturalem æquitatem, filius vel libertus non potest objicere exceptionem doli, quia filius et libertus curare debent bonam famam parentum et patroni.

De Contumacia.

5. Contumacia in sensu tituli est *'inobedientia erga judicem legitime jubentem commissa'*. Ut verificetur contumacia, judex debet *legitime* jubere, tantum enim valet judicis potestas, quantum legitime munere suo fungitur. Hinc invocari etiam hic potest tritum illud adagium: *'Extra territorium jus dicenti impune non paretur'* c. 2. *De Const.* (I. 2) in 6°. — Quæritur: *quibus modis* committatur contumacia.

Reus contumax est, si legitime citatus recuset se sistere coram judice. Quæ species contumaciæ locum etiam habet, cum reus latitat, vel alio modo impediat quominus ad eum citatio perveniat. *Actor* vero contumax est quoties non compareat in termino citationis ex ejus petitione reo intimata. Hæc tum rei tum actoris contumacia *purgatur*, quoties causa justæ absentiæ allegatur et probetur. Uterque contumax esse censetur 1°) Si alteruter temere a judicio recedat, 2°) si peculiari judicis præcepto alteruter non obediat, ex. gr. si judex juramentum calumniæ aut malitiæ exigat, et alteruter illud præstare recuset. Si præcipiat illud præstari instrumentum, et præceptum contemnetur. 3°) Si alteruter non respondeat petitionibus ab altera parte propositis, vel si dubius et obscure respondeat.

De Remediis contra contumacem.

6. Tria in genere *præmittenda* sunt: 1°) Judex adveniente die præfixo pro causa definienda, et partibus collitigantibus intimato, poterit absentem instante altera parte condemnare uti contumacem. Ita cap. 24. *De Off. deleg.* (I. 29). Nam præfixio termini ad comparendum, intimata partibus collitigantibus considerari potest ceu decretum juridicum cui eædem partes obtemperare debent. Verum cum judex præ oculis non solum ordinem judicialem, sed magis justitiæ rationem habere debeat, hinc æquitate suadente poterit absentem exspectare in diem *sequentem,* nec contra judicis arbitrium poterit conqueri pars diligens. At differre potest judex in sequentem diem sententiam, dummodo in sequentem diem adhuc ejus jurisdictio perduret. Si enim de judice delegato sermo sit, potest jurisdictio concedi ad tempus, seu etiam ad diem determinatum, quo elapso cessat jurisdictio. Ad rem facit cit. cap. 24. *De Off. Deleg.* Ratio aperta est. Quia judex æquitatem prosequens, utitur jure suo. Hinc si ratio æquitatis vel magis vel æque faveret parti diligenti, judex statim poterit absentem condemnare.

2°) Præmittendum est judicem *severiorem* esse debere contra *actorem* contumacem, quam contra reum; cum enim actor sponte sua judicium inchoaverit, et quodammodo volens prosequatur, majori reprobatione dignus apparet præ reo qui non nisi coactus in judicium venit.

3°) Antequam judex contra contumacem procedat, et pœnas contumaciæ applicet, debet videre an verificetur contumacia, et *declarare* debet actorem esse contumacem, vel reum esse contumacem, ita in cap. 6. h. t. §. fin. Nam pœna infligi non potest, nisi antea constet de culpabilitate.

7. Quibus positis si *actor* sit contumax a) Judex ad instantiam rei, vel trina citatione, vel una tantum peremptoria ad locum domicilii transmissa denunciabit terminum adsignatum ad comparendum. Si actor absens sit vel latitet, citandus est ejus procurator, si adsit. Si nec procuratorem reliquerit, citatio perficietur per edictum affigendum ad valvas curiæ, vel Ecclesiæ aut domus, ubi commorari solebat. Ita in cap. 3. h. t. Hodie inductus est mos citationem absentium inserendi in *publicis ephemeridibus.* Advertendum die termini præfixi, ad instantiam rei, poterit judex in negotio, etiam in lite non contestata procedere, testes audire, allegationes excipere, et cognita veritate sententiam proferre. Ita cit. cap. 3. h. t. Dixi *ad instantiam rei,* quia potest esse utile reo, ut testes audiantur, veritas probetur, et judicium per sententiam compleatur. Si vero placeat reo judicium contra se institutum non esse finiendum, poterit b) petere *circumduci edictum,* scilicet destrui virtutem citationis et libelli contra se ab actore propositi, ita ut libere valeat ab judicio recedere. Immo petere potest reus ut etiam acta quæ ob citationem gesta sunt, nullius valoris reddantur. At hoc remedium plene non liberat reum a vinculo obligationis erga actorem, nec actor restitutis expensis, poterit iterum actione sua reum perstringere. Circumductio enim edicti et rescissio actorum restringitur solummodo ad destruendam virtutem citationis, in actuali instantia propositæ, et ejus effectus. Verum actor iterum judicium promovens non auditur nisi sufficienter caverit se a judicio non recessurum esse. Cap. 1. h. t. in 6°. c) Reus potest exposcere ut judex non solum pronunciet in ejus favorem contra impetitionem actoris, sed si sufficientes probationes habeat, petere potest ut judex pronunciet de ejus bono sive absolute, ita nempe ut non solum declaret rem litigiosam

haud pertinere ad actorem, sed simul declaret esse propriam rei ipsius. Cf. cap. 3. *De caus. poss. et propr.* (II. 12).

De Remediis contra reum contumacem.

8. Reus, quemadmodum actor, debet vel trina citatione, vel una peremptoria ad judicium vocari. Porro intervallum inter unamquamque citationem, licet juxta civile jus sit decem dierum, tamen jure canonico remittitur *prudenti arbitrio* judicis, qui consideret varias temporis, personarum, et distantiæ locorum circumstantias. Ita interpretes ex c. 6. C. 24. q. 3. et ex cap. 1. *De Dilation.* (II. 8). Adveniente autem termino præfixo, judex declarabit reum esse revera contumacem, et inde contra eum poterunt pœnæ adhiberi videlicet 1°) Privatur jure *producendi rationes* suas ad sese tuendum, nisi expensas refecerit, et idoneam cautionem præstiterit se a judicio non recessurum. Cap. 10. *Ut lite non contestata* (II. 6.) 2°) Secunda pœna est ut actor mittatur ex primo decreto judicis in *possessionem* rei litigiosæ custodiæ causa, de qua in titulo sequenti, et deinde ex secundo decreto actor constituitur ceu legitimus possessor ejusdem rei. Cit. cap. 10. 3°) Alia pœna esse potest *sequestratio* fructuum usque ad exitum judicii. Cap. 25. *De Rescriptis* (I. 3). 4°) Si contumacia admissa sit in respondendo, reus habetur vel sicuti affirmans, vel sicuti negans in ejus *præjudicium.* Tandem 5°) animadverti debet jure antiquo frangi potuisse contumaciam comminatione *censurarum.* At hodie ne vilescerent pœnæ spirituales et contemnerentur, recessit mos adhibendi censuras in qualitate actuum judicialium contra contumacem, et solum a judice ecclesiastico possunt adhiberi censuræ: a) In judiciis non criminalibus, quando reliqua juris remedia in irritum cesserint, b) in judiciis criminalibus si delicti qualitas id postulet, nec fieri possit exsecutio sive realis sive personalis. Præcedere autem debet bina monitio. Conc. Trid. Sess. 25. *De Ref.* Cap. 3.

Titulus XV.

De eo qui mittitur in possessionem causâ rei servandæ.

1. Quoniam immissio in possessionem rei custodiendæ causa concedebatur in casu contumaciæ rei, hinc titulus præsens ordinem subsequens præcedenti subnectitur.

Cum non semper in contumacia rei possint evidentes, vel saltem sufficientes probationes parari, quibus causæ meritum illico definiatur, hinc ne commodum interim reus ex sua contumacia reportaret, remedium juridicum statutum fuit, quo frangi facile posset hæc rei contumacia. Hoc remedium concedi potest a judice, qui suspenso parumper judicio in causa principali, per sententiam interlocutoriam immittit actorem in possessionem rei litigiosæ custodiendæ causa.

Porro *duplex* est ex decreto judicis immissio in possessionem, et alia ex primo, alia ex secundo decreto dicitur. Missio ex primo decreto nihil aliud est nisi decretum judicis, quo ad frangendam rei contumaciam, mittit actorem in possessionem bonorum custodiæ causa. Hinc missio ut concedatur 1⁰) Debet esse *lis incepta;* et si de actionibus realibus sermo sit, non conceditur quando lis est jam contestata. Nam post litem contestatam in actionibus realibus, judex potest procedere ad sententiam definitivam in merito, si adsint sufficientes probationes. L. «properandum.» §. «Sin autem.» et gloss. ult. in Cap. «Prout» 4. *De Dolo et Contumacia* (II. 14). Quæ si desint conceditur actori non nuda possessio, qualis est possessio ex primo decreto, de qua loquimur, sed vera et legitima possessio bonorum, cum omnibus effectibus et commodis, quæ possessionem sequuntur. Cit. Cap. 4. *De Dolo et Contumacia.*

2⁰) Præcedere debet *summaria* cognitio causæ, ob quam actor rem petit.

2. Porro in actionibus realibus primum decretum judicis concedit possessionem bonorum petitorum ab actore in citatione et libello, in actionibus vero personalibus per primum decretum actor immittitur pro modo crediti in possessionem bonorum mobilium primo, deinde etiam immobilium debitoris, si mobilia imparia sint oneri sustinendo. Ita cap. ult. *Ut lite non cont.* (II. 6) §. fin. Possessionis hujus scopus est solum, ut reus tædio affectus in judicium veniat. Quare actori conceditur possessio bonorum, ut eadem retineat solum custodiæ causa, et ipse actor non dicitur revera possidere, sed esse in possessione bonorum. Hinc actor non facit suos fructus bonorum, sed eos conservare debet, ut eos cum bonis ipsis cessante contumacia reo restituat. Cessat vero contumacia si intra annum computandum a die editi decreti veniat reus in judicium ad respondendum, et expensas solvat, simulque idoneam cautionem præbeat se a judicio non recessurum. Ex cap. 2. h. t. Ex con-

ceptu tradito missionis in possessionem ex primo decreto, sequitur ejus effectum esse, ut actor habeat jus custodiendi et defendendi tum rem possessam, tum ejus fructus, nec non alienandi eos fructus, qui servando servari non possint. Quare vi primi decreti actor habebit etiam interdictum contra quemcumque, qui eum in possessione et custodia rei et fructuum turbare conetur.

3. At quid si intra annum reus vel non veniat in judicium, vel cautionem congruam non præstet? Si neutrum culpæ tribui possit reo, damnum aliquod exinde eidem reo non imminet. Nam tota dispositio juris de hac precaria possessione bonorum exhibet pœnam contra malitiam vel negligentiam rei. Hinc in cap. 2. h. t. traditur annale tempus non decurrere ei, qui cautionem utique obtulit, sed per judicem stetit quominus reciperetur. Verum si reus neglexerit intra annum purgare contumaciam, in actionibus quidem realibus, die ipso interpellante pro homine, actor post elapsum annum videtur posse considerari ceu verus et legitimus possessor rei et fructuum. Ita insinuatur in cap. 5. *Ut lite pendente* (II. 6). §. «In aliis.» At melius et generaliori regula tenendum est, locum habere secundum decretum judicis, quo decernit actorem esse legitimum possessorem bonorum, quæ custodiebat ex primo decreto, ita ut deinceps reus non amplius de possessione, sed solum possit audiri de proprietate. Scilicet reservatur reo solummodo legitima defensio super proprietate et dominio eorumdem bonorum. Cap. 1. h. t. Sequitur inde actorem 1⁰) in ea reperiri conditione ut possit *præscribere* per longum tempus contra reum, 2⁰) facere fructus *suos*, quos colligit ex re possessa, ita ut si deinde res evincatur ab eo, non teneatur restituere fructus jam consumptos, nisi fortasse, juxta ea quæ dicta sunt superius, in quantum ditior factus est; 3⁰) actorem exinde possidere legitime etiam fructus perceptos in decursu *primi anni* et adhuc exstantes, quia considerari possunt ceu accessorium rei; 4⁰) post hoc secundum decretum præsumptionem *proprietatis* esse in favorem actoris legitime possidentis. Hinc onus probandi urget ipsum reum, si velit rem, quam suam arbitratur, vindicare. Uno verbo ex secundo decreto actor acquirit, et vicissim reus amittit omnia jura et commoda, quæ legitimam possessionem sequuntur.

TITULUS XVI.

Ut lite pendente nihil innovetur.

1. Quoniam immissio in possessionem rei litigiosæ immutationem importat in statu quæstionis in commodum quidem actoris, et in rei conventi detrimentum, ne ultra limites justi et æqui immutatio fiat, titulus præsens positus est, in quo ad modum legis statuitur principium '*Ut lite pendente nihil innovetur*'.

Quæritur I°. '*Quandonam lis pendere dicatur*'.

Responsio categorice datur a Clement. 2. h. t. (II. 5) ubi dicitur: 'Cum lite pendente nihil debeat innovari, litem quoad hoc pendere censemus, postquam a judice competente in ea citatio emanavit, et ad partem citatam *pervenit*, vel per eam factum fuit, quominus ad ejus notitiam non perveniret; dum tamen in citatione prædicta, talia sint expressa, per quæ *plene* possit instrui super quibus in judicio convenitur'. Postrema conditio hodiernis moribus, non videtur esse necessaria explicite. Nam non amplius distinguitur libellus introductionis judicii, ab ipsa citatione; ipsa enim eademque citatio, quæ ex mandato judicis reo intimatur, continet etiam intentionem actoris. Quare hodie censetur lis pendere, quando reo citatio per apparitorem intimata est, et fidei apparitoris de facta intimatione creditur. Merito autem lis pendere censetur, nam ex una parte judex negotium per actum suæ jurisdictionis occupavit, et actor ex altera parte, quantum in se fuit, juridice manifestavit reo intentionem suam, et reus potest vel eidem assentiri, vel excipere contra ipsum actorem.

2. Quæritur: II°. quid veniat nomine *innovationis*.

Nomine innovationis prohibitæ venit, quidquid vel reo, vel actori præjudicium aliquod inferat. Et 1°) interdicitur innovatio *possessionis*, ita ut nempe possessio, sive rerum litigiosarum, sive juris colligendi fructus non possit ab uno in alium transferri. Et quidem regula hæc non solum proprie dictæ possessioni applicatur, sed etiam quasi possessioni jurium etiam spiritualium. Cap. 1. h. t. Exceptio duplex obtinet a) in casu *contumaciæ rei*, de qua vidimus in titulo præcedenti; b) contra possidentem, quando evidens periculum adsit ne fructus ab eodem dissipentur, quæ exceptio tradetur in tit. seq. *De sequestratione . . . fructuum.*

3. 2°) Secunda innovatio prohibita lite pendente respicit *gratiam principis*, quæ in damnum alterius obtineatur. Scilicet effectus

pendentiæ litis est, ut rescriptum obtentum in præjudicium alterius ex collitigantibus absque mentione pendentiæ litis obreptitium sit vel subreptitium. Ita cc. 1. et ult. h. t. Cum enim res deducta fuit in forum, non præsumitur principis voluntas lædendi æqualitatem, quæ servanda est inter partes collitigantes.

Quid vero, si sermo sit de rescripto *pontificio,* in quo gratia relativa *ad pendentem litem* concedatur, et simul hæc clausula adhibeatur 'Non obstante regula Cancellariæ 18ª. de jure quæsito non tollendo?'

In genere quamvis non præsumatur princeps velle derogare juri tertiæ personæ, tamen si dicat se derogare velle juri tertiæ personæ. rescriptum tenet. Nam censetur princeps id disponere ex rationabili et gravi causa, ob quam jus tertio quæsitum cedere debet alteri.

Quid vero si rescriptum datum fuerit *ex certa scientia* et *motu proprio,* nulla tamen facta derogatione juris tertii, et nulla facta *mentione pendentiæ litis?* Profecto hæc clausula nonnullas obreptiones vel subreptiones purgat, nam præsumitur principem gratiam concedere non tam ob preces supplicantis, quam ex propria liberalitate. Ita præsertim, quando ex simplicitate aliquod vitium in ipsis precibus obrepserit. Attamen cum agitur de rescripto in pendentia litis, si hæc pendentia litis ignota fuerit pontifici, quamvis dicat se gratiam conferre ex certa scientia, rescriptum *nullum* est et obreptitium vel subreptitium præsumitur. Nam non præsumitur scientia de pendentia litis. Si enim scivisset litem esse pendentem, vel rescriptum non dedisset, vel expressisset derogationem etiam litis pendentis. Quæ expressa mentio derogationis pendentiæ litis, ut rescriptum valeat, dicitur esse necessaria in cap. ult. h. t.

4. 3⁰) In pendentia litis prohibetur *alienatio* rerum litigiosarum et actionum, ita ut si fiat hæc alienatio non sustineatur. Ita c. 50. C. 11. q. 1. et cc. 3. et 4. h. t. Quod si alienatio facta fuerit, et alia res fuerit substituta in locum alienatæ, hæc res substituta conservari debet usque ad exitum litis. Cap. 3. h. t.

Exceptiones a) In *hæreditate* litigiosa permittitur alienatio fieri pro solvendis expensis funeris, æris alieni, et cibariorum familiæ. Ita jus civile in l. ult. Cod. *De litigios.* et l. 5. ff. *De petit. hæred.* Hæc enim alienatio non est libera, sed necessaria, nec proinde nocet juri alterutrius ex collitigantibus. b) Alienatio permittitur, si fiat ex *consensu* collitigantium, vel si res *conser-*

vari nequeat. Sed permissio judicis prius obtinenda est. c) Si alienatio fiat per modum *transactionis;* si enim transactio intercedit sive in parte litis, sive in tota quantitate litis, quæstio circa objectum transactionis censetur finita. Non solum vero lite pendente interdicitur proprie dicta alienatio, sed etiam *oppignoratio* rei, vel *locatio* ad *longum* tempus. Deterior enim redderetur conditio actoris.

5. 4⁰) Quartus effectus pendentiæ litis est, ut quidquid attentatum fuerit in præjudicium partis collitigantis, debeat *purgari* et *restitui* in statum pristinum, ita ut ante hanc restitutionem non possit procedi ultra in actibus judicialibus, et quidquid istis attentatis innitatur, in processu judicii nullius est roboris. Argum. cap. 17. *De Election. et Electi pot.* (I. 6) et cap. 9. *De Rerum permutatione* (III. 19).

6. Aliquid dicendum est de innovatione in pendentia litis circa *beneficia.*

1⁰) Si duo fuerint *electi* ad beneficium, si discordia et quæstio oriatur de prævalentia alterutrius electionis, non potest procedi ad novam electionem, quamvis unus ex electis moriatur, vel juri suo nuncium mittat, sed antea finienda est quæstio superstitis, et videndum est, utrum ejus electio fuerit valida an irrita. Si secus fiat, in irritum cedit quod geritur lite adhuc pendente. Ita in cap. 1. h. t. in 6⁰. — Hæc regula servatur etiam in causa *præsentationis* ad beneficium juris patronatus. Videlicet ob paritatem rationis, dicunt doctores, in pendentia litis inter duos præsentatos ad beneficium, si unus vel demoriatur vel removeatur aut renunciet juri suo, non posse interim patronum ad aliam præsentationem devenire, sub pœna nullitatis præsentationis, sed antea faciendam esse quæstionem de valore præsentationis prioris. Nec difficultas facit jus patroni laici, qui potest intra quadrimestre variare præsentationem, et plures successive nominare ad beneficium; nam regula præsens proprie locum habet, quando patronus jam complevit nominationem, adeoque tempus utile jam elapsum est, et quæstio exsurgit inter nominatos. Unde regula præsens respicit novam nominationem, quæ facienda est a patrono, vel patronis, postquam prior nominatio effectu careat.

Quod de specie electionis statuit cap. 1. h. t. in 6⁰., statuit de beneficio jam collato cap. 2. eodem in 6⁰. Scilicet si inter duos quæstio oriatur circa beneficium, et ille qui possidet beneficium,

vel e vivis decedat, vel beneficium deserat, non potest beneficium alteri lite pendente conferri, nec præsentatio ad illud beneficium fieri potest, sed exspectandus est exitus judicii contra superstitem, sub pœna nullitatis actorum.

7. Occasione hujus capitis confecta est regula 29. Cancellariæ Apostolicæ, quæ '*De subrogandis litigantibus*' inscribitur, ex qua hæc dispositio exhibetur. Si duo super beneficio litigent, et lis ex parte unius deserta fiat, ex. gr. propter mortem aut matrimonii contractum, vel ingressum et professionem religiosam, etc.; hoc in casu ad litem succidendam conceditur alteri collitiganti unus mensis, intra quem possit petere surrogationem, seu substitutionem in jure, vel ad jus quod competebat adversario, qui a lite recessit, et intra hunc mensem non valet gratia vel concessio super beneficio litigioso facta alteri, quam collitiganti, qui in lite permansit. Hic vero mensis utilis ad petendam subrogationem non conceditur quoties a) qui petit subrogationem, in beneficio *intrusus* fuit; b) quoties *fraudulenter* egit impetrando beneficium *senis* vel *periculosæ* sanitatis cum ea intentione ut litem eidem moveret, et inde post mortem obtineret subrogationem in locum senis vel ægrotantis. c) Quoties adversarius per *triennium* pacifice beneficium possederit.

8. Tandem etiam in hac re præ oculis habenda est dispositio Clem. 1. h. t. in qua traditur regula servanda in collatione beneficii litigiosi, quod fiat vacans. Duplex species in sensu citatæ decretalis fieri potest. Scilicet duo litigant de beneficio sibi collato vel 1°) *uterque* moritur, vel 2°) *unus* tantum ex collitigantibus decumbit. Ad 1m. Si uterque collitigans demoriatur facienda est subdistinctio: a) si *uterque* moriatur in Curia *Romana*, vel b) demoriatur in Curia ille *qui possidet*, vel c) neutro possidente *unus* tantum in eadem Curia moriatur. In triplici hac hypothesi collatio beneficii pertinebit ad Romanum Pontificem. Si vero uterque, vel ille qui possidet beneficium decedat *extra* curiam, collatio beneficii litigiosi pertinebit ad *ordinarium* collatorem.

Ad 2m. Si uno ex collitigantibus vita functo, alter litem prosequatur, sed causa cadat ita ut judex decernat beneficium pertinuisse ad collitigantem defunctum tunc distinguendum est: vel ille cui beneficium adjudicatur mortuus est *in* Romana Curia, vel *extra:* si *primum,* collatio spectabit ad *Romanam* Sedem, si secundum, collatio beneficii ad *ordinarium* collatorem pertinebit.

Titulus XVII.

De Sequestratione Possessionum et Fructuum.

Prosequitur *B. Raymundus* exponere remedia juris pro securitate rerum, quæ sub legis et judicis protectione ponuntur.

1. Sequestratio est *'rei controversæ, vel fructuum ejus facta depositio.'* Porro *depositio* dicitur non stricto sensu; nam secus solum res mobiles sequestrationi subjici possent. Sed sumitur latius pro *custodia* rei et fructuum, quæ bonæ fidei tertii committitur. Hic tertius appellatur *sequester.* Dicitur vero *rei controversæ* quia distinguitur sequestratio a deposito, quod fieri solet extra judicium, immo etiam absque intuitu futuræ controversiæ.

Divisio: Sequestratio alia est *voluntaria,* alia *necessaria.* Prima verificatur cum utraque pars collitigans mutuo consensu apud sequestrum bona et fructus deponit custodienda, ut inde restituat cui facta fuerit adjudicatio. Hæc sequestratio dicitur etiam *conventionalis.* Necessaria est sequestratio, quæ efficitur auctoritate judicis intercedente, quæque alia a judice pro officio suo *nobili,* seu nulla interposita partium petitione præcipitur, alia vero præcipitur a judice pro officio suo *mercenario,* seu ad instantiam partis.

In judicii securitatem semper est *licita conventionalis* sequestratio. — Si vero sermo sit de *necessaria* vel judiciali in genere ea *prohibetur* 1°) ob regulam generalem in titulo præcedenti expressam: *'Ut lite pendente nihil innovetur';* 2°) quia quoadusque actor non probaverit sufficienter intentionem suam, jura præsumunt pro reo. Hinc in genere reus non est coacte privandus possessione bonorum litigiosorum et eorum fructuum, ut apud sequestrem deponantur.

2. *Exceptiones:* 1°) Fieri potest sequestratio rei et fructuum, quando reus est *contumax,* cc. 25. *De Rescript.* (I. 3) et 2. *De Dolo et Contumacia* (II. 14). Nam in contumacia rei, conceditur optio actori, ut vel immittatur in possessionem rei litigiosæ custodiendæ causa, vel præcipiatur juridica sequestratio. 2°) Permittitur sequestratio quando quæstio vertitur circa rem *mobilem*, et possessor est *suspectus de fuga.* Hæc suspicio inducitur ex malis moribus possessoris et ex ejus inopia. 3°) Quando rationabilis

timor adsit, ne partes in possessione bonorum litigiosorum vel fructuum eorumdem ad *arma* rapiantur et gravia damna vel scandalum prævideatur. Quo in casu judex motu proprio et ex officio nobili sequestrationem potest præcipere. 4⁰) Quando possessio est vacua vel saltem dubium sit cui concedi ea debeat. 5⁰) Quando reus possidens fructus dissipet. Cap. 3. h. t. Quæ exceptio a fortiori debet verificari si rem ipsam litigiosam reus dissipet. Hæc sequestratio in specie ex Clem. un. h. t. permittitur quando a Sede Apostolica vel ab ejus delegato lata fuerit et promulgata sententia definitiva vel in petitorio vel in possessorio judicio circa aliquod Beneficium ecclesiasticum, et ab hac sententia fuerit interposita appellatio, vel beneficium novæ audientiæ invocatum fuerit. Scilicet quando hæc appellatio interposita fuerit a delegati sententia ad delegantem Romanum Pontificem, vel in ipso tribunali Romani Pontificis obtentum fuerit beneficium novæ audientiæ, quamvis positive non constet possessorem beneficii dissipare fructus aut dilapidare bona, tamen ad compescendos abusus temere litigantium, et ob periculum dissipationis fructuum, quæ post talem S. Sedis sententiam præsumitur, potest beneficium precario auferri ab eodem possessore, et tertiæ personæ tradi administrandum, ut bona curet et fructus custodiat restituendos cui de jure, post finem judicii. Excipitur tamen casus beneficiarii, qui ante litem per *triennium* beneficium pacifice possederit. Clem. un. h. t. Cui dispositioni accessit constitutio *Pii IV.*, quæ incipit *'Sanctissimus'* data 26. Oct. 1560, in qua præcipitur facienda sequestratio fructuum, quoties quæstio agitetur circa beneficia Sedi Apostolicæ reservata. *S. Pius V.* vero in Const. *Cordi.* d. 30. Martii 1568 statuit fructus hujusmodi non esse deponendos penes capitulum, sed penes personam fide dignam, et a judice designandam.

3. Præter veram et proprie dictam sequestrationem, datur quædam improprie dicta sequestratio, quæ locum habet in causis *matrimonialibus.* Scilicet 1⁰) si pendente lite contra *valorem* matrimonii prævideantur contra mulierem viri sævitiæ et pericula intentanda, nec modus tutus offeratur, quo sub eodem tecto cum viro mulier pacifice commoretur, juxta cap. 13. §. fin. *De Rest. Spol.* (II. 13), eadem mulier non restituitur viro, sed alibi honeste custoditur. 2⁰) Si quæstio sit de matrimonio *contrahendo,* sive quæstio hæc agitetur inter virum et mulierem, sive inter duos viros, quivis eorum ex contractis sponsalibus jus habeat ad contra-

hendum matrimonium, si timor *rationabilis* exsistat ne libertas puellæ impediatur, vel ne seductione violetur, puella debet ex judicis decreto in monasterio custodiri, ut de suo negotio sponte deliberare possit. Ita in cc. 1. *De Sponsalib. et Matrim.* (IV. 1) et 14. *De Probat.* (II. 19).

4. Quæritur: quid *observandum* sit in decernenda sequestratione.

1º) Vocandus est et audiendus, si accedat ille, in cujus *præjudicium* præcipitur sequestratio. 2º) Saltem *summaria* cognitione constare debet in genere de bono jure illius, qui petit sequestrationem. 3º) Sequestratio debet apparere ceu verum et efficax *remedium* damni irreparabilis quod prævideatur. Hinc si aliter securitati actoris satis superque consuli possit, sequestratio concedenda non est. Quare si cautio idonea præstetur, tam pro re, quam pro fructibus decerni non debet sequestratio. Ita doctores juxta l. «Senatus.» ff. *Qui satis dare cogatur.* Immo etiam concessa sequestratio revocanda est, quando idoneus fideijussor accesserit. Ita l. «Si fideijussor». §. fin. ff. eod. Hæc autem exceptio idoneæ cautionis locum habere nequit, quando licet rei et fructuum securitati consuleretur, tamen via aperiretur iniquæ aut illegitimæ occupationi. Ita ex. gr. in beneficii possessione, quæ post sententiam latam a Sede Romana præsumitur injusta, in appellante ab eadem sententia. Juxta Clem. un. h. t.

5. Quæritur: quinam sint *effectus* sequestrationis.

1º) Sequester diligentia *ordinaria* tenetur custodire et curam habere rei et fructuum. Ipse enim est cujus electa est fiducia pro administranda re sequestrata. Hinc etiam colligit fructus et alienat illos, qui servando servari non possunt. 2º) Finita sequestratione idem sequester tenetur *restituere* rem et fructus, necnon *reddere rationem* administrationis suæ. Redditur vero indemnis de rebus a se gestis.

Quæritur utrum effectus sequestrationis sit, ut reus *amittat* possessionem bonorum sequestrationi subjectorum, et proinde privetur omnibus commodis possessionis, ex gr. præscriptionis, vel usucapionis, saltem contra tertium.

Profecto conveniunt doctores juxta dispositionem l. 39. ff. *De acquir. vel amitt. poss.* sequestrationem judicialem *per se* non transferre possessionem de persona rei ad sequestrem. Nam se-

questri conceditur solum custodia bonorum. Judex enim præsumitur, quo fieri possit minus præjudicium inferre reo cui favendum est quousque actio contra ipsum intentata non fuerit plene probata. Quod si agatur de voluntaria sequestratione, communiter distinguunt inter casum quæstionis circa proprietatem, et casum quæstionis circa ipsam possessionem, et docent in primo casu non transferri possessionem in personam sequestri, bene vero transferri in secundo casu. At optime dici potest in genere hanc translationem possessionis non fieri. Nam reus censetur semper cedere minimum quod potest, hinc præsumitur committi sequestri ab ipso reo solummodo custodia. Dici autem debet factam esse translationem possessionis, quoties de ea partes expresse caverint in conventione.

6. *Finitur* vero sequestratio 1⁰) vel *morte* ipsius sequestri, vel ejus *renunciatione* ex legitima causa a judice probata. Ratio est quia custodia rerum controversarum est unum ex illis negotiis in quibus censetur electa industria personæ sequestri ipsius, nec proinde jus custodiæ transit ad *hæredes* vel *successores* designatæ personæ. 2⁰) Finitur *adveniente die,* vel *purificata conditione* sequestrationis. 3⁰) Tandem finitur *finita lite* per sententiam definitivam, a qua non fuerit appellatum.

Antequam materiam possessionis et proprietatis compleamus, præstat animadvertere quæstionem oriri posse circa acquisitionem bonorum ecclesiasticorum, quæ ab invasoribus occupata sunt, et ab iisdem alienantur. Hæc quæstio exhibetur et definitur in genere in cap. 18. *De Rest. Spol.* (II. 13), in quo non obstante rigore juris civilis, quod remedium concedebat directe adversus eum, qui vim intulisset, et ejus hæredem universalem, quin tertium possessorem respiceret, statuit *Innocentius III.* beneficium restitutionis urgeri etiam posse contra *tertium* possessorem, qui scienter acquisiverit rem ab invasore occupatam. Sed eadem quæstio fuse pertractatur a *Benedicto XIV.* in Epistola ad Secretarium S. Congr. de Propag. fide data d. 19. Mart. 1752, quæ incipit '*Urbem Antibarum*' occasione quarumdam quæstionum Archiepiscopi Antibarensis circa bona Ecclesiarum prius occupata ab infidelibus, et deinde empta a Christianis. In §. 22. præsertim tradit ex sententia theologorum bona *mobilia* taliter empta posse tuta conscientia retineri, dummodo christiani emerint animo restituendi, quotiescumque impensæ pecuniæ a domino fuerit restitutio oblata.

Contrarium tamen esse tenendum docet de bonis *immobilibus*, quæ restituenda esse tradit una cum fructibus absque ulla restitutione pretii ab Ecclesia facienda.

7. Devenientes ad *nostra* tempora habemus 1°) 'Usurpantes, aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes' incurrere excommunicationem latæ sententiæ *speciali modo* reservatam Summo Pontifici. *(Const. Apostol. Sedis.* cl. I. n. 11.); 2°) alienationem bonorum Ecclesiæ sive ab usurpatoribus, sive ab eis factas, qui causam habuerunt ab ipsis usurpatoribus, et relativas acquisitiones esse nullas, et 'alienantes, et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravag. *Ambitiosæ*', incurrere excommunicationem latæ sententiæ *nemini* reservatam. *(Const. Apostol. Sedis.* cl. IV. n. 3.) Cfr. etiam excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam, latam a Conc. Tridentino sess. 22. cp. 11. *de Ref.*

8. Ut vero pro temporis circumstantiis conscientiæ fidelium consuleretur, inducta sunt remedia. Et quidem post rerum publicarum eversionem, quæ sub finem elapsi sæculi et initium labentis contigit, S. Sedes ope fœderis initi cum variis regnis et guberniis statui Ecclesiarum providit, et alienationes bonorum ecclesiasticorum a publica auctoritate licet illegitima factas ut plurimum sancivit. Quare inducta est praxis ut si recurrerent ad Sedem Apostolicam illi qui bona retinebant, quæ inciderant sub dispositione fœderis vulgo *'concordati'*, provideretur per *declaratoriam* cum *hortatoria*. Idest S. Sedes declarat bona acquisita a privatis retineri posse ceu propria; hortatur vero eos, ut si quæ sint onera pia adnexa, illa adimpleant. Exempla præsto sunt in declaratione S. Pœnitentiariæ ad J. Bouvier, professorem *Cenomanensem*. d. 26. Martii 1818, in Brevi «*Epistolam accepimus*» *Gregorii XVI.* ad Episcopos Belgorum, in responsis S. Pœnitentiariæ ad Archiepiscopum *Coloniensem*. d. 27. Nov. 1891 et d. 7. Febr. 1894.

9. Quod si recurrerent illi, qui bona retinebant non comprehensa in fœdere, prius quidem concedebatur facultas illa retinendi sub tribus conditionibus: 1°) Standi mandatis Ecclesiæ. 2°) Adimplendi pia onera. 3°) Certiorandi de his hæredes et successores. Deinde vero auctoritate Pontificis factum est ut possessores istorum bonorum, quæ in fœdere non comprehenduntur, admitterentur

ad compositionem cum Ecclesia. Quoad vero actualem spoliationem Ecclesiarum præsertim in Italia, remanet quidem prohibitio alienationis et acquisitionis sub pœna nullitatis, non solum ex dispositione generali Constitutionis *Apostolicæ Sedis*, sed etiam ex publicis et solemnibus protestationibus Summi Pontificis. At justa causa interveniente concedi solet facultas emendi bona ab invasoribus occupata, et si fuerint coëmpta absque venia, concedi solet absolutio a censuris, et facultas retinendi eadem bona. Itemque delegari solent Episcopi ad concedendam hanc facultatem ex responso S. Pœnitentiariæ, d. 24. Jan. 1890. In primo autem et in altero casu conditiones exigi solent, inter quas prima et præcipua est, ut bona ecclesiastica acquirenda vel acquisita conserventur et retineantur ad nutum Ecclesiæ, et cum obligatione standi mandatis inde ferendis.

Titulus XVIII.

De Confessis.

1. Aggreditur *B. Raymundus* novum tractatum, qui respicit partem non minus propriam et essentialem judiciorum, nempe *probationes* juridicas eorum quæ veniunt in judicium. Præmittitur vero titulus *De Confessis* quia per confessionem unius collitigantis, cum quibusdam conditionibus factam, alter eximitur ab onere probandi. — Confessio in sensu tituli est *'asseveratio illius quod ab adversario intenditur'*.

Divisio: Confessio est aut *judicialis* aut *extrajudicialis*. Judicialis est quæ in jure fit seu in actibus judicii, coram legitima persona. Si enim vel extra locum ubi jus redditur, et extra acta judicii, vel coram persona incompetenti facta fuerit, haberi nequit ceu confessio judicialis. Censetur vero judicialis confessio 1°) si fiat coram ipso *judice causæ* sedente pro tribunali vel si articulis transmissis ex judice pars *scripto* respondeat; 2°) si coram *notario,* qui fuerit obligatus ad confessionem excipiendam; 3°) confessio coram *arbitro* legitime constituto etiam habetur uti judicialis. Quæ *aliter* fiat confessio, dicitur extrajudicialis, quia facta est extra judicii locum et non coram legitima persona.

Alia confessio est *simplex*, alia *qualificata*. Simplex ea est quæ pure et simpliciter admittitur, idest asseritur intentio adversarii. Qualificata est ea qua quis non solum fatetur in quod inten-

dit adversarius, sed etiam circumstantias et adjuncta facti exponit per quæ majorem inducit veritatis præsumptionem.

Alia est confessio *cum adjectione causæ*, alia *sine adjectione causæ*. Prima locum habet cum quis confitetur non solum intentionem adversarii, sed etiam titulum cui intentio illa innititur. Secunda est quæ exhibet solummodo intentionis adversæ partis asseverantiam.

Alia est *jurata*, alia *non jurata*, prout eidem vel accesserit vel non accesserit juramentum.

2. De valore confessionis et I⁰. De conditionibus *in genere* necessariis, ut valeat confessio.

1⁰) Conditio ea est ut emittatur ab eo, qui *major* est ætate; qui enim minor est, absque curatoris assistentia nequit sibi nocere in judiciis.

2⁰) Confessio debet esse *spontanea* et *libera*. Quæ enim ex coacta procedunt voluntate, non revelant rerum veritatem.

3⁰) Cum plena libertas esse nequit etiam, ubi deest cognitio rerum, hinc confessio ut valeat debet ex *certa scientia* procedere.

4⁰) Debet esse contra *ipsum confitentem;* tertiæ enim personæ non præjudicat.

5⁰) Debet esse de re *litigiosa* et quidem de re *certa*, non vero incerta.

6⁰) Talis esse debet confessio ut nec *jus* nec *natura* repugnet. Hisce positis

3. II⁰. De valore juridico confessionis *extrajudicialis*. Generalis regula est: 'Confessio extrajudicialis præsente adversario facta cum adjectione causæ in *civilibus* habetur loco probationis, ita ut adversarius eximatur ab onere probandi suam intentionem.' Ita ex jure romano. l. «Cum de indebito». ff. *De Probation.* Consonat cap. 10. *De Probationib.* (II. 19) et glossa in c. 15. C. 3. q. 9. Hinc vi hujus confessionis qui eam emisit potest condemnari. Ratio est quia præsente adversario non præsumitur quis velle fictitiam obligationem palam facere, simulque causam exprimere per quam debitum speciale cognoscitur. Quare moraliter impossibile videtur contrarium. Atqui ut judex procedat ad sententiam, requiritur solum et sufficit moralis impossibilitas oppositi. Ergo. Requiritur vero a) Ut pars adversa sit *præsens*. Ita gloss. in cap. 14. *De fide instrum.* (II. 22) v. «Sed si causam». Nam major cautela solet in sermone observari præsente adversario, a quo timere possimus

præjudicium, quam cum nemo est, qui contra nos nostra confessione uti possit. In jure autem censetur adesse præsens confessioni adversarius, cum vel ipse vel ejus gestor negotii, aut procurator confessionem audierit. Quod si vero absente parte adversa edatur confessio extrajudicialis cum causa, ea vim habet probationis *semiplenæ,* scilicet per se non relevat alium collitigantem ab omni onere probationis, nisi alia adminicula concurrant, quæ ostendant confessionem fuisse emissam serio, et ex animi persuasione, et ex certa scientia obligationis. Ita ex. gr. si confessio absente adversa parte emissa fuerit per scripturam, vel eo magis per instrumentum. Ita etiam si juramento fuerit confirmata. Ita si ex intervallo serio fuerit geminata. Ita etiam si fuerit facta favore causæ piæ, ita ut qui confessus est, appareat voluisse consulere animæ suæ. In hisce enim casibus, qui confitetur parte adversa absente, præsumi nullo modo posset voluisse illusorie animi sui sensus aperire.

4. b) Requiritur *adjectio causæ obligationis,* ut judex cognoscat confitentem fuisse locutum de illo debito in specie determinato, de quo actor quæstionem movit. Quare defectus mentionis causæ aliquando imminuit vim probativam confessionis, nec proinde eximit adversarium ab onere probandi. Ita cap. 14. *De fide instrum.* (II. 22). Hinc doctorum sententia communis, hanc confessionem solummodo semiplenæ probationis virtutem obtinere; quæ proinde vires plenæ probationis potest acquirere ex adminiculis. Si ex. gr. iterato fiat ex intervallo, et uniformiter super determinato objecto, quia confitens demonstrat firmam voluntatem debendi. Ita ex. gr. si fiat cum juramento, quia nemo præsumitur velle, non veram obligationem contra se in alterius favorem firmare jurejurando.

5. c) Ut valeat confessio extrajudicialis debet esse *serio prolata,* non vero ex passione iracundiæ, aut ex metu vel importunis suasionibus exorta. Pariter debet esse *principaliter,* non vero incidenter prolata. Nam ea, quæ incidenter dicuntur, potius inadvertenter quam ex plena consideratione et consilio pronunciata fuisse præsumuntur.

Doctores adsunt qui contendunt confessionem extrajudicialem, ut probationis virtutem habeat, requirere etiam adversæ partis acceptationem. At non videtur necessaria expressio hujus acceptationis.

Nam ubi præsumptio juris assistit, necesse non est requirere aliquid superadditum. Jamvero a jure quis præsumitur adprobare, quod in sui favorem vel asseveretur vel geratur.

6. Hæc vero quæ diximus, valent in causis civilibus. Si enim sermo sit de *criminalibus* causis confessio extrajudicialis cujuslibet delicti non habetur ceu plena probatio. Nam ad demonstrandum aliquem reum fuisse criminis alicujus, præsertim quod secumferat pœnam gravem, requiruntur probationes, omni exceptione majores, quæ nempe in animo judicis certam inducant persuasionem non solum de auctore delicti, sed etiam de moralitate actionis, et de gradu culpabilitatis. Pœna enim gravis haberi potest ceu damnum irreparabile saltem quoad famam et publicam opinionem. Quare extrajudicialis confessio præsertim si in judicio impugnetur, merito non præsumitur facta ex animi consilio, sed potius ex levitate aut ex extrinseca coactione. Hinc reus non potest ex sola extrajudiciali confessione condemnari pœna ordinaria in articulo codicis determinata contra aliquod delictum, sed pœna extraordinaria plectetur.

7. Sed quæritur: 1°) quomodo *probetur* extrajudicialem confessionem intervenisse?

Probatur factum confessionis extrajudicialis prolatæ: 1°) Si is qui eam emiserit, dicat *in judicio* se eam emisisse. 2°) Eo negante sufficienter probata censetur confessio ex fide et depositione *duorum contestium.* Cap. 23. *De Testibus* (II. 20). Satis enim probatum factum habetur in judicio, ubi duo contestes fide digni de eodem facto deponant.

8. III°. de valore confessionis *judicialis.*

Confessio judicialis si juxta formam et conditiones superius descriptas emissa fuerit, æquivalet veræ probationi, ita ut altera pars eximatur prorsus ab onere probandi suam intentionem. Ita communiter ex cap. ult. *De Cohabit. Cleric. et mulier.* (III. 2) necnon ex cap. 24. *De Verb. Signif.* (V. 40). Immo quamvis ad normam juris romani aliquibus videatur necessaria præsentia adversæ partis, ut confessio hanc plenam probandi virtutem habeat, juxta l. fin. ff. *De Interr. in jure faciend.*, tamen merito docent auctores hanc præsentiam adversæ partis ex jure canonico non requiri. Ratio est quia in cit. cc. ult. *De Cohabit. Cleric. et mul.* et 24. *De Verb. Signif.* absque ulla mentione partis adversæ præsentis traditur in priore cit. cap. *expresse*, in altero *implicite* confessionem

judicialem rem facere manifestam, immo notorium juris producere. Effectus autem notorietatis juris est, ut quoad probationis virtutem, id, quod notorium est ex confessione judiciali, æquiparetur notorio per sententiam ipsam judicis. Itaque etiam absque præsentia adversæ partis, confessio judicialis tanti facienda est, ut plenam probationem exhibeat.

Diximus autem hanc regulam implicite tradi in cap. 24. *De Verb. Signif.* (V. 40). Nam *Innocentius* in hoc capite nominat solum in genere confessionem, eique tribuit vim reddendi rem manifestam et notoriam. Sed 1°) animadverti potest *saltem* de confessione *judiciali,* quæ extrajudiciali prævalet, verificari debere, quod in genere de confessione asserit Innocentius; 2°) in hoc cap. 24. confessionem æquiparari *legitimæ probationi,* quæ phrasis innuit probationem in jure factam, et per consequens etiam videtur innuere confessionem pariter factam in jure.

9. Ex primo hoc effectu confessionis judicialis sequitur secundus, ipsam nempe in civilibus haberi contra confitentem, ceu sententiam ac rem judicatam. Hinc inspecto rigore juris romani sententia non requirebatur, sed sufficiebat *mandatum* judicis exsecutivum. Ita in l. 1. ff. *De Confessis.* Diximus vero in civilibus; quia in criminalibus confessus non habetur pro judicato neque jure *romano,* sed requiritur sententia judicis, qui omnibus perpensis reum condemnet. L. 5. ff. *De custodia reorum.* Etiam ob principium generale communiter receptum, scilicet ad pœnam subeundam, etiam ab ipso jure inflictam, quando requiritur externa exsecutio, nemo tenetur nisi judicis sententia præcesserit. Immo hodie universaliter invaluit usus, ut etiam in civilibus confessio vim probativam tantummodo habeat, et proinde pro coactiva solutione obligationis requiratur subsequens sententia judicis in judiciis saltem solemnibus, in quibus nempe proceditur servato ordine juris, quia ordo judiciarius sententiâ clauditur. Quod firmatur etiam cap. 10. *De Transact.* (I. 36) ubi Pontifex in specie confessionis judicialis ait 'Respondemus, quod ex prædicta Fratrum confessione contra eos sententia procedere debeat'.

10. Tertius effectus judicialis confessionis est *sanatio* defectus ordinis judicialis non servati in processu conficiendo. Regula hæc desumitur ex cap. 1. *De Accusat.* (V. 1) in 6°., ubi quamvis non præcessisset diffamatio et regularis inquisitio juxta cap. 24. *De Accusat.* (V. 1), tamen traditur ob confessionem posse procedi ad sen-

tentiam proferendam. Verum excipitur casus quo processus fuerit irregularis ob defectum jurisdictionis in *judice*. Namque confessio esset emissa coram judice incompetente, quæ proinde plene non probat, sed æquiparatur confessioni extra judicium emissæ.

11. Quartus effectus est ut contra explicitam confessionem et sententiam inde secutam *non* detur *appellatio*, seu non attendatur appellatio si forte proponatur. Ita cap. 61. §. «Porro» *de Appellat.* (II. 28). Quia æquum non est dari appellationem contra excessum evidentiæ quæ ex confessione resultat. At quando allegari potest vel metus, vel error, vel aliquis defectus in confessione, utique admittitur appellatio. Ita etiam admittitur quando judex excessit limites confessionis in sententia.

12. Pariter appellatio contra propriam confessionem in causis criminalibus non excluditur. Quia ad excludendam appellationem plura alia requiruntur, ob damnum, quod ex sententia judicis timeri potest. Quare doctores solent ad excludendam appellationem requirere, ut reus nedum sit confessus, sed etiam ut sit *convictus*. Convictus vero dicitur reus, quando vel ex testibus, vel ex instrumentis, vel ex indiciis indubiis constet ejus culpabilitas.

13. *An possit revocari confessio judicialis.*

In genere non admittitur alia revocatio nisi ea quæ fit in incontinenti, seu quæ fiat a confitente in eodem judiciali contextu, et antequam ipse a præsentia judicis recedat. Cap. 7. *De Testib. cogend.* (II. 21). Quisque enim coram judice præsumitur omnia caute et prudenter exponere, nec sibi velle præjudicium inferre. Hinc completa confessione in judicio, qui eam emisit, censetur plene cavisse rei veritati. At revocari potest etiam confessio judicialis ex intervallo a) Si quis revera probare potest, se *errore facti* fuisse deceptum. Ex. gr. in quæstione punctaturarum solvendarum, si reus in judicio confiteatur se actori debere centum, in animo suo ex errore facti revolvens, se per centum dies a choro abfuisse, dum revera ex libris capituli constet solummodo per septuaginta dies non interfuisse. b) Si *minor ætate* grave damnum passus sit ex confessione. Minoribus enim graviter læsis conceditur restitutio in integrum.

14. *An scindi possit confessio,* vel debeat admitti in omnibus suis partibus, scilicet tum in iis, quæ confitenti adversentur, tum in iis quæ eidem faveant. Ex. gr. in civilibus si quis confiteatur se pecuniam mutuam accepisse, sed simul asserat se a creditore

deceptum fuisse in contractu ineundo; in criminalibus vero si quis confiteatur se crimen patrasse, sed provocationem fuisse passum simul affirmet.

Non desunt doctores, qui licet teneant in *criminalibus* scindendam esse confessionem, quia præsumitur reus velle sese tueri et effugere pœnam; dicunt tamen confessioni in *civilibus* penitus standum esse, nec eam scindi posse, nisi jura præsumere faciant contra confitentem; quia confessio, ceu actus spontaneus præsumitur emissus pro rerum veritate. — Verum contraria sententia firmior et probabilior videtur, sive in criminalibus sive in civilibus causis. Scilicet admitti potest confessio in ea parte, quæ favet adversario, non autem admittenda est confessio in ea parte, quæ ipsi confitenti favet; nisi demonstretur *rationabilitas* eorum quæ dicuntur, et probabilibus rationibus non oppugnetur confessio confitenti favorabilis. Ratio est, quia nemo præsumitur contra se velle confiteri, jus vero in genere præsumit contra ipsum confitentem, qui in sui favorem loquatur. At hæc præsumptio cessat, quoties rationabilibus argumentis probabilitatem confessionis in sui favorem ostenderit. Ergo etc.

15. *An judici inquirenti reus teneatur veritatem fateri.*

Profecto si judex non legitime interroget, reus haud sane tenetur respondere, seu poterit negare responsionem, vel ad eludendam interrogationem judicis poterit uti circumlocutione et oratione ambigua, aut alio artificio, excluso tamen positivo mendacio. Quid vero si legitime interroget judex? — Ut judex legitime interroget requiritur a) ut judex jurisdictione gaudeat in personam interrogatam; b) judex non potest uti interrogationibus suggestivis et modis seu verbis captiosis haud permissis a lege; c) ut legitima sit interrogatio judicis in criminalibus, necesse est ut præcesserit vel interrogatio, vel accusatio, vel denunciatio, aut infamia rei super aliquo crimine; vel saltem aliqua manifesta indicia apparuerint de culpabilitate ejusdem; ita cap. 24. *De Accusat.* (V. 1); — quare legitima interrogatio esse non potest de criminibus prorsus occultis, quæ natura sua sunt nota soli Deo; — nec principaliter interrogare potest judex reum de aliis criminibus, quæ nec natura sua nec ex indiciis connexa sunt cum crimine, in quo legitime interrogat. Ratio est quia ordini judiciorum optime consulitur, si inquisitio ad plura non distrahatur, sed restringatur præcipue ad principale negotium, quod est objectum processus.

Antequam quæstioni propositæ respondeamus, animadvertimus quæstionem esse potius *moralem* quam canonicam, nam respicit obligationem conscientiæ. Verum canonica etiam est et judici in foro externo potest inservire. Potest enim judex ecclesiasticus magis vel minus insistere contra reum ad sinceram confessionem exigendam, et magis vel minus tute fidere responsionibus rei, prout theoretice scit majorem esse vel minorem obligationem rei ad respondendum sincere et explicite interrogationibus propositis.

16. Hisce positis in genere dicimus, reum, si a suo judice servato juris ordine, seu legitime interrogetur, teneri ad veritatem pandendam, quam interrogatio specifice respicit. Hanc vero obligationem exponendi veritatem etiam vinculo religionis validiorem reddi, si reus juramentum præstiterit de veritate dicenda.

Ratio conclusionis est, quia judex legitime interrogans exercet jurisdictionem suam circa rei personam, et jure suo utitur, quod habet inquirendi veritatem ut justitiam tueatur, ac proinde ex parte rei viget obligatio obediendi judici legitime interroganti. Quod a fortiori verificatur si deferatur juramentum, nam reus mendax fieret etiam perjurus.

17. Diximus conclusionem datam in genere valere; nam si in specie sermo sit de *majoribus criminibus*, quæ secumferunt maximas pœnas capitis, carceris perpetui, vel triremium, docent plures magnæ notæ auctores, reum non obligari sub gravi ad manifestandum judici crimen, quod cæteroquin probare nequit, sed ubi spes adsit, non facta confessione, evadendi tantam pœnam. Hinc excluso mendacio poterit reus eludere judicis interrogationes. Ne autem perjuriis occasio daretur, mos invaluit ut reo in criminalibus causis præsertim majoribus, non deferatur juramentum de veritate dicenda. Ratio conclusionis est, quia judicis præceptum ut sit legitimum non solum debet inniti abstracto conceptui jurisdictionis et potestatis, sed etiam debet esse in concreto accommodatum humanæ conditioni. C. 2. D. 4. Atqui videtur esse nimis durum, et parum naturæ hominis accommodatum, instinctu vitæ et libertatis vehementer acti, præceptum manifestandi crimen in eum præcise finem, ut pœnam criminis acerbissimam subeat. Igitur præceptum hujusmodi si a judice imponatur, non est undequaque legitimum et obligans reum. Accedit animadversio. Scilicet saltem dubiam esse in casu legitimitatem præcepti judicis. Atqui valida ratio juridica suadet obligationem obediendi judici impe-

ranti, in dubio legitimitatis interrogationis reum non adstringere juxta regulam 11. juris in 6°. quæ statuit in dubió favendum esse reo. Ergo.

18. Diximus tamen excluso mendacio. Nam non posset cohonestari mendacium ex spe evadendi pœnam. Qua in re sciendum est damnatam fuisse ab *Innocentio XI.* d. 2. Martii 1679 sequentem propositionem 26.: *'Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est perjurus'*; cfr. etiam prop. 27. — Si bene intelligatur intentio damnationis hujus propositionis, apparet non fuisse ulla ratione proscriptam supra expositam sententiam. Nam Pontifex proscribit proprie dictam amphibologiam et restrictionem pure mentalem, quæ tunc verificatur, cum adhibitis verbis, quæ unum solummodo sensum habent, ob diversam solam mentis intentionem, qui loquitur, dicit vel non contigisse factum, quod contigit, vel aliter contigisse quam revera contigit. Ita ex. gr. si quis interrogatus an certa die, certaque hora transierit per aliquam viam, neget, eo quod in mente cogitet, alias non transiisse per eamdem viam, dum revera per illam viam transierit. At quando dicunt auctores non teneri reum absque mendacio pandere veritatem judici interroganti, non excludunt posse adhiberi restrictionem mentalem; cum tamen dicunt adhibendam esse quæ fundamentum habet in realitate factorum, ita nempe ut circumstantia de qua interrogatur reus, sive in se sive ob verba, quibus exprimitur, optime possit dupliciter accipi et explicari. Hinc dum in uno sensu sumitur ab interrogante, potest ab eo qui respondet intelligi in alio sensu, et per consequens mendacium et perjurium locum non habet; nam reus quamvis non respondeat cohærenter ad judicis mentem, tamen ejus adsertio vera est. Ergo.

19. Pro intelligentia tituli, et consequenter ad quæstionem pertractatam aliquid de positionibus est dicendum. *Positiones* quæ appellari etiam solent *articuli,* inductæ sunt primitus ex consuetudine et deinde per leges positivas approbatæ fuerunt, ut obtenta quo fieri melius possit partium confessione, expeditiori litium termino consuleretur.

Positio est pura et nitida allegatio alicujus facti ad causam quæ agitatur pertinentis, in scriptis, et sub juramenti fide pertinentis exhibita ad hunc scopum ut si factum allegatum ab una admittatur ab altera parte collitigante, is qui allegationem hanc proposuit, eximatur ab onere probandi factum allegatum. Formula positionum hæc est 'Dico, vel pono, esse verum me tibi mutuo dedisse centum'. 1⁰) Positio debet esse *pura et nitida* allegatio facti, quia clare debet exprimi id quod unus ex collitigantibus desideret et postulet ab alio admitti. Hinc positio captiosa vel æquivoca non admittitur. 2⁰) Positio est allegatio *facti*, nam positio juris non admittitur. Hinc ex. gr. unus ex collitigantibus non potest alium interrogare utrum ita vel aliter legem intelligat et recipiat. Determinare enim juris quæstionem est proprium judicis. 3⁰) Factum allegatum in positione debet *ad causam pertinere*, nam impertinens et aliena circumstantia respui merito potest. 4⁰) Juxta dispositionem juris canonici cap. 2. *De Testib.* (II. 10) in 6⁰. qui proponit positionem tenetur juramentum emittere de veritate dicenda. Positio hisce conditionibus suffulta et a judice recepta non potest ab altera parte sperni, sed eidem vel assentiri vel contradicere debet, ita ut si absque rationabili causa respondere recuset, pro confessa habeatur. Ita in cap. 2. h. t. in 6⁰. Etenim in judicio collitigantes rationem reddere tenentur factorum, quæ ab alterutro allegantur et judex potest præcipere partibus, ut facta explicent. Hinc qui respondere recusat, merito in hoc ipso punitur, ut pro confesso habeatur.

Positiones quamvis regulariter fiant ab actore, tamen proponi etiam possunt a reo, quia utriusque interest simpliciorem reddere statum quæstionis, et cognoscere quid ab altera parte pro certo habeatur et extra controversiam, quid vero controvertatur. Cum vero positiones sint loco probationum, ex cap. 2. h. t. in 6⁰. 1⁰) proponendæ sunt *post* litem contestatam usque ad terminum utilem pro adducendis probationibus; 2⁰) responsio facienda est pura et simplex, seu clara et manifesta.

Usus proponendi formales positiones in judiciis non est amplius frequens, idest in omnibus causis ordinario non servatur, bene vero sive in scriptis allegationibus, sive in discussione verbali causarum ab alterutro ex litigantibus, possunt particulares circumstantiæ facti proponi, ut circa eas adversarius respondeat; judex vero ex agendi ratione hujus normam et lumen in proferenda

Pariter quamvis, uti vidimus, in genere per exceptionem non inducatur litis contestatio, tamen si appareat exceptionem non fuisse simplicem, sed adjunctam habuisse negationem oppositam intentioni actoris in libello propositæ, etiam inducta esse censetur contestatio litis. Ita si reus diceret 'Nego vera esse, quæ actor dicit, et exposcit, nego scilicet existere titulum ex. gr. mutui aut locati conducti ab actore contra me propositum, eo quod numquam mutuum accepi, aut domum actoris conduxi; quod si vera essent quæ asserit actor, opponerem et oppono exceptionem præscriptionis, donationis etc.' Exceptio hujusmodi non est simplex sed includit animum resistendi intentioni actoris. Hinc ea inducit litis contestationem. Hæc interpretatio applicanda est cc. 6. *De Exceptionibus* (II. 25) et 16. *De Testam.* (III. 26) et aliis similibus locis juris, in quibus supponitur litis contestatio inducta fuisse per exceptionem oppositam a reo. Animadverti debet nostris moribus etiam in negotiis ecclesiasticis litigiosis, quæ tractantur penes sacras Congregationes Romanas, dum proceditur juris ordine servato, contestationem litis perfici per concordationem dubiorum seu quæstionum agendarum, quæ concordatio conficitur vel coram Cardinali causæ relatore in S. Congregatione Episcoporum et Regularium, vel coram auditore Secretarii, juxta praxim S. Congregationis Concilii.

De effectibus contestationis litis.

7. Profecto loquimur de contestatione litis, quæ valide facta fuerit, nam invalida contestatio litis nihil operatur Authen. «Offeratur.» C. *De litis contest.*

Quo posito I^us^. effectus contestationis litis est *constitutio judicii*, scilicet per eam status quæstionis figitur et determinatur natura judicii, ita ut facta litis contestatio impediat, quominus fiat libelli mutatio. Quare definita natura judicii potest inde in actibus judicialibus procedi etiam usque ad sententiam definitivam, ad quam non posset in judicio solemni et ordinario deveniri, absque litis contestatione. Cap. un. h. t. — 2°) Per litis contestationem ineunt partes ligitantes *quasi contractum* et suscipiunt obligationem prosequendi tale judicium determinatum in contestatione, seu comparendi coram judice, quoties opus fuerit, et non recedendi temere ab eodem judicio. Immo si reus est alienigena, sese ac-

commodare debet statutis et normis judicialibus loci, ubi litigat. — 3°) Actiones pœnales, quoad effectus civiles, quæ oriuntur ex delicto post litem contestatam transeunt contra *hæredes* delinquentis. Tenentur enim et conveniuntur isti hæredes non tam ex delicto, (vi cujus non tenerentur, nisi in quantum ad eos pervenerit occasione delicti,) quam ex quasi contractu litis contestatæ. §. 1. Inst. *De Perpet. et Temp. action.* — 4°) Litigantes suscipiunt obligationem de *judicato solvendo.* Seu pars, quæ adversam patitur sententiam, cogitur ad præstandum id, quod in sententia definitum est. Unde ex quasi contractu litis contestatæ oritur actio judicati. — 5us. effectus est, ut non possit judex recusari, nisi ex causa, quæ deinde superveniat, aut quæ exstiterit antea, sed notitia ejus post litem contestatam acquiratur. Ratio est, quia partes litigantes per litis contestationem censentur consensisse in judicem et renunciasse juri recusationis. C. «Nemo.» C. *De Juris d. omn. jud.* et C. 25. *De off. deleg.* (I. 29). 6°) Hinc etiam nequeunt amplius opponi exceptiones *declinatoriæ fori,* aut *dilatoriæ* judicii. Cœptum enim censetur esse judicium, et agnita jurisdictio judicis. Cap. 20. *De Sent. et Re Jud.* (II. 27). 7°) Per litis contestationem actiones temporaneæ efficiuntur *perpetuæ* in sensu juris. Scilicet non perimuntur, nisi longa præscriptione 30 vel 40 annorum. L. ult. C. *De Præscript. 30 ann.* 8°) Quamvis *procurator* ad lites possit ante litem contestatam revocari a litigante etiam absque causa, tamen post litis contestationem *revocari nequit,* nisi adsit justa causa. Cap. 3. *De Procurat.* (I. 19) in 6°. Procurator enim per litis contestationem fecit causam suam, seu factus est dominus litis, quique proinde a possessione litis removeri non potest, nisi ex rationabili et cognita causa, quæ eum suspectum reddat vel minus idoneum ad patrocinium sustinendum. 9°) Tandem per litis contestationem interrumpitur *præscriptio* etiam longi temporis. L. 26. C. *De rei vindicat.*

Titulus VI.

Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam diffinitivam.

1. Ex notionibus generalibus circa valorem juridicum partium corporis juris nostri sequitur, rubricam tituli præsentis veram legem exhibere. Nam determinatum et præceptivum sensum habet.

Hinc ceu generalis et præceptiva norma accipiendum est principium rubricæ, ut nempe non debeat judex procedere ad receptionem testium, et ad sententiam proferendam, nisi antea lis fuerit contestata. Et merito; nam ante litis contestationem adhuc punctum quæstionis non determinatum esse censetur; et incertum est utrum lis secutura sit necne. Hinc litis contestatio dicitur esse fundamentum et principium judicii, ac in actibus judicii procedi non potest, nisi antea cognita sit petitio actoris et negatio rei, ex quibus apertum fit, quid sit probandum ab actore et a reo, cognoscitur propria qualitas judicii, et determinantur limites quæstionis. Confirmatur hoc ex regula cap. ult. h. t.

2. In rubrica tituli interdicitur sententia *diffinitiva.* Nam sententia *incidentalis*, seu *interlocutoria* potest pronunciari etiam ante litis contestationem. Interlocutoria sententia est, quæ non attingit meritum causæ, seu causam principalem, sed respicit quæstionem secundariam, quæ cum principali ita conjungitur, ut non possit causa in merito plene definiri, nisi antea judicium interlocutorium fuerit completum. Sic ex. gr. si reus proponat exceptiones declinatorias fori, vel exceptiones incompetentiæ, vel dilatorias judicii, si quæstio sit, utrum reus fuerit legitime citatus, vel utrum revera sit contumax, atque alia hujusmodi. De istis rebus videt judex, antequam etiam partes compareant, ut litis contestationem perficiant. Ratio est, quia quæstiones hujusmodi respiciunt ipsam competentiam judicis; aut ex iis dependet, utrum procedendum sit necne ad litis contestationem. Ex qua animadversione sequitur, posse recipi a judice etiam ante litem contestatam testium depositiones, quæ inserviant ad definiendas causas incidentales, et ad proferendas sententias interlocutorias.

3. Hisce explicatis tenet regula generalis, ut videlicet lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam diffinitivam. Verum hæc regula videri possit actori contraria, et lædere jus illius, quod experiri intendit. Nam si reus contumax esset, nec possent recipi testium depositiones, eludi possit actoris instantia. Quare merito nonnullæ *exceptiones* admissæ sunt.

4. I^a. exceptio: Juxta dispositionem cap. 5. h. t. §. 1. etiam in judiciis ordinariis et ante litis contestationem, ne rerum memoria pereat, et copia probationis ex fortuitis casibus subtrahatur, possunt recipi depositiones testium, quoties *periculum* urgeat et timor adsit, ne possint *deficere* sive ob mortem testium, quæ

proxima prævideatur, sive ob longinquam peregrinationem et diuturnam absentiam. Quæque ut locum habeant, requiritur 1°) Ut adsit rationabilis *causa.* 2°) Ne videantur recipi dolose testium auditiones requiritur ut citetur pars, *contra quam* illæ recipiuntur, dummodo possit citari, vel si non possit, citari cessante impedimento eidem denuncietur receptio testium jam facta. Quæ conditiones si omittantur, receptio testium non valet. Ita cap. 5. h. t. §. 1. Verum adnotat *Abbas* in idem caput receptionem hanc non esse nullam ipso jure, sed nullam reddi exceptione partis adversæ, aut sententia judicis. Hinc, nisi exceptio opponatur, valet sententia, quæ depositionibus hujusmodi innitatur. Judicis autem arbitrio remittitur decernere, quando periculum seu timor revera adsit vel non. Animadverti debet, interpretes adhærentes intentioni juris judici tribuere facultatem recipiendi ante litis contestationem depositiones testium, quoties rationabiliter timeri possit, ne testes ob moram longiorem rerum obliviscantur vel veritatem abscondant vel occultent. Immo possunt testium depositiones recipi, antequam judicium incipiat, si periculum adsit, ne memoria pereat. Cap. 41. *De Testibus* (II. 20).

5. IIª. exceptio est in casu *contumaciæ rei.* Scilicet si reus legitime citatus comparere neglexerit ad contestationem litis perficiendam et periculum sit in mora; si videlicet causa exquirat expeditam solutionem, poterunt hoc in casu non solum excipi testium depositiones, sed etiam poterit procedi ad sententiam diffinitivam. Ita in cap. 5. h. t. §. «Porro.» Quare duo requiruntur, ut absque litis contestatione procedatur 1°) *contumax* absentia rei; 2°) natura causæ quæ *celerem* requirat expeditionem. Hanc celerem expeditionem exquirunt præsertim causæ matrimoniales quoad valorem vinculi ob periculum incontinentiæ; causæ respicientes provisionem Ecclesiarum vacantium; causæ alimentorum, usurarum etc. Cf. Clem. 2. *De Verb. Signif.* (V. 11) et Clem. 2. *De Judiciis* (II. 1).

6. Quod si sermo sit de causa, quæ non requirat expeditam solutionem, jure canonico servanda est regula generalis de non recipiendis testium depositionibus ante litis contestationem, neque procedi potest ad sententiam diffinitivam. Sed opportuna præsto sunt remedia ad frangendam rei contumaciam. Remedia hæc exhibentur in cc. 3. et 5. h. t. §. «In aliis vero,» et in tt. 14. et 15. h. l. II. Scilicet distinguendum est inter personalem et realem

actionem, id est inter actionem, qua quis prosequitur *personam* ceu directe sibi et proprie obligatam, et actionem, quæ dirigitur contra *rem* determinatam, quam actor prosequitur uti sibi specialiter obligatam.

Si in actione *reali* reus sit contumax, praesto sunt remedia inferius exposita in tit. *De dolo et contumacia* (II. 14) n. 8. et tit. *De eo qui mittitur in possessionem causa rei servandæ* (II. 15). — Quod si sermo esset de actione *personali,* ad frangendam rei contumaciam jus tribuit judici præter facultatem utendi gladio spirituali censurarum caute tamen adhibendam, remedia descripta inferius n. 2. tit. *De eo qui mittitur* etc. (II. 15).

7. III^a^. exceptio respicit quæstionem nondum inceptam, sed periculum futuræ quæstionis, et testium depositiones recipiuntur ad perpetuam rei memoriam. Regula hæc est. Si quis timeat, ne in futurum quæstio excitetur super aliquo contractu, vel negotio, cujus sua interest, potest adire judicem et obtinere, ut audiantur formaliter testes, qui præsentes fuerunt contractui vel negotio, et eorum allegationes publicentur; et ne pereat memoria contractus vel negotii, poterit impetrare, ut eædem allegationes publicis tabulis inserantur, seu super ipsis publicum instrumentum conficiatur. Receptio autem testium antequam fiat, denunciari debet interesse habentibus, ut, si velint, dum ea perficitur, præsentes adsint. Hæc sapiens dispositio insinuatur in cap. 5. h. t. §. «Sunt et alii;» fusius vero et clarius traditur in cap. 41. *De Testibus* (II. 20), cujus species hæc est: Quidam nobiles ære suo ædificarunt Ecclesiam in Diœcesi Sabinensi, eamque sufficienti dote muniverunt. Quare ex dispositione sacrorum canonum jus patronatus assequi poterant. Jus patronatus nobiles isti exercuèrunt, nominantes primum Ecclesiæ rectorem. Verum fassi sunt, se nullum velle retinere jus in eandem ecclesiam, quam in posterum volebant fore liberam et a vinculo patronatus solutam. Rector Ecclesiæ timens, ne memoria periret promissæ libertatis, judicem Sabinensem adiit, ut juberet receptionem testium. Hic animo reputans principium tituli nostri '*Ut lite non contestata non procedatur ad receptionem testium* etc.' dubius hæsit. Res delata est ad *Innocent. III.*, qui imperavit, ut testes idonei, qui negotio interfuerant, et fundatores Ecclesiæ audierant, diligenter examinarentur, et interim receptio testium denunciaretur fundatoribus Ecclesiæ, vel eorum hæredibus, ut, si vellent, interessent, et tum dicta testium, tum denunciatio facta fun-

datoribus vel eorum hæredibus in publicum instrumentum redigeretur. Dispositio h. c. 41. nil aliud est quam exemplum quod regulam c. 5. h. t. §. 5. illustrat: «Sunt et alii casus similiter speciales,» ait Innocentius in dicto §. 5., «in quibus absque litis contestatione legitime possunt testes produci,» et in duobus a dispositione c. 5. h. t. §. 1[i]. differt: Nam 1[0] juxta cap. 5. recipiuntur depositiones testium vel ob imminens periculum *mortis,* vel ob diuturnam *absentiam.* Juxta mentem cap. 41. *De Testibus* recipiuntur testimonia, quamvis neutrum verificetur, sed solum *conservandæ memoriæ* causa. Hinc omnes indifferenter idonei testes interrogantur sive juvenes sive senes, sive incolumes sive infirmitate laborantes. 2[0]. Depositiones juxta cap. 5. h. t. consignentur judici pro causa *præsenti,* depositiones vero juxta cap. 41. *De Testibus* debeant publicari ad perpetuam rei memoriam, et ad evitandas lites *futuras.*

Hic referenda est

Resolutio

S. Congr. Concilii die 23. Januarii an. 1875 habita in causa Monacensi 'Species'.

8. Ex Bavaria, ut ex aliis Europæ regionibus, frequentes sunt transmigrationes in Americam et alias regiones trans oceanum, ex desiderio præsertim nanciscendi meliorem fortunam. Non semel evenit, ut istorum transmigrantium memoria fere pereat. Sæpe autem evenit, ut desiderio vagandi hac illac ignoretur domicilium seu locus, in quo actu commorantur. Jamvero in Bavaria ex longa, ut asseritur, consuetudine hæc inducta est disciplina, ut nempe uxor derelicta a viro, qui longinquas petiit regiones, libellum porrigat Curiæ episcopali expostulans sententiam separationis seu divortii a thoro et cohabitatione. Productis in Curia depositionibus testium et aliis documentis ad probandum virum transmigrasse in longinquas regiones nec notitiam haberi domicilii ejus, tribunal Ecclesiasticum reum citat per edictum, ut intra congruum tempus vel per se vel per procuratorem compareat, et citatio affigitur publicis in locis, nec non per ephemerides vulgatur. Elapso inutiliter tempore ad comparendum, judex procedit in causa usque ad sententiam diffinitivam divortii.*) Hæc praxis Archiepiscopo

*) Tribunal autem civile accepta sententia tribunalis ecclesiastici *decrevit* de effectibus civilibus (educationis et tutelæ filiorum, administrationis

Monacensi visa non conformis jure communi et arbitratus est eam condemnari a Rubrica tituli VI. '*Ut lite non contestata non procedatur ad testium auditionem, aut ad sententiam diffinitivam*' et a cap. 1. ejusd. tit. — In contrariam abeuntibus sententiam aliis Episcopis Bavariæ, quæstio proposita fuit in S. Congr. Concilii die 23. Jan. an. 1875 sub dubio: 'An in casu parte absente citata per edictum seu programmata, eaque non comparente, testes recipi et examinari possint, et sententiam definitivam pro separatione maritali a cohabitatione et thoro liceat proferre.'

9. S. Congregatio ob reverentiam debitam Archiepisc. Monacensi et aliis Episcopis experiri et præmittere voluerat votum consultivum Eminentissimi viri, qui opinatus fuit pro affirmativa resolutione, et S. Congreg. die prædicta habita respondit '*In Voto.*'

Pro hac quæstione et aliis similibus præstat præcipua argumenta expendere, quæ a viro Emo allata fuere.

I^m. argumentum. Ideo jus commune in Decretalibus relatum exegit contestationem litis in causa divortii quoad thorum et cohabitationem, quia indoles et natura hujus causæ illam expostulat. Nam judex ut officio suo fungatur, et studeat partes sibi invicem conciliare, et utramque deterrere a separatione maritali, opportunum est, ut partes ad suam præsentiam convocet, statum quæstionis ab ipsis cognoscat, peculiares circumstantias investiget, quibus prudenter providendum est. Hinc nil mirum, si jus canonicum statuerit per pœnam excommunicationis compellendum esse contumacem ad comparendum coram judice. Cap. 1. h. t. Verum hæc dispositio optima est, cum agitur de reo, qui commoratur in loco judicis, vel in loco non dissito. At non idem dicendum est de reo in *longinquis* commorante, cujus notitia non habeatur, cujus commorationis locus ignoretur, quique prævideatur difficulter aut impossibiliter redire posse. Si agatur enim de reo tali, quisque videt præfatam dispositionem canonicam casui aptari non posse et pœnam inutilem prorsus esse. Insuper intimatio censuræ in hoc casu non bene consonat cum sobrietate, prudentia, et circumspectione, quæ Tridentinum Concilium vult adhiberi in usu censurarum. Ergo

bonorum et dotis recuperandæ), sed a Calendis Januarii 1876 jam non accipit sententiam ecclesiasticam ob introductum matrimonium, quod vocant, civile juxta legem Imperii Germanici, d. 6. Febr. 1875.

casus propositus talis est, ut dici non possit incidere, utique ex immutatione temporum, sub dispositione cap. 1. h. t.

II^{m}. argumentum. In sensu juris antiqui excommunicatio in hypothesi contumaciæ rei, dum agitur de quæstione separationis conjugum, non est a jure inducta, ut imponeretur finis judicio, sed ut esset remedium juridicum, quo reus contumax adigeretur ad litem contestandam, ita ut, si reus insordesceret in censura, seu si sperneret censuram, posset judex ultro procedere. Jamvero in nostra hypothesi de viro commorante in longinquis regionibus insordescentia in censuris saltem ordinarie verificari non potest. Non enim ordinarie loquendo citatio per edictum potest ad eumdem pervenire, et per consequens vir ignorans censuram contra se comminatam eam non incurrit; hinc deest elementum necessarium, ut insordescentia in censura verificetur. Quo posito in casu nostro deest elementum necessarium, seu elementum, quo finis imponeretur judicio modo legitimo. Atque ideo judicium perpetuo maneret suspensum, quod non consonat intentioni juris nostri. Concludendum est igitur, speciem nostræ quæstionis extraneam esse a dispositione capitis 1. h. t.

III^{m}. argumentum. Ipsum jus canonicum modificationes quasdam posuit circa rigorem juridicum ordinis servandi in foro Ecclesiæ. Ita celebris Clement. «Dispendiosam.» *De Judiciis* (II. 1). Ita Clement. «Sæpe contingit.» 2. *De Verb. Signif.* (V. 11). Pariter notabat Emus Consultor, tribunal S. Rotæ Romanæ, licet sit tenax custos traditionum antiquarum, aliquas tamen modificationes subiisse in ordine ad formas judicii servandas ob mutatas circumstantias. Pariter notabat, post Concordatum inter Apostolicam Sedem et Imperatorem Austriæ fuisse confectum, et publicatum et adprobatum ordinem quemdam servandum in causis matrimonialibus pertractandis, et in hoc fuisse appositas modificationes quasdam Veteri Juri. Et tandem placuit eidem referre textum *Sanchezii De Matrim.* Lib. X. Disp. 19. ubi ait: 'Rationi esse videtur consentaneum, ut Judices Ecclesiæ non teneantur cum Indorum neophytis in divortii sententia ferenda figuram ac judicii strepitum servare, prout servant, et servare debent cum Hispanis, ob speciales circumstantias locorum et personarum.' Ex quibus omnibus juxta mentem clarissimi Consultoris hæc duo concludi possunt. Vel species in quæstione *non includitur* sub dispositione veteris juris; vel etiamsi inclusa fuisset primitus ratione legis generalis, tamen

ob immutatas temporum circumstantias, et ob adjuncta concurrentia in casum dicendum est, sanctionem cap. 1. h. t. hodie *applicari non posse* speciei supra propositæ. Unde hæc finalis conclusio: Consuetudo in Bavaria exsistens circa modum procedendi in causis separationis quoad thorum et habitationem non adversatur juri canonico.

De causis criminalibus.

10. Quærunt Doctores: quid sentiendum sit in *causis criminalibus*.

Si in causis criminalibus procedatur civiliter, valet regula generalis et valent etiam superius memoratæ exceptiones. Quod si sermo sit de causis criminalibus criminaliter actis, in quibus adsit adhærens fisco, seu proprie dictus accusator, rigidior est conficiendus processus, ac rigidior servatur modus procedendi, ac proinde valet maxime regula rubricæ tituli præsentis, ita ut procedi nequeat ad testium depositiones recipiendas, antequam lis fuerit contestata pro instituenda accusatione. Possunt vero testes recipi ante litis contestationem ad probandam innocentiam rei. Arg. cap. 41. *De Testib*. (II. 20). Pariter possunt recipi testium depositiones, et revera recipiuntur ante litem contestatam, cum proceditur ad detegendum reum alicujus criminis per viam inquisitionis. Ita cap. ult. §. «Sunt et alii» h. t. Hæc regula etiam servatur, quando proceditur in causa criminali post simplicem denunciationem. Ita gloss. in cap. ult. h. t. v. «Regulariter.» Denunciatio autem ab accusatione in eo differt, quod proprie dicta accusatio facit accusatorem adhærentem fisco et dominum causæ, ita ut respondere debeat de exitu causæ. Denunciatio autem non secumfert ullam obligationem relate ad denunciantem, quicumque sit exitus causæ.

TITULUS VII.

De Juramento Calumniæ.

1. Cum religionis virtus maxime conducebat ad tutiorem et expeditiorem exitum judiciorum, inter normas judiciales institutum fuit juramentum calumniæ. Quod juramentum cum soleret præstari immediate post factam litis contestationem, hinc post expositionem juridicam litis contestationis merito subnectitur præsens titulus.

Juramentum calumniæ est illud, quod præstatur ab utroque litigante, seu tum ab actore, quam a reo super tota causa, quo spondent se bona fide, credentes habere bonam causam, animo litigandi, non vero calumniandi persecutores cursum judicii sive in proponenda et defendenda actione, sive in respondendo actioni propositæ ab actore.

Juramentum calumniæ quatuor capita *continet:* 1⁰) Partes litigantes jurant, se ideo litem prosequi, quia *credunt,* sibi præsto esse bonum jus. Quare juramentum est supra credulitate, non vero supra scientia. 2⁰) Secundum elementum jurisjurandi calumniæ est, ut partes promittant, se non usuras fore *falsa* probatione, nec fore locuturas in causa contra *animi* proprii sententiam. 3⁰) Promittunt litigantes, se non fore petituros *dilationes* in fraudem litis *protrahendæ.* 4⁰) Declarant partes, se *nihil dedisse* aut *daturas* fore causa patrocinii, nisi quod jura permittant, sive judicibus, sive aliis personis, exceptis propriis advocatis et defensoribus.

2. Juramentum calumniæ inspecto jure communi præstandum est, quoties alterutra pars illud ab altera requirit, ita ut censeatur esse pars judicii. Potest vero præstari sive a partibus principalibus, sive ab eorum procuratoribus; cap. ult. h. t. in 6⁰. dummodo tamen mandatum speciale ad hoc peragendum datum fuerit. Ita l. 2. §. «Sed quia veremur.» C. *De Jurejurando propter calum.* Juxta cap. 1. h. t. clerici sive in causa civili, sive in causa criminali prohibentur 'jurare de calumnia, sed præstatio juramenti deleganda esse dicitur idoneis personis. Immo interdicitur Episcopis juramentum præstare absque venia Romani Pontificis; clericis absque licentia Episcopi. Derogatum vero est relate ad Clericos necessitati delegationis faciendæ per dispositionem cap. 5. h. t. ubi a *Lucio III.* præcipitur clericis personalis præstatio juramenti. Item relate ad Episcopos derogatum est necessitati delegationis in cap. 7. h. t.

3. Ex dispositione cap. 1. præstabatur juramentum calumniæ in *primo* litis *exordio.* Sed *Bonifacius VIII.* in cap. 1. h. t. in 6⁰. declaravit, posse præstari hoc juramentum in qualibet parte litis. At una tantum vice potest præstari in eadem instantia. Auth. «In isto Juram.» C. *De Jurejur. propter calum.* Quia juramentum hoc est generale, totamque causam complectitur. Verum in causa appellationis iterum præstandum est juramentum, quia causa in

gradu appellationis novam telam judiciariam constituit. Cf. cap. 2. §. 1. h. t. in 6°.

Præstandum autem est in omnibus causis, in quibus probatione opus est, sive procedatur judicio solemni, sive procedatur judicio summario. Magnæ notæ vero Doctores excipiunt causas criminales criminaliter actas, in quibus juramentum excludunt ob periculum perjurii.

4. Juramentum calumniæ potest quidem remitti *tacito* partium consensu, non vero expresso. Scilicet potest uterque ex litigantibus non exigere juramentum calumniæ, at pacto expresso non potest renunciare ejusdem præstationi.

Ratio est, quia introductum fuit hoc jusjurandum non proprie in commodum privatorum, sed potius in favorem publicum ob securitatem judiciorum; ut scilicet in judiciis statim appareret veritas, et calumnia vel fraus removeretur. Unde juramentum calumniæ dum providet tutelæ et protectioni justitiæ, simul etiam consulit expeditiori solutioni quæstionum in foro. Cum igitur introductum sit juramentum hoc in publicam utilitatem, potest eidem applicari adagium 'Juri communi privatorum factis derogari non potest.' Sed etiam potior alia est ratio ad excludendam remissionem juramenti calumniæ ex conventione expressa partium. Scilicet si hæc remissio valeret, videretur litigantibus concessa facultas impune calumniandi. Jamvero hoc pactum includeret immoralitatem, ac proinde nullius est valoris. Cap. ult. *De Pactis* (I. 35).

At tacite remitti potest juramentum calumniæ. Videlicet si omissum fuerit ex eo, quod neutra pars illud requisiverit, valent acta judicii. Ita in cap. 2. §. 2. h. t. in 6°.

5. Jure antiquo adeo vigebat jus exigendi juramentum calumniæ, ut si actor recusavisset illud præstare ab ipsa actione et instantia cecidisset, et ceu improbus litigator repellebatur a judicio, reus vero renuens juramentum calumniæ præstare, habebatur pro confesso.

6. Hoc juramentum non amplius in forma judiciali servatur. Emitti autem hodie debet a *Postulatore causæ* in processibus, qui pro *Beatificatione* et *Canonizatione* Servorum Dei construuntur. Insuper in actibus judicialibus communibus loco juramenti calumniæ saltem aliquando servatur juramentum malitiæ, et juramentum de veritate dicenda. Juramentum malitiæ, de quo sermo est in cap. 2. h. t. in 6°. illud est, quod præstatur non super in-

tegra causa, sed super aliquo, vel aliquibus articulis causæ, quoties adsit præsumptio contra unum ex litigantibus, quod malitiose agat, et studeat justitiæ exercitium impedire fallaciis et fraudibus. Juramentum de veritate dicenda illud est, quod a testibus emittitur circa scientiam, seu de veritate, quam quis certus est se scire. Quare hoc juramentum distinguitur a juramento calumniæ, quod credulitati innititur.

Titulus VIII.

De Dilationibus.

1. In ordine judiciorum post litem contestatam plerumque conceduntur dilationes, seu spatium aliquod, ut probatio actoris et defensio rei rite præparentur. Quare opportunum est, post tractatum de contestatione litis cognoscere, quid sint et quando concedantur dilationes. Dilatio potest etiam concedi extra judicium. Nos vero in titulo consideramus dilationes *judiciales*, quæ nempe in tela judiciaria partem habere possunt, seu quæ conceduntur in decursu judicii.

Dilatio judicialis definitur communiter *'Justum temporis intervallum, quod ad aliquem actum judicii commodius vel probandum vel expediendum actori aut reo conceditur'*. Dilationes inductæ sunt, ut tutius posset judex procedere ad sententiam definitivam. Cap. ult. h. t. Quamvis enim societatis intersit judicia quam citissime expediri, ne jura civium quoad societatem civilem, et fidelium quoad Ecclesiam diu incerta maneant, tamen congruum tempus concedendum est litigantibus, quo possint documenta perquirere, testes invenire, probationes parare. Quare justum intervallum temporis conceditur litigantibus, quo suspenditur actio judicis in causa, ut alteruter litigantium, qui dilatione indiget, sibi sufficienter provideat. Hoc temporis intervallum debet esse justum; si enim termini peremptorii necessitate non urgente nimis coarctentur, juxta cap. 1. h. t. conceditur appellatio contra decretum judicis, quo termini dilationis designati sunt.

2. Dilationes ex *causa efficiente* sunt: *legales, judiciales, conventionales.* Dilationes *legales* conceduntur ab ipso jure communi, vel statutis locorum, ex. gr. spatium decem dierum seu decendii ad appellandum a lata sententia. Dilationes *judiciales* arbitrio et

prudentia judicis designantur. *Conventionales* vero ex partium conventione statuuntur; ex gr. si partes unanimi pacto conveniant de negotio prorogando etc.

3. Ad rem nostram potius alia divisio facit, quæque deducitur ex triplici *parte judicii.* Scilicet aliæ sunt, quæ conceduntur in prima parte judicii a citatione nempe usque ad litis contestationem, quæ sunt *dilationes citatoriæ* et *deliberatoriæ.* Aliæ sunt, quæ conceduntur post litem contestatam usque ad sententiam definitivam, quæque dicuntur *probatoriæ.* Tandem aliæ dantur in tertia parte judicii, quæ vel conceduntur ad differendam sententiam, et dicuntur *diffinitoriæ,* aliæ *exsecutoriæ*, quæ dantur ad designandum tempus executionis sententiæ. De singulis breviter.

Dilatio *citatoria* est, quæ conceditur illi, qui in jus vocatur. Cum scilicet præsumi nequeat, quemlibet citatum statim posse deserere propria negotia, et judicem adire, hinc in ipsa citatione adsignatur tempus congruum ad comparendum. Immo si semel citatus reus non compareat, debet secundo et tertio vocari, et singulis vicibus sufficiens spatium dierum determinari. Aliquando vero ob periculum rei, vel ob difficultatem locorum, una tantum citatio mittitur *peremptoria,* et elapso tempore in ea designato ad comparendum, citatus constituitur in contumacia. Dilationes citatoriæ in jure romano decendio definiebantur. L. 68. et seqq. ff. *De Judiciis* et l. 13. §. 2. Cod. eod. t. Ex jure autem canonico habemus designationem diei ad comparendum judicis arbitrio remitti, qui pro diversitate temporum et pro distantiis locorum et adjunctis personarum potest moderari dilationes citatorias. Ita cc. 24. *De Off. Deleg.* (I. 29), 4. *De in integr. restitut.* (I. 41) et 15. *De Appell.* (II. 28). At plurimum attendendus est stylus Fori et Curiæ cujuslibet in quo negotium tractatur. In codice judiciario *Gregorii XVI.* anno 1834 pro ditione temporali S. Sedis termini ordinarii ad comparendum sunt vel tres vel octo dies. Quod si periculum sit, ne res pereat, vel timeatur fuga personæ, vel negotium moram non patiatur, ex. gr. si quæstio circa alimenta præstanda versetur, judex potest jubere citationem, quæ dicitur *ad urgentiam,* in qua brevius tempus de uno ad alium diem destinetur. Quo inutiliter elapso judex precarias provisiones suscipiet.

Dilatio *deliberatoria* est, quæ post oblatum libellum conceditur reo ad expendendum et deliberandum, utrum petitioni actoris, vel saltem alicui articulo assentiri debeat, vel resistere desideret. Hæc

dilatio conceditur etiam actori, quando reus proponat exceptionem, ut ipse actor deliberet an et quomodo exceptionem admittere intendat. Juxta præscriptum juris communis, (Auth. «Offeratur.» C. *De Litis Contestatione)* dilatio deliberatoria diebus viginti constat. Interpretes ex juris intentione inferunt, posse judicem ex rationabili causa arctare tempus hoc ad brevius intervallum, vel etiam illud protrahere. Adnotandum vero est, juxta dispositionem cap. 2. h. t. non concedi dilationes deliberatorias, quoties reus per citationem potuit plene instrui et cognoscere quæstionem contra se propositam. Scilicet quando cum citatione transmissus est etiam libellus, in quo causa et motiva describuntur, simulque congruum tempus fuerit assignatum ad comparendum, quo possit etiam commode deliberare: eo ipso absque novis dilationibus potest reus deliberare, utrum debeat nec ne causam suscipere. Quare nova dilatio deliberatoria videretur a reo expostulari solummodo ex desiderio differendi impune judicium. Atqui hæ dilationes reprobantur ab optima praxi judiciorum agendorum.

4. Dilatio *probatoria* ea est, quæ post litem contestatam actori conceditur ad probandam actionem suam, reo ad probandam suam exceptionem. Ex textu juris romani ex l. 1. C. *De Dilationibus* concedenda est dilatio 3 mensium, quoties testes et probationes sumendæ sunt in eadem provincia ubi lis pendet; 6 mensium si ex aliena provincia exspectanda sint documenta vel testium depositiones; tandem 9 mensium et non ultra, quoties hæc ex remota provincia exspectanda sint. Hæc lex potest offerre notionem ad criterium juridicum concipiendum hac in materia. Verum doctores conveniunt designationem temporis ad exhibendas probationes prudenti judicis arbitrio esse remittendam, qui intra limites convenientes, et servata æqualitate inter actorem et reum, majores vel minores dilationes concedere possit, juxta diversam rationem temporum, distantiarum, qualitatum negotiorum, et personarum litigantium.

5. Porro juxta jus romanum receptum est in causis civilibus, seu non tractantibus de applicatione pœnæ, dilationem concessam censeri peremptoriam, id est unam tantum concedendam esse dilationem ad probandum, ne lites in infinitum protrahantur. L. ult. ff. *De Feriis.* Hinc si post primam dilationem judex novam vellet concedere, posset altera pars legitime contradicere, et conqueri de actu sibi præjudiciali. Excipitur vero duplex casus: 1°) cum

ob *legitimum impedimentum* probatio in spatio primæ dilationis parari non potuit. Hoc vero impedimentum non præsumitur, sed exstitisse demonstrandum est. 2°) Cum *nova documenta* emerserint, et novæ cognitæ fuerint probationes, adhuc tamen enucleandæ et ordinandæ sint. De hujus tamen rei veritate juramentum præstare debet, qui dilationem expostulat. Cap. 4. *De Exceptionibus* (II. 25). Immo in hisce duobus casibus ex interpretatione cc. 15. et 55. *De Testib. et Attestation.* (II. 20) inferunt doctores, posse judicem concedere etiam secundam et tertiam dilationem, non vero quartam, nisi qui eam petit cum juramento protestetur, se ob necessitatem, non vero in fraudem judicii nec malitiose novam dilationem expostulasse. Dixi, hanc illationem doctores deduxisse ex interpretatione cc. 15. et 55. *De Testibus;* nam revera in hisce capitibus prohibetur quarta productio testium, non vero nominatim dilatio. At glossa productionem accipit pro dilatione. Nam in intervallo unius dilationis non unus, sed successive plures possunt produci testes. Plures ergo productiones testium distinctæ, idem exprimunt ac plura intervalla, et repetitas dilationes ad probationes parandas vel præsentandas.

6. *Definitoria* dilatio ea est, quæ datur ad causam ope sententiæ definiendam. Insuetum non est in judiciis, ut judex, postquam conclusum est in causa, differat sententiam ad alium diem, etiam post notabile intervallum temporis, vel ut melius causam cognoscat, vel præsertim ut interim partes, si velint, pacifica conventione rem componant.

7. *Exsecutoria* dilatio datur parti collitiganti, quæ causa cecidit, ad satisfaciendum sententiæ, seu ad præstandum id, in quo condemnata est. Cap. 15. *De Sentent. et Re jud.* (II. 27). Et quidem si sermo sit de actionibus personalibus, dilationes exsecutoriæ regulariter ad 4 menses protrahuntur. Cap. 26. *De Off. Deleg.* (I. 29). Diximus regulariter, nam potest hoc tempus ex rationabili causa vel protrahi, vel etiam ad brevius arctari. Cap. 15. *De Sent. et Re jud.* (II. 27) § «Sed nec.» Quod si sermo sit de actionibus realibus, differtur ad decem dies completos exsecutio sententiæ, quia hoc temporis intervallum utile est ad appellationem proponendam.

De Effectibus Dilationum.

8. I[us]. effectus est, ut judex agere *nihil* possit circa *causam* vel articulum causæ, quem dilatio attingit, usque dum tempus in dilatione concessum non effluxerit. Quod si judex in actibus processerit, acta nullius sunt valoris. L. 3. *De Dilat.* Potest vero judex agere et procedere super aliis articulis causæ, super quibus concessa non sit dilatio, et in tota causa procedere poterit, quando causa dilationis cessaverit. Porro in dilationis intervallo computantur etiam dies feriarum, dilatio enim datur de die ad diem. Quod si dilatio concedatur absenti, doctores conveniunt, eam incipere a die intimationis eidem factæ. Non enim quis ignorans beneficio frui potest.

II[us]. effectus dilationis a judice concessæ est, ut sortiatur effectum sententiæ *interlocutoriæ.* Dilatio enim conceditur per decretum judicis ad certum tempus et ad certum effectum, ex. gr. ut unus ex litigantibus producat testes aliquos audiendos. Si tempus inutiliter præterlapsum fuerit, non amplius post finitam dilationem auditur super eadem re, nisi adsit magna causa; sed judex procedere potest ulterius in causæ cognitione et definitione.

TITULUS IX.

De Feriis.

1. Quoniam non singulis anni diebus in foro licet agere, hinc in ordine judiciorum describendo præstat designare, quinam sint dies, in quibus publicum tribunal silet, et acta judicii fieri prohibentur. Hujusmodi dies appellantur *dies feriati* vel simpliciter *feriæ.* Unde in genere feriæ sunt dies illi, in quibus quidam actus prohibentur. Relate autem ad rem nostram *feriæ vel dies feriati sunt dies illi, in quibus vacandum est ab actibus judicialibus.*

2. Divisio feriarum est, ut aliæ sint *solemnes,* aliæ *repentinæ.* Feriæ solemnes sunt, quæ statis anni temporibus recurrunt, et proinde ordinariæ sunt. Repentinæ sunt illæ, quas extra ordinem indicit princeps vel magistratus ob causam repentinam. Solemnes distinguuntur in *sacras* et *profanas.* Sacræ sunt dies illi, in quibus ex præcepto Ecclesiæ abstinendum ab operibus servilibus, ac sanctis operibus cultus divini insistendum est; profanæ sunt,

quæ institutæ sunt propter alias humanas necessitates, vel ob utilitatem, quæque præsertim sunt feriæ rusticæ. Feriæ hujusmodi inductæ sunt in commodum illorum, qui agriculturæ sunt addicti, et complectuntur tempora messis, vindemiæ, et nundinarum.

3. Actus judiciales prohibentur in istis omnibus feriis; at juxta cap. 5. h. t. discrimen intercedit inter ferias repentinas et sacras, et ferias profanas. Nam actus judiciorum si perficiantur in feriis repentinis et sacris, nulli sunt atque irriti ipso jure, etiam consentientibus partibus litigantibus. Hinc qui coram judice non compareat diebus feriatis, non habetur uti contumax, qui autem accedit ad judicem, agere nequit vel in causa progredi. Valent vero actus judiciales in feriis rusticis, si partes consentiant. Ratio est, quia feriæ hujusmodi in utilitatem et commodum privatorum institutæ fuerunt, cui proinde commoditati possunt partes litigantes renunciare, si placet. L. 2. C. *De Feriis;* cap. ult. h. t. Ex facto autem forsan repetito renunciationis sensim sine sensu inductum est, ut a foro recesserint hujusmodi feriæ rusticæ. Hinc potius occupatio specialis agricolarum statis anni temporibus, causam offeret judici legitimam ad concedendam dilationem.

4. **De Feriis sacris.** Christus D. Sacramentorum institutor exstitit, et necessitatem cultus divini sæpe inculcavit, nec non propriam ejusdem indolem et characterem exhibuit, cum penes *Joann. IV.* 21. 23. aiebat 'Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem, sed venit hora et nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate'. Attamen Christus non determinavit ritus particulares cultus, nec modum, nec tempus, nec locum ad debitum Deo cultum præstandum. Sed officium hæc omnia determinandi reliquit Ecclesiæ, quæ est custos depositi revelationis, magistra fidei, interpres traditionis, et moderatrix œconomiæ practicæ religionis, inter Christi fideles. Hinc Apost. *Paulus* 1. Cor. XI. 34., cum plura statuisset de Sacra Synaxi concludit 'Cetera cum venero disponam'. Ecclesiæ igitur proprium est, quemadmodum docet Pontifex h. t. cap. ult. designare dies in quibus fideles solitis ab operibus abstinentes, cultui divino speciali modo vacent, ut publica societas revera appareat religiosa. Factum Ecclesiæ jus confirmat. Nam Ecclesia ferias solemnes statuit, seu dies designavit quos specialiter divino cultui consecravit. De hisce diebus sermo est in cc. 1. et ult. h. t., et in Constit. «*Universa*» *Urbani VIII.* edita Idib.

Septemb. an. 1642 in qua referuntur omnes dies festi. Non omnes vero adhuc observantur festi dies, qui designantur in veteribus canonibus et in Urbani Constitutione. Nam *Sixtus V.* in quodam decreto, de quo meminit *Benedictus XIV.* in Const. *Ab eo tempore,* 5. Nov. 1747. §. 27., jam concesserat facultatem piscandi diebus festis habitatoribus Castri, tamen horis meridianis et post auditam Missam. Hinc quodammodo festi dies dimidiabantur. Deinde factum est ex decreto *Pii VI.* diei 23. Maji 1798 ut in quibusdam diebus festis auferretur præceptum Missam audiendi et simul abstinendi ab operibus servilibus. Quoad regna peculiaria reductiones dierum festorum factæ sunt a Romanis Pontificibus per peculiares Constitutiones vel per Concordata.

5. Profecto dies festos pro tota Ecclesia potest designare et constituere Summus Pontifex; pro qualibet vero diœcesi constituere potest Episcopus, et quidem juxta jus decretalium expressum in cap. 5. h. t. hosce festos dies constituit cum expresso consensu Capituli sui, nec non cum tacito saltem consensu populi, quatenus nempe non constituantur dies festi contra voluntatem et commodum populi, ne populus fortasse contemnat dies festos, quos arbitratur sibi et negotiis suis adversari. Ita in cap. 5. h. t.

6. Concilium vero Trident. in c. 12. Sess. 25. *De Regular.* facultatem adsignandi dies festos in diœcesi Episcopo soli tribuit, quin mentionem faciat cleri et populi, quos insuper festos dies ab Episcopo statutos, ait Concilium, observandos esse etiam a Regularibus. Tamen *Urbanus VIII.* in cit. Const. *Universa,* licet non revocaverit hanc facultatem indicendi novos festos dies de præcepto; tamen hæc habet 'Ne dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate, deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus, ab indictione sub præcepto novorum festorum studeant *abstinere*'. S. Rituum C. vero ad quæsitum «An Episcopus in sua diœcesi alia festa instituere possit de præcepto præter illa quæ in dicta bulla *(Urbani VIII.)* expressa sunt?» respondit d. 23. Junii 1803: *Negative.*

7. Specialis insuper regula practica introducta est in electione Patroni principalis loci, ut nempe non possit Episcopus procedere absque populi consensu. Ita S. Congr. in *Trajanensi,* 15. Jun. 1632; et in *Neapolit. Patronatus,* 15. Septemb. 1656.

8. Quæri potest: quonam spatio *contineatur* feria sacra.

In cap. 1. h. t. quod refert Decretum *Gregorii IV.* in Concil. apud *Compendium* ann. 833 traditur ferias esse observandas a vespera ad vesperam. Verum in cap. 2. h. t. quod desumptum est ex Decretali *Alex. III.* (non ad Eppum Triburien. aut Terdonen., sed ad Archiepiscopum *Upsalensem)* dicitur servandam esse hac in re locorum consuetudinem. Hinc ex contraria consuetudine inductum est ut feria inciperet et decurreret a media nocte ad mediam noctem. Huic consuetudini adstipulantur loca juris, nempe c. 11. D. 3. *De Consecr.;* nec non c. 34. *De Offic. Jud. deleg.* (I. 29). Hinc mos invaluit in Ecclesia Romana forsan primum ob dispositionem legum civilium et ob morem populi romani expressum in l. «More romano» ff. *De feriis,* in qua computatio diei per horas 24 perficitur a media nocte ad aliam mediam noctem. Hunc Ecclesiæ Romanæ morem reliquæ Ecclesiæ fere per totam Europam secutæ sunt, et uniformis consuetudo enata est, qua communiter recepta est computatio feriarum supra dicta. Hinc computatio diei festi a vespera ad vesperam reservata solummodo est solemni recitationi vel cantui horarum canonicarum, idest sacræ Liturgiæ.

Animadvertere præstat ex theoria hucusque exposita sequi, non posse excludi consuetudinem aliquam in peculiari Ecclesia, de computatione diei festi, quæ fiat a vespera ad vesperam. Nam in cap. ult. *De Consuet.* (I. 4) et cap. 2. h. t. traditur vim legis habere consuetudinem, quæ sit rationalis et legitime præscripta.

Actus prohibiti die festo.

9. Quæritur: *quinam actus* prohibeantur fieri diebus feriatis.

In cap. 3. h. t. in genere dicitur diebus majestati Altissimi deputatis ab omni opere servili cessandum esse. In cap. 1. vero h. t. plura in specie prohibentur peragi in feriis sacris. 1°) Prohibetur *mercatus.* Antiquitus mercatus non distinguebatur a nundinis relate ad canonicam prohibitionem. Verum cum ex consuetudine inductum esset, ut variis in locis diebus festis nundinæ celebrarentur in commodum præsertim agricolarum, hinc *Benedictus XIV.* in cit. Constit. *Ab eo tempore.* d. 5. Nov. an. 1745 dum prohibet absolute celebrari mercatum diebus festis, ita ut si incidat mercatus die festo debeat ejus celebratio præponi die antecedenti, tolerat vero nundinas diebus festis sub conditione ut tem-

pore divinorum officiorum claudantur apothecæ, nec exerceantur commercia, ut qui ad nundinas confluxerunt Missæ sacrificio et divinis officiis intersint. Porro in §. 16. ejusd. Constit. quid nomine mercatus, quid vero nundinarum nomine veniat, explicat Pontifex. Nundinas, ait, intelligimus, quæ sunt de rebus majoribus, et semel in anno fiunt, vel raro in eodem loco, et de longinquo ibidem conveniunt homines. Mercatum vero, qui fiat in rebus minoribus ad quotidianas necessitates pertinentibus, et fiat singulis hebdomadis, et ab hominibus de vicino ibidem convenientibus. Si quæstio vel dubia oriantur, possunt conferri Constit. *Bened. XIV. Paternæ charitatis officium.* diei 24. Aug. 1744 et *Nihil profecto.* d. 12. Aug. 1742.

10. 2°) Ex cap. 1. h. t. prohibetur *placitum.* Nomine placiti intelligitur judicium seu actus illi qui pertinent ad forensem strepitum, et ad exercitium jurisdictionis *contentiosæ.* Non prohibetur igitur diebus festis exercitium *voluntariæ* jurisdictionis. Hinc perfici potest manumissio, adoptio, absolutio, dispensatio, designatio tutoris vel curatoris. Diebus ergo festis prohibentur judicia civilia. Excipitur vero casus, quo vel urgeat necessitas, vel pietas suadeat. Cap. 5. h. t. Quare etiam diebus festis ratione necessitatis possunt tractari causæ alimentorum, causæ mercedis, vel etiam actus illi judiciales confici possunt, qui si differantur periculum est ne res pereat, vel ne persona auctoritatis vigilantiam effugiat. Ratione pietatis possunt exerceri actus judiciales, quando agitantur causæ debilium et miserabilium personarum, quæ dilationem non patiantur. Item possunt tractari causæ spirituales electionum et inquisitionum; possunt etiam definiri causæ, quæ pacem et concordiam respiciunt. In judiciorum prohibitione in specie consideratur citationis et definitivæ sententiæ prohibitio, ut scilicet nec transmitti possit citatio, nec proferri aut exsecutioni demandari sententia. Cap. 5. h. t. Et quidem relate ad citationem si præsentetur per apparitorem die feriato non attenditur; sic etiam non attenditur si terminus ad comparendum adsignetur dies feriatus, ni forte agatur de aliquo judicio, quod etiam tractari potest die feriato. Quod si vero determinetur in genere ad comparendum terminus ex. gr. post tres dies, non vero dies in specie, et forte dies termini incidat in feriam, valet citatio, sed citatus comparebit die postero.

11. 3⁰) In cap. 1. h. t. diebus festis exerceri prohibentur judicia *criminalia*, quæ nempe diriguntur ad infligendam pœnam capitis, vel aliam pœnam.

12. 4⁰) Tandem prohibentur *sacramenta,* nisi urgeat necessitas. Nomine autem sacramentorum in cap. 1. h. t. venit *juramentum.* Quoniam vero ferme omnes contractus firmabantur juramento, et observantia contractuum religioni committebatur, hinc sub prohibitione cap. 1. h. t. venit solemnis delatio et præstatio juramenti, nec non stipulatio publica contractuum, quæ nempe fiat per notarium.

13. Quæritur: quid servandum sit in casu feriarum *particularium,* an videlicet servandæ sint feriæ actoris, vel rei, vel judicis.

Conveniunt doctores observandas esse ferias *judicis,* et tribunalis penes quod agitatur quæstio. In ordinandis enim judiciis attenditur consuetudo fori in quo ordinatur judicium, non autem attenduntur mores et consuetudo locorum in quibus commorantur litigantes.

14. Quæ superius exposita sunt, prohibentur peragi diebus festis. Ut autem cognoscatur intentio benigna matris Ecclesiæ in prohibendis operibus servilibus diebus festis, consideranda est species et dispositio cap. 3. h. t. Decretalis relata in hoc capite directa dicitur Archiepiscopo Triburiensi. Verumtamen tempore *Alexandri III.* Tribur nihil aliud erat nisi Villa imperialis prope Maguntiam. Quare potius cum Cujacio dicendum est Alexandrum epistolam suam misisse alicui prælato Daniæ, Sueciæ, seu Norvegiæ, e. gr. Archiepiscopo *Upsalensi,* cui Alexander plures misit epistolas quia in prædictis locis piscatio alecium frequens est. Hisce positis en species. In aliquibus locis ob telluris sterilitatem fideles nihil vel fere nihil ex agrorum industria percipiebant; piscationi autem operam dabant, et magnam utilitatem capiebant ex alecium captura. Cum vero in oceano horum piscium maxima est multitudo, post æquinoctium dividitur in acies, quæ terram versus properant, et eorum captura facilis est et copiosa. Cum ergo statis temporibus piscatio hujusmodi tantummodo fieri possit, si omittenda fuisset diebus festis, periculum erat ne occasio propitia capturæ piscium, cum magno populi detrimento evanesceret. Hinc Alexander III. consultus respondit concedendo diebus festis, exceptis tamen majoribus anni solemnitatibus si terræ sese alecia

inclinaverint, urgente necessitate eorum capturam fideles facere posse, ita tamen ut post factam capturam aliquam partem piscium Ecclesiis propioribus et pauperibus distribuerent. Quare glossa post allatam speciem et responsionem Pontificis in materia de qua agitur, scilicet circa prohibitionem operum servilium in diebus festis ait 'Nota: Necessitas facit licitum quod alias esset illicitum'. Hæc vero conclusio conformis est mentis *Gregorii IX.* in cap. ult. h. t. ubi Pontifex declarat abstinendum diebus festis a quibusdam actibus nisi necessitas urgeat et pietas suadeat.

15. Quæri tandem potest: ad quem spectet *corrigere* et violatores pœna *plectere* dierum festorum.

Responsio exhibetur in Constit. *Cum Primum. S. Pii V.* d. 1. April. an. 1566. §. 7. Videlicet si sermo sit de violatione præcepti negativi, quod nempe vetat exercitium operum servilium et aliorum actuum prohibitorum datur locus præventioni, ita ut tum laicus tum ecclesiasticus judex possit de hac re cognoscere. Quod si vero sermo sit de violatione positivi præcepti, seu de violatione præcepti audiendi Missam, correctio et pœnæ applicatio pertinet exclusive ad Episcopum, idest ad judicem ecclesiasticum.

Titulus X.

De Ordine Cognitionum.

1. In progressu judicii ante sententiam diffinitivam, possunt enasci plures quæstiones, quæ a judice sunt expendendæ et juridice terminandæ. Hinc ne confusio oriatur, opus est videre quo ordine diversis quæstionibus sit satisfaciendum. Quare merito præsens titulus positus est in explicatione ordinis judiciarii. Hic vero titulus *distinguitur* tum a titulo de mutuis petitionibus tum a titulo de exceptionibus. Nam mutuæ petitiones exhibent actionem ac reciprocam reconventionem contra actorem; titulus vero de exceptionibus pertractat de exceptionibus quibus reus sese defendere nititur. At titulus præsens agit de pluribus quæstionibus cognoscendis, sive proponantur ceu actio principalis sive per modum actionis et reconventionis, sive etiam distinctæ inter se proponantur. Hinc titulus præsens est generalior præ aliis.

2. Ordo cognitionum communiter definitur '*modus seu ordo observandus a judice in examine plurium quæstionum, quæ in eo-*

dem judicio, et inter easdem personas concurrere possunt'. Solent vero a doctoribus proponi regulæ generales, quibus ordo hic cognitionum definiatur.

3. *Prima Regula.* Ubi inter easdem personas plures causæ concurrunt, quarum una *pendeat* ab alia, hic ordo servandus est, ut nempe prius discutienda et definienda sit causa a qua alia pendet, quam hæc altera expendatur et definiatur. Ratio enim judiciorum postulat, ut uniformitas in sententiis obtineatur, et consequentia cum antecedentibus componantur. Jamvero si regula allata sperneretur, facile evenire posset ut decisio causæ antecedentis, differret a definitione causæ, quæ ab ea dependet. Quare prius causa antecedens discutienda est; deinde definiatur causa subsequens, quæ a prima dependet. Ex. gr. quæstio de jure percipiendi fructus beneficii ex titulo particulari puta ex titulo distributionum, pendet ab alia quæstione quæ est de legitima et canonica assecutione ipsius beneficii. Unde si concurrant istæ binæ quæstiones, prius de hac secunda tractandum est quam de prima tractetur.

4. Huic regulæ est *secunda regula* subalterna. Scilicet quando contra intentatam actionem opponatur quæstio præjudicialis vel exceptio peremptoria, prius agendum est de quæstione præjudiciali, et de exceptione peremptoria, quam cognoscatur et definiatur actio primitus inita. Quæstio præjudicialis relate ad aliam causam est illa ex qua ita pendet hæc altera causa, ut ex definitione primæ quæstionis præjudicium seu damnum pati possit. Peremptoria exceptio ea est, quæ si probetur, cadit omnino causa principalis cui objicitur.

5. Quæstio præjudicialis potest 1°) induci ex *facto* ipsius *actoris* et *contra* ipsum *actorem.* Scilicet cum binas habeat actiones ex eodem titulo, si unam eligat et experiatur, non potest causa cadente deinde ad aliam regredi actionem. Exemplum habemus in cap. 25. *De Election.* (I. 6) in 6°. ubi canonicis iterantibus electionem ejusdem personæ ad vacantem Ecclesiam, ob exortum dubium primæ electionis, qui fuerat bis electus prohibetur agere ex utraque electione ad confirmationem obtinendam, sed obligatur ad proponendam unam tantum electionem, ita ut si causa cadat, non possit aliam proponere electionem. Exemplum etiam habemus in cap. un. *De Postul. Prælator.* (I. 5) in 6°. ubi prohibetur simultanea via postulationis et electionis ad obtinendam prælaturam.

6. 2°) Præjudicialis quæstio est quidem *contra actorem*, sed ex *facto adversarii*, qui nempe quæstionem proponat, qua probata perimatur jus actoris. Quo in casu quæstio confunditur cum exceptione peremptoria. Exemplum offertur in cap. 1. h. t. ubi cum mulier ageret ad repetendum virum suum, et vir excepisset eam esse sibi consanguineam, jubet Pontifex antea tractari debere de consanguinitate, quam de restitutione viri. Nam si constitisset mulierem esse viro consanguineam, matrimonium nullum esset, nec vir mulieri restituendus esset. Pariter si poneretur actio ad obtinendam paternam hæreditatem, et contra fieret exceptio nativitatis vel legitimi matrimonii, antea videndum esset utrum qui agit revera sit filius, vel utrum ex legitimis nuptiis ortus fuerit. Exemplum etiam exceptionis peremptoriæ exhibetur in cap. 5. *De Renunciatione* (I. 9) in quo cuidam reposcenti beneficium ecclesiasticum, objecta fuit exceptio liberæ renunciationis, et Pontifex jubet antea definiendam esse quæstionem utrum actor liberam ediderit nec ne renunciationem.

7. Non solum vero quæstiones præjudiciales et peremptoriæ exceptiones finiendæ sunt antequam ultra procedatur in cognitione causæ principalis, sed etiam quæstiones incidentales, quibus non solutis non possit principale negotium expediri. Sic ex. gr. si quæstio fiat utrum dilatio concedenda sit necne; utrum revera sit in ætate major vel minor, qui in judicio adest. Idem dicendum de exceptionibus declinatoriis, quibus nempe vel judex a judicando repellitur quia incompetens aut suspectus, vel actor ab agendo quia ex. gr. excommunicatus, vel ipsa instantia impugnatur, quia non bene proposita. Imo regulariter de istis exceptionibus videndum est ante ipsam litis contestationem. Cap. 4. *De Exceptionibus* (II. 25); cap. 20. *De Sent. et Re jud.* (II. 27).

8. *Differentia* adest inter exceptiones *peremptorias*, et *declinatorias;* nam in peremptoriis exceptionibus una sententia satisfacit exceptioni et quæstioni principali, in declinatoriis vero non una sententia sufficit pro exceptione et merito quæstionis, hinc post diffinitam exceptionem, proceditur ad meritum causæ. Quare si quis excitet quæstionem antiquam, vel petat jus controversum, et eidem objiciatur transactio, sententia, quæ transactionem definiat, etiam satisfacit quæstioni primitivæ.

9. *Tertia Regula.* Si concurrant plures æquales causæ inter easdem personas, nec sit una alteri præjudicialis, *simul*, regulari-

ter, tractandæ sunt, servato inter eas ordine *temporis* quo inceperunt. At si pro aliqua periculum sit in mora, eidem prælatio concedenda est. Pariter si una ex propositis sit altera major, vel materia, vel scopo, major præferenda est. Ita causa spiritualis causæ civili, criminalis civili præponitur; sive enim materia in causa spirituali, sive scopus publicæ reparationis violati ordinis in criminali majoris sunt æstimationis, præ utilitate privati civis in causa civili.

10. *Quarta Regula.* Si causæ tractandæ sint ab judice *diverso,* idest si pendente judicio penes unum tribunal, exsurgat quæstio influens in diffinitionem ejusdem judicii, quæ tractari debeat apud aliud tribunal, hoc in casu, qui tractat causam principalem tenetur ejus prosecutionem suspendere, quoadusque alter judex causam incidentalem decreverit. Hinc si quæstioni civili opponatur exceptio quæstionis spiritualis, uti esset causa de valore excommunicationis, vel matrimonii, antea esset hæc causa coram judice ecclesiastico videnda, quam judex laicus possit ultra procedere in causa civili. Ita ex cap. 3. h. t. et cap. 5. *Qui filii sunt legitimi* (IV. 17). Hæc regula locum habet, quando natura causæ incidentis talis est ut excludat in judice prorogationem jurisdictionis, de qua supra vidimus, quemadmodum verificatur in causa spirituali, quæ incidat in judicio civili judicis sæcularis. Secus enim valet alia regula, ut nempe idem judex qui causam principalem videt, videre etiam debeat causam incidentalem. Cap. 3. *De Donation. inter virum et uxorem* (IV. 20). Porro judex causæ incidentalis, statim ac incipit eam cognoscere, debet admonere judicem causæ principalis, eique inhibere quominus procedat in causa. Quæ inhibitio si omittatur, valent acta judicii, quæ inde fiant usque ad sententiam definitivam judicii exclusive. Non valeret autem sententia definitiva, nam posita et non definita quæstione incidentali, judex non præsumitur a jure rite instructus in causæ. Hinc ex ipsa lege suspensa remanet jurisdictio judicis, ad ferendam sententiam in negotio principali, per consequens sententia si feratur censetur valore suo juridico carere. Ita doctores interpretantes cap. 3. h. t.

11. Coronidis loco innuendum esse censemus, *spoliatis* de suis bonis privilegium concedi, de quo in suo titulo pertractabimus, ut si spoliator spoliatum conveniat, et spoliatus proponat exceptionem spolii, causa hæc spolii debeat definiri ante causam intentatam a spoliatore. Ita cap. 2. h. t. Diximus si spoliatus spoliationem pro-

ponat in forma exceptionis ad sese tuendum ab actione contra ipsum excitata, nam si spoliatus spoliationem proponeret in forma actionis, seu si reconveniret spoliatorem et institueret actionem ad obtinendam restitutionem rerum sibi ablatarum, hoc in casu censerentur esse duæ actiones principales, seu actio primitus proposita, et reconventionalis actio spolii a reo deinde instituta. Quare hoc in casu non datur locus prælationi, sed simul utrique actioni æque satisfaciendum est juxta regulam tituli '*De mutuis petitionibus*'.

TITULUS XI.

De Plus Petitionibus.

1. Inter quæstiones incidentales, quæ possunt oriri in judicio, certe adnumerantur illæ, quæ exsurgunt ex male concepto libello causæ introductivo. Quare postquam visum est quo ordine tractandæ sint quæstiones, quæ in processu judicii exoriantur, subnectitur titulus de quibusdam specialibus quæstionibus, quæ ex excessu petitionis ab actore propositæ fluunt. Quadruplici modo potest actor excedere limites debitos in libello et plus petere. 1°) *Re;* 2°) *loco;* 3°) *tempore;* 4°) *causa.*

2. 1°) *Re* actor excedit in petitione cum in materia seu in quantitate, vel summa sibi debita plus petat. Ex. gr. qui creditor est in quinquaginta, petat centum, vel qui jus in parte rei tantum habet, petat eam sibi integram adjudicari.

3. 2°) Plus petit actor ratione *loci,* cum vel nullus locus in obligatione designatus est, et actor postulat ut sibi res præstetur in loco sibi commodiori, vel si locus designatus est, et actor petit sibi rem ex. gr. mercem præstari in alio loco distincto a priori. Quæ loci diversitas sive ratione expensarum pro re transferenda, sive pro majori pretio rei in loco ab actore designato potest reo inferre gravamen.

4. 3°) *Tempore* actor plus petit, cum ante designatum diem, vel ante eventum conditionis, petit solutionem obligationis et præstationem rei.

5. 4°) *Causa* plus petit actor, cum petat rem determinatam sibi præstari in casu alternativæ obligationis cujus electio ad reum pertineat. Sic ex. gr. si poterat reus præstare vel centum, vel equum, et actor taxative expostulat equum. Pariter si petat actor in specie determinata quod sibi debetur in genere.

6. Porro non censetur plus petere qui ante litis contestationem corrigat petitionem. Nam uti vidimus ante litis contestationem, actor impune etiam mutare potest libellum, nec vere adhuc suscepit obligationem erga reum propositam tuendi actionem. Et habetur aperta dispositio in cap. un. h. t. Pariter revera pœnas plus petitionis probabiliter non incurrit, qui ante sententiam seu conclusionem in causa corrigit libellum. Nam licet post litis contestationem non possit mutari amplius libellus, seu de una ad aliam actionem, de uno ad alium titulum fieri transitus, tamen salva libelli substantia, emendari libellus potest, quemadmodum vidimus in Tit. *De Libelli oblat.* Verum in utroque casu si ob plus petitionem constet, reum majores expensas fecisse, actor reficere eidem tenetur excessum expensarum, seu expensas pro rata excessus in petitione.

7. **De pœnis plus petitionis.** In jure romano contra plus petentes statuta erat pœna caducitatis actionis; seu qui plus petebat et persistebat in obstinatione petendi, cadebat jure suo. Excusabat vero ab hac caducitate minor ætas et magna erroris causa. Ita in §. «Si quis agens.» Inst. *De Action.* At præsertim ex jure canonico in cap. un. h. t. mutatio inducta est. 1°) Plus petentibus *tempore* duplicantur induciæ, seu duplicatur tempus solutionis perficiendæ. 2°) Qui plus petunt *re, loco* aut *causa* condemnantur in expensas et ad interesse, seu damnum, quod reo ex plus petitione acciderit, reficere debent.

Titulus XII.

De Causa possessionis et proprietatis.

1. Sequitur ordo cognitionis causarum in specie, seu exhibetur modus quo tractari debeant et definiri judicia circa possessionem, et circa proprietatem. Jam vidimus judicium aliud esse petitorium, aliud possessorium. Petitorium nempe illud est, quod versatur circa jus et proprietatem rei, possessorium vero illud est, quod possessionem rei, vel quasi possessionem juris solummodo respicit. Jura enim non vere possidentur, seu sensibiliter non apprehenduntur, sed in similitudinem rerum sensibilium dicuntur quasi possideri. Tractatio igitur instituitur de possessione et proprietate, de judiciis possessorio et petitorio.

2. **Possessio** juxta suam simplicem ac naturalem notionem *definitur: 'Physica rei detentio per quam homo suam in eadem re activitatem exercet'.* Dicitur *physica;* omnes enim in possessione vident corporalem tantum relationem præcisione facta a justitia vel injustitia actus. *Rei detentio;* quia ad conceptum naturalem possessionis non sufficit, quod quis videat rem et eam possidere dicatur, sed requiritur ut tactu corporali eam apprehendat ac teneat. *Per quam homo suam in eadem re activitatem exercet;* ad habendam enim possessionem non sufficit quæcumque rei detentio, sed necesse est ut hæc detentio sit actus humanus, idest sit volita et quidem non quocumque modo, sed præcise ad hoc ut res ipsa physica hominis activitati subjiciatur.

Verumtamen, ut quisque per se videt, nimis angusta sese exhibet hæc possessionis notio, arctis inclusa limitibus facti materialis et animi, non satis aptari poterat omnibus quæstionibus, quæ in hac materia evenire poterant. Hinc opus utriusque juris civilis et canonici, quo primitiva illa ac simplex possessionis notio ampliata ac munita juridicis effectibus est. Juxta hanc sic definiri posset possessio '*Rei detentio corporis, animi, juris adminiculo suffulta*'. Juris autem adminiculum non hoc sensu sumi debet, quatenus nempe possessio in jure consistat, sed indicat tantum ipsum possessionis factum aliquando justis ex rationibus omnino tamen independentibus a quæstione proprietatis et juris, ab ipso jure defendi ac tueri.

3. *Divisio:* Possessio alia est *naturalis,* alia *civilis:* naturalis illa est quæ non producit effectus juridicos; civilis, quæ vel omnes vel saltem unum producit juridicum effectum.

Possessio alia est *bonæ fidei,* alia *malæ fidei.* Prima obtinet cum possessor rem detinet uti suam ex *probabili* saltem opinione dominii. Dixi *probabili* quia satis est argumentum sufficiens de existentia tituli, vel saltem de præsumptione tituli, quemadmodum verificatur in centenaria et immemoriali possessione. Malæ fidei possessio locum obtinet cum ipsa probabili opinione dominii careat, seu cum quis possideat rem uti suam, quam certo scit esse alienam, vel saltem prudenter dubitat rem alienam esse.

Demum possessio alia est *justa,* alia *injusta* seu *vitiosa.* Prima est quæ nec vi, nec clam, nec precario; altera aut vi aut clam aut precario acquisita est. Quoad injustam possessionem obtinet principium quod in genere nequeat opponi adversus eum,

relate ad quem injusta est; verum prodesse potest adversus extraneos. L. 53. ff. *De acq. vel amit. poss.* Hinc nil impedit quominus injusta possessio possit esse etiam civilis.

4. **De proprietate.** Quoniam possessio dirigitur ad effectus dominii seu proprietatis percipiendos, solet facile una pro alia suscipi. At apprime inter se distinguuntur; immo, ut ait *Ulpianus* in L. 12. §. 1. ff. *de acq. vel amit. possess.* nihil commune habet proprietas cum possessione. Nam possessio tota consistit in facto; proprietas vero in jure, definitur enim *'jus in re corporali, ex quo facultas enascitur de eadem pro libito et cum aliorum exclusione disponendi'*.

Quare nil mirum si non infrequens sit ut aliquis sit possessor et non dominus, alter vero dominus et non possessor. Quia licet effectus primarius proprietatis sit possessio rei ad percipienda emolumenta et fructus ejusdem, tamen aliquando dominus vel non possidet, vel in possessione pacifica non versatur. Hinc verus dominus rei in institutione judicii caute procedere debet et eligere judicium vel petitorium vel possessorium, prout magis videat sibi expedire. Nam non semel contingit ut dominus rei causæ cadat in possessorio judicio, eo quod revera non possidet, dum si instituisset judicium petitorium victor profecto exstitisset.

5. *Differunt* etiam possessio et proprietas in *modo* quo acquiri et amitti possunt. Ad acquirendam enim proprietatem duo necessario requiruntur, *titulus* nimirum, seu causa remota, et *modus* seu causa proxima acquisitionis. Nec titulus sine modo nec modus sine titulo proprietatis acquisitionem producunt. — Contra possessio *solo modo* sine titulo acquiri potest. Modus autem quo acquiritur possessio constituitur vel ab *occupatione* vel ab *accessione* vel a *traditione,* et quidem a traditione non tantum propria, sed et impropria, ut est traditio, quæ *longa manu* dicitur, et ea quam *symbolicam* vocant, quæ scilicet fit per symbola clavium, instrumentorum etc. Quin immo et a traditione ficta, quæ ut ajunt, *brevi manu* perficitur, quæque tunc locum habet, cum jam materialis rei detentio apud eum invenitur, cui nunc rei possessio traditur. Ad modum autem quod attinet, quo proprietas et possessio amitti possunt, proprietas *solo animo non* amittitur; amitti vero potest *solo animo* possessio; animus enim est elementum essentiale possessionis, quo deficiente, et ipsa possessio deficiat necesse est.

Denique differunt in *effectu;* possessio enim producit judicium *possessorium,* seu melius interdicta et remedia possessaria; proprietas vero producit judicium *petitorium* et persequitur rem apud quemcumque possessorem, seu tribuit rei vindicationem. Igitur revera possessio distinguitur a proprietate, et una potest etiam juridice exsistere absque alia. Hinc nil mirum si utraque suos habeat effectus.

6. **De effectibus possessionis.** Scimus equidem quæstionem inter Juristas esse in adsignandis possessionis effectibus, recentioresque cum F. C. *Savigny (Tratt. de la possess.)* communiter retinere 2 tantum esse veros possessionis effectus, *usucapionem* nimirum et *interdicta.* At quidquid sit de hac quæstione, nos hic scholasticæ utilitatis gratia et eos enumerabimus possessionis effectus, qui uti tales minus proprie habentur.

1⁰) Ceu generale principium traditur in reg. 65. Jur. in 6⁰. '*Melior est conditio possidentis*'. Si quidem cum jura in societate ecclesiastica et civili, non sint res prorsus abstractæ, sed formam habeant concretam, diriguntur enim ad reale bonum fidelium et civium, hinc revera jura conceduntur et obtinentur, ut possideantur. Ex quo sequitur præsumptionem induci ab ipsa possessione de proprietate. Quare in dubio exorto circa proprietatem, melior est conditio illius, qui possidet, quique præsumitur dominus rei vel juris quoadusque contrarium non probetur. Pariter si duo causam habeant ab eodem domino, seu concessionem juris ab eodem habent ille præfertur cui etiam possessio juris concessa est, quamvis concessio juris sit posterior. Excipitur tamen casus, quo prior concessio juris adeo perfecta in suo genere censetur, ut alteri neque jus, neque possessio ejus dari possit. Hæc exceptio valet præsertim in causis matrimonii, et in beneficiis. Concessio enim juris per matrimonium de præsenti juxta cap. 5. *De Sponsa duorum* (IV. 4), et concessio beneficii, juxta cap. 7. *De Præbendis* (III. 4) in 6⁰. sustinentur etiam contra secundam concessionem juris vel beneficii, cui accesserit possessio.

2⁰) Possessio bonæ fidei tribuit jus *administrandi* rem possessam, et ejus juribus legitime utendi. Quare possessor bonæ fidei potest domum locare, ejusque contractus sustinetur. Sic etiam qui est in quasi possessione juris eligendi vel præsentandi clericum ad prælaturam vel beneficium, valide eligit vel præsentat, quamvis postea

appareat eum jure activæ electionis vel nominationis carere. Cap. 24. *De Election.* (I. 6) et cap. 19. *De Jure patr.* (III. 38).

3⁰) Possessor bonæ fidei ob rationem præsumptæ proprietatis facit *suos fructus* rei, quam possidet. De qua re fusius inferius.

4⁰) Si tempore natæ litis quis nec vi nec clam nec precario possideat, a judice debet *manu teneri,* seu defendi et conservari in possessione, usque ad exitum judicii, vel saltem usque dum periculum non exsurgat, ne res litigiosa pereat. Immo si possessor ex privata vi et invasione exturbetur, potest vim vi repellere, et suam tueri possessionem.

7. **De effectibus proprietatis** fuse non loquimur, nam possunt comprehendi sub generali appellatione juris utendi, fruendi re sua, de eaque libere disponendi, si res possideatur, vel rem assequendi si ab alio detineatur.

8. Nunc de Causa possessionis et de Causa proprietatis. Tum circa possesssionem, tum circa proprietatem oriri potest quæstio. Hinc dantur causæ possessionis et proprietatis. Causa possessionis ea est, in qua principaliter agitur de possessione rei, vel quasi possessione juris acquirenda, vel retinenda, vel recuperanda. Scilicet actor petit ut judex, præscindendo interim a dominio rei, declaret ad actorem ipsum pertinere possessionem rei. Causa proprietatis ea est, in qua principaliter et directe agitur de proprietate, et actor quærit, ut sibi rei proprietas adjudicetur. Porro cum sola possessio possessorem non faciat dominum rei retentæ, hinc causa possessionis dicitur *causa momenti* vel causa *momentanea.* Ratio est quia qui vicit in possessorio, potest causa cadere in petitorio judicio, quod vel brevi intervallo, vel eodem tempore intentatum una simul cum possessorio judicio finiatur, et possessor rem illico restituere tenetur. Exemplum hujus theoriæ exhibetur in cap. 6. h. t.

9. Causa possessionis *triplex* est, seu vel *acquirendæ,* vel *retinendæ,* vel *recuperandæ* possessionis. Causa proprietatis *una* est ex qua oritur judicium petitorium. Triplici causæ possessionis respondet triplex judicium possessorium, quod et interdictum appellatur, forsitan quia judicium possessorium *interim dicatur* et ad tempus; seu interim judex aliquid jubeat vel prohibeat directe circa possessionem vel quasi possessionem integro remanente litigantibus jure agendi, et judici jure decernendi de proprietate rei.

Interdicta possessoria in jure *romano* introducta sunt. Primitus distinguebantur ab actionibus, quæ a jure civili, idest ab *ipsa lege* procedebant, dum contra interdicta non erant nisi verborum formulæ et conceptiones, quibus *prætor* aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat, quod tum maxime locum habebat, cum de possessione ageretur. At hodie sublatis actionum et interdictorum formulis solemnibus, interdicta in suo genere non distinguuntur ab actionibus et nil aliud sunt quam actiones possessoriæ, idest actiones in factum, quibus imploratur judicis auctoritas, vel ad *acquirendam* possessionem, si nondum possideatur, vel ad *retinendam*, si turbetur; vel ad *recuperandam*, si amissa fuerit.

I. Interdicta *adipiscendæ* possessionis 5 numerantur:

a) *Interdictum quorum bonorum.* Competit directe quibus a prætore data est bonorum possessio; utiliter vero cuivis hæredi vel successori in aliquo jure ex. gr. beneficii, ad obtinendam possessionem rerum hæreditariarum vel juris, contra eum qui possidet pro hærede vel pro possessore, qui est nudus possessor hæreditatis, vel rei, vel juris, sciens hæreditatem vel rem vel jus non esse suum et interrogatus cur possideat, respondet possideo quia possideo.

b) *Interdictum quod legatorum.* Competit hæredi adversus legatarium, qui rei legatæ possessionem marte proprio occupavit, ad hoc ut ejusdem rei possessionem assequatur.

c) *Interdictum possessorium.* Competit bonorum emptori ad rerum emptarum possessionem assequendam.

d) *Interdictum sectorium.* Est simile possessorio, daturque sectori, seu ei qui publice bona mercatur ad rerum mercatarum possessionem acquirendam.

e) *Interdictum Salvianum.* Conceditur domino domus vel prædii rustici pro securitate pensionis, contra conductorem vel colonum super rebus invectis et illatis in domum vel prædium.

II. Interdicta *retinendæ* possessionis 2 exhibentur:

a) *Interdictum 'Uti possidetis'* reddi solet quoties de possessione rei immobilis controversia est, et quæritur uter ex litigantibus possidere debeat. Tunc judex per hoc interdictum, eum potiorem ex litigantibus esse jubet, qui eo tempore quo interdictum redditur, nec vi, nec clam, nec precario possideat.

b) *Interdictum 'Utrobi'.* Hoc pariter interdictum in eumdem finem redditur de rerum tamen mobilium possessione, et in eo

illum potiorem esse jubet judex, qui majore parte ejus anni nec vi, nec clam, nec precario possederit.

III. Interdicta *recuperandæ* possessionis reducuntur ad interdictum *'Unde vi'* quod conceditur ad recuperandam possessionem rerum immobilium illi, qui a possessione fuit vi dejectus.

Hæc tria interdicta non solum valent in materia civili, sed etiam servantur in materia canonica, seu in beneficiis, pensionibus, redditibus bonorum ecclesiasticorum, et in exercitio jurisdictionis ecclesiasticæ. Quare qui vi dejicitur a possessione beneficii, pensionis etc., potest juxta principia juris tradita in cc. 17. et 19. *De Rest. Spoliat.* (II. 13.) agere interdicto *'Unde vi'*.

10. Circa causam possessionis et proprietatis quæri 1°. potest: *quo ordine tractandæ sint.*

Ex cc. 5., 7. et 36. *De Testibus* (II. 20) habemus licitum esse prius agere de proprietate, quam de possessione rei. Videlicet si placeat actori, omissa quæstione possessionis, quæ oppugnatur, poterit illico intentare quæstionem de proprietate. At *non expedit* quæstionem proponere de proprietate, quando in promptu habeatur possessorium interdictum. Nam difficilioris probationis est causa proprietatis. Sane qui vult probare se dominum esse rei, ostendere debet titulum dominii et originem tituli legitimam, seu ostendere debet revera dominum fuisse illum a quo dominium derivatum est, et insuper ostendi debet translatum fuisse dominium per contractum vel actum de jure habilem ad transferendum dominium. Quæ omnia sunt difficilis probationis, et si unum deficiat, qui expertus est judicium petitorium, causa cadat necesse est. E contra vero causa possessionis facile probatur, nam 1°) ad acquirendam possessionem, sufficit testamentum non injustum, quod nempe legibus aperte non opponatur, vel concessio tituli juridice facta ab eo, qui titulum concedere poterat. 2°) Ad retinendam possessionem sufficit factum quod quis nec vi, nec clam, nec precario possederit. Factum vero hujusmodi probari potest vel per instrumentum adeptæ possessionis, vel per veram apprehensionem rei, vel per fictam et symbolicam immissionem in possessionem. Probari etiam potest ex perceptione fructuum rei, et solutione tributorum et expensarum.

Quod si pares probationes pro possessione ex utroque litigante proponantur in causis beneficialibus, neutri favendum est quia duo-

bus concedi beneficium non potest, in causis profanis seu civilibus locus est strictæ formæ interdicti *uti possidetis, ita possideatis.* Videlicet uterque litigans conservabitur in possessione sua rei usque ad exitum judicii proprietatis.

3°) In interdicto *unde vi* sufficit ut actor probet se aliena vi a possessione fuisse dejectum. Quæ omnia facilioris sunt probationis præ illis quæ in causa proprietatis probare necesse est.

11. Quæritur 2°. an coram *eodem* judice debeat tractari causa possessionis et proprietatis.

Si sermo sit de judice delegato non potest dividi inter duos delegatos judices causa possessionis et causa proprietatis, sed ab eodem judice utraque causa debet cognosci. Ita deducitur ex cap. 1. h. t. in quo *Gregorius* alludens ad l. 10. C. *De Judiciis* respondens Duci Siciliæ expostulanti duos judices delegatos, unum pro causa proprietatis, alium pro causa possessionis rescripsit causam ab uno eodemque judice esse cognoscendam. Ratio dispositionis est, quia qui adversarium ad plures judices pro causis inter se connexis pertrahere nititur, insinuat suspicionem fraudis, et animum vexandi eumdem suum adversarium. Quod si sermo sit de judice ordinario, videtur etiam non posse dividi continentia causarum possessionis et proprietatis, sed utraque esse expedienda et definienda ab eodem judice. Nam licet in cit.° cap. 1. h. t. quæstio resolvatur proprie de duplici judice delegato, prout dux Siciliæ postulabat, tamen invocatur principium generale pro omnibus judicibus. Ait enim Pontifex 'Legali provisione decretum est tum momenti, cum proprietatis causam sub uno judice debere cognosci.' Ratio est quia optime una alteri causæ conjungitur, et una ad aliam mirifice intelligendam inservit. Hinc cognitio magis completa et tutior erit, si tum de possessione, tum de proprietate idem tribunal judicet. Hinc si unus ex collitigantibus alterutram ex causis, vel possessionis vel proprietatis ad diversum judicem trahat, potest repelli exceptione declinatoria fori ob continentiam causarum.

12. Sed exceptio admittenda est 'Nisi causa proprietatis *distincti* fori exsistat a causa possessionis'. Hæc exceptio verificatur in causis ecclesiasticis, quæ, quando agitur de *nuda possessione* juris contra laicam personam, sunt *mixti* fori, ac proinde etiam decerni possunt a judice laico. Quando autem agitur de *proprie-*

tate et de jure possidendi, ad tribunal *ecclesiasticum* pertinent. Hoc enim in casu, quamvis causa possessionis a laico judice definiri potest, non potest vero causa juris possidendi et proprietatis cognosci ab eodem judice, sed definienda est a judice ecclesiastico. Ratio prioris partis ex eo deducitur, quod quæstio nudæ possessionis reducitur ad quæstionem meri facti ex. gr. utrum quis possederit et exturbatus a laico fuerit a jure eligendi, præsentandi, seu melius quæritur an revera a laico fuerit Ecclesiæ vel clerico illata injuria in eorum possessione. Quare objectum quæstionis est civile et temporale. Nil ergo mirum si contra personam laici in hac quæstione sententiam dicat tribunal laicum; at idem tribunal simul de causa juris seu proprietatis decernere nequit. Cap. 2. *De Judiciis* (II. 1). Afferri potest exemplum causæ juris patronatus, quæ in cap. 3. *De Judiciis* (II. 1) dicitur causa ecclesiastica: et tamen si quæstio est de mera possessione contra laicum, potest a judice laico definiri. Non vero potest a sæculari judice decerni causa proprietatis, quemadmodum etiam tractari nequit causa possessionis, quæ instituatur contra clericum. Idem dici debet in causa electionis perficiendæ ad Prælaturam, de qua agit cap. ult. *De Judiciis* (II. 1).

13. Quæritur 3°. An et quando possit causa possessionis *cumulari* cum causa proprietatis.

Cumulare causam possessionis et proprietatis idem est ac coram eodem judice et simul, seu eodem judicio, agere de utraque causa et possessionis et proprietatis.

Videretur cumulatio fieri non posse, nam causa possessionis est momenti, et possessio, si contra possessorem pronuncietur sententia in petitorio, cessat. Hinc sententia lata in petitorio juxta cc. 3. et 6. h. t. absorbet sententiam in possessorio. Tamen permissa est in jure cumulatio causæ possessionis et proprietatis. Ita in genere in cap. 2. h. t. Ratio est quia opportunum est, si fieri possit, brevitati judiciorum consulere, quæ brevitas facilius obtinetur, si eodem judicio non solum de possessione agatur, sed etiam de proprietate. Sed ut clarius procedatur præmittendum est ad duos casus varias cumulationis species reduci, scilicet 1°) Si actor *utramque* causam proponat possessionis et proprietatis. 2°) Si unam *actor* proponat et aliam *reus*, quemadmodum ex. gr. si actor possessorium incipiat petens sibi adjudicari possessionem prædii,

reus e contra excipiat rem esse suam, et postulet sibi adjudicandam esse proprietatem.

14. *De 1°. Casu.* Ex cc. 3. et 4. h. t. patet non esse actori prohibitum actiones cumulare. Nam quamvis causa possessionis sit causa momenti, quæque proinde præcaveat pericula futura, quæ ex judicio de proprietate actor timere potest, tamen utile est ut ipse pronunc declaretur legitimus possessor relate ad præteritum, præsertim ne molestiis afficiatur pro fructibus perceptis et consumptis. Quare licet actor proposuerit judicium petitorium, poterit utiliter possessorium simul urgere.

Aliqua difficultas exsurgit in judicio retinendæ possessionis, seu in interdictis *uti possidetis* et *utrobi.* Nam interdictum retinendæ possessionis et judicium proprietatis super eadem re videntur inter se pugnare. Judicium enim petitorium ad vindicandam rem exercetur. Ergo qui hoc judicium experitur, implicite fatetur rem non possidere. Quomodo ergo simul agere poterit interdicto retinendæ possessionis?

At in cc. 1. 2. 4. et 6. h. t. generaliter actoris cumulatio admittitur. Igitur excludi non potest species cumulationis in casu interdicti retinendæ possessionis. Nec valet ratio objecta. Nam actio vindicatoria judicii proprietatis non importat per se tacitam confessionem amissæ possessionis, potest enim quis vindicare rem suam, quam alter solum naturaliter detinet, ipse vero conservat juris possessionem rei ejusdem. Hinc in l. 12 ff. *De Adip. poss.* dicit Ulpianus 'Non videtur possessioni renunciasse, qui rem vindicavit.' Quare dominus rei posset contra detentorem agere judicio tum petitorio quia dominus, tum retinendæ possessionis quia civiliter possidet.

15. *In 2°. casu.* Duplex fingi potest species. 1[a]) Si *actor* instituat judicium *petitorium*, et *reus* resistat promovendo exceptionem *possessionis.* 2[a]) Si actor promoveat judicium *possessionis,* et reus opponat exceptionem *proprietatis.*

Relate ad 1[am] speciem cumulatio utique admitti potest, at adnotant interpretes exceptionem a reo convento de possessione propositam non præjudicare actori, nisi quoad plenitudinem causæ, quia potest utique declarari in aliqua re proprietatem esse alicujus, quin noceat exceptio possessionis. Scilicet poterit actori tribui proprietas, et inde assequi possessionem; reo autem poterit legi-

tima possessio adjudicari pro anteacto tempore ut restringatur restitutio fructuum. Quare actor recuperabit ex petitorio judicio rem suam, sed non omnes fructus recuperabit, quos recuperavisset, si exceptio possessionis non fuisset opposita. Non obtinet igitur actor victoriam quoad *plenitudinem* causæ.

16. At quid de 2ª. specie? Scilicet quid si actor proponat possessorium judicium, et reus opponat judicium proprietatis?

Quid sentiendum sit de institutione interdicti recuperandæ possessionis, et de opposita exceptione proprietatis, videbimus in titulo sequenti, ubi sermo est de restitutione possessionis illis facienda, qui ab ea per violentiam dejecti fuerunt.

Hisce adnotatis dari potest cumulatio judicii, quando actor proponat interdictum retinendæ possessionis, et reus excipiat proprietatem. Nam cumulatio admittitur quoties utilitas inde sequatur. Jamvero in casu ex utroque judicio potest utilitas derivari. Actor si victor exsistat, declaratur legitimus possessor, saltem usque nunc, reus vero qui dominus declaratur incipit ex judicio inde possidere. Quare actor qui non omnes tenetur ob victoriam in possessione fructus restituere, utilitatem percipit in ordine ad præteritum tempus, reus vero obtinet rem suam et aliquam fructuum partem.

Verum cumulatio dari non potest cum actor proponat interdictum *adipiscendæ* possessionis, et reus instituat judicium proprietatis. Nam cum actor non possideat, sed solum dicat se habere titulum ad rem possidendam, hinc si alter excipiat se esse dominum in casum incidimus contrariarum petitionum, quarum una aliam excludit, et inutiliter de possessione quæritur unius, cum adsit proprietas alterius; vel frustra quæritur de proprietate alterius, cum titulus adsit, seu jus prioris ad rem uti suam habendam. Utrumque ergo judicium utile non est, ergo nec locus est cumulationi judiciorum, sed solummodo pertractari debet judicium *petitorium*.

17. Quæritur 4º.: *Quo ordine* procedere debeat judex cum proponitur simul causa possessionis et proprietatis.

Et in primis judex ex dispositione cap. 2. h. t. commixtim audire debet allegationes et testes pro utraque causa. Auditis hinc inde probationibus, judex judicio tum possessorio tum petitorio simul satisfacere debet, et utramque causam una eademque

sententia comprehendet, ita scilicet ut prius pronunciat de possessione rei, deinde pronunciat de proprietate. Sed dum sententia exsecutioni mandatur præmitti debet exsecutio partis, quæ respicit proprietatem, et deinde exsecutioni mandanda est pars sententiæ, quæ est super possessione. Ita in cap. 6. h. t. decernitur. Ratio hujus ordinis judicialis est hæc: Prius debet *definitio* dari de possessione, tum quia facilius de possessione judex pronunciat sententiam, tum quia judicium possessorium melius determinat rem de cujus proprietate quæritur in petitorio. Ast non est idem ordo servandus in *exsecutione* sententiæ, sed prius immittendus est in possessionem rei litigiosæ, qui victor exstitit in proprietate, deinde debent determinari inter actorem et reum effectus possessionis legitimæ, quæ in sententia recognita est. Ratio est 1°) quia proprietas est possessione nobilior, hinc prius exsecutioni mandanda est sententia, quæ eam respicit. 2°) Quia frustra mandaretur exsecutioni sententia in possessorio momentaneo, cum deinde statim per exsecutionem sententiæ in petitorio elideretur, et possessio iterum auferenda esset ut alteri traderetur. At frustranea prorsus et inefficax non est sententia in possessorio, licet res litigiosa domino concedatur. Nam utilis est tum relate ad expensas litis judicii possessorii quas victor recuperat, tum relate ad restitutionem fructuum perceptorum, quos omnes et integros non restituet.

18. Quæritur 5°. Utrum qui incepit judicium petitorium ob difficultatem probationis possit *regredi* ad judicium possessorium.

Ex cap. 5. h. t. *affirmativam* habemus resolutionem quæstionis, ita ut regressus admittatur a judicio petitorio ad interdictum adipiscendæ, et ad aliud recuperandæ possessionis, dummodo tamen conclusum non fuerit in causa. Dicitur autem facta conclusio in causa cum partes post probationes quas paraverant, ulterioribus probationibus et allegationibus expresse vel tacite renunciant, et causam judici definiendam permittunt. Et quidem permittitur hic regressus; nam distincta judicia sunt possessionis et proprietatis, nec quis penitus causa cadere debet, eo ipso quod proprietatem sufficienter non demonstret. Sed interim poterit instituere judicium possessorium, et a judice impetrare ut possit commodis et privilegiis possessionis frui, saltem donec adversarius plene probaverit se esse dominum. Poterit scilicet actor suspendere vel differre judicium proprietatis, et instituere judicium possessionis, eo quod

et possessio suos habeat effectus. Exemplum exhibetur in cap. 36. *De Testibus* (II. 20), ubi moniales quædam ingressæ incaute judicium proprietatis, agnita difficultate exitus intentati judicii petitorii, ipso judicio relicto, aliud quoad possessionem ingressæ sunt. Adnotat vero glossa in cap. 5. h. t. v. «De recuperanda» regressum permitti ad duo interdicta nempe adipiscendi et recuperandi possessionem, non vero ad interdictum *retinendi* possessionem, et dat rationem, quia qui vindicat rem eo ipso, regulariter loquendo, fatetur se non possidere. Ergo qui instituit judicium petitorium non potest transire ad judicium possessorium, exposcendo ut manu teneatur in possessione.

At difficultas objici potest ex dictis in titulo *de libelli oblatione*, facta nempe litis contestatione, non posse mutari libellum et novam intentari actionem. Verum re intimius inspecta apparebit revera mutationem non induci. Nam actor promovens interdictum possessorium, non renunciat judicio petitorio, quod instituerat, sed illud, eo quod est difficilis probationis, non urget ut in tuto ponat possessionem, saltem quoadusque reus non probaverit sibi competere proprietatem rei litigiosæ. Potest vero regressus fieri antequam conclusum fuerit in causa, nam postea novæ probationes non admittuntur, et partes collitigantes, quidquid habent, videntur remisisse prudenti judicis arbitrio, ut quam primum definitive pronunciet de juribus ipsarum.

19. Exceptio autem proponitur in cit. cap. 5. h. t. 'Nisi judex, qui de causa cognoscit, hoc ipsum viderit expedire. Ex. gr. cum ex perspicuis indiciis facile arguitur iniquitas invasoris, et simul casu vel malitia ipsius invasoris, subtracta fuerit spoliato facultas probandi dominium'.

20. Peculiari animadversione digna est dispositio Clem. un. h. t. quæ in specie loquitur de regressu a petitorio ad possessorium in causis beneficialibus, et statuit in istis causis devolutis per appellationem ad *Sanctam Sedem*, posse ab utraque parte collitigante regressum fieri a petitorio ad possessorium, ita ut si spoliatio possessionis facta fuerit, petitorium in odium spoliantis ante conclusionem in causa debeat suspendi, et ultra procedatur in possessorio noviter intentato. Hæc dispositio singularis est. Nam juxta principia juris in gradu appellationis, causa debet suscipi in eodem ordine, in quo erat in prima instantia, nec ullus regressus a pe-

titorio ad possessorium potest admitti. Quare casus Clem. un. h. t. est specialis, et locum habere potest solum in causis beneficialibus per appellationem devolutis ad tribunal S. Sedis.

Titulus XIII.

De Restitutione Spoliatorum.

1. Cum in genere pertractatum sit in titulo præcedenti de causa possessionis, in specie modo agendum est de causa possessionis in casu *spolii.*

Spolium aliquis patitur quoties ex magna et notoria injustitia a possessione sua dejicitur. Unde spolium definiri potest '*Dejectio a possessione rei, vel quasi possessione juris ex magna et notoria injustitia*'. Spolium non solum locum habet quando *privato* arbitrio et vi aliquis a sua possessione expellitur, sed etiam cum dejectio a possessione perficitur ex *judicio* evidenter non justo. Cap. 1. h. t. *Fagnanus* in id. Judicium non justum idem est ac non legitimum, seu illud est in quo judex procedit privato suo arbitrio, spernens normas publicas a lege statutas. Hinc distinguitur *sententia* injusta a *judicio* injusto. Sententia injusta ea est, quæ licet lata est juxta normas in judiciis perficiendis servandas, tamen juris applicatio in ea non rite procedit. Unde per sententiam injustam læditur bonum jus alterius ex partibus collitigantibus. Contra hanc sententiam ad corrigendum abusum ejus datur appellatio. Judicium vero injustum illud est in quo spretus est ordo judicialis, et manifesta est legis jurisprudentiæ organicæ læsio. Si virtute hujus judicii evidenter injusti aliquis a possessione dejicitur, spolium *juridicum* pati dicitur. Judex enim procedens contra normas pro judiciis a lege statutas, habetur ceu persona privata. Quare præsumptio veritatis et justitiæ non adsistit amplius eidem judici, dum sententiam profert. Exemplum habemus ex Tridentino, quod sæpe gradus servandos in pœnis applicandis a judice statuit ex. gr. in specie clerici concubinarii possidentis beneficium. Si spreto ordine statuto judex illico altioris gradus pœnas decernat, neglectis gradibus inferioribus spolium intervenisse dicitur.

2. Hisce expositis ad determinandam notionem spolii, exhibenda sunt *remedia,* quæ a jure spoliato tribuuntur.

In jure romano dejecto ex magna et notoria injustitia a sua possessione dabatur interdictum '*Unde vi*' quo poterat spoliatus possessionem recuperare. Hoc interdictum erat personale, et concedebatur contra ipsum spoliantem, vel eum qui mandatum dedit de spolio perpetrando, vel contra eum qui consensit in spolium nomine suo patratum, minime vero contra tertium possessorem rei spoliatæ. Hanc juris civilis dispositionem libenter accepit jus nostrum, eamque ampliavit duobus aliis remediis, de quibus sermo est in c. 18. h. t. et in c. 3. C. 3. q. 1.

3. In c. 18., quod est *Innoc. III.*, sapientissimus Pontifex concedit spoliato actionem, quæ dicitur *actio spolii*, contra *quemcumque tertium* rei possessorem qui rem per spolium occupatam sciens ejus originem, recipit et tenet. Dicitur contra quemcumque tertium possessorem, quia tertius possessor in jure relate ad nos ille est qui rem nostram obtinuit non a nobis, sed ab alio, quamvis res antequam ad actualem possessorem perveniret, per plures manus, seu possessores transierit. Igitur ex dispositione hujus capitis rem per apertum spolium sublatam, quamvis per mille manus transierit, poterit actione spolii repetere spoliatus quin teneatur ostendere proprietatem ejusdem, dummodo ab eo possideatur, qui sciverit rem per spolium ablatam fuisse. Manifestum est hujusmodi actionem ab Innocentio spoliatis concessam nil aliud esse nisi ipsum interdictum '*Unde vi*' extensum ad *tertios* detentores malæ fidei rei spoliatæ, prout clare colligitur ex ipsius c. 18. inspectione. Romanus enim Pontifex in hoc cap. loquitur de beneficio restitutionis a jure spoliatis concesso, quod beneficium non obstante ipsius juris civilis rigore extensum vult quoque contra eos qui scienter rem receperint ratione ductus indolis prorsus canonicæ 'eo quod non multum intersit quoad periculum animæ injuste detinere, ac invadere alienum'. Videlicet ipsum factum personale invasionis alterius possessionis, quod constituebat in jure civili fundamentum interdicti 'Unde vi' considerat Pontifex veluti continuatum ab iis, qui rei spoliatæ detentores scienter exstiterint.

4. Secundum remedium est ex c. 3. C. 3. q. 1. quod ex ipsis verbis canonis dicitur a juristis *remedium redintegrandæ.* Hoc remedium vi canonis concessum est Episcopis vel spoliatis vel vi dejectis, extensum tamen ob quandam interpretationem clericis omnibus, qui ob spolium amiserint vel res suas vel res Ecclesiæ suæ, contra quemcumque etiam tertium possessorem, sive *bona*

fide possideat sive *mala*, sive ad eum res *cum* titulo pervenerit, sive *absque* titulo. In hoc autem consistit remedium, quod Episcopi vel clerici spoliati ante quamcumque accusationem, debeant de omnibus rebus sublatis redintegrari, et quidem in loco ubi ablatæ fuerunt; clara enim sunt verba canonis 'Redintegranda sunt omnia Episcopis . . . . . ante accusationem aut regularem ad synodum vocationem eorum'. Cui consonant etiam verba c. 3. C. 2. q. 2. . . . 'Nullus episcopus spoliatus debet accusari priusquam integerrime restauretur'. Ex quibus et natura hujus remedii et in quo differt a superiori indigitatur. Remedium enim cap. 18. constituit *actionem*, remedium vero cn. 3. constituit *exceptionem*, quod clarum etiam fit ex hac observatione, quod nempe Innocentius inutiliter actionem spolii favore spoliatorum constituisset in suo decretali, si jam in jure canonico provisum spoliatis fuisset per actionem c. 3. C. 3. q. 1.

Tria ergo sunt remedia quæ a jure spoliato tribuuntur: 1°. Jure romano dabatur ejectis a possessione interdictum '*Unde vi*' quod erat personale, i. e. urgeri poterat contra solum *spoliatorem*. 2°. Jus canonicum amplectitur hujusmodi remedium et æquitate suadente concedit Episcopis et clericis spoliatis *exceptionem* contra quemcumque detentorem rei spoliatæ sive bonæ sit sive malæ fidei (c. 3. C. 3. q. 1.). 3°. Ulterius progreditur *Innocent. III.* qui a possessione dejectis dat *actionem* contra tertios detentores rei, qui rem per spolium ablatam fuisse sciverint.

5. Remedia exposita conceduntur illi, qui a possessione dejicitur. Quod si quis nomine *alieno* possideat, ex. gr. procurator, colonus, inquilinus, conductor, non ipsis, sed domino rei conceditur remedium recuperandæ possessionis; ipsi enim solummodo rem detinent, dominus autem revera possidet. Cap. 9. §. fin. h. t. Conceditur vero remedium hoc emphyteutæ, quia habet dominium *utile*. L. 3. ff. *De vi et vi armata.* Cum conductio ad *longum* tempus potest haberi ceu quædam alienatio dominii utilis, hinc etiam huic conductori remedia recuperandæ possessionis conceduntur.

6. Quæritur: utrum *prædo* spoliatus rebus vi possessis, restitutionis beneficio frui possit.

Et quidem si spoliatus prædo sit a tertia persona, quæ dominus rei non est, valet regula cap. 5. h. t. etiam prædonem restituendum esse in possessione. Hæc regula recepta erat etiam a

jure *civili* in l. 1. ff. *De vi et vi armata* §. «quia». Ratio autem regulæ est odium, quo jus nostrum et civile merito prosequuntur spolium. Nam factam spoliantis dum est usurpatio contra publicam auctoritatem et privatam proprietatem, potest non pauca incommoda et perturbationes gignere et excitare in societate. Nec dicatur latronem non esse in vera ac legitima possessione rei ablatæ, nam id valebit in ordine ad dominum rei, non vero relate ad alios; quia relate ad extraneas personas non retinet rem cum injuria. Hinc in l. ult. ff. *De acquirenda possessione* dicitur 'Adversus extraneos vitiosa possessio prodesse solet.' Immo relate ad extraneos tenetur prædo rem ablatam custodire et defendere, ut eam restituat vero domino.

7. Quid vero si prædo spolietur ab ipso *domino* rei, qui occupet rem suam?

Profecto non loquimur de occupatione *in continenti* facta a domino, nam tunc esset potius justa defensio proprietatis, et dominus in re sua tuenda potest vim vi repellere. Loquimur ergo de spoliatione prædonis a domino facta *in intervallo*. Et distinguendum est inter prædonem *notorium* et *occultum*. In casu prædonis *occulti*, de cujus nempe fraude et violentia non evidenter constet, cum ejus injustitia in publico non pateat, si a possessione dejiciatur, coram societate censetur facta eidem injuria. Quare spolium patratum esse censetur, ac proinde ejus purgationi, seu restitutioni locus est, quemadmodum l. «Cum fundum» ff. *De vi et vi armata* aperte tradit. Quod si vero dominus occupet rem suam, eamque auferat a prædone, qui *notorie* talis est, scilicet de cujus spolio patrato contra legitimum dominum evidenter constet, restitutioni locus esse non potest, nam notorius defectus proprietatis obstaret. Scilicet quamvis possessio inducat præsumptionem proprietatis, tamen præsumptio cedere debet veritati, quando certum est et notorium rem ablatam prædonis non esse, sed domini, qui rem a prædone recuperavit. Quare cessante prorsus ex parte prædonis præsumptione veritatis, eidem facienda non est restitutio rei, quia spolium locum non habuit. Ita doctores communiter innixi dispositioni cap. 6. *De Caus. possess. et propriet.* (II. 12) in quo Pontifex sollicitus est ut cognita proprietate prius executioni demandetur dispositio sententiæ, quæ de proprietate est, antequam demandetur executioni dispositio circa possessionem.

8. Porro in judiciis in quibus intrat causa spolii, receptum est principium '*Spoliatus ante omnia est restituendus*'. Cap. ult. *De Ord. Cognition.* (II. 10); *et c. 3. C. 3. q. 1.* Scilicet qui spolium commisit, non auditur in judicio, nisi purget spolium, seu nisi restituat rem ablatam, quamvis proprietatis exceptionem proponat, et promptam habeat defensionem.

9. Verum plures *exceptiones* patitur generale hoc principium. 1ª. exceptio exhibetur in cap. 1. h. t.; et cap. 20. *De Sent. et Re jud.* (II. 27). Scilicet spoliato restitutio ante omnia facienda non est, si ipse expresse vel tacite *consentiat* judicium *petitorium* compleri, quin sibi possessio restituatur. Tacita renunciatio juri restitutionis præsumitur, quoties spoliatus vel non excipiat contra spoliatorem de proprietate agentem, vel non appellat a decreto judicis qui procedere intendit in judicio proprietatis. Adeo autem hæc renunciatio spoliatori prodest, et nocet spoliato, ut nec judex ex officio suo possit restitutionem jubere, quia judex ultra petita procedere non potest.

10. 2⁰) Si *notorius* sit defectus proprietatis, in eo a quo ablata est possessio, dummodo simul constet sufficienter proprietatem rei pertinere ad spoliantem. Ratio exceptionis est tum quia frustra restitueretur possessio, quæ illico esset postea concedenda iterum spoliatori, tum quia spoliatus ob notorietatem juris dominii alieni, dolo videretur petere restitutionem. Quemadmodum enim ait regula *59. Jur. in 6⁰.*: 'Dolo facit qui petit quod restituere oportet eumdem'. Requiritur autem ut constet sufficienter proprietatem pertinere ad spoliantem, nam secus ipse cum causam non haberet cum possessore rei, eidem injuriam irrogasset auferendo possessionem, et per consequens spolium esset purgandum.

11. 3ª. Exceptio deducitur ex cap. 2. h. t. in 6⁰. et in genere exprimi potest ita ut restitutio facienda non sit spoliato, quando occupanti possessionem adsistat *jus commune*, seu *præsumptio* juris communis, et spoliato resistat. Hoc in casu spoliato restitutio facienda non est, nisi ipse demonstret titulum sui juris, idest nisi demonstret proprietatem. Ratio est quia quoadusque non pateat et non producatur hujusmodi titulus acquisitæ legitimæ possessionis, præsumitur possessio injusta fuisse, prout ea, quæ est juri adversa. Exemplum affertur in cap. 2. h. t. in 6⁰. de solutione decimarum 'Juxta doctrinam Apostoli'. Si spiritualia vobis sub-

ministramus, cur non et temporalia recipiemus? Parochus qui sacramenta administrat, de juri communi percipit decimas et obventiones ecclesiasticas intra limites parœciæ suæ. Jamvero quidam canonici de facto decimas exigebant de prædiis in aliqua parœcia existentibus. Vacante parœcia novus rector electus fuit, qui absque ulla contestatione incepit decimas colligere in omnibus parœciæ prædiis. Canonici experti sunt interdictum *possessorium* recuperandæ possessionis et petierunt *purgationem spolii.* Parochus exceptionem proprietatis opposuit. Canonici invocarunt principium superius allatum *'ante omnia spoliatus redintegrandus est'.* Sed re delata ad *Bonifacium VIII.* respondit Pontifex fallere hoc in casu principium generale, eo quod parochus non solum in promptu habebat defensionem, sed etiam pro se habebat fundatam intentionem in jure, canonici vero adversam intentionem juris patiebantur. Quare ubi jus commune spoliatori favet, resistit vero spoliato, purgatio spolii facienda non est, sed quæstio proprietatis definiri debet. Hoc principium valet non solum in decimis, sed etiam in beneficiis, quæ vi juris communis præsumuntur liberæ collationis, et ad Episcopum eorum provisionem pertinere. Valet etiam in ceteris juribus, seu causis spiritualibus in quibus jus commune generali norma aliquid disponit, ex quo præsumptio juris exsurgat.

12. 4ª. Exceptio a generali principio etiam verificatur in causis *matrimonialibus.* Jam vidimus supra ex dispositione cap. 1. *De Ord. Cognition.* (II. 10) primitus esse finiendam causam juris et judicium *petitorium,* quam possessorium, quoties exposcenti possessionem objiciatur exceptio *nullitatis* matrimonii. Sed res magis etiam aperta fit ex cap. 13. h. t. Species capitis hæc est. Matrimonium initum fuerat legitima sub forma, et secuta erat etiam cohabitatio contrahentium. Mulier vero conjugii pertæsa discessit a viro, asserens matrimonium fuisse nullum ob impedimentum quarti gradus consanguinitatis. Vir autem institit coram judice ecclesiastico, et petiit purgationem spolii, quod passus erat, seu petiit ut eidem restitueretur mulier, et redintegraretur vitæ conjugalis consuetudo. Delata est quæstio Romano Pontifici *Innocentio III.* qui respondit 'vel mulier paratas habet in continenti probationes pro nullitate contractus conjugalis, vel non'. Si primum, respondet Innocentius, restitutionem mulieris non esse interim faciendam, nam quando probationes nullitatis in promptu sunt, peccati periculum

ex restitutione mulieris immineret. Quod si mulier paratas non habeat probationes, et longas dilationes petat, respondet Pontifex, restitutionem esse faciendam, quia præsumptio est contra mulierem, quæ sine Ecclesiæ judicio et sua potius temeritate recessit, et censetur divortium tentasse ex fraude, eo quod pertæsa viri sui, declinare cupiat obligationes matrimonii.

13. Quid vero si mulier in hac secunda hypothesi *certo sciat* matrimonium invalidum esse?

Profecto species esset diversi et contrarii judicii in foro *externo* et *interno*. Nam in foro *externo* ad fraudes præcavendas præsumitur validum matrimonium quoties juxta leges canonicas celebratum est, nisi aliter positive et sufficienter probetur. Verum mulier si certo sciat vitium substantiale conjugii, quod nullum est, non potest maritali affectu cohabitare cum viro, et non solum debitum conjugale petere non potest, sed etiam illud reddere prohibetur. Immo licet ab judice adstringeretur ad maritalem conversationem pœna excommunicationis, tamen obtemperare judici non deberet mulier, sed potius teneretur quoad forum externum pœnam sibi inflictam humiliter tolerare. Ita *Innocentius*. Ratio est quia in foro *interno* præsumptio cedere debet veritati. Hinc vir et mulier in casu vivere debent ceu frater et soror. Quare ex allatis rationibus deducitur, spolium in matrimonio non esse purgandum, quoties pars, quæ spoliavit, in promptu habeat sufficientes probationes ad ostendendam nullitatem contractus matrimonialis.

14. Sed quæritur: *quando* revera spolium in *matrimonio* verificetur.

Recolendum est jus conjugale initiari per sponsalia inter habiles personas contracta, constitui et firmari per matrimonium ratum, tandem revera compleri et perfici per matrimonii consummationem. Profecto si sermo sit de jure conjugali incompleto sponsalium, non datur, si una pars recedat proprio arbitrio, spolium juris *matrimonialis,* sed tantum *sponsalitii* i. e. urgeri poterit observantia contractus sponsalitii.

15. Si sermo sit de altero casu, seu de matrimonio rato, quoties unus ex conjugibus etiam auctoritate privata, ob finem a canonibus concessum scilicet si ingrediatur et vota nuncupet in religione approbata alium conjugem deserat, spolium non verifica-

tur. Cap. penult. *De Probationibus* (II. 19). Ratio est quia quoad hunc casum non adest possessio vel quasi possessio, ergo neque spolium. Idem valet in solutione matrimonii rati tantum legitime, i. e. dispensatione Sum. Pontificis facta. At si post initum matrimonium et inceptam cohabitationem, et ante consummationem, unus ex conjugibus alium deserat, potest conjux derelictus *petere* restitutionem, eo quod est revera casus spolii, nam ex *privata* auctoritate pars discedens, alteram jure suo spoliavit. Verum notant doctores per matrimonium contractum et nondum consummatum, si mulier deducta fuit in domum viri, *plenam* possessionem juris conjugalis inductam non esse, unde locum non fieri integræ restitutioni, nempe restitutioni quoad habitationem et thorum, sed solummodo fieri locum restitutioni quoad habitationem, et alia obsequia conjugalia, citra copulam carnalem. Nam ut plena restitutio fiat in cap. 8. h. t. requiritur ut mulier fuerit non solum legitime desponsata, sed etiam a viro suo cognita. Scilicet exigitur matrimonii consummatio. *Sanchez: De Matrim.* lib. 7. Disp. 112. n. 8. *Pirhing* h. t. n. 69. Immo si post contractum matrimonium, mulier antequam deduceretur ad domum viri aufugeret, restituenda esset neque quoad habitationem, et ad alia obsequia conjugalia, idest nullo modo posset adhiberi interdictum possessorium '*unde vi*'. Nam revera vir nullam acquisivit possessionem uxoris suæ. Attamen quoniam matrimonium contractum est, posset mulier vi contractus obligari ad cohabitationem et thorum, nisi aliquam justam exceptionem protulerit. Ita cit. doctores.

16. In tertio casu, scilicet matrimonii *rati et consummati*, si pars, quæ discedit non probaverit matrimonium fuisse ab initio nullum, et nullum revera esse, datur casus spolii, et plena redintegratio facienda est. Nam revera spoliatus est ille conjux, qui ab alio post consummatum matrimonium privata auctoritate deseritur. Etenim per consummationem vera et plena inducta est possessio juris conjugalis. Excipitur vero casus, quo prudenter timeri potest de tuta conditione mulieris, quæ virum deseruit. Timor autem hujusmodi verificatur quando vir sit rigidæ indolis, et sævitiæ et minæ prævideantur, nisi vir sufficienter caverit de securitate ejus. Hoc in casu mulier, juxta sensum cap. 8. h. t. tradenda esset alicui honestæ feminæ caute custodienda, vel posset in monasterio sese recipere, ubi viri et propinquorum ejus effugeret violentiam. Hæc exceptio aptanda est etiam casui matri-

monii non consummati, de quo supra. Immo doctores tradunt restitutionem hoc in casu non esse faciendam quoad cohabitationem, quoties periculum adsit, ne vir copulam per violentiam extorqueat.

17. 5) Exceptio a regula generali verificatur, cum spoliatus ante spoliationem *sponte* dominio suæ rei *renunciaverit*, quam deinde spoliator occupavit. Ita ex cap. 3. h. t. in quo exemplum proponitur de clerico, qui sponte renunciaverat beneficio suo, et deinde cum adhuc illud possideret, exspoliatus eodem per occupationem alterius, petiit restitutionem beneficii sui. Hæc vero dispositio legitima est, quia qui rei suæ, scilicet juri suo et proprietati renunciavit, eo ipso visus est renunciasse possessioni et juribus quæ ex eadem derivant, quia possessio legitima in eo esse nequit, qui scit non esse se dominum. Verum ut hæc exceptio consistat, renunciatio facta debet esse a domino, antequam alter rem occupet. Si enim renunciatio facta fuerit post spolium, non valet et restitutio facienda est ex dispositione cap. 2. h. t. Ratio est ex eodem cap. 2. h. t. quia præsumitur violentia et metus, si renunciatio fiat post spoliationem commissam.

18. 6°) Exceptio: si spoliatus post spoliationem, ineat *pactum* cum spoliatore, quo promittat se non acturum fore judicio possessorio recuperandæ possessionis. Ita communiter doctores, quia pacta sunt opere complenda. Cc. 1. et 3. *De Pactis* (I. 35). Hæc vero exceptio confundi potest cum prima exceptione. At in specie quoad pactum notandum est, illud, ut valeat, ineundum esse post spolium patratum. Nam si pactum fieret ante spolium, cum contineret concessionem faventem facto illicito spolii, pactum hujusmodi non sustineretur. Textus clarus adest in l. «Si unus.» v. «Pacta» ff. *De Pactis*. Idem dicendum si spoliatus post spolium *juramentum* ediderit de non petenda restitutione ante causæ principalis definitionem. Nam juramentum servandum est, quoties non vergat in præjudicium salutis æternæ.

19. 7°) Tandem non observatur principium generale, quoties post spolium perpetratum, persona spoliati ex defectu juridico facta est *inhabilis* ad agendum. Ex. gr. si percellatur pœna excommunicationis. c. 5. C. 3. q. 4. et cap. 7. *De Judiciis* (II. 1).

Hisce explicatis valet principium generale *'Spoliatum restituendum esse ante omnia, exceptis casibus a jure expressis'*.

20. *Quid* vero restitutio spolii *operatur?*

Principium constitui potest 'restitutionem comprehendere non solum ipsam rem, et ipsum jus, sed etiam rei *fructus*'. Fructus alii sunt *naturales*, alii *industriales*. Naturales sunt illi quos res sponte sua producit, nihil aut fere nihil cooperante humano studio et labore. Quemadmodum sunt poma, fœnum, ligna. Industriales sunt, qui ex diligenti cura hominis proveniunt potius, quam ex ipsa natura ex. gr. segetes. Industrialibus accensentur etiam oleum et vinum, sive quia non minimum industria hominis proficit pro eorum copia, sive quia ex opera hominis eorum fructuum naturalis forma mutatur.

Sunt qui tertiam speciem fructuum assignant, nempe fructus *civiles*, prout sunt usuræ, pensiones domorum, navium vel curruum vecturæ. At quoniam eorum major vel minor quantitas ab industria hominis pendet, merito possunt inter industriales recenseri.

Quod si quæstio oriatur de natura aliorum fructuum, circa quos leges tacuerunt, utrum naturalibus vel industrialibus sint accensendi, relinquendum est prudenti *arbitrio* judicis.

In sensu juris alii sunt fructus qui dicuntur *percepti*, alii *pendentes*. Percepti illi sunt, qui ex opera hominis sunt separati vel a solo, vel ab arbore, cui ex naturali productione adhærebant. Tales ergo sunt ex. gr. non solum frumentum in horreum translatum, sed etiam spicæ recisæ, licet nondum conversæ in triticum fuerint, vel receptæ in cellariis.

Pendentes vero fructus ii sunt, circa quos opera hominum pro eis colligendis adhibita non fuit; et proinde pars fundi esse videntur. Quare fructus pendentes sunt olivæ, quæ ventorum impetu deciderunt in terram.

Percepti fructus alii sunt *exstantes*, alii *consumpti* prout is, qui possidet, eos converterit in suos usus, vel non.

Quid de *restitutione* a spoliatore facienda?

Si sermo sit de spoliatore, seu de invasore violento, hic ceu malæ fidei possessor tenetur restituere cum re occupata fructus omnes non solum perceptos et consumptos, sed etiam illos, quos prior legitimus possessor percipere potuisset. Ita in cap. 11. h. t.

Quare non attenditur quid invasor aut possessor malæ fidei perceperit, vel ditior alteruter factus fuerit occasione possessionis injustæ, sed potius respicitur ad damna, quæ passus est legitimus possessor ob spoliationem toleratam. Ratio enim est, quia spoliatus debet indemnis fieri ex facto spoliationis, scilicet debet redintegrari etiam de damnis, quæ ob patratum contra se spolium passus est. Cap. ult. *De injuriis et damno dato* (V. 36), cui præiverat l. 1. ff. *De vi et vi armata.* §. «Non solum.»

21. At quid dicendum si fructus omnes et damna sarciri non possint a spoliatore, poteritne ultra procedi in judicio proprietatis, si spoliator dicat se esse dominum?

Huic quæstioni respondet cap. 16. h. t. Species est: Pontifex *Innocentius III.* mandaverat quibusdam judicibus, ut cogerent *Ovetensem* Episcopum ad restituendam *Zamorensi* Episcopo partem diœcesis occupatam et fructus omnes. Interim Ovetensis Episcopus excepit se amisisse Episcopatum ex Regis spoliatione, nec proinde posse fructus omnes restituere. Judicibus dubitantibus quid esset agendum, respondit Innocentius, inanem esse actionem quam debitoris inopia excludit; ideo exspectandam esse restitutionem Episcopatus favore Episcopi Ovetensis, ut deinde eum obligarent ad fructuum restitutionem. Quare integra restitutio spolii quoad fructus omnes et damna, facienda est solummodo juxta spoliatoris vires, nec urgenda est, si spoliator prematur inopia. Unde si spoliatus experiatur judicium possessorium, et spoliator excipiens proprietatem non valeat omnia interim restituere, procedendum erit in judicio proprietatis, si constiterit spoliatorem fecisse quod potuit, seu restituisse fructus, et damna reparavisse juxta vires suas. Quare ex hoc capite inductum est privilegium pro personis miserabilibus, ne ob impotentiam perficiendæ restitutionis completæ in favorem legitimi possessoris, ipsæ miserabiles personæ amittant proprietatem rerum suarum, quæ ab alio possidentur, aut saltem impediantur quominus interim in judicio persequantur proprietatem rerum earumdem. Quod profecto species esset patulæ injustitiæ. Quamvis enim spoliator in casu usus est illegitimo modo, nempe spolio, ad rem recuperandam, tamen semper verum est illam rem occupasse, quia suam esse putabat. Aequitas ergo canonico jure optime secumfert pœnam restitutionis spolii non adeo esse urgendam, ut ejus intuitu et favore, ipsa rei proprietas labefactetur.

22. Quæritur: quid dicendum, si *incerta* sit quantitas damni, nec spoliatus possit probare singulas res quas perdidit, scilicet non possit ostendere suas fuisse singulas res, quas asserit se amisisse ob spolium contra se patratum?

Si constet evidenter de spolio in genere, et de ejus auctore, judicis officium erit damni reparandi quantitatem, seu restitutionis faciendæ, juxta personarum qualitatem determinare. Facta hac taxatione damni defertur spoliato juramentum, et si juraverit hic, non minus damnum passum se fuisse, quam fuit a judice taxatum, standum erit huic juramento, et spoliator ad damnum in taxata quantitate sarciendum condemnabitur. Ita in cap. ult. *De iis quæ vi metusque causa* (I. 40); huic præiverat l. «Si quando.» C. *Unde vi.*

23. Quoniam in causa possessionis et proprietatis verificari potest quæstio restitutionis faciendæ a possessore bonæ fidei, hinc opportunum arbitramur inquirere an et quinam fructus a possessore legitimo et bonæ fidei vero domino vindicanti rem suam, sunt restituendi.

Possessor bonæ fidei in l. 48. «Bonæ fidei.» ff. *De Acquir. domin. rerum.* quoad fructus dicitur pene domini loco esse. Quare fructus omnes facit suos, sive naturales sive industriales, ita ut eos possit tuta conscientia retinere, iisque uti frui, quoadusque judiciali actione non urgeatur. At si res evincatur a domino suo, possessor tenetur fructus naturales et industriales sive pendentes sive exstantes restituere, deductis tamen expensis pro cultura, industria et cura adhibita circa illos fructus. Ita jus civile a canonistis receptum, quia a canonibus non reprobatum et naturæ consentaneum. Cf. l. 22. «Certum est.» C. *De Rei Vindicat.;* et cit. leg. 48. *De Acquir. rer. Dominio.* Ratio dispositionis est, quia possessor bonæ fidei quoad fructus non *vere,* sed *pene* dominus est, seu conditionate dominus est, et quoadusque non appareat verus dominus, qui recuperando rem suam, eam ad se revocat cum suis fructibus. Res enim fructificat domino.

Neque dicatur possessorem ex industria sibi comparasse fructus industriales, nam quæcumque admittatur industria, semper constabit fundamentum et objectum industriæ fuisse rem alienam. Ceteroquin satis erit provisum juribus possessoris bonæ fidei, quoties pro fructibus exstantibus vel pendentibus recipiat expensas factas in exercitio culturæ aut industriæ suæ. Sunt vero qui

dicunt fructus mere industriales exstantes non esse restituendos, quia ferme ex integro procedunt ab opera et labore possessoris. Verum l. 22. «Certum.» C. *De Rei Vindicat.* in genere loquitur de omnibus indiscriminatim fructibus exstantibus, et ait restituendos esse. En verba legis 'Certum est malæ fidei possessorem omnes fructus solere cum ipsa re præstare; *bonæ fidei vero exstantes,* post autem litis contestationem universos'. At si fructus percepti et adhuc exstantes, si in possessione pacifica et bonæ fidei fuerint retenti per triennium a tempore perceptionis, censentur præscripti favore possidentis, quemadmodum totidem res mobiles. L. «Si sequitur» ff. §. «fruct.» *De Usucapione.*

24. Quid dicendum est de fructibus *consumptis* a possessore bonæ fidei?

Vel ipse ditior factus est vel non. Si ditior factus non est ex usu et fruitione fructuum tum naturalium tum industrialium, quos ex re *aliena* percepit, nihil restituere tenetur. Ita doctores communiter cum gloss. in cap. 11. h. t. Ratio est quia cum ex una parte non amplius fructus hujusmodi exstent, non possunt restitui, et ex altera cum possessor ex eorum perceptione verum commodum non habuerit, si eos restituere teneretur, non quidem utilitatem, sed positivum detrimentum retulisset ex legitima possessione. Hoc principium exonerans possessorem a restitutione fructuum consumptorum extenditur ad tempus durationis bonæ fidei. Atqui post litem contestatam non censetur in jure possessio esse amplius bonæ fidei, hinc qui fuerat in bona fide, tenetur restituere fructus perceptos et consumptos post litem contestatam.

25. At si possessor bonæ fidei ex fructibus rei alienæ consumptis veram utilitatem expertus fuerit, seu si revera *ditior* factus fuerit, juxta sententiam *Abbatis* in cap. 11. h. t. n. 6., quam *Reiffenstuel* h. t. n. 149. communiorem dicit, restituere tenetur in quantum ditior factus est etiam ante litem contestatam, sive fructus fuerint naturales, sive industriales, recuperabit vero expensas factas, nec non mercedem culturæ, et curæ adhibitæ in re aliena. Quare restitutio facienda est quoad excessum, ut aiunt, obtentæ locupletationis. Firmant hanc theoriam 25. §. «Consuluit.» ff. *De heredit. petitione,* et ll. 1. et 20. ff. eod. §. 6. Ratio juris autem est, quia semper verum est in quacumque hypothesi augmentum, quo locupletior factus est possessor, procedere ex re aliena. Hinc

possessor ex aliena jactura ditior factus est. Jamvero adagium juris fert neminem posse legitime ditiorem aliena jactura sese reddere. Ergo possessor bonæ fidei restituere debet etc.

Dixi superius juxta *sententiam Abbatis*, quia non desunt doctores qui distinguunt inter judicia particularia et judicia universalia. In judiciis universalibus prout est judicium petitionis hæreditatis, de quo agunt citatæ ll. 20. et 25. ff. *De hæreditatis petit.*, tradunt restitutionem faciendam esse etiam de eo, in quo possessor ditior factus est, eo quod locupletatio censetur esse inhærens ipsi substantiæ hæreditariæ, et per consequens dum evincitur et restituitur hæreditas, evicta censetur et est restituenda etiam ipsa locupletatio. Si autem sermo sit de judicio particulari, prout est judicium rei vindicationis, doctores isti tradunt possessorem bonæ fidei restituere non teneri fructus consumptos, eo quia leges civiles possessoribus bonæ fidei ex titulo particulari præcipiunt solummodo restitutionem fructuum exstantium. L. 22. C. *De Rei Vindicat.*; et absolute docent possessorem bonæ fidei lucrari fructus consumptos. L. «Sed et loci» ff. *finium regundorum* et §. «Si quis a. non domino.» Inst. *De Rer. Divis.*

Animadvertimus in materia civili, prout est restitutio fructuum, dispositionem juris civilis suum valorem habere etiam in ordine ad constituendam regulam fori ecclesiastici, immo etiam conscientiæ.

Ceterum non admitterem ullo modo, posse dominum rei exposcere ab antiquo possessore, ex titulo particulari, fructus etiam perceptos et consumptos, quando tempora legitimæ præscriptionis elapsa fuerint. Nam si possunt fructus exstantes vel percepti præscribi, a fortiori poterunt præscribi fructus consumpti in bona fide.

Censetur autem possessor locupletior factus, ex fructibus rei alienæ, quando occasione fructuum alienæ rei, quibus usus est, non fecit sumptus ex propriis bonis, quos ceteroquin facturus fuisset cum detrimento rei suæ. Quare si possessor occasione fructuum alienæ rei majores fecerit expensas, non tenebitur omnia restituere, sed solum ea restituet, quæ consumpsisset ex bonis suis, et non consumpsit, eo quod ditior factus est, ob alienam rem. Pariter si possessor aliquid ex fructibus rei alienæ donaverit, ex quo actu nihil emolumenti sperat sibi obventurum, ditior factus non dicitur, nec proinde restituere debet quanti interest.

26. Tandem si quæratur: quoadusque perseverare *præsumatur* bona fides, et ex quo possessor censeatur constitutus in mala fide in ordine ad fructuum restitutionem, dicendum est malam fidem præsumi a litis contestatione. Ita in cit. l. 22. Cod. *De Rei Vindicat.* ubi dicitur post litem contestatam restituendos esse fructus universos.

Titulus XIV.

De Dolo et Contumacia.

In judiciis exercendis non raro intervenit dolus et contumacia, quæ vel retardant prosecutionem et exitum litis, vel offerre possunt in specie etiam materiam causæ incidentalis. Quare in explicatione ordinis judiciarii, in jure nostro tractatur de dolo et contumacia.

De Dolo.

1. Dolus in jure romano nihil aliud erat nisi sollertia et calliditas. Hinc sollertia prout finem honestum vel pravum habebat, dicta est *dolus bonus* vel *dolus malus.* Dolus in jure nostro juxta tituli præsentis vim et intelligentiam sumitur pro dolo malo, atque ita definitur. *'Calliditas, seu fallacia, vel machinatio adhibita ad alterum fallendum et decipiendum.'*

Dolus præsertim in contractibus consideratur. Hinc quæstio proponitur de valore contractus, in quo locum habuit dolus. Dolus potest contractum inficere vel *in substantia,* vel *in qualitatibus accidentalibus* et *accessoriis.*

Quando incidit in *substantiam,* seu quando ipsam materiam mutat, contractus nullus est ipso jure ex defectu naturalis consensus. Nam deceptio substantialis inducit in alio contrahente errorem substantialem; qui aliquam in rem consentit, dum res ista est prorsus alia et distincta ab ea, quæ in ejus mente versatur, revera non consentit. Voluntas enim sequitur intellectum. Cf. l. »Non idcirco.« C. *De juris et facti ignor.* Exemplo res explicatur. Ita si quis arbitratus objectum coëmptum esse gemmam, quod reapse est vitrum, non censetur consensisse in vitrum, et proinde ex defectu consensus nullus est contractus, qui nihil aliud est, quam 'duorum vel plurium in idem placitum consensus.'

2. Quod si fraus vel dolus incidat in qualitates *secundarias*, distinguendum est utrum dolus dederit *causam* contractui, vel non. Causam dedisse contractui dolus censendus est, quando quis ad contractum celebrandum inductus est ex ipsa fallacia, seu ex dolosis persuasionibus, et nisi ipsæ persuasiones adfuissent, certe non contraxisset. Aliis verbis. Dolus dat causam contractui, quoties aliquis inducitur ad contractum celebrandum præcise ob rei qualitatem, circa quam ex dolo alterius contrahentis deceptus est. Non autem dedisse causam contractui dolus censendus est, quando in contractu solummodo incidit dolus, ita ut contractus celebratus etiam fuisset, si dolus non adfuisset. Unde dolus fecit ad summum, ut contractus facilius celebraretur. Profecto si dolus circa qualitates accidentales causam *non* dedit contractui, sed solum incidit in contractum, contractus valet, sed ab altera parte peti potest compensatio læsionis, quæ ex dolo derivavit sibi. Ita communiter. Et merito. Nam ex una parte quoniam dolus, secundarias qualitates respiciens, causam non dedit contractui, salvam relinquit substantiam contractus, et censetur verus interfuisse consensus; ex altera vero parte certum est unum ex contrahentibus læsionem passum fuisse ex malitia alterius. Quare dum ex una parte contractus sustinetur, ob integritatem substantialem consensus, ex altera parte etiam facienda est compensatio læsionis, quæ ex fraude provenit.

3. Quod si dolus in accidentalibus circumstantiis causam dederit contractui, communiter a doctoribus recipitur theoria *Lessii: De Just. et Jure.* lib. 2. Cap. 17. Dubitat. n. 29., qui docet contractum per se sustineri, et nullum ipso jure non esse, sed posse rescindi et in irritum reddi ad partis læsæ petitionem. Ratio theoriæ est, quia etiam sub influxu et actione hujus doli remanet sufficiens consensus circa substantiam rei, idest circa objectum contractus ita ut conventio stare possit. Hinc per se contractus valet; valere etiam contractum præstat ad vitanda pericula negotiorum commercii, quæ possent nutare, si ex dolo in accidentalibus nullus esset contractus ipso jure. At ne jura civium lædantur, et ne fraus alicui prosit, poterit pars, quæ læsionem ex dolo passa est rescissionem contractus petere. Verum exceptio verificatur in contractibus vel actibus qui a jure irrescindibiles habentur. Isti enim vel statim invalidi sunt, vel si in principio fuerunt validi, deinde rescindi nequeunt. Quare contractus isti, vel actus positi sub dolo,

qui afficit qualitates secundarias, validi sunt, qui vero dedit causam contractui vel actui, potius dicendi sunt nulli ipso facto.

Non desunt qui quæstiones circa materiam doli resolvunt applicando principia quæ regunt materiam læsionis. Hinc in casu læsionis gravis vel enormis derivatæ ex malitia alterutrius contrahentis concedunt decipienti optionem vel præstandi indemnitatem alteri parti, vel rescindendi contractum, si est rescindibilis. In casu læsionis minimæ contractus sustinetur, sed indemnitas præstanda est. In casu autem enormissimæ læsionis, cum deficere censeatur ipsa substantia contractus, nullus est contractus ipso jure. Theoria hujusmodi admitti potest, sed magis æqua est prior, quæ non tam damnum toleratum considerat, quam ipsam decipientis malitiam, et malum fallendi propositum.

4. Hæc dicta sint de dolo, qui relationem habeat præsertim ad contractus. In genere vero quæri potest quomodo consulatur a jure illi qui dolum passus est. Et quidem si quis dolo circumventus aliquid præstitit ex quo damnum passus est, habet ex jure prætorio Romanorum, æquitati naturali innixo, *actionem personalem* contra decipientem, ad consequendam indemnitatem. L. 1. ff. *De Dolo malo.* Eadem æquitate naturali suadente, conceditur a civili jure ipsa eademque actio contra *hæredes* et *successores* decipientis, ut teneantur præstare id quo ratione doli locupletiores facti sunt. L. »Si plures.« ff. *De Dolo malo.* Quod si positivum damnum passus non est ille qui fuit dolo circumventus, sed in jus vocetur et præstat, quod spopondit, poterit utiliter se tueri *exceptione doli mali.* Ita in jure romano statutum legimus §. 1. Inst. *De Exceptionib.*, et æquitas naturalis plene consonat eidem. Aequum enim non est ut qui circumventus est, juridice urgeatur ab ipso decipiente, et eo ipso in negotio in quo deceptus est, judicii actionem sustineat. Datur vero hæc exceptio quoties aliquid contra æquitatem naturalem exigatur. L. «apud Celsum» ff. *De Doli mali Exception.* At idem jus romanorum excipit casum parentum vel patroni. Scilicet quoties vel parentes, vel patronus aliquid exigant etiam præter naturalem æquitatem, filius vel libertus non potest objicere exceptionem doli, quia filius et libertus curare debent bonam famam parentum et patroni.

De Contumacia.

5. Contumacia in sensu tituli est *'inobedientia erga judicem legitime jubentem commissa'*. Ut verificetur contumacia, judex debet *legitime* jubere, tantum enim valet judicis potestas, quantum legitime munere suo fungitur. Hinc invocari etiam hic potest tritum illud adagium: *'Extra territorium jus dicenti impune non paretur'* c. 2. *De Const.* (I. 2) in 6°. — Quæritur: *quibus modis* committatur contumacia.

Reus contumax est, si legitime citatus recuset se sistere coram judice. Quæ species contumaciæ locum etiam habet, cum reus latitat, vel alio modo impediat quominus ad eum citatio perveniat. *Actor* vero contumax est quoties non compareat in termino citationis ex ejus petitione reo intimata. Hæc tum rei tum actoris contumacia *purgatur*, quoties causa justæ absentiæ allegatur et probetur. Uterque contumax esse censetur 1°) Si alteruter temere a judicio recedat, 2°) si peculiari judicis præcepto alteruter non obediat, ex. gr. si judex juramentum calumniæ aut malitiæ exigat, et alteruter illud præstare recuset. Si præcipiat illud præstari instrumentum, et præceptum contemnetur. 3°) Si alteruter non respondeat petitionibus ab altera parte propositis, vel si dubius et obscure respondeat.

De Remediis contra contumacem.

6. Tria in genere *præmittenda* sunt: 1°) Judex adveniente die præfixo pro causa definienda, et partibus collitigantibus intimato, poterit absentem instante altera parte condemnare uti contumacem. Ita cap. 24. *De Off. deleg.* (I. 29). Nam præfixio termini ad comparendum, intimata partibus collitigantibus considerari potest ceu decretum juridicum cui eædem partes obtemperare debent. Verum cum judex præ oculis non solum ordinem judicialem, sed magis justitiæ rationem habere debeat, hinc æquitate suadente poterit absentem exspectare in diem *sequentem*, nec contra judicis arbitrium poterit conqueri pars diligens. At differre potest judex in sequentem diem sententiam, dummodo in sequentem diem adhuc ejus jurisdictio perduret. Si enim de judice delegato sermo sit, potest jurisdictio concedi ad tempus, seu etiam ad diem determinatum, quo elapso cessat jurisdictio. Ad rem facit cit. cap. 24. *De Off. Deleg.* Ratio aperta est. Quia judex æquitatem prosequens, utitur jure suo. Hinc si ratio æquitatis vel magis vel æque faveret parti diligenti, judex statim poterit absentem condemnare.

2°) Præmittendum est judicem *severiorem* esse debere contra *actorem* contumacem, quam contra reum; cum enim actor sponte sua judicium inchoaverit, et quodammodo volens prosequatur, majori reprobatione dignus apparet præ reo qui non nisi coactus in judicium venit.

3°) Antequam judex contra contumacem procedat, et pœnas contumaciæ applicet, debet videre an verificetur contumacia, et *declarare* debet actorem esse contumacem, vel reum esse contumacem, ita in cap. 6. h. t. §. fin. Nam pœna infligi non potest, nisi antea constet de culpabilitate.

7. Quibus positis si *actor* sit contumax a) Judex ad instantiam rei, vel trina citatione, vel una tantum peremptoria ad locum domicilii transmissa denunciabit terminum adsignatum ad comparendum. Si actor absens sit vel latitet, citandus est ejus procurator, si adsit. Si nec procuratorem reliquerit, citatio perficietur per edictum affigendum ad valvas curiæ, vel Ecclesiæ aut domus, ubi commorari solebat. Ita in cap. 3. h. t. Hodie inductus est mos citationem absentium inserendi in *publicis ephemeridibus*. Advertendum die termini præfixi, ad instantiam rei, poterit judex in negotio, etiam in lite non contestata procedere, testes audire, allegationes excipere, et cognita veritate sententiam proferre. Ita cit. cap. 3. h. t. Dixi *ad instantiam rei,* quia potest esse utile reo, ut testes audiantur, veritas probetur, et judicium per sententiam compleatur. Si vero placeat reo judicium contra se institutum non esse finiendum, poterit b) petere *circumduci edictum,* scilicet destrui virtutem citationis et libelli contra se ab actore propositi, ita ut libere valeat ab judicio recedere. Immo petere potest reus ut etiam acta quæ ob citationem gesta sunt, nullius valoris reddantur. At hoc remedium plene non liberat reum a vinculo obligationis erga actorem, nec actor restitutis expensis, poterit iterum actione sua reum perstringere. Circumductio enim edicti et rescissio actorum restringitur solummodo ad destruendam virtutem citationis, in actuali instantia propositæ, et ejus effectus. Verum actor iterum judicium promovens non auditur nisi sufficienter caverit se a judicio non recessurum esse. Cap. 1. h. t. in 6°. c) Reus potest exposcere ut judex non solum pronunciet in ejus favorem contra impetitionem actoris, sed si sufficientes probationes habeat, petere potest ut judex pronunciet de ejus bono sive absolute, ita nempe ut non solum declaret rem litigiosam

haud pertinere ad actorem, sed simul declaret esse propriam rei ipsius. Cf. cap. 3. *De caus. poss. et propr.* (II. 12).

De Remediis contra reum contumacem.

8. Reus, quemadmodum actor, debet vel trina citatione, vel una peremptoria ad judicium vocari. Porro intervallum inter unamquamque citationem, licet juxta civile jus sit decem dierum, tamen jure canonico remittitur *prudenti arbitrio* judicis, qui consideret varias temporis, personarum, et distantiæ locorum circumstantias. Ita interpretes ex c. 6. C. 24. q. 3. et ex cap. 1. *De Dilation.* (II. 8). Adveniente autem termino præfixo, judex declarabit reum esse revera contumacem, et inde contra eum poterunt pœnæ adhiberi videlicet 1°) Privatur jure *producendi rationes* suas ad sese tuendum, nisi expensas refecerit, et idoneam cautionem præstiterit se a judicio non recessurum. Cap. 10. *Ut lite non contestata* (II. 6.) 2°) Secunda pœna est ut actor mittatur ex primo decreto judicis in *possessionem* rei litigiosæ custodiæ causa, de qua in titulo sequenti, et deinde ex secundo decreto actor constituitur ceu legitimus possessor ejusdem rei. Cit. cap. 10. 3°) Alia pœna esse potest *sequestratio* fructuum usque ad exitum judicii. Cap. 25. *De Rescriptis* (I. 3). 4°) Si contumacia admissa sit in respondendo, reus habetur vel sicuti affirmans, vel sicuti negans in ejus *præjudicium.* Tandem 5°) animadverti debet jure antiquo frangi potuisse contumaciam comminatione *censurarum.* At hodie ne vilescerent pœnæ spirituales et contemnerentur, recessit mos adhibendi censuras in qualitate actuum judicialium contra contumacem, et solum a judice ecclesiastico possunt adhiberi censuræ: a) In judiciis non criminalibus, quando reliqua juris remedia in irritum cesserint, b) in judiciis criminalibus si delicti qualitas id postulet, nec fieri possit exsecutio sive realis sive personalis. Præcedere autem debet bina monitio. Conc. Trid. Sess. 25. *De Ref.* Cap. 3.

Titulus XV.

De eo qui mittitur in possessionem causâ rei servandæ.

1. Quoniam immissio in possessionem rei custodiendæ causa concedebatur in casu contumaciæ rei, hinc titulus præsens ordinem subsequens præcedenti subnectitur.

Cum non semper in contumacia rei possint evidentes, vel saltem sufficientes probationes parari, quibus causæ meritum illico definiatur, hinc ne commodum interim reus ex sua contumacia reportaret, remedium juridicum statutum fuit, quo frangi facile posset hæc rei contumacia. Hoc remedium concedi potest a judice, qui suspenso parumper judicio in causa principali, per sententiam interlocutoriam immittit actorem in possessionem rei litigiosæ custodiendæ causa.

Porro *duplex* est ex decreto judicis immissio in possessionem, et alia ex primo, alia ex secundo decreto dicitur. Missio ex primo decreto nihil aliud est nisi decretum judicis, quo ad frangendam rei contumaciam, mittit actorem in possessionem bonorum custodiæ causa. Hinc missio ut concedatur 1°) Debet esse *lis incepta;* et si de actionibus realibus sermo sit, non conceditur quando lis est jam contestata. Nam post litem contestatam in actionibus realibus, judex potest procedere ad sententiam definitivam in merito, si adsint sufficientes probationes. L. «properandum.» §. «Sin autem.» et gloss. ult. in Cap. «Prout» 4. *De Dolo et Contumacia* (II. 14). Quæ si desint conceditur actori non nuda possessio, qualis est possessio ex primo decreto, de qua loquimur, sed vera et legitima possessio bonorum, cum omnibus effectibus et commodis, quæ possessionem sequuntur. Cit. Cap. 4. *De Dolo et Contumacia.*

2°) Præcedere debet *summaria* cognitio causæ, ob quam actor rem petit.

2. Porro in actionibus realibus primum decretum judicis concedit possessionem bonorum petitorum ab actore in citatione et libello, in actionibus vero personalibus per primum decretum actor immittitur pro modo crediti in possessionem bonorum mobilium primo, deinde etiam immobilium debitoris, si mobilia imparia sint oneri sustinendo. Ita cap. ult. *Ut lite non cont.* (II. 6) §. fin. Possessionis hujus scopus est solum, ut reus tædio affectus in judicium veniat. Quare actori conceditur possessio bonorum, ut eadem retineat solum custodiæ causa, et ipse actor non dicitur revera possidere, sed esse in possessione bonorum. Hinc actor non facit suos fructus bonorum, sed eos conservare debet, ut eos cum bonis ipsis cessante contumacia reo restituat. Cessat vero contumacia si intra annum computandum a die editi decreti veniat reus in judicium ad respondendum, et expensas solvat, simulque idoneam cautionem præbeat se a judicio non recessurum. Ex cap. 2. h. t. Ex con-

ceptu tradito missionis in possessionem ex primo decreto, sequitur ejus effectum esse, ut actor habeat jus custodiendi et defendendi tum rem possessam, tum ejus fructus, nec non alienandi eos fructus, qui servando servari non possint. Quare vi primi decreti actor habebit etiam interdictum contra quemcumque, qui eum in possessione et custodia rei et fructuum turbare conetur.

3. At quid si intra annum reus vel non veniat in judicium, vel cautionem congruam non præstet? Si neutrum culpæ tribui possit reo, damnum aliquod exinde eidem reo non imminet. Nam tota dispositio juris de hac precaria possessione bonorum exhibet pœnam contra malitiam vel negligentiam rei. Hinc in cap. 2. h. t. traditur annale tempus non decurrere ei, qui cautionem utique obtulit, sed per judicem stetit quominus reciperetur. Verum si reus neglexerit intra annum purgare contumaciam, in actionibus quidem realibus, die ipso interpellante pro homine, actor post elapsum annum videtur posse considerari ceu verus et legitimus possessor rei et fructuum. Ita insinuatur in cap. 5. *Ut lite pendente* (II. 6). §. «In aliis.» At melius et generaliori regula tenendum est, locum habere secundum decretum judicis, quo decernit actorem esse legitimum possessorem bonorum, quæ custodiebat ex primo decreto, ita ut deinceps reus non amplius de possessione, sed solum possit audiri de proprietate. Scilicet reservatur reo solummodo legitima defensio super proprietate et dominio eorumdem bonorum. Cap. 1. h. t. Sequitur inde actorem 1°) in ea reperiri conditione ut possit *præscribere* per longum tempus contra reum, 2°) facere fructus *suos*, quos colligit ex re possessa, ita ut si deinde res evincatur ab eo, non teneatur restituere fructus jam consumptos, nisi fortasse, juxta ea quæ dicta sunt superius, in quantum ditior factus est; 3°) actorem exinde possidere legitime etiam fructus perceptos in decursu *primi anni* et adhuc exstantes, quia considerari possunt ceu accessorium rei; 4°) post hoc secundum decretum præsumptionem *proprietatis* esse in favorem actoris legitime possidentis. Hinc onus probandi urget ipsum reum, si velit rem, quam suam arbitratur, vindicare. Uno verbo ex secundo decreto actor acquirit, et vicissim reus amittit omnia jura et commoda, quæ legitimam possessionem sequuntur.

TITULUS XVI.

Ut lite pendente nihil innovetur.

1. Quoniam immissio in possessionem rei litigiosæ immutationem importat in statu quæstionis in commodum quidem actoris, et in rei conventi detrimentum, ne ultra limites justi et æqui immutatio fiat, titulus præsens positus est, in quo ad modum legis statuitur principium '*Ut lite pendente nihil innovetur*'.

Quæritur I^{0}. '*Quandonam lis pendere dicatur*'.

Responsio categorice datur a Clement. 2. h. t. (II. 5) ubi dicitur: 'Cum lite pendente nihil debeat innovari, litem quoad hoc pendere censemus, postquam a judice competente in ea citatio emanavit, et ad partem citatam *pervenit*, vel per eam factum fuit, quominus ad ejus notitiam non perveniret; dum tamen in citatione prædicta, talia sint expressa, per quæ *plene* possit instrui super quibus in judicio convenitur'. Postrema conditio hodiernis moribus, non videtur esse necessaria explicite. Nam non amplius distinguitur libellus introductionis judicii, ab ipsa citatione; ipsa enim eademque citatio, quæ ex mandato judicis reo intimatur, continet etiam intentionem actoris. Quare hodie censetur lis pendere, quando reo citatio per apparitorem intimata est, et fidei apparitoris de facta intimatione creditur. Merito autem lis pendere censetur, nam ex una parte judex negotium per actum suæ jurisdictionis occupavit, et actor ex altera parte, quantum in se fuit, juridice manifestavit reo intentionem suam, et reus potest vel eidem assentiri, vel excipere contra ipsum actorem.

2. Quæritur: II^{0}. quid veniat nomine *innovationis*.

Nomine innovationis prohibitæ venit, quidquid vel reo, vel actori præjudicium aliquod inferat. Et 1^{0}) interdicitur innovatio *possessionis*, ita ut nempe possessio, sive rerum litigiosarum, sive juris colligendi fructus non possit ab uno in alium transferri. Et quidem regula hæc non solum proprie dictæ possessioni applicatur, sed etiam quasi possessioni jurium etiam spiritualium. Cap. 1. h. t. Exceptio duplex obtinet a) in casu *contumaciæ rei*, de qua vidimus in titulo præcedenti; b) contra possidentem, quando evidens periculum adsit ne fructus ab eodem dissipentur, quæ exceptio tradetur in tit. seq. *De sequestratione . . . fructuum*.

3. 2^{0}) Secunda innovatio prohibita lite pendente respicit *gratiam principis*, quæ in damnum alterius obtineatur. Scilicet effectus

pendentiæ litis est, ut rescriptum obtentum in præjudicium alterius ex collitigantibus absque mentione pendentiæ litis obreptitium sit vel subreptitium. Ita cc. 1. et ult. h. t. Cum enim res deducta fuit in forum, non præsumitur principis voluntas lædendi æqualitatem, quæ servanda est inter partes collitigantes.

Quid vero, si sermo sit de rescripto *pontificio,* in quo gratia relativa *ad pendentem litem* concedatur, et simul hæc clausula adhibeatur 'Non obstante regula Cancellariæ 18ª. de jure quæsito non tollendo?'

In genere quamvis non præsumatur princeps velle derogare juri tertiæ personæ, tamen si dicat se derogare velle juri tertiæ personæ, rescriptum tenet. Nam censetur princeps id disponere ex rationabili et gravi causa, ob quam jus tertio quæsitum cedere debet alteri.

Quid vero si rescriptum datum fuerit *ex certa scientia* et *motu proprio,* nulla tamen facta derogatione juris tertii, et nulla facta *mentione pendentiæ litis?* Profecto hæc clausula nonnullas obreptiones vel subreptiones purgat, nam præsumitur principem gratiam concedere non tam ob preces supplicantis, quam ex propria liberalitate. Ita præsertim, quando ex simplicitate aliquod vitium in ipsis precibus obrepserit. Attamen cum agitur de rescripto in pendentia litis, si hæc pendentia litis ignota fuerit pontifici, quamvis dicat se gratiam conferre ex certa scientia, rescriptum *nullum* est et obreptitium vel subreptitium præsumitur. Nam non præsumitur scientia de pendentia litis. Si enim scivisset litem esse pendentem, vel rescriptum non dedisset, vel expressisset derogationem etiam litis pendentis. Quæ expressa mentio derogationis pendentiæ litis, ut rescriptum valeat, dicitur esse necessaria in cap. ult. h. t.

4. 3°) In pendentia litis prohibetur *alienatio* rerum litigiosarum et actionum, ita ut si fiat hæc alienatio non sustineatur. Ita c. 50. C. 11. q. 1. et cc. 3. et 4. h. t. Quod si alienatio facta fuerit, et alia res fuerit substituta in locum alienatæ, hæc res substituta conservari debet usque ad exitum litis. Cap. 3. h. t.

Exceptiones a) In *hæreditate* litigiosa permittitur alienatio fieri pro solvendis expensis funeris, æris alieni, et cibariorum familiæ. Ita jus civile in l. ult. Cod. *De litigios.* et l. 5. ff. *De petit. hæred.* Hæc enim alienatio non est libera, sed necessaria, nec proinde nocet juri alterutrius ex collitigantibus. b) Alienatio permittitur, si fiat ex *consensu* collitigantium, vel si res *conser-*

vari nequeat. Sed permissio judicis prius obtinenda est. c) Si alienatio fiat per modum *transactionis;* si enim transactio intercedit sive in parte litis, sive in tota quantitate litis, quæstio circa objectum transactionis censetur finita. Non solum vero lite pendente interdicitur proprie dicta alienatio, sed etiam *oppignoratio* rei, vel *locatio* ad *longum* tempus. Deterior enim redderetur conditio actoris.

5. 4°) Quartus effectus pendentiæ litis est, ut quidquid attentatum fuerit in præjudicium partis collitigantis, debeat *purgari* et *restitui* in statum pristinum, ita ut ante hanc restitutionem non possit procedi ultra in actibus judicialibus, et quidquid istis attentatis innitatur, in processu judicii nullius est roboris. Argum. cap. 17. *De Election. et Electi pot.* (I. 6) et cap. 9. *De Rerum permutatione* (III. 19).

6. Aliquid dicendum est de innovatione in pendentia litis circa *beneficia.*

1°) Si duo fuerint *electi* ad beneficium, si discordia et quæstio oriatur de prævalentia alterutrius electionis, non potest procedi ad novam electionem, quamvis unus ex electis moriatur, vel juri suo nuncium mittat, sed antea finienda est quæstio superstitis, et videndum est, utrum ejus electio fuerit valida an irrita. Si secus fiat, in irritum cedit quod geritur lite adhuc pendente. Ita in cap. 1. h. t. in 6°. — Hæc regula servatur etiam in causa *præsentationis* ad beneficium juris patronatus. Videlicet ob paritatem rationis, dicunt doctores, in pendentia litis inter duos præsentatos ad beneficium, si unus vel demoriatur vel removeatur aut renunciet juri suo, non posse interim patronum ad aliam præsentationem devenire, sub pœna nullitatis præsentationis, sed antea faciendam esse quæstionem de valore præsentationis prioris. Nec difficultas facit jus patroni laici, qui potest intra quadrimestre variare præsentationem, et plures successive nominare ad beneficium; nam regula præsens proprie locum habet, quando patronus jam complevit nominationem, adeoque tempus utile jam elapsum est, et quæstio exsurgit inter nominatos. Unde regula præsens respicit novam nominationem, quæ facienda est a patrono, vel patronis, postquam prior nominatio effectu careat.

Quod de specie electionis statuit cap. 1. h. t. in 6°., statuit de beneficio jam collato cap. 2. eodem in 6°. Scilicet si inter duos quæstio oriatur circa beneficium, et ille qui possidet beneficium,

vel e vivis decedat, vel beneficium deserat, non potest beneficium alteri lite pendente conferri, nec præsentatio ad illud beneficium fieri potest, sed exspectandus est exitus judicii contra superstitem, sub pœna nullitatis actorum.

7. Occasione hujus capitis confecta est regula 29. Cancellariæ Apostolicæ, quæ '*De subrogandis litigantibus*' inscribitur, ex qua hæc dispositio exhibetur. Si duo super beneficio litigent, et lis ex parte unius deserta fiat, ex. gr. propter mortem aut matrimonii contractum, vel ingressum et professionem religiosam, etc.; hoc in casu ad litem succidendam conceditur alteri collitiganti unus mensis, intra quem possit petere surrogationem, seu substitutionem in jure, vel ad jus quod competebat adversario, qui a lite recessit, et intra hunc mensem non valet gratia vel concessio super beneficio litigioso facta alteri, quam collitiganti, qui in lite permansit. Hic vero mensis utilis ad petendam subrogationem non conceditur quoties a) qui petit subrogationem, in beneficio *intrusus* fuit; b) quoties *fraudulenter* egit impetrando beneficium *senis* vel *periculosæ* sanitatis cum ea intentione ut litem eidem moveret, et inde post mortem obtineret subrogationem in locum senis vel ægrotantis. c) Quoties adversarius per *triennium* pacifice beneficium possederit.

8. Tandem etiam in hac re præ oculis habenda est dispositio Clem. 1. h. t. in qua traditur regula servanda in collatione beneficii litigiosi, quod fiat vacans. Duplex species in sensu citatæ decretalis fieri potest. Scilicet duo litigant de beneficio sibi collato vel 1°) *uterque* moritur, vel 2°) *unus* tantum ex collitigantibus decumbit. Ad 1m. Si uterque collitigans demoriatur facienda est subdistinctio: a) si *uterque* moriatur in Curia *Romana*, vel b) demoriatur in Curia ille *qui possidet*, vel c) neutro possidente *unus* tantum in eadem Curia moriatur. In triplici hac hypothesi collatio beneficii pertinebit ad Romanum Pontificem. Si vero uterque, vel ille qui possidet beneficium decedat *extra* curiam, collatio beneficii litigiosi pertinebit ad *ordinarium* collatorem.

Ad 2m. Si uno ex collitigantibus vita functo, alter litem prosequatur, sed causa cadat ita ut judex decernat beneficium pertinuisse ad collitigantem defunctum tunc distinguendum est: vel ille cui beneficium adjudicatur mortuus est *in* Romana Curia, vel *extra:* si *primum,* collatio spectabit ad *Romanam* Sedem, si secundum, collatio beneficii ad *ordinarium* collatorem pertinebit.

Titulus XVII.

De Sequestratione Possessionum et Fructuum.

Prosequitur *B. Raymundus* exponere remedia juris pro securitate rerum, quæ sub legis et judicis protectione ponuntur.

1. Sequestratio est *'rei controversæ, vel fructuum ejus facta depositio.'* Porro *depositio* dicitur non stricto sensu; nam secus solum res mobiles sequestrationi subjici possent. Sed sumitur latius pro *custodia* rei et fructuum, quæ bonæ fidei tertii committitur. Hic tertius appellatur *sequester.* Dicitur vero *rei controversæ* quia distinguitur sequestratio a deposito, quod fieri solet extra judicium, immo etiam absque intuitu futuræ controversiæ.

Divisio: Sequestratio alia est *voluntaria,* alia *necessaria.* Prima verificatur cum utraque pars collitigans mutuo consensu apud sequestrum bona et fructus deponit custodienda, ut inde restituat cui facta fuerit adjudicatio. Hæc sequestratio dicitur etiam *conventionalis.* Necessaria est sequestratio, quæ efficitur auctoritate judicis intercedente, quæque alia a judice pro officio suo *nobili,* seu nulla interposita partium petitione præcipitur, alia vero præcipitur a judice pro officio suo *mercenario,* seu ad instantiam partis.

In judicii securitatem semper est *licita conventionalis* sequestratio. — Si vero sermo sit de *necessaria* vel judiciali in genere ea *prohibetur* 1⁰) ob regulam generalem in titulo præcedenti expressam: *'Ut lite pendente nihil innovetur';* 2⁰) quia quoadusque actor non probaverit sufficienter intentionem suam, jura præsumunt pro reo. Hinc in genere reus non est coacte privandus possessione bonorum litigiosorum et eorum fructuum, ut apud sequestrem deponantur.

2. *Exceptiones:* 1⁰) Fieri potest sequestratio rei et fructuum, quando reus est *contumax,* cc. 25. *De Rescript.* (I. 3) et 2. *De Dolo et Contumacia* (II. 14). Nam in contumacia rei, conceditur optio actori, ut vel immittatur in possessionem rei litigiosæ custodiendæ causa, vel præcipiatur juridica sequestratio. 2⁰) Permittitur sequestratio quando quæstio vertitur circa rem *mobilem*, et possessor est *suspectus de fuga.* Hæc suspicio inducitur ex malis moribus possessoris et ex ejus inopia. 3⁰) Quando rationabilis

timor adsit, ne partes in possessione bonorum litigiosorum vel fructuum eorumdem ad *arma* rapiantur et gravia damna vel scandalum prævideatur. Quo in casu judex motu proprio et ex officio nobili sequestrationem potest præcipere. 4⁰) Quando possessio est vacua vel saltem dubium sit cui concedi ea debeat. 5⁰) Quando reus possidens fructus dissipet. Cap. 3. h. t. Quæ exceptio a fortiori debet verificari si rem ipsam litigiosam reus dissipet. Hæc sequestratio in specie ex Clem. un. h. t. permittitur quando a Sede Apostolica vel ab ejus delegato lata fuerit et promulgata sententia definitiva vel in petitorio vel in possessorio judicio circa aliquod Beneficium ecclesiasticum, et ab hac sententia fuerit interposita appellatio, vel beneficium novæ audientiæ invocatum fuerit. Scilicet quando hæc appellatio interposita fuerit a delegati sententia ad delegantem Romanum Pontificem, vel in ipso tribunali Romani Pontificis obtentum fuerit beneficium novæ audientiæ, quamvis positive non constet possessorem beneficii dissipare fructus aut dilapidare bona, tamen ad compescendos abusus temere litigantium, et ob periculum dissipationis fructuum, quæ post talem S. Sedis sententiam præsumitur, potest beneficium precario auferri ab eodem possessore, et tertiæ personæ tradi administrandum, ut bona curet et fructus custodiat restituendos cui de jure, post finem judicii. Excipitur tamen casus beneficiarii, qui ante litem per *triennium* beneficium pacifice possederit. Clem. un. h. t. Cui dispositioni accessit constitutio *Pii IV.*, quæ incipit '*Sanctissimus*' data 26. Oct. 1560, in qua præcipitur facienda sequestratio fructuum, quoties quæstio agitetur circa beneficia Sedi Apostolicæ reservata. *S. Pius V.* vero in Const. *Cordi.* d. 30. Martii 1568 statuit fructus hujusmodi non esse deponendos penes capitulum, sed penes personam fide dignam, et a judice designandam.

3. Præter veram et proprie dictam sequestrationem, datur quædam improprie dicta sequestratio, quæ locum habet in causis *matrimonialibus*. Scilicet 1⁰) si pendente lite contra *valorem* matrimonii prævideantur contra mulierem viri sævitiæ et pericula intentanda, nec modus tutus offeratur, quo sub eodem tecto cum viro mulier pacifice commoretur, juxta cap. 13. §. fin. *De Rest. Spol.* (II. 13), eadem mulier non restituitur viro, sed alibi honeste custoditur. 2⁰) Si quæstio sit de matrimonio *contrahendo*, sive quæstio hæc agitetur inter virum et mulierem, sive inter duos viros, quivis eorum ex contractis sponsalibus jus habeat ad contra-

hendum matrimonium, si timor *rationabilis* exsistat ne libertas puellæ impediatur, vel ne seductione violetur, puella debet ex judicis decreto in monasterio custodiri, ut de suo negotio sponte deliberare possit. Ita in cc. 1. *De Sponsalib. et Matrim.* (IV. 1) et 14. *De Probat.* (II. 19).

4. Quæritur: quid *observandum* sit in decernenda sequestratione.

1°) Vocandus est et audiendus, si accedat ille, in cujus *præjudicium* præcipitur sequestratio. 2°) Saltem *summaria* cognitione constare debet in genere de bono jure illius, qui petit sequestrationem. 3°) Sequestratio debet apparere ceu verum et efficax *remedium* damni irreparabilis quod prævideatur. Hinc si aliter securitati actoris satis superque consuli possit, sequestratio concedenda non est. Quare si cautio idonea præstetur, tam pro re, quam pro fructibus decerni non debet sequestratio. Ita doctores juxta l. «Senatus.» ff. *Qui satis dare cogatur.* Immo etiam concessa sequestratio revocanda est, quando idoneus fideijussor accesserit. Ita l. «Si fideijussor». §. fin. ff. eod. Hæc autem exceptio idoneæ cautionis locum habere nequit, quando licet rei et fructuum securitati consuleretur, tamen via aperiretur iniquæ aut illegitimæ occupationi. Ita ex. gr. in beneficii possessione, quæ post sententiam latam a Sede Romana præsumitur injusta, in appellante ab eadem sententia. Juxta Clem. un. h. t.

5. Quæritur: quinam sint *effectus* sequestrationis.

1°) Sequester diligentia *ordinaria* tenetur custodire et curam habere rei et fructuum. Ipse enim est cujus electa est fiducia pro administranda re sequestrata. Hinc etiam colligit fructus et alienat illos, qui servando servari non possunt. 2°) Finita sequestratione idem sequester tenetur *restituere* rem et fructus, necnon *reddere rationem* administrationis suæ. Redditur vero indemnis de rebus a se gestis.

Quæritur utrum effectus sequestrationis sit, ut reus *amittat* possessionem bonorum sequestrationi subjectorum, et proinde privetur omnibus commodis possessionis, ex gr. præscriptionis, vel usucapionis, saltem contra tertium.

Profecto conveniunt doctores juxta dispositionem l. 39. ff. *De acquir. vel amitt. poss.* sequestrationem judicialem *per se* non transferre possessionem de persona rei ad sequestrem. Nam se-

questri conceditur solum custodia bonorum. Judex enim præsumitur, quo fieri possit minus præjudicium inferre reo cui favendum est quousque actio contra ipsum intentata non fuerit plene probata. Quod si agatur de voluntaria sequestratione, communiter distinguunt inter casum quæstionis circa proprietatem, et casum quæstionis circa ipsam possessionem, et docent in primo casu non transferri possessionem in personam sequestri, bene vero transferri in secundo casu. At optime dici potest in genere hanc translationem possessionis non fieri. Nam reus censetur semper cedere minimum quod potest, hinc præsumitur committi sequestri ab ipso reo solummodo custodia. Dici autem debet factam esse translationem possessionis, quoties de ea partes expresse caverint in conventione.

6. *Finitur* vero sequestratio 1°) vel *morte* ipsius sequestri, vel ejus *renunciatione* ex legitima causa a judice probata. Ratio est quia custodia rerum controversarum est unum ex illis negotiis in quibus censetur electa industria personæ sequestri ipsius, nec proinde jus custodiæ transit ad *hæredes* vel *successores* designatæ personæ. 2°) Finitur *adveniente die,* vel *purificata conditione* sequestrationis. 3°) Tandem finitur *finita lite* per sententiam definitivam, a qua non fuerit appellatum.

Antequam materiam possessionis et proprietatis compleamus, præstat animadvertere quæstionem oriri posse circa acquisitionem bonorum ecclesiasticorum, quæ ab invasoribus occupata sunt, et ab iisdem alienantur. Hæc quæstio exhibetur et definitur in genere in cap. 18. *De Rest. Spol.* (II. 13), in quo non obstante rigore juris civilis, quod remedium concedebat directe adversus eum, qui vim intulisset, et ejus hæredem universalem, quin tertium possessorem respiceret, statuit *Innocentius III.* beneficium restitutionis urgeri etiam posse contra *tertium* possessorem, qui scienter acquisiverit rem ab invasore occupatam. Sed eadem quæstio fuse pertractatur a *Benedicto XIV.* in Epistola ad Secretarium S. Congr. de Propag. fide data d. 19. Mart. 1752, quæ incipit '*Urbem Antibarum*' occasione quarumdam quæstionum Archiepiscopi Antibarensis circa bona Ecclesiarum prius occupata ab infidelibus, et deinde empta a Christianis. In §. 22. præsertim tradit ex sententia theologorum bona *mobilia* taliter empta posse tuta conscientia retineri, dummodo christiani emerint animo restituendi, quotiescumque impensæ pecuniæ a domino fuerit restitutio oblata.

Contrarium tamen esse tenendum docet de bonis *immobilibus*, quæ restituenda esse tradit una cum fructibus absque ulla restitutione pretii ab Ecclesia facienda.

7. Devenientes ad *nostra* tempora habemus 1°) 'Usurpantes, aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes' incurrere excommunicationem latæ sententiæ *speciali modo* reservatam Summo Pontifici. *(Const. Apostol. Sedis.* cl. I. n. 11.); 2°) alienationem bonorum Ecclesiæ sive ab usurpatoribus, sive ab eis factas, qui causam habuerunt ab ipsis usurpatoribus, et relativas acquisitiones esse nullas, et 'alienantes, et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravag. *Ambitiosæ'*, incurrere excommunicationem latæ sententiæ *nemini* reservatam. *(Const. Apostol. Sedis.* cl. IV. n. 3.) Cfr. etiam excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam, latam a Conc. Tridentino sess. 22. cp. 11. *de Ref.*

8. Ut vero pro temporis circumstantiis conscientiæ fidelium consuleretur, inducta sunt remedia. Et quidem post rerum publicarum eversionem, quæ sub finem elapsi sæculi et initium labentis contigit, S. Sedes ope fœderis initi cum variis regnis et guberniis statui Ecclesiarum providit, et alienationes bonorum ecclesiasticorum a publica auctoritate licet illegitima factas ut plurimum sancivit. Quare inducta est praxis ut si recurrerent ad Sedem Apostolicam illi qui bona retinebant, quæ inciderant sub dispositione fœderis vulgo *'concordati'*, provideretur per *declaratoriam* cum *hortatoria.* Idest S. Sedes declarat bona acquisita a privatis retineri posse ceu propria; hortatur vero eos, ut si quæ sint onera pia adnexa, illa adimpleant. Exempla præsto sunt in declaratione S. Pœnitentiariæ ad J. Bouvier, professorem *Cenomanensem.* d. 26. Martii 1818, in Brevi «*Epistolam accepimus*» *Gregorii XVI.* ad Episcopos Belgorum, in responsis S. Pœnitentiariæ ad Archiepiscopum *Coloniensem.* d. 27. Nov. 1891 et d. 7. Febr. 1894.

9. Quod si recurrerent illi, qui bona retinebant non comprehensa in fœdere, prius quidem concedebatur facultas illa retinendi sub tribus conditionibus: 1°) Standi mandatis Ecclesiæ. 2°) Adimplendi pia onera. 3°) Certiorandi de his hæredes et successores. Deinde vero auctoritate Pontificis factum est ut possessores istorum bonorum, quæ in fœdere non comprehenduntur, admitterentur

ad compositionem cum Ecclesia. Quoad vero actualem spoliationem Ecclesiarum præsertim in Italia, remanet quidem prohibitio alienationis et acquisitionis sub pœna nullitatis, non solum ex dispositione generali Constitutionis *Apostolicæ Sedis*, sed etiam ex publicis et solemnibus protestationibus Summi Pontificis. At justa causa interveniente concedi solet facultas emendi bona ab invasoribus occupata, et si fuerint coëmpta absque venia, concedi solet absolutio a censuris, et facultas retinendi eadem bona. Itemque delegari solent Episcopi ad concedendam hanc facultatem ex responso S. Pœnitentiariæ, d. 24. Jan. 1890. In primo autem et in altero casu conditiones exigi solent, inter quas prima et præcipua est, ut bona ecclesiastica acquirenda vel acquisita conserventur et retineantur ad nutum Ecclesiæ, et cum obligatione standi mandatis inde ferendis.

Titulus XVIII.

De Confessis.

1. Aggreditur *B. Raymundus* novum tractatum, qui respicit partem non minus propriam et essentialem judiciorum, nempe *probationes* juridicas eorum quæ veniunt in judicium. Præmittitur vero titulus *De Confessis* quia per confessionem unius collitigantis, cum quibusdam conditionibus factam, alter eximitur ab onere probandi. — Confessio in sensu tituli est *'asseveratio illius quod ab adversario intenditur'*.

Divisio: Confessio est aut *judicialis* aut *extrajudicialis*. Judicialis est quæ in jure fit seu in actibus judicii, coram legitima persona. Si enim vel extra locum ubi jus redditur, et extra acta judicii, vel coram persona incompetenti facta fuerit, haberi nequit ceu confessio judicialis. Censetur vero judicialis confessio 1°) si fiat coram ipso *judice causæ* sedente pro tribunali vel si articulis transmissis ex judice pars *scripto* respondeat; 2°) si coram *notario*, qui fuerit obligatus ad confessionem excipiendam; 3°) confessio coram *arbitro* legitime constituto etiam habetur uti judicialis. Quæ *aliter* fiat confessio, dicitur extrajudicialis, quia facta est extra judicii locum et non coram legitima persona.

Alia confessio est *simplex*, alia *qualificata*. Simplex ea est quæ pure et simpliciter admittitur, idest asseritur intentio adversarii. Qualificata est ea qua quis non solum fatetur in quod inten-

dit adversarius, sed etiam circumstantias et adjuncta facti exponit per quæ majorem inducit veritatis præsumptionem.

Alia est confessio *cum adjectione causæ*, alia *sine adjectione causæ*. Prima locum habet cum quis confitetur non solum intentionem adversarii, sed etiam titulum cui intentio illa innititur. Secunda est quæ exhibet solummodo intentionis adversæ partis asseverantiam.

Alia est *jurata*, alia *non jurata*, prout eidem vel accesserit vel non accesserit juramentum.

2. De valore confessionis et I°. De conditionibus *in genere* necessariis, ut valeat confessio.

1°) Conditio ea est ut emittatur ab eo, qui *major* est ætate; qui enim minor est, absque curatoris assistentia nequit sibi nocere in judiciis.

2°) Confessio debet esse *spontanea* et *libera*. Quæ enim ex coacta procedunt voluntate, non revelant rerum veritatem.

3°) Cum plena libertas esse nequit etiam, ubi deest cognitio rerum, hinc confessio ut valeat debet ex *certa scientia* procedere.

4°) Debet esse contra *ipsum confitentem;* tertiæ enim personæ non præjudicat.

5°) Debet esse de re *litigiosa* et quidem de re *certa*, non vero incerta.

6°) Talis esse debet confessio ut nec *jus* nec *natura* repugnet. Hisce positis

3. II°. De valore juridico confessionis *extrajudicialis*. Generalis regula est: 'Confessio extrajudicialis præsente adversario facta cum adjectione causæ in *civilibus* habetur loco probationis, ita ut adversarius eximatur ab onere probandi suam intentionem.' Ita ex jure romano. l. «Cum de indebito». ff. *De Probation.* Consonat cap. 10. *De Probationib.* (II. 19) et glossa in c. 15. C. 3. q. 9. Hinc vi hujus confessionis qui eam emisit potest condemnari. Ratio est quia præsente adversario non præsumitur quis velle fictitiam obligationem palam facere, simulque causam exprimere per quam debitum speciale cognoscitur. Quare moraliter impossibile videtur contrarium. Atqui ut judex procedat ad sententiam, requiritur solum et sufficit moralis impossibilitas oppositi. Ergo. Requiritur vero a) Ut pars adversa sit *præsens*. Ita gloss. in cap. 14. *De fide instrum.* (II. 22) v. «Sed si causam». Nam major cautela solet in sermone observari præsente adversario, a quo timere possimus

præjudicium, quam cum nemo est, qui contra nos nostra confessione uti possit. In jure autem censetur adesse præsens confessioni adversarius, cum vel ipse vel ejus gestor negotii, aut procurator confessionem audierit. Quod si vero absente parte adversa edatur confessio extrajudicialis cum causa, ea vim habet probationis *semiplenæ,* scilicet per se non relevat alium collitigantem ab omni onere probationis, nisi alia adminicula concurrant, quæ ostendant confessionem fuisse emissam serio, et ex animi persuasione, et ex certa scientia obligationis. Ita ex. gr. si confessio absente adversa parte emissa fuerit per scripturam, vel eo magis per instrumentum. Ita etiam si juramento fuerit confirmata. Ita si ex intervallo serio fuerit geminata. Ita etiam si fuerit facta favore causæ piæ, ita ut qui confessus est, appareat voluisse consulere animæ suæ. In hisce enim casibus, qui confitetur parte adversa absente, præsumi nullo modo posset voluisse illusorie animi sui sensus aperire.

4. b) Requiritur *adjectio causæ obligationis,* ut judex cognoscat confitentem fuisse locutum de illo debito in specie determinato, de quo actor quæstionem movit. Quare defectus mentionis causæ aliquando imminuit vim probativam confessionis, nec proinde eximit adversarium ab onere probandi. Ita cap. 14. *De fide instrum.* (II. 22). Hinc doctorum sententia communis, hanc confessionem solummodo semiplenæ probationis virtutem obtinere; quæ proinde vires plenæ probationis potest acquirere ex adminiculis. Si ex. gr. iterato fiat ex intervallo, et uniformiter super determinato objecto, quia confitens demonstrat firmam voluntatem debendi. Ita ex. gr. si fiat cum juramento, quia nemo præsumitur velle, non veram obligationem contra se in alterius favorem firmare jurejurando.

5. c) Ut valeat confessio extrajudicialis debet esse *serio prolata,* non vero ex passione iracundiæ, aut ex metu vel importunis suasionibus exorta. Pariter debet esse *principaliter,* non vero incidenter prolata. Nam ea, quæ incidenter dicuntur, potius inadvertenter quam ex plena consideratione et consilio pronunciata fuisse præsumuntur.

Doctores adsunt qui contendunt confessionem extrajudicialem, ut probationis virtutem habeat, requirere etiam adversæ partis acceptationem. At non videtur necessaria expressio hujus acceptationis.

Nam ubi præsumptio juris assistit, necesse non est requirere aliquid superadditum. Jamvero a jure quis præsumitur adprobare, quod in sui favorem vel asseveretur vel geratur.

6. Hæc vero quæ diximus, valent in causis civilibus. Si enim sermo sit de *criminalibus* causis confessio extrajudicialis cujuslibet delicti non habetur ceu plena probatio. Nam ad demonstrandum aliquem reum fuisse criminis alicujus, præsertim quod secumferat pœnam gravem, requiruntur probationes, omni exceptione majores, quæ nempe in animo judicis certam inducant persuasionem non solum de auctore delicti, sed etiam de moralitate actionis, et de gradu culpabilitatis. Pœna enim gravis haberi potest ceu damnum irreparabile saltem quoad famam et publicam opinionem. Quare extrajudicialis confessio præsertim si in judicio impugnetur, merito non præsumitur facta ex animi consilio, sed potius ex levitate aut ex extrinseca coactione. Hinc reus non potest ex sola extrajudiciali confessione condemnari pœna ordinaria in articulo codicis determinata contra aliquod delictum, sed pœna extraordinaria plectetur.

7. Sed quæritur: 1°) quomodo *probetur* extrajudicialem confessionem intervenisse?

Probatur factum confessionis extrajudicialis prolatæ: 1°) Si is qui eam emiserit, dicat *in judicio* se eam emisisse. 2°) Eo negante sufficienter probata censetur confessio ex fide et depositione *duorum contestium.* Cap. 23. *De Testibus* (II. 20). Satis enim probatum factum habetur in judicio, ubi duo contestes fide digni de eodem facto deponant.

8. III°. de valore confessionis *judicialis.*

Confessio judicialis si juxta formam et conditiones superius descriptas emissa fuerit, æquivalet veræ probationi, ita ut altera pars eximatur prorsus ab onere probandi suam intentionem. Ita communiter ex cap. ult. *De Cohabit. Cleric. et mulier.* (III. 2) necnon ex cap. 24. *De Verb. Signif.* (V. 40). Immo quamvis ad normam juris romani aliquibus videatur necessaria præsentia adversæ partis, ut confessio hanc plenam probandi virtutem habeat, juxta l. fin. ff. *De Interr. in jure faciend.*, tamen merito docent auctores hanc præsentiam adversæ partis ex jure canonico non requiri. Ratio est quia in cit. cc. ult. *De Cohabit. Cleric. et mul.* et 24. *De Verb. Signif.* absque ulla mentione partis adversæ præsentis traditur in priore cit. cap. *expresse*, in altero *implicite* confessionem

judicialem rem facere manifestam, immo notorium juris producere. Effectus autem notorietatis juris est, ut quoad probationis virtutem, id, quod notorium est ex confessione judiciali, æquiparetur notorio per sententiam ipsam judicis. Itaque etiam absque præsentia adversæ partis, confessio judicialis tanti facienda est, ut plenam probationem exhibeat.

Diximus autem hanc regulam implicite tradi in cap. 24. *De Verb. Signif.* (V. 40). Nam *Innocentius* in hoc capite nominat solum in genere confessionem, eique tribuit vim reddendi rem manifestam et notoriam. Sed 1°) animadverti potest *saltem* de confessione *judiciali,* quæ extrajudiciali prævalet, verificari debere, quod in genere de confessione asserit Innocentius; 2°) in hoc cap. 24. confessionem æquiparari *legitimæ probationi,* quæ phrasis innuit probationem in jure factam, et per consequens etiam videtur innuere confessionem pariter factam in jure.

9. Ex primo hoc effectu confessionis judicialis sequitur secundus, ipsam nempe in civilibus haberi contra confitentem, ceu sententiam ac rem judicatam. Hinc inspecto rigore juris romani sententia non requirebatur, sed sufficiebat *mandatum* judicis exsecutivum. Ita in l. 1. ff. *De Confessis.* Diximus vero in civilibus; quia in criminalibus confessus non habetur pro judicato neque jure *romano,* sed requiritur sententia judicis, qui omnibus perpensis reum condemnet. L. 5. ff. *De custodia reorum.* Etiam ob principium generale communiter receptum, scilicet ad pœnam subeundam, etiam ab ipso jure inflictam, quando requiritur externa exsecutio, nemo tenetur nisi judicis sententia præcesserit. Immo hodie universaliter invaluit usus, ut etiam in civilibus confessio vim probativam tantummodo habeat, et proinde pro coactiva solutione obligationis requiratur subsequens sententia judicis in judiciis saltem solemnibus, in quibus nempe proceditur servato ordine juris, quia ordo judiciarius sententiâ clauditur. Quod firmatur etiam cap. 10. *De Transact.* (I. 36) ubi Pontifex in specie confessionis judicialis ait 'Respondemus, quod ex prædicta Fratrum confessione contra eos sententia procedere debeat'.

10. Tertius effectus judicialis confessionis est *sanatio* defectus ordinis judicialis non servati in processu conficiendo. Regula hæc desumitur ex cap. 1. *De Accusat.* (V. 1) in 6°., ubi quamvis non præcessisset diffamatio et regularis inquisitio juxta cap. 24. *De Accusat.* (V. 1), tamen traditur ob confessionem posse procedi ad sen-

tentiam proferendam. Verum excipitur casus quo processus fuerit irregularis ob defectum jurisdictionis in *judice*. Namque confessio esset emissa coram judice incompetente, quæ proinde plene non probat, sed æquiparatur confessioni extra judicium emissæ.

11. Quartus effectus est ut contra explicitam confessionem et sententiam inde secutam *non* detur *appellatio*, seu non attendatur appellatio si forte proponatur. Ita cap. 61. §. «Porro» *de Appellat.* (II. 28). Quia æquum non est dari appellationem contra excessum evidentiæ quæ ex confessione resultat. At quando allegari potest vel metus, vel error, vel aliquis defectus in confessione, utique admittitur appellatio. Ita etiam admittitur quando judex excessit limites confessionis in sententia.

12. Pariter appellatio contra propriam confessionem in causis criminalibus non excluditur. Quia ad excludendam appellationem plura alia requiruntur, ob damnum, quod ex sententia judicis timeri potest. Quare doctores solent ad excludendam appellationem requirere, ut reus nedum sit confessus, sed etiam ut sit *convictus*. Convictus vero dicitur reus, quando vel ex testibus, vel ex instrumentis, vel ex indiciis indubiis constet ejus culpabilitas.

13. *An possit revocari confessio judicialis.*

In genere non admittitur alia revocatio nisi ea quæ fit in incontinenti, seu quæ fiat a confitente in eodem judiciali contextu, et antequam ipse a præsentia judicis recedat. Cap. 7. *De Testib. cogend.* (II. 21). Quisque enim coram judice præsumitur omnia caute et prudenter exponere, nec sibi velle præjudicium inferre. Hinc completa confessione in judicio, qui eam emisit, censetur plene cavisse rei veritati. At revocari potest etiam confessio judicialis ex intervallo a) Si quis revera probare potest, se *errore facti* fuisse deceptum. Ex. gr. in quæstione punctaturarum solvendarum, si reus in judicio confiteatur se actori debere centum, in animo suo ex errore facti revolvens, se per centum dies a choro abfuisse, dum revera ex libris capituli constet solummodo per septuaginta dies non interfuisse. b) Si *minor ætate* grave damnum passus sit ex confessione. Minoribus enim graviter læsis conceditur restitutio in integrum.

14. *An scindi possit confessio,* vel debeat admitti in omnibus suis partibus, scilicet tum in iis, quæ confitenti adversentur, tum in iis quæ eidem faveant. Ex. gr. in civilibus si quis confiteatur se pecuniam mutuam accepisse, sed simul asserat se a creditore

deceptum fuisse in contractu ineundo; in criminalibus vero si quis confiteatur se crimen patrasse, sed provocationem fuisse passum simul affirmet.

Non desunt doctores, qui licet teneant in *criminalibus* scindendam esse confessionem, quia præsumitur reus velle sese tueri et effugere pœnam; dicunt tamen confessioni in *civilibus* penitus standum esse, nec eam scindi posse, nisi jura præsumere faciant contra confitentem; quia confessio, ceu actus spontaneus præsumitur emissus pro rerum veritate. — Verum contraria sententia firmior et probabilior videtur, sive in criminalibus sive in civilibus causis. Scilicet admitti potest confessio in ea parte, quæ favet adversario, non autem admittenda est confessio in ea parte, quæ ipsi confitenti favet; nisi demonstretur *rationabilitas* eorum quæ dicuntur, et probabilibus rationibus non oppugnetur confessio confitenti favorabilis. Ratio est, quia nemo præsumitur contra se velle confiteri, jus vero in genere præsumit contra ipsum confitentem, qui in sui favorem loquatur. At hæc præsumptio cessat, quoties rationabilibus argumentis probabilitatem confessionis in sui favorem ostenderit. Ergo etc.

15. *An judici inquirenti reus teneatur veritatem fateri.*

Profecto si judex non legitime interroget, reus haud sane tenetur respondere, seu poterit negare responsionem, vel ad eludendam interrogationem judicis poterit uti circumlocutione et oratione ambigua, aut alio artificio, excluso tamen positivo mendacio. Quid vero si legitime interroget judex? — Ut judex legitime interroget requiritur a) ut judex jurisdictione gaudeat in personam interrogatam; b) judex non potest uti interrogationibus suggestivis et modis seu verbis captiosis haud permissis a lege; c) ut legitima sit interrogatio judicis in criminalibus, necesse est ut præcesserit vel interrogatio, vel accusatio, vel denunciatio, aut infamia rei super aliquo crimine; vel saltem aliqua manifesta indicia apparuerint de culpabilitate ejusdem; ita cap. 24. *De Accusat.* (V. 1); — quare legitima interrogatio esse non potest de criminibus prorsus occultis, quæ natura sua sunt nota soli Deo; — nec principaliter interrogare potest judex reum de aliis criminibus, quæ nec natura sua nec ex indiciis connexa sunt cum crimine, in quo legitime interrogat. Ratio est quia ordini judiciorum optime consulitur, si inquisitio ad plura non distrahatur, sed restringatur præcipue ad principale negotium, quod est objectum processus.

Antequam quæstioni propositæ respondeamus, animadvertimus quæstionem esse potius *moralem* quam canonicam, nam respicit obligationem conscientiæ. Verum canonica etiam est et judici in foro externo potest inservire. Potest enim judex ecclesiasticus magis vel minus insistere contra reum ad sinceram confessionem exigendam, et magis vel minus tute fidere responsionibus rei, prout theoretice scit majorem esse vel minorem obligationem rei ad respondendum sincere et explicite interrogationibus propositis.

16. Hisce positis in genere dicimus, reum, si a suo judice servato juris ordine, seu legitime interrogetur, teneri ad veritatem pandendam, quam interrogatio specifice respicit. Hanc vero obligationem exponendi veritatem etiam vinculo religionis validiorem reddi, si reus juramentum præstiterit de veritate dicenda.

Ratio conclusionis est, quia judex legitime interrogans exercet jurisdictionem suam circa rei personam, et jure suo utitur, quod habet inquirendi veritatem ut justitiam tueatur, ac proinde ex parte rei viget obligatio obediendi judici legitime interroganti. Quod a fortiori verificatur si deferatur juramentum, nam reus mendax fieret etiam perjurus.

17. Diximus conclusionem datam in genere valere; nam si in specie sermo sit de *majoribus criminibus*, quæ secumferunt maximas pœnas capitis, carceris perpetui, vel triremium, docent plures magnæ notæ auctores, reum non obligari sub gravi ad manifestandum judici crimen, quod cæteroquin probare nequit, sed ubi spes adsit, non facta confessione, evadendi tantam pœnam. Hinc excluso mendacio poterit reus eludere judicis interrogationes. Ne autem perjuriis occasio daretur, mos invaluit ut reo in criminalibus causis præsertim majoribus, non deferatur juramentum de veritate dicenda. Ratio conclusionis est, quia judicis præceptum ut sit legitimum non solum debet inniti abstracto conceptui jurisdictionis et potestatis, sed etiam debet esse in concreto accommodatum humanæ conditioni. C. 2. D. 4. Atqui videtur esse nimis durum, et parum naturæ hominis accommodatum, instinctu vitæ et libertatis vehementer acti, præceptum manifestandi crimen in eum præcise finem, ut pœnam criminis acerbissimam subeat. Igitur præceptum hujusmodi si a judice imponatur, non est undequaque legitimum et obligans reum. Accedit animadversio. Scilicet saltem dubiam esse in casu legitimitatem præcepti judicis. Atqui valida ratio juridica suadet obligationem obediendi judici impe-

ranti, in dubio legitimitatis interrogationis reum non adstringere juxta regulam 11. juris in 6°. quæ statuit in dubió favendum esse reo. Ergo.

18. Diximus tamen excluso mendacio. Nam non posset cohonestari mendacium ex spe evadendi pœnam. Qua in re sciendum est damnatam fuisse ab *Innocentio XI.* d. 2. Martii 1679 sequentem propositionem 26.: '*Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est perjurus*'; cfr. etiam prop. 27. — Si bene intelligatur intentio damnationis hujus propositionis, apparet non fuisse ulla ratione proscriptam supra expositam sententiam. Nam Pontifex proscribit proprie dictam amphibologiam et restrictionem pure mentalem, quæ tunc verificatur, cum adhibitis verbis, quæ unum solummodo sensum habent, ob diversam solam mentis intentionem, qui loquitur, dicit vel non contigisse factum, quod contigit, vel aliter contigisse quam revera contigit. Ita ex. gr. si quis interrogatus an certa die, certaque hora transierit per aliquam viam, neget, eo quod in mente cogitet, alias non transiisse per eamdem viam, dum revera per illam viam transierit. At quando dicunt auctores non teneri reum absque mendacio pandere veritatem judici interroganti, non excludunt posse adhiberi restrictionem mentalem; cum tamen dicunt adhibendam esse quæ fundamentum habet in realitate factorum, ita nempe ut circumstantia de qua interrogatur reus, sive in se sive ob verba, quibus exprimitur, optime possit dupliciter accipi et explicari. Hinc dum in uno sensu sumitur ab interrogante, potest ab eo qui respondet intelligi in alio sensu, et per consequens mendacium et perjurium locum non habet; nam reus quamvis non respondeat cohærenter ad judicis mentem, tamen ejus adsertio vera est. Ergo.

19. Pro intelligentia tituli, et consequenter ad quæstionem pertractatam aliquid de positionibus est dicendum. *Positiones* quæ appellari etiam solent *articuli,* inductæ sunt primitus ex consuetudine et deinde per leges positivas approbatæ fuerunt, ut obtenta quo fieri melius possit partium confessione, expeditiori litium termino consuleretur.

Positio est pura et nitida allegatio alicujus facti ad causam quæ agitatur pertinentis, in scriptis, et sub juramenti fide pertinentis exhibita ad hunc scopum ut si factum allegatum ab una admittatur ab altera parte collitigante, is qui allegationem hanc proposuit, eximatur ab onere probandi factum allegatum. Formula positionum hæc est 'Dico, vel pono, esse verum me tibi mutuo dedisse centum'. 1⁰) Positio debet esse *pura et nitida* allegatio facti, quia clare debet exprimi id quod unus ex collitigantibus desideret et postulet ab alio admitti. Hinc positio captiosa vel æquivoca non admittitur. 2⁰) Positio est allegatio *facti,* nam positio juris non admittitur. Hinc ex. gr. unus ex collitigantibus non potest alium interrogare utrum ita vel aliter legem intelligat et recipiat. Determinare enim juris quæstionem est proprium judicis. 3⁰) Factum allegatum in positione debet *ad causam pertinere,* nam impertinens et aliena circumstantia respui merito potest. 4⁰) Juxta dispositionem juris canonici cap. 2. *De Testib.* (II. 10) in 6⁰. qui proponit positionem tenetur juramentum emittere de veritate dicenda. Positio hisce conditionibus suffulta et a judice recepta non potest ab altera parte sperni, sed eidem vel assentiri vel contradicere debet, ita ut si absque rationabili causa respondere recuset, pro confessa habeatur. Ita in cap. 2. h. t. in 6⁰. Etenim in judicio collitigantes rationem reddere tenentur factorum, quæ ab alterutro allegantur et judex potest præcipere partibus, ut facta explicent. Hinc qui respondere recusat, merito in hoc ipso punitur, ut pro confesso habeatur.

Positiones quamvis regulariter fiant ab actore, tamen proponi etiam possunt a reo, quia utriusque interest simpliciorem reddere statum quæstionis, et cognoscere quid ab altera parte pro certo habeatur et extra controversiam, quid vero controvertatur. Cum vero positiones sint loco probationum, ex cap. 2. h. t. in 6⁰. 1⁰) proponendæ sunt *post* litem contestatam usque ad terminum utilem pro adducendis probationibus; 2⁰) responsio facienda est pura et simplex, seu clara et manifesta.

Usus proponendi formales positiones in judiciis non est amplius frequens, idest in omnibus causis ordinario non servatur, bene vero sive in scriptis allegationibus, sive in discussione verbali causarum ab alterutro ex litigantibus, possunt particulares circumstantiæ facti proponi, ut circa eas adversarius respondeat; judex vero ex agendi ratione hujus normam et lumen in proferenda

sententia potest optime sumere. Dixi: *usus non est amplius frequens.* Nam juxta organicam actualem judiciorum disciplinam, etiam hodie possunt, et aliquando solent deferri adversæ parti interrogatoria, quæ positionibus æquiparantur. Positiones vero idest articuli semper adhibentur in processibus pro causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei. Fatendum vero est methodum ordinariam adhibendi positiones valde accommodatam esse pro determinanda in causis quæstione facti.

20. *An confessio judicialis vel extrajudicialis noceat etiam tertiæ personæ, quæ extranea sit a judicio.*

Distinguendum est inter causas *civiles* et *criminales.* In causis civilibus ex regula generali confessio non nocet tertiæ personæ, quæ cum confitente negotium non habeat. Nam regula in judiciis est, neminem esse damnandum nisi ex sua confessione, aut ex probationibus adversarii sui. Hinc ex. gr. si vigente quæstione inter Titium et Cajum de præstatione alicujus rei, Cajus fateatur se utique pro aliqua parte teneri, sed pro reliqua teneri Sempronium, non ideo potest Sempronius ex confessione Caji damnari ad præstationem quotæ sibi imputatæ.

At quid dicendum si is qui confessus est *gerit negotium tertii?*

Si sermo sit de procuratore vel advocato, confessio contra dominum principalem emissa potest semper ab eodem principali domino revocari, quamvis non demonstraverit errorem aut falsitatem. Etenim dominus principalis semper sibi majorem promeretur fidem, quam ejus advocatus vel procurator. Excipitur tamen confessio emissa ab advocato vel procuratore ex *speciali* mandato domini principalis, quæ intra limites mandati recipitur tamquam confessio ejusdem domini.

21. Quod si quæstio sit de Prælatis Ecclesiarum, œconomis seu generalibus administratoribus necnon tutoribus et curatoribus, communiter recipitur theoria *Panormitani* in cap. 2. h. t. n. 10. et distinguitur inter confessionem emissam a Prælato, œconomo etc. in judicio per viam jurisdictionis *contentiosæ,* et confessionem emissam *sponte* extra judicium. Primam docent nocere Ecclesiis, personis administratis, pupillo vel minori, secundam vero minime. Ratio prioris conclusionis est, quia prior confessio non censetur libere remissa arbitrio confitentis, sed ob necessitatem juris, et ob exigentiam judicii editam fuisse censetur. Hinc in specie confessionis a Prælato emissæ, quemadmodum sententia prolata contra

Prælatum valet non solum contra ipsum, sed etiam contra ejus Ecclesiam et successores; ita etiam confessio necessaria ejusdem Prælati valebit contra Ecclesiam et Prælati successores. Revocari autem poterit hæc Prælati confessio modis supra indicatis n. 13. — At si prorsus ex libera sua voluntate Prælatus vel œconomus, aut tutor, aut curator, extra judicium confessionem emittat, non poterit hæc confessio contra Ecclesiam, vel administratas personas, aut pupillum vel minorem ceu evidens et legitima probatio invocari. Ratio est quia confessio sponte facta consideratur ceu donatio aliqua, quæ administratoribus rerum alienarum interdicta est. In specie autem bonorum et jurium Ecclesiæ Prælatus libere non potest de eisdem disponere, sed requiruntur causæ legitimæ et canonicæ solemnitates, de quibus agitur in tit. *De Reb. Ecc. alienan. vel non.* (III. 13).

22. Sed *exceptio* est quando confessio revelat *factum proprium* ipsius Prælati, vel administratoris, seu tutoris vel curatoris; ex. gr. si Prælatus fateatur sibi factam fuisse solutionem alicujus debiti in favorem Ecclesiæ. Quo in casu creditur confitenti contra Ecclesiam vel administratas personas, nisi contrarium probetur. Ratio est quia in electione Prælati, vel destinatione œconomi, administratoris etc. censetur electa fuisse industria persona, cujus fiduciæ commissa fuerant expedienda negotia.

23. *An in causis criminalibus confessio de proprio crimine unius ex correis admitti debeat etiam adversus alios, ita ut eis noceat.*

Etiam in *criminalibus* causis valet regula generalis *negativa* ex cap. 1. h. t. ita ut glossa v. «confessi» inferat hoc principium 'Nulli de confesso super crimine aliorum creditur'. Idem infertur ex cap. 10. *De Testibus* (II. 20). Hæc juris dispositio merito constitui poterit, quia qui crimen proprium in judicio confitetur, infamis est et suspectæ fidei, ejusque proinde depositio præsumi illico vera nequit, ita ut loco probationis contra alium retineatur. Unde confessio hæc in ordine ad alios periculosa perhibetur in cap. 1. h. t. Hinc qui in judicio crimen suum confessus sit, rejicitur a testimonio ferendo contra alios. Cap. 54. *De Testib.* (II. 20).

24. At quædam sunt crimina excepta quæ cum societati vel civili, vel religiosæ maxima procreent pericula et damna, non requirunt ordinariam et rigidam procedendi normam. In hisce scilicet ob imminens periculum, quod prævidetur, etiam media extra-

ordinaria inquisitionis adhibentur. Hinc confessio rei 1°) valet ad instituendam inquisitionem *specialem* contra personam, quam reus confitens in judicio indigitavit, ita ut hæc persona teneatur sese purgare ab imputatione sibi facta. 2°) Reus confessus in judicio potest ceu *testis* adhiberi contra socium criminis. Cap. 5. *De hæret.* (V. 2) in 6°., et cap. 14. *De Præsumpt.* (II. 33).

Crimina autem maxime perniciosa et excepta quoad societatem *civilem* sunt præcipue: crimen *læsæ majestatis* et *perduellionis.* Cap. 1. h. t.; et crimen *latrocinii* et *grassationis* per vias publicas. L. 6. ff. *De Custod. et exhibit. reorum.*

Quoad vero societatem *religiosam* sunt: 1°) Crimen *hæresis.* Citt. cc. 5. *De hæret.* (V. 2) in 6°. et 14. *De Præsumpt.* (II. 23). 2) Crimen *simoniæ;* c. 4. C. 15. q. 3. At obstare videtur cap. 10. *De Testibus* (II. 20), in quo decernitur socium criminis simoniæ non posse testimonium ferre contra imputatum de eodem crimine. Unde exceptio facienda esse videtur.

Ceterum etiam in criminibus non exceptis confessio rei relate ad consocios suos spernenda non est a judice et fisco; sed licet loco probationis nequeat haberi, tamen retineri et æstimari debet ceu aliqua præsumptio, præsertim si sit adminiculata. Hinc quamvis vi hujus confessionis non possit illico realiter comprehendi socius vel etiam invitus compelli ad sese personaliter defendendum ab impacta imputatione, tamen potest judex uti confessione ad instituendam genericam inquisitionem auctorum criminis.

25. Præstat ultimo loco quærere *quid sentiendum de confessione sacramentali,* quæ forte etiam legitimo modo reveletur, utrum ea uti possit judex contra ipsum confitentem.

Pro indubia sententia tenendum est sacramentalem confessionem sive ea per ipsum sacerdotem, sive per alium qui crimen occasione confessionis audierit reveletur, nullo modo in judicio externi fori contra confitentem probare. Nam ut omittamus aversionem et odium, quod contra reconciliationis sacramentum a fidelibus conciperetur ob revelationem criminis, et ob usum hujus revelationis, valet in casu duplex juridica ratio: 1°) quia sacramentalis confessio non homini censetur facta, sed *Deo.* Cap. 2. *De Offic. Jud. Ord.* (I. 31). Hinc ea uti non potest homo in usibus profanis, neque a fortiori in foro externo. 2°) Quia si agatur de illegitima revelatione secreti sacramentalis, *fidem non promeretur,* qui sacramentalis confessionis sigillum infringunt. Prima ratio etiam de-

monstrat loco probationis haberi non posse schedam referentem peccata in confessione exposita. Immo ob primam rationem scimus prorsus neglectam fuisse a tribunali S. Rotæ revelationem criminis factam ab ipso confessario ex *licentia ipsius confitentis.* Id contigit in celebri quæstione filiationis Ducis *Sforza-Cesarini* agitata in S. Rota ab anno 1834 ad annum 1837, in qua ex licentia matris infantis, de cujus origine agebatur, confessarius testatus est, circa tempus, ad quod referri poterat conceptio infantis ejusdem, ipsam matrem in confessione sacramentali sese accusasse de adulterio commisso. Confessio enim sacramentalis extranea prorsus est et impertinens quoad forum externum, in quo non solum veritas attenditur, sed etiam modus legitimus veritatem cognoscendi. Hinc in causa criminali, quamvis qui in re gravis momenti aliquid coram judice competente dixerit contra se, tamen non habetur ceu plene et legitime convictus, non obstante præsumptione quod qui loquitur contra se juxta veritatem loquatur. Cap. 4. *De Judiciis* (II. 1). Reus enim solummodo convincitur legitimis probationibus.

Titulus XIX.

De Probationibus.

1. Probatio nihil aliud est nisi *'rei dubiæ apud judicem controversæ per legitimos modos facta ostensio'*. Dicitur *ostensio* quia probatio in claro et aperto ponit rem, seu revera manifestat rem in sua veritate juridica. Hinc probatio fit rei dubiæ, quæ nempe per se certa non est, sed saltem habet aliquod argumentum contra se. Hæc ostensio fit rei controversæ *coram judice,* quia in titulo sermo est præcipue de probationibus judicialibus, quæ fiunt modis a lege statutis, nempe *modis legitimis.* In judiciis enim præter principia juris naturalis, etiam quædam solemnitates constitutæ sunt a lege, quæ requiruntur ad fidem faciendam.

2. Probatio distinguitur in *plenam* et *semiplenam*. *Plena* probatio est, quæ judici omnem facit fidem, ita ut judex aliquid amplius non debeat quærere, sed teneatur procedere usque ad sententiæ prolationem. Exemplum hujus rei deprehenditur in cap. 2. h. t. ubi species est de judice, qui ex consuetudine loci præter depositionem idoneorum testium, vel authentica instrumenta requisierat jusjurandum. Romanus Pontifex vero respondit non requirendum esse jusjurandum, sed allatam probationem sufficere. —

Semiplena vero probatio ea dici solet, quæ licet aliquam promereatur fidem, non ita tamen concludens est ut possit ex ea judex procedere ad proferendam sententiam.

3. At quæri potest quomodo determinatur *quandonam* probatio fidem plenam faciat judici, quandonam semiplenam?

Omittimus vim probationis illius, quæ fieri dicitur per evidentiam rei, scilicet quando res adeo est aperta, ut nulla negatione vel tergiversatione possit celari. Hoc enim in casu quisque videt ipsam evidentiam rei fidem plenissimam facere judici. Quare in cap. 3. *De Testibus cogend.* (II. 21) regula traditur generalis: 'facta notoria non egere probatione testium'. Concordat cap. 9. *De Accusationibus* (V. 1). Hinc adagium juris invaluit 'notoria facti *permanentis* allegari quidem, sed non probari.' Præsumitur enim judex ea apprime cognóscere. Non idem vero dicendum est de notoriis facti *transeuntis*. Nam ea si præterita sunt, debent probari. Si de aliis probationibus communibus sermo sit, ipsa lex est quæ determinat quænam probationes plenam faciant fidem. Ita ex. gr. si duo testes omni exceptione majores conveniant in depositione; ita instrumenta authentica; ita confessio propria juxta dicta superius in causis judicialibus civilibus constituunt plenam probationem.

4. In causis autem in quibus nullum adest tertii præjudicium, etiam *unus* testis ad rem plene probandam recipitur; ex. gr. si testis idoneus deponat aliquem suscepisse baptismum; cc. 110 et 112. *De Consecrat.* D. 4.; aliquam ecclesiam fuisse consecratam; gloss. in cap. 51. *De Testibus* (II. 20) v. «juratus.» Aliquando etiam *plures duobus* testibus requiruntur a jure, uti in causis criminalibus prælatorum. Ex. gr. juxta cc. 2. et 3. C. 2. q. 4. ad condemnandum Episcopum Cardinalem requiruntur 72 testes. Animadvertendum vero est in jure sub appellatione probationis simpliciter dictæ venire ipsam plenam probationem. Res enim probata dici nequit, nisi quando concludens et plena probatio intervenerit. Quænam vero a jure ceu plenæ probationes habeantur, in suis locis determinantur. At hac in re non minimum defertur judicis prudenti arbitrio. Cap. 32. *De Testibus* (II. 20); et l. 3. ff. *De Testibus.* §. Ideoque. Judex enim videat oportet utrum verificentur nec ne conditiones juris, pro obtinenda plena probatione. Ex. gr. utrum testes adducti idonei sint et omni exceptione majores, utrum instrumenta sint genuina et integra, vel spuria aut corrupta.

5. Quæritur: *qualis esse debeat probatio.*

Probatio debet esse *clara* et *certa* seu *determinata.* Hinc neque obscura neque indeterminata et dubia admittitur probatio in judicio; utraque enim non reddit rem manifestam. Immo probatio dubia et ambigua, si quam recipiat interpretationem, ea acceptatur, quæ est contra probantem. Ita communiter auctores post gloss. in cap. 6. *De Condition.* (IV. 3). Ut vero probatio sit certa et determinata debet 1°) referri ad *unum* et non ad plura. Scilicet si quod intenditur probandum possit multipliciter intelligi, probatio non valet. Quare in cap. 8. h. t. cum quæreretur de valore actus quo quis se et sua obtulerat monasterio, rejecta est probatio nullitatis prout indeterminata et ambigua; quia dictum est offerentem fuisse ætate minorem quin determinaretur utrum minor fuisset ætate quatuordecim annorum, vel vigintiquinque. Quo in altero casu, oblatio juramento firmata valuisset. 2°) Probatio respondere debet *formæ libelli* et *petitionis,* sive petitio proponatur per modum actionis, sive proponatur per modum exceptionis aut reconventionis. Ratio est quia probanda sunt ea, quæ deducta sunt in judicium. Cap. 29. *De Testibus* (II. 20). Quæ ratio roboratur ex principio tradito a *Clem. V.* in Constitut. 2. *De Verb. Signif.* (V. 11), ubi ait, sententiam a judice ferendam esse secundum formam libelli. Quare superfluæ et redundantes probationes sunt vitiosæ. At quid dicendum si exceptio *negationem* facti exhibeat?

6. In genere antea quæri posset, *utrum negativa probari queant.* Videretur probari non posse ob illud philosophicum principium *'non entis nullæ sunt qualitates'.* Hinc etiam juridicum principium proponitur in cap. 23. *De Elect.* (I. 6): 'negantis factum per rerum naturam nulla est directa probatio'; cui consonat cap. 11. h. t. At ut clarius hac in re procedatur, triplex distinguenda est species negationis. 1ª. est ea in qua quis *fundat* suam petitionem. Hæc negatio probanda est, secus enim petitio hujusmodi non probaretur. Ex. gr. si quis parochus vult prohibere altero parocho exercitium jurisdictionis in oppidulo ad fines parœciæ, eo quod dicat oppidulum non esse subjectum jurisdictioni hujus alterius parochi, hanc negationem probare tenetur, quia est fundamentum suæ petitionis. 2ª. species negationis respicit aliquam *qualitatem* in subjecto determinato. Scilicet si negetur aliquam qualitatem alicui subjecto competere. Negatio hæc probari debet: ex. gr. si quis excipiat Titium non habuisse ætatem requisitam a Tridentino

ad beneficium assequendum. Ratio est quia posita realitate, idest exsistentia subjecti, negatio qualitatis continet implicite affirmativum seu assertionem alicujus rei, idest illius elementi, quod qualitatem excludit. In exemplo proposito negatio ætatis canonicæ est affirmatio impubertatis.

7. 3ᵃ. species negationis est *pura* et *directa* negatio facti. Hoc in casu directa probatio negationis adduci nequit. Qui enim negat pure et simpliciter factum, asserit non ens seu nihil. Non ens autem, idest nihil non exsistit in rerum natura, hinc caret medio probationis. Unde valet adagium superius relatum ex cap. 23. *De Electione* (I. 6) et ex cap. 11. h. t. Ex. gr. si quis dicat se homicidium non perpetrasse. At dari potest probatio indirecta negationis, quod contingit quando negatio determinari potest ex certis circumstantiis temporis, vel loci, vel alterius rei. Quo in casu dicitur probatio *coarctata*. Ex. gr. si Titius accusetur de crimine patrato in loco determinato, et in temporis puncto determinato, potest negare se crimen illud perpetrasse, suamque negationem evincere probando se eo temporis momento alibi commoratum fuisse, adeoque non potuisse in loco criminis patrati esse.

8. Quæritur: *cuinam inest onus probandi.*

Ex dictis in præterita quæstione principium generale statuendum est, onus nempe probationis incumbere ei, *qui asserit,* non vero qui negat. L. 2. ff. *De Probationib.* Quapropter cum regulariter actor asserat, et reus neget, regulariter etiam onus probandi incumbit *actori.* Cap. 3. §. ult. *De Caus. posses. et propriet.* (II. 12). Sed si reus non solum neget assertionem actoris, verum etiam positive excipiat, vel reconventionalem actionem promoveat, et ipse probare tenetur. In utroque enim casu reus aliquid asserit. Unde adagium forense '*Reus excipiendo fit actor*'. Quod verificatur etiam in judiciis communibus, idest duplicibus, in quibus nempe commune est negotium utriusque litigantis. Cap. 3. h. t. Talia sunt judicia de *familia erciscunda,* seu de *divisione hæreditatis*; judicium de communi dividundo, seu de divisione rerum communium et judicium finium regundorum, seu judicium institutum ad determinandos rite limites inter confines agros et prædia. Judiciis communibus etiam accensenda sunt interdicta possessoria, in quibus uterque collitigans affirmat.

Fatendum tamen est, meliorem forsitan esse regulam ab aliis propositam, quæ est sequens: *Ille tenetur probare contra quem*

militat præsumptio juris, ille autem probare non tenetur, cui favet præsumptio juris. Ratio regulæ est, quia, ubi militat præsumptio juris, leges offerunt suam protectionem et tutelam ita, ut nisi validæ probationes contra præsumptionem afferantur, sustineatur ipsa præsumptio. Hinc in genere actor probare debet, quia præsumptio juris est ei contraria, et favorabilis reo. Sed si intentio actoris sit fundata in jure, ac proinde pro eo militet præsumptio, statim onus probandi transfertur in reum. Clarum hujus regulæ exemplum exhibet cap. 2. *De Restit. Spoliat.* (II. 13) in quo eximitur parochus ab onere probandi jus decimandi intra fines parœciæ suæ, ob fundatam intentionem in jure, et probare coguntur canonici, qui asserebant se jus habere colligendi decimas intra eosdem fines parœciæ. Quod etiam verificatur in causis, quæ privilegium juris habent ex. gr. causæ circa valorem matrimonii et testamentorum. Eorum enim sustinetur validitas, quoadusque contrarium non constiterit. Hinc qui est pro validitate matrimonii non tenetur probare, sed probare tenetur qui invaliditatem proponit, sive ipse sit actor, sive reus.

9. Sed quid dicendum *si is qui non teneretur probare, suscipiat onus probationis?*

Profecto si ex legitimis probationibus positive constet reum revera deliquisse et reus neget, simulque sese offerat ad probandam negationem per canonicam purgationem, aut alio modo, non recipitur probatio hujusmodi. Cap. 12. h. t. 1°) Quia purgatio per juramentum est solum *subsidiaria* et non admittitur, quando legitimæ probationes præsto sunt. Cap. 23. *De Accusat.* (V. 1). 2°) Quia *immerito* negatur quod legitime et positive constet ex probationibus.

10. At quid si quis *non obligatus* ad probandum *vult adducere* probationes testium vel instrumentorum, uno verbo *legitimas probationes?*

In genere admittitur quando sermo est de controversia juris inter *privatas* personas. Quisque enim potest juri suo renunciare. At si intret periculum tertii, et præsertim si sit negotium publicum, ex quo damnum ob defectum probationum resultare posset, consilium suscipiendi in se onus probandi non admittitur ob timorem collusionis, quæ locum habere posset inter partes collitigantes. Id verificari posset quoad illas personas præsertim, quæ rerum alienarum administrationem gerunt.

11. At quid si is, qui probare non debet, assumat onus probandi, et *deficiat* in probationibus?

Ex hoc ipso solum non potest condemnari. Scilicet si alius qui probare debuisset paratam non habeat probationem, incidimus in casum regulæ generalis, scilicet *'actore non probante reus absolvitur'*. Quod si vero qui sese absque præjudicio tertii offert ad probandum, suscipiat onus probationis sub conditione amissionis causæ, vel suscipiat onus præstandi juramentum decisorium in litem, in hac duplici hypothesi, si vel probationes non afferat, vel non præstet juramentum, poterit a judice condemnari, quia præsumptio est contra ipsum. Verificatur enim species transactionis.

12. Quæritur: *cui* faciendæ sint probationes.

Probationes faciendæ sunt *judici* seu *coram judice*, quia ipse causam videre debet et decernere sententia sua. At hoc non impedit quominus a *notario* vel ab alio *judice* ad hunc scopum *deputatis* probationes recipiantur. Cap. 11. *De Testib.* (II. 20) et cap. 5. *De Fide Instrum.* (II. 22). Nam quoties constet de mandato judicis committentis notario, vel alteri idoneæ personæ receptionem testium, partium confessiones etc.; hæc omnia computantur inter acta judicii, ac proinde valent, ac si facta fuissent coram ipso judice. Hæc insuper est modo communis praxis et consuetudo tribunalium. Potest vero judex deinde si opportunum ducat, jubere testes præsertim præcipuos coram se iterum examini subjici. Adnotandum vero est probationes coram notario vel altera idonea persona proponendas esse præsente adversario, aut ejus procuratore, qui debet citari, ut si velit et possit excipiat contra personas testium, sive contra modum recipiendi depositiones testium vel alias probationes.

13. Quæritur: *quo tempore produci debeant probationes.*

Regula generalis est ut producantur probationes a litis contestatione usque dum conclusum fuerit in causa. Quare ante litis contestationem regulariter non debent recipi probationes. Cum enim judicium proprie incipiat esse determinatum in contestatione litis, non posset antea rite præfiniri objectum probationum, et facile extra verum quæstionis terminum probationes vagarentur. Hinc in specie de probationibus per testes jus constituit titulum *'Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem.'* At 1°) proponi et recipi possunt probationes ante litis contestationem quoties *periculum* sit ne *pereant;* quemadmodum diximus

supra in citato titulo 'Ut lite etc.' Pariter 2°) in judiciis *summariis,* in quibus proceditur de plano et expedite, eum litis contestatio non fiat; hinc in istis judiciis regula generalis non observatur. 3°) Quoties ante litem contestatam in causa principali emerserit causa *incidentalis* ob exceptionem propositam, probationes produci poterunt quoad causam incidentalem, quamvis lis nondum fuerit contestata. 4°) Aliis omissis exceptionibus, recipi possunt probationes ante litis contestationem in causis *criminalibus,* in quibus proceditur per inquisitionem judicis, vel post simplicem denunciationem, non autem quando proceditur ex querela seu actione accusatoris. Cc. 8. *De Dolo et Cont.* (II. 14) et 24. *De Accusat.* (V. 1), uti jam vidimus in tit. 6. h. l. II. nn. 4. 5. 7. 10.

14. Altera pars regulæ generalis est ut probationes non recipiantur *post conclusionem in causa.* Et ratio est, quia post conclusionem in causa partes collitigantes functæ sunt munere suo, et res eo devenisse censetur ut sub potestate judicis quæstio sit, qui juxta acta et probata finem liti per suam sententiam imponat. Hinc merito novæ probationes non debent produci post conclusionem in causa, sed standum est probationibus jam adductis. Ita in cap. 6. h. t.

15. At hæc regula generalis non solum ob gravitatem et qualitatem specificam causarum sive matrimonialium, quoad vinculi nullitatem, quæ numquam transeunt in rem judicatam, sive beneficialium et capitalium in criminalibus, sed etiam ob majorem judicis rerum notitiam quam ipse desiderat, sive ob instrumenta noviter reperta, vel testes de novo cognitos, non impedit quominus recipiantur vel etiam exquirantur probationes post conclusionem in causa.

16. At quid dicendum si *una* solum pars conclusionem in causa emiserit, et præterlapsum fuerit tempus *peremptorium alteri* parti ad probationes deducendas?

Si terminus a lege fuerit præscriptus, eo præterlapso non admittuntur probationes partis contradicentis, nisi probaverit justum impedimentum, quo fuerit detenta. Nomine vero legis non solum venit jus commune, sed etiam statutum particulare diœcesis; pro utroque enim eadem militat ratio, scilicet probatio recepta post lapsum terminum peremptorium, considerari potest ceu actus positus contra dispositionem legitimam, qui proinde in ordine judiciali prorsus repudiatur.

17. Non semper a lege vel statuto terminus ad probationes producendas definitur, immo ordinarie præfinitur a judice, cujus prudenti arbitrio remittitur præfigere hunc terminum, præsertim quando ab una tantum parte ex collitigantibus conclusum fuerit in causa. Quamvis in genere hæc præfixio termini servanda sit, tamen ea non impedit, quominus æquitate suadente judex possit aliquam dilationem concedere. Ita Doctores post gloss. in Clem. 2. *De Verbor. Signif.* (V. 11). Exemplum vero afferunt ex cap. 24. *De Off. deleg.* (I. 29) ubi dicitur judicem delegatum licet tempus peremptorium præfinisset partibus ad sistendum in judicio, posse, si æquitas postulet in sequentem diem exspectare alterutrum ex collitigantibus, qui non comparuit die designato. Cui dispositioni consonat cap. 17. *De Præb.* (III. 4) in 6°. Ratio est, quia ubi lex principis nihil decernit, plurimum deferendum est in judiciis ordinandis et prosequendis prudenti judicis arbitrio.

18. Adnotandum tamen est, ætate minoribus, et ecclesiis vel piis locis, quæ minoribus comparantur, præsto esse remedium extraordinarium restitutionis in integrum, contra peremptorium tempus inutiliter lapsum, quoties ex amissione probationum gravis læsio resultaverit. Ita doctores et cap. 3. *De in integr. restit.* (I. 41). Quæ restitutio facienda est, non solum quando ecclesia contra privatum civem pugnat in judicio, sed etiam contra aliam ecclesiam vel locum pium. Cap. 1. *De in integr. restitut.* (I. 41). Ratio est quia in concedenda restitutione in integrum non personæ considerantur contra quas conceditur, sed potius attenditur damni quantitas, seu læsio minoris vel ecclesiæ.

De effectibus probationis.

19. I°. **De effectibus probationis plenæ.** 1°) Si plene probata fuerit vel instantia actoris, vel rei exceptio, judex debet procedere ad proferendam sententiam respondentem plenæ probationi. Probationes enim ordinantur ad sufficientem cognitionem judicis, qui procedere debet juxta allegata et probata; c. 4. C. 3. q. 7.

2°) Secundus effectus est probationis plenæ, ut etiam coram alio judice possit inter easdem personas collitigantes, in eadem causa assumi ad fidem faciendam. Hinc plenæ probationes receptæ et insertæ actis judicii in prima instantia possunt etiam assumi et invocari, cum causa eadem agitatur apud tribunal ap-

pellationis. Ita in cap. ult. h. t. Hæc dispositio juris verificari videtur etiam in casu, quo acta et probationes allatæ coram judice sæculari deinde assumuntur coram ecclesiastico judice et viceversa. In cap. 2. *De Except.* (II. 12) in 6°. enim tradit Pontifex judicem ecclesiasticum admittere debere exceptionem, quæ proponatur ex re judicata in foro sæculari et viceversa. Nomine autem rei judicatæ non solum venit ipsa sententia, sed etiam implicite venire possunt acta judicii, et plenæ probationes, quibus innititur judicis sententia.

20. II°. **De effectibus probationis semiplenæ.** Cum semiplena probatio non faciat rem manifestam, non potest judex procedere ad proferendam sententiam juxta eamdem; sed immo in genere obtinet principium expressum in cap. 3. *De causa possess. et propr.* (II. 12) circa fin. *'Actore non probante reus absolvitur'*. Hinc potius contra adducentem semiplenam probationem standum est. At in casu semiplenæ probationis judex potest deferre suppletorium juramentum parti, quæ semiplene probavit, atque ita plenam conficere probationem. Cap. ult. *De jurejur.* (II. 24), ubi glossa v. «probatione» notat deferri posse a judice actori juramentum suppletorium, quando pro se habeat unum testem, idest semiplenam probationem; et advertit ita intelligendum esse cap. 2. h. t. Potest insuper judex intimare alicui canonicam purgationem, interposito juramento, contra quem, ceu delinquentem militet semiplena probatio. At de hac re suo loco, seu in titulo *de Purgat. canonica* (V. 34).

21. Quæri hic potest: quid valeat in judiciis *fama.*

Fama nihil aliud est nisi communis hominum, etiam prudentum de aliqua re opinio et sermo, unde differt a *rumore,* qui aliud non est nisi vox inanis et suspicio vulgi carens auctore et fundamento. *Cf. Fagnanus. Comm.* ad cap. 7. n. 44. *De Cohabitat. Cleric. et mulier.* (III. 2). Hinc testes de fama nihil probant, nisi rationem suæ assertionis afferant scilicet debent exprimere causas vel indicia et conjecturas, ex quibus originem suam traxit fama. Etenim ordinarie non attenditur fama, nisi constet de auctoribus ejus, et de fundamento veritatis, quo moveantur homines prudentes. Arg. cap. 21. *De Elect.* (I. 6). Hinc fama orta ex vafris viris et suspectis non recipitur. Cap. 24. *De Accusat.* (V. 1). Non vero requiritur ut testes doceant de auctoribus famæ, deque ejus origine, quando objectum famæ est factum antiquum, quod homi-

num memoriam excedat. Quo in casu sufficit ut testes de fama sint omni exceptione majores, et referant se facti notitiam ac narrationem a majoribus excepisse.

22. Hisce positis si *duo testes* fide digni de fama referant, in *civilibus* negotiis et causis *semiplena* habetur probatio. Ita communiter Doctores innixi dispositioni L. 3. ff. *De Testibus.* Ratio est quia testes non referunt de facto proprio, vel ab eisdem immediate cognito, sed de publica opinione, quæ falli potest, quia *dictum unius facile sequitur multitudo.* Cap. 12. *De Purg. can.* (V. 34). Quare fama plenam et certam fidem non facit. Attamen quia præsumptio veritatis eidem opinioni adsistit, opinio hæc per testes idoneos probata rei confirmandæ vim merito habet, cit. L. 3. ff. *De Testib.;* et proinde semiplenam constituit probationem.

23. Hæc de civilibus. Non idem vero dicendum de *criminalibus* præsertim *majoribus*, in quibus, cum pœna secumferat irreparabile damnum, communiter Doctores conveniunt, famam non constituere semiplenam probationem, sed solummodo indicium ad inquirendum reum. Cap. 24. *De Accusat.* (V. 1).

De prævalentia probationum.

24. Sæpe contingit ut non solum actor probationes afferat, sed etiam reus. Hinc quæritur quid dicendum sit de valore comparativo harum probationum.

Regula I^a^. Videndum præ primis est juxta Clem. 2. *De Testib.* (II. 8) utrum probationes, quæ videntur esse contrariæ, *conciliari* possint inter se etiam facta distinctione actuum; ita nempe ut, si fieri possit, probatio actoris uni actui referatur, probatio vero rei alteri actui referenda sit, arg. cap. 13. *De restit. spoliat.* (II. 13). Hinc si possunt ad diversas vel temporis vel loci circumstantias referri, facienda utique est hæc distinctio, ut sustineatur quo fieri possit bona fides partium collitigantium.

25. Quod si probationes sint prorsus inter se contrariæ; scilicet si de una persona vel re quoad idem tempus, eumdemque locum, vel quoad alias circumstantias opposita prorsus nuncientur, tunc valet regula II^a^: *'majorem probationem præferendam esse minori,* ita ut minor probatio habeatur ceu non adducta,' et servatur regula cap. 3. *De causa possess. et propriet.* (II. 12) '*Actore non*

probante reus absolvitur.' Quare plena probatio absorbet et destruit semiplenam. Cap. 9. h. t.

26. Regula III^a^. Quod si æquales et contrariæ adsint probationes, quæ conciliari non possunt, hoc in casu inter se invicem eliduntur. At posita æqualitate virtutis probativæ, quælibet deinde superveniat probatio, secumfert prævalentiam unius præ alia. Ita Doctores cum *Fagnano* in cap. 5. *De Const.* (I. 2) num. 429. Nam paritas illico cessat. Exemplum duarum probationum æqualium afferunt ex duabus contrariis sententiis, datis ab arbitris, in eadem re, circa easdem personas, de quibus in cap. ult. *De sent. et rejud.* (II. 27). Ita etiam exemplo sunt duæ judicum delegatorum contrariæ sententiæ, quæ habentur ceu contrariæ et æquales probationes, quæ sese ad invicem destruunt. At hoc etiam in casu æqualium probationum contrariarum, locum habet principium cit. *'reo nempe favendum est.'*

27. Exceptio autem datur pro causis *privilegiatis.* In istis enim judex pro causa privilegiata judicare debet, dum adsunt contrariæ et æquales probationes. Ita ex. gr. standum est pro validitate matrimonii, pro libertate hominis si quæstio versetur circa existentiam vinculi conjugalis, vel circa libertatem personæ. Conf. cap. 3. h. t. et cap. ult. *De sentent. et re jud.* (II. 27).

28. Regula IV^a^. In probationum comparatione optima censeatur ea, quæ fit per *evidentiam facti,* seu per *inspectionem ocularem.* Inspectio enim ocularis rite confecta rem vere manifestam reddit. Quamvis ocularis inspectio possit locum habere, quoties testes aliquod factum se vidisse referant, tamen stricto sensu locum ea habet cum judex vel per se, vel per commissarios rem controversam inspiciat ad veritatem cognoscendam.

29. Hæc inspectio in *civilibus* præsertim locum habet 1°) in judiciis de *nunciatione novi operis*, seu cum impediendum est alicui ne construat aliquod opus in præjudicium fundi, qui ad actorem pertinet. 2°) In judiciis *finium regundorum.* — In *criminalibus* pariter inspectio ocularis a physicis doctoribus tempore congruo facta circa qualitatem vulneris vel vulnerum, plurimum facit ad determinandam culpabilitatem rei, et pœnæ rigorem præfiniendum.

30. Tandem aliis omissis inspectio ocularis maxime valet in causis *matrimonialibus,* in quibus agitur de consummatione matrimonii, et de alterutrius conjugis impotentia. De hac inspectione corporis facienda per medicos in viro et per obstetrices in muliere

tractant cc. 4. h. t. et 6. *De frigidis et maleficiat.* (IV. 15). In cap. autem 4. h. t. adeo creditur testimonio mulieris conjuncto inspectioni oculari factæ ab aliis septem mulieribus, ut in contrarium non admittatur attestatio jurata viri, qui dicat matrimonium fuisse consummatum.

Videretur obstare cap. 14. h. t. in quo cum ageretur de puella, quæ a viro suo in monasterium aufugerat, seque virginem et monialem profitebatur, non solum traditur posse in judicium recipi probationes viri contra testimonium feminarum, quæ inductæ fuerunt a muliere ad investiganda signa virginitatis, sed etiam præcipitur judici, ut alias matronas ætate provectas et honestas deputet, quæ videant de virginitate puellæ.

Si rite hoc caput consideretur, apparebit potius confirmare conclusionem nostram. Nam juridica probatio virginitatis agnoscitur in oculari inspectione a matronis ætate provectis et honestis perficienda. Quare ideo statim non creditur mulieribus adductis a puella, vel quia excipi poterat contra earum fidem et honestatem, vel quia inspectio rite facta non fuerat.*)

31. Regula V^a^. *Species derogat generi*, scilicet probationes specificæ prævalent genericis probationibus. Reg. 34. Juris in 6^0^. Ratio est quia probatio generica complexum circumstantiarum et factorum respicit, specifica habet pro objecto factum vel circumstantiam *determinatam.* Hinc ex. gr. si in genere demonstretur aliquem fuisse virum frugi et bonæ famæ, et ab alia parte probetur illum fuisse auctorem criminis falsi, præfertur hæc secunda primæ probationi. Pariter si quis probet aliquem fuisse minorem tempore initi contractus, alius autem probet fuisse impuberem et sub tutore constitutum, creditur potius huic alteri quam primo. Sic etiam in quæstione fructuum et damnorum magis creditur ei qui probationes affert de fructibus anni illius circa quem cadit quæstio, quam ei qui in genere probet feracitatem telluris et fructus aliorum annorum ordinarios.

32. Regula VI^a^. In *civilibus* duæ semiplenæ probationes, quæ concurrant in eumdem finem, possunt *conjungi* et facere plenam probationem. Ita Doctores cum glossa in cap. 13. h. t., et ex manifesta intentione juris civilis, præsertim ex l. 2. ff. *De excusat. tutoris* et ex l. «Instrumenta» C. *De Probationib.*, in quibus omni-

---

*) Plura de hac re in lib. IV.

bus locis juris statuitur principium hoc, scilicet simul conjungi posse et adminicula et præsumptiones ad probandum. At binæ semiplenæ probationes ad plene probandum debent concurrere *ad eumdem finem* et *intentionem;* si enim ad diversa trahantur, non probant. Sic bini testes singulares, qui nempe testentur de diversis factis. Sic instrumenta, quæ diversos actus referunt. Ratio est quia binæ semiplenæ probationes ad idem tendentes, possunt haberi ceu duo contestes ejusdem facti; at non ita dicendum est de duabus semiplenis probationibus diversum objectum habentibus.

In *criminalibus* vero binæ semiplenæ probationes ordinarie non sufficiunt ad applicandam pœnam in articulo codicis descriptam.

33. Occasione Clem. un. h. t. quæritur quæ vis probationis sit adscribenda *Summo Pontifici aliquod factum narranti in Apostolicis Literis.*

Plures casus sunt distinguendi. Aliquando Pontifex loquitur de facto *proprio,* aliquando de *alieno.* Si loquitur de facto proprio iterum distinguendum est: vel in eo *fundat* suam intentionem, vel *non.*

Si fundat intentionem suam, verba Pontificis faciunt plenissimam fidem, ita ut gignant præsumptionem juris et de jure, contra quam non admittitur probatio directa. Clem. un. h. t. et Doctores cum gloss. Hinc si Summus Pontifex conferat Beneficium, cujus asserit se recepisse renunciationem, factum renunciationis impugnari non potest.

34. Quod si narrat factum proprium, in quo non fundat suam intentionem, ejus quidem verba fidem merentur, sed non plenissimam; oppugnari autem non possunt ob reverentiam ei debitam, nisi antea obtineatur ejus venia, ad disceptandum de ejus narratione.

35. Si referat factum alienum, distinguendum pariter est. Aliquando Pontifex refert factum prout sibi ab alio fuit expositum et utitur hac phrasi: 'Exposuisti nobis' etc. Hoc in casu verba Pontificis non probant, quia suum non fecit factum alienum, imo solet clausulam adjungere: Si vera sint exposita.

36. Si Pontifex facta aliena facit sua, asserens sibi ea constare ex certa scientia, et in istis factis suam intentionem fundat, verba Pontificis fidem faciunt: idest inducunt præsumptionem *juris,* at non inducunt præsumptionem juris et de jure. Nam cum alienum factum ex aliena narratione acceperit, licet Pontifex non

facile præsumatur deceptus, tamen revera contingere potest ut ob malam informationem, præsertim ex fraude propositam in errorem facti incidat; ceu insinuat cap. 28. *De sent. excomm.* (V. 39). Hinc verba Pontificis non excludunt contrariam probationem; verum non possunt impugnari nisi prius obtenta fuerit venia Rom. Pontificis ob reverentiam eidem debitam.

37. Huc referenda est depositio cap. 41. *De sent. excomm.* (V. 39) et Clem. 4. ejusdem tituli (V. 10) quæ declarat Pontificis literas vel missas excommunicato, vel salutationem in literis eidem excommunicato directam assumi non posse ceu argumentum concessæ absolutionis ab excommunicationis vinculo.

38. Pariter juxta dispositionem cap. 10. *De Priv.* (V. 7) in 6°. §. 1. exempta dici nequit ecclesia, eo ipso solum quod Pontifex in suis literis eam dicat exemptam. Idem dicatur de simplici enunciatione alterius cujuslibet privilegii. Quemadmodum etiam non ideo aliquis assequitur honorem vel dignitatem determinatam, quia in literis apostolicis dicitur esse tali honore, vel dignitate decoratus. Ita Clem. 4. *De sent. excomm.* (V. 10). Præsumuntur enim hæc omnia solum incidenter dicta, non autem ex fundata intentione.

Titulus XX.

De Testibus et Attestationibus.

1. *Testis* est persona, quæ ad fidem alicujus rei, sua asseveratione adstruendam, adhibetur. — *Attestatio* vero seu *testimonium*, in titulo nihil aliud est, quam solemnis confirmatio alieni facti sacris verbis roborata, et in judicium prolata ab illis, quos causa non concernit. Dicitur solemnis *confirmatio* vel *adfirmatio*, quia quædam solemnitas adhibetur in receptione testium. Dicitur *facti alieni*, quia in facto proprio quis non est testis, quamvis posset confessionem facti emittere. Depositio autem testium recipitur cum *juramento* de veritate dicenda. Ut vero testes tutius veritatem proponant, debent esse alieni a causa, idest negotium in causa habere nequeunt.

De idoneitate Testis.

2. In judicio testium depositiones recipiuntur ut moralis certitudo de rei veritate haberi possit. Quare idoneitas testium eo dirigitur, ut testis *scientiam* habeat facti, et *probitatem*. Scilicet

testes cognoscere factum debent, et in ea versari conditione, ut nolint nos decipere; et quamvis unus in errorem nos inducere conaretur, tamen omnes non possent. Ex hoc generico conceptu idoneitatis sequitur non omnes indiscriminatim admitti posse ad testimonium in judicio ferendum, sed eos solum, contra quos nulla legitima exceptio possit opponi. Ita Doctores cum gloss. in cap. 1. h. t. v. «idonei.»

Quare aliquæ personæ excluduntur *absolute* a munere testis, seu a ferendo quovis testimonio in judicio, nonnullæ excluduntur solum *relative,* seu vel a ferendo testimonio nobis *favorabili*, vel a ferendo testimonio nobis *contrario.*

3. I. *Absolute* excluduntur: 1°) Amentes, furiosi, ebrii, nec non ob judicii infirmitatem impuberes et pupilli, qui admittuntur in causis exceptis tantum ad conficiendam semiplenam probationem et ad indicia veritatis habenda.

2°) Excluduntur etiam cæci in re, quæ contingit tempore cæcitatis; quamvis judex semper possit indicia eruere ex attestatione ipsorum. Item surdi nisi sermo sit de probandis rebus, quæ visu cognosci poterant. Pariter muti, nisi sciant scripto vel alio signo evidenter mentem propriam manifestare, et facti veritatem exponere.

4. 3°) Excluduntur infames ex l. 3. ss. 5. ff. h. t. et c. 11. C. 3. q. 4. nec non ex cap. 7. *De testib. cogendis* (II. 21). Infamiæ enim macula notati indigni sunt publica æstimatione et fide. Infamia autem alia est *juris,* alia *facti.* Infames infamia juris sunt illi, quos ipsa lex infames decernit, quique infamiam incurrunt vel *ipso facto,* vel *ex judicis sententia* irrogandam. Infames ipso facto ante sententiam judicis, juxta leges civiles, et præsertim ex l. 1. ff. *De iis, qui not. infam.* sunt exercentes lenocinia, histriones, deprehensi in adulterio, contrahentes incestuosas nuptias, polygami et violatores sepulchrorum. Ex lege canonica vero expressa in Trid. sess. 25. *De Ref.* cap. 19. infamiam ipso facto incurrunt *duellantes* et eorum patrini. Tridentinum enim ita decernit 'Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur . . . perpetuæ infamiæ pœnam incurrant'. Quam pœnam una cum aliis a Trident. statutis *Gregorius XIII.* in Const. *'Ad tollendum'* 5. Dec. 1582 extendit etiam ad duellum privatum, seu minus solemne et absque patrinis, loci securitate, et literis provocationis initum, S. vero C. Concilii in *Wratislavien.,* d. 9. Aug. 1890 etiam ad

duellum inter Germaniæ Universitatem alumnos his temporibus fieri solitum respectu ipsorum duellantium eorumque patrinorum. Hi omnes repelluntur a testimonio ferendo, etiam antequam a judice pro tali crimine condemnantur, dummodo notorium sit crimen.

5. Fiunt vero infames per judicis sententiam, qui *publico judicio* condemnantur ob crimen læsæ majestatis, adulterii, homicidii, furti, doli, calumniæ. In specie vero ex jure canonico juxta c. 17. C. 6. q. 1. et c. 11. C. 3. q. 5. infames sunt sacrilegi, perjurii, abstrahentes facultates ecclesiis, et contemnentes statuta ecclesiastica. Isti omnes post contractam ex judicis sententia infamiam, excluduntur a testimonio ferendo. Quoniam vero infamia juris a lege ipsa irrogatur, nempe a principe, et in casu nostro a suprema auctoritate in Ecclesia, hinc non sufficit emendatio et pœnitentia ad eam tollendam, sed requiritur abolitio infamiæ facta ab ipsa suprema auctoritate. Principium enim juridicum est, infamiam juris non tolli nisi per sententiam contrariam judicis, vel per dispensationem legitimam, idest per dispensationem datam a Summo Pontifice, vel a Concilio œcumenico. Dixi infamiam juris in casibus expressis procedere ab auctoritate suprema in Ecclesia; nam jus ecclesiasticum admisit omnes casus infamiæ juris civilis. Id expresse tradit *Hadrianus* Pontifex in c. 2. C. 6. q. 1. dicens: 'Omnes vero infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant'. Concordat cit. c. 17. C. 6. q. 1. At canonicum jus correxit jus civile quoad infamiam, quam leges romanæ irrogabant mulieri, secundas nuptias intra annum a morte conjugis contrahenti. Ita communis sententia Doctorum in explicatione cc. 4. et 5. *De secund. nuptiis* (IV. 21). De hac re fusius agitur in tit. *de secund. nupt.*

6. Infamia *facti* nihil aliud est quam læsio bonæ opinionis etiam penes probos viros ob factum aliquod criminosum inducta. Quare infamia facti maculantur illi omnes, qui quamvis ab ipso jure expresse nulla infamia notantur, tamen aliquid perpetrasse communiter perhibentur, quo eorum opinio et æstimatio etiam apud viros probos notabilem imminutionem patitur. Ex qua notione patet cessare infamiam facti, et suis effectibus carere, eo ipso quod infamia notatus sinceræ emendationis et pœnitentiæ clara exhibuerit argumenta; nam ob emendationem incipit penes viros probos restitui bonæ personæ opinio.

Ex interpretatione cap. 54. h. t. deduci potest principium 'notatus infamia facti, *durante infamia* excluditur a testimonio ferendo in causis criminalibus, nec non in civilibus. *Emendatus* vero excluditur solum in causis criminalibus *criminaliter actis,* non vero in ceteris. Ratio disparitatis ex periculo damni deducitur, quod magis est in criminalibus, quam in civilibus causis.

Animadvertendum est, ex defectu aliarum probationum audiri etiam posse in judiciis infames non quidem ad plenam probationem, sed in subsidium, seu ad præsumptionem faciendam, quæ quidem per se licet non sufficiat ad condemnandum, tamen si cum aliis præsumptionibus et adminiculis concurrat, potest animi convictionem, seu persuasionem in judice gignere. Exempla afferuntur postribuli vel domus in qua frequentantur ludi prohibiti. Ad veritatem facti cognoscendam sæpe admittuntur personæ in malo complices.

7. Infamibus comparantur *excommunicati,* qui etiam repelluntur in judicio a testimonio ferendo. Cap. 8. *De sent. excomm.* (V. 11) in 6°. et ex cap. 13. *De hæreticis* (V. 7). Verum post dispositionem Extrav. *Martini V. 'Ad evitanda'* ipso quidem jure excluduntur a testimonio ferendo excommunicati *vitandi,* non vero alii, qui vitandi non sunt. Attamen si notoria sit in populo excommunicatio, potest quidem judex arcere excommunicatum non vitandum a ferendo testimonio, non tenetur tamen, nisi altera pars excipiat contra eumdem.

Tandem non facile admittuntur ad testimonium ferendum personæ *viles* et *miserabiles.* Facile enim possunt corrumpi. Hinc jure romano in l. 3. ss. 1. ff. h. t. excludebantur prorsus a ferendo testimonio.

8. II°. *Relative excluduntur: ad favorabilem productionem* vel a) ob communionem *negotii* et *utilitatis,* vel b) ob *affectionem,* vel c) ex relatione *dependentiæ* ab aliquo.

a) Ob communionem negotii vel utilitatis excluduntur a testimonio ferendo: 1°) socii, et in genere qui commodum referre sibi possunt ex depositione; hinc valet principium: nemo testis esse potest in causa propria; l. 10. «Nullus.» ff. *De testib.,* et c. 3. C. 4. q. 2. et 3.

2°) Excluduntur omnes, qui partem *principalem* gerunt in causa, nempe actor, reus et judex; item qui partem *minus principalem* exercent, nempe adsessor, vel consultor legalis, nec non

advocatus et procurator pro suo cliente. Hi omnes a testimonio ferendo excluduntur, sive in ea sede judicii causa discutiatur, in qua ipsi vel principalem vel minus principalem partem sustinent, sive discutiatur in alia sede judicii, dummodo sit eadem causa. Quare locum habet adagium illud '*nemo actor et testis, nemo judex et testis* etc.' Censentur enim isti omnes habere commune negotium cum eo, pro quo testimonium ferre deberent. Nam ex causa possunt persentire commodum vel incommodum, honorem vel verecundiam, vel saltem ob affectum erga propriam opinionem, et fidelitatem erga proprium clientem testimonium esset suspectum. Cc. 40. h. t. et 3. eod. (II. 10) in 6⁰.

3⁰) Ob eamdem rationem testem agere prohibentur *tutores, curatores* gestorum negotiorum et *administratores,* in causa pupilli, minoris, vel personæ, cujus negotia gerunt. Imitantur enim qualitatem procuratorum.

4⁰) Idem dicendum de illis, qui versantur in eadem causa, seu habent simile aliquod negotium, licet in eodem judicio non comprehendatur. Cap. 20. h. t. et gloss. ib. Isti enim ex causæ decisione possunt vel commodum sperare, vel timere præjudicium; hinc naturaliter inclinantur ad testimonium ferendum sibi favorabile.

5⁰) *Prælatus* vel *rector,* qui *independenter* ab aliquo corpore morali ecclesiam regat vel capellam, excluditur a testimonio ferendo in causa ecclesiæ suæ. Ipse enim consideratur saltem ceu administrator bonorum et defensor jurium ecclesiæ.

9. At quid dicendum de Prælato, qui ecclesiæ suæ administrationem gerat *simul cum Capitulo?* Quid dicendum est de aliquo canonico vel monacho in causa ecclesiæ, capituli vel monasterii?

Quæstioni satisfaciunt cc. 6. et 12. h. t. Cap. 12. h. t. in genere decernit posse clericos admitti ad ferendum testimonium in causa ecclesiæ suæ, nisi rationabile motivum impediens subsit. Et merito. Nam quando damnum vel commodum causæ directe respicit universitatem, licet ex optimo vel meliori statu universitatis aliquod commodum persentiant, ex misera autem vel pejore conditione ejusdem individua referant aliquod damnum, tamen individua directe non habent negotium in causa. Hac enim in hypothesi cum agatur proprie non de bono individuorum, sed de bono communi, quod in individua indirecte tantum aut sero, vel etiam nullo modo redundat, fides individui alicujus de corpore

morali suspecta esse non præsumitur. Immo fides hæc utilis esse censetur in judicio. Etenim juxta c. 1. C. 14. q. 2. membrum de collegio melius præ extraneis præsumitur cognoscere ea, quæ ad collegium pertinent.

Verum cap. 6. h. t. exceptionem statuens, repellit a testimonio ferendo illum clericum, vel monachum, qui in causa illa constituitur *procurator* Ecclesiæ vel monasterii ad agendum aut ad respondendum. Et merito. Nam nemo potest esse in judicio actor vel reus et simul testis. Hæc eadem exclusio canonici vel monachi a testimonio ferendo servatur etiam quando causa licet aliquo modo attingat negotium ecclesiæ vel capituli aut monasterii, tamen magis principaliter respicit utilitatem et commodum individuorum; ex. gr. si quæstio esset de prædio vel de redditibus in augmentum præbendarum destinandis. Sic etiam si ageretur de fructibus, qui singulis canonicis distribui deberent. Quare individuum de capitulo vel monasterio hoc in casu ferre non posset testimonium. Nemo enim potest esse testis in causa propria. Quare nullus canonicus potest ferre testimonium in causa præbendæ suæ.

10. b) Propter *affectionem* repelluntur a testimonio ferendo in favorem alicujus, illi omnes, qui cum eodem conjunguntur vinculo sanguinis, affinitatis et amicitiæ singularis. Ita parentes pro liberis, et viceversa, in judicio ferre non possunt testimonium, ita frater pro fratre, maritus pro uxore et viceversa, affinis pro affine, amicus singularis pro amico, regulariter testem agere nequit, l. 5. Cod. h. t., c. 3. C. 4. q. 3 et c. 78. C. 11. q. 3., ubi *S. Gregorius Magnus* juxta Gratianum, vel *S. Isidorus* Hispalensis juxta Berardi ait: 'Pervertitur humanum judicium . . . amore, dum amico vel propinquo complacere contendimus'.

11. Dixi *regulariter;* nam harum personarum testimonium recipitur, quando eorum fides spectabilis est, et testimonium hujusmodi necessarium est, ex. gr. quando quæstio est inter duos fratres, et tertii fratris depositio requiritur. Pariter interpretes docent non esse testimonium consanguineorum et affinium rejiciendum, quando causa nimis ardua non est, nec negotium est magni momenti. Non enim ob lucrum vel commodum leve et facile despiciendum, testis bonæ famæ præsumitur reus velle fieri criminis perjurii in gratiam vinculi sanguinis vel affinitatis vel amicitiæ. Item in causa matrimoniali, in qua quæstio sit de consanguinitate desponsatorum vel conjugum admittuntur etiam ad fidem

faciendam parentes vel alii propinqui, tum quia præsumuntur melius præ extraneis cognoscere familiæ genealogiam, tum quia non præsumuntur facile tolerare posse nuptias incestuosas suorum consanguineorum. Cap. 5. h. t. et cap. 3. *Qui matrim. accusare poss.* (IV. 18).

Tandem admittitur testimonium consanguineorum vel affinium bonæ famæ, quando non agitur de præjudicio tertiæ personæ, sed solum de commodo consanguinei vel affinis ex. gr. si probanda sit innocentia ejusdem. Ratio est, quia jus facilius reo favet, quoties non obstat præjudicium tertii. Pariter si probandum sit consanguineum vel affinem recepisse baptisma.

Ceterum conveniunt interpretes, in genere testimonium consanguinei vel affinis et etiam amici non esse etiam in aliis casibus penitus et ex toto rejiciendum, sed remittendum esse prudenti arbitrio judicis, qui ex varietate circumstantiarum, et ex adminiculis concomitantibus videat quæ fides sit depositioni eorumdem adhibenda.

12. c) Propter respectum *auctoritatis* et relativæ *dependentiæ* a testimonio ferendo repelluntur testes domestici l. 3. Cod. *De Testib.* et l. pen. ff. eod. Hi porro in aliquas classes dispescuntur.

1ª. classis est eorum quibus *imperari* possit ratione patriæ vel dominicæ potestatis, quique a testimonio ferendo repelluntur, quemadmodum filii pro patre, et servi propriedicti pro domino.

2ª. classis est eorum, qui in eadem domo *cohabitant,* et eodem quodammodo *victu* coutuntur. Porro si in cohabitando sit æqualitas, testes non sunt omni exceptione majores. Præsumitur enim amicitia intercedere inter cohabitantes. Hinc redit hic regula data de teste amico. Si vero cohabitatio sit inæqualis, et verificetur ratio superioritatis in testes, quemadmodum si testes adducti actu familiares sint illius qui adduxit eos, hoc in casu incidimus in regulam generalem prohibentem testes domesticos. Nam ob relationem superioritatis et dependentiæ potest rationabiliter induci suspicio corrupti testimonii.

3ª. classis est eorum, qui licet non cohabitent cum producente, tamen aliquam dependentiam habent ab eodem. Tales sunt inquilini, coloni, mercenarii, qui nempe ob pactam mercedem, actu operam suam præstant. Isti omnes licet penitus respui non possint, quia imperio producentis non subduntur, tamen non omnem a se removent suspicionem, nec sunt testes omni exceptione majo-

res, quia aliqua relatio dependentiæ non potest non exercere aliqualem influxum in eorumdem voluntatem, et propositum veritatem dicendi. Ceterum erit officium judicis determinare, utrum ratio inferioritatis et relatio dependentiæ tanta in concreto sit, quæ suspectam testis fidem faciat.

13. Ultimo loco relate ad testes omnes, qui prohibentur ferre testimonium *pro* aliquibus personis, hæc fieri debet animadversio. Scilicet si quis produxerit testes minus idoneos, quia *adversario* suo aliqua relatione devinctos, non potest eos respuere, si contra se testimonium ferant; et in genere testes per se inhabiles probant semper contra eum a quo producti sunt c. 3. C. 4. q. 3.; nisi producens exceptionem in promptu habeat, quam sibi ex *postfacto* innotuisse demonstret. Ratio est, quia pars producens testes præsumitur elegisse non suspectos. Ceterum quamvis contra personas testium excipere non possit, et eos uti suspectos allegare, tamen contra ipsam eorum depositionem poterit insurgere, si veritate careat.

14. III°. *excluduntur personæ ob productionem contrariam:*

a) *Inimici capitales* illius, contra quem producti sunt, excluduntur a testimonio ferendo contra eumdem l. 3. ff. h. t. et c. 3. C. 4. q. 3., et cap. 19. *De Accusationibus* (V. 1). Adeo autem inimici testimonium excluditur, ut neque admittatur in ipsis criminibus exceptis, in quibus fidem facere possunt etiam testes alias minus idonei. Cap. 32. *De Simonia* (V. 3) et Doctores communiter. — Excluduntur inimici a testimonio ferendo etiam in factis occultis et difficilis probationis. Ratio conclusionis deducitur ex indole humanæ voluntatis, quæ odio capitali erga aliquem affecta, moveri solet non ex spiritu veritatis, sed ex animo nocendi et ulciscendi injuriam. Hinc judicium inimici in negotio adversarii sui, est regulariter turbatum et præjudicatum.

Diximus inimicos *capitales* excludi. Hinc non sufficit levis inimicitia, aut sola inimicitiæ suspicio ad excludendum testem. Judex vero viderit an gravis seu capitalis inimicitia intercedat, nec ne.

b) *Parentes* contra liberos et viceversa non admittuntur ad fidem faciendam; c. 3. C. 4. q. 3., ob respectivas relationes paternæ caritatis et debitæ reverentiæ.

c) Juxta cc. 24. et 25. C. 2. q. 7. Judæi, pagani et hæretici non reputantur testes idonei ad deponendum contra Christianos et

Orthodoxos, quando proponantur in causa inter Christianum et Orthodoxum et paganum vel acatholicum.

d) In causa *sanguinis,* propter periculum irregularitatis, *clerici* et *religiosi* contra reum ferre testimonium nequeunt, quamvis possint pro eodem testimonium ferre.

e) Laicus in causa criminali criminaliter acta testem agere nequit *contra clericum.* Cap. 14. h. t. Hæc autem dispositio valere dicenda est 1°) quando agitur de infligenda clerico pœna ecclesiastica, non vero quando idem traditur brachio sæculari, et judicatur juxta normas laici tribunalis; 2°) quando clerici adsunt, qui testimonium ferant. Hinc etiam laicus admittitur contra clericum, quando clerici haberi nequeunt ad notitiam veritatis testimonio firmandam. Ratio est quia crimina neque in clericis impunita remanere debent. Ita *Abb.* in cap. 14. h. t.

15. Ut materiam idoneitatis testium compleamus, nonnulla sunt animadvertenda.

1°) Quando testis requiritur ad substantiam actus, ejus idoneitas verificari debet tempore, quo actus ponitur. Ita in testamentis, in instrumentis etc. Quando autem testis adducitur ad probandum actum, ejus idoneitas requiritur tempore probationis.

2°) Testes alias inhabiles admittuntur quando sermo est de peccato vitando; ex gr. si agatur de impediendo matrimonio, quod contrahi velit contra impedimentum dirimens objectum. Non vero recipiuntur testes hujusmodi, si agatur de matrimonio jam contracto dissolvendo. Præsumitur enim matrimonium validum, quoadusque legitimæ probationes contra illud non afferantur.

3°) Testes alias inhabiles, excepto titulo inimicitiæ, recipiuntur in causis criminum, quæ societati vel ecclesiasticæ vel civili censentur esse nimium perniciosa, prout sunt crimina hæreseos, simoniæ, sacrilegii, læsæ majestatis, dilapidationis bonorum Ecclesiæ, maleficii etc.

4°) Si testes omnino non repellantur a testimonio ferendo ceu prorsus et undequaque inhabiles, eorum depositio roborari potest et suppleri numero vel gravitate contestium, præsumptionibus juris, circumstantiarum adminiculis, ex quorum concursu vis probationis potest obtineri.

5°) Testes alias inhabiles recipiuntur in factis notoriis. Suspicio enim falsitatis in hisce remotissima est ob communem cognitionem.

De numero testium.

16. Si negotium tale sit, ut per testes debeat probari, regula generaliter ab omnibus recepta traditur in cap. 23. h. t. cui consonant cc. 4. et 10. h. t. Videlicet in qualibet causa sive ea civilis sit, sive criminalis requiruntur et sufficiunt *duo testes omni exceptione majores* ad habendam legitimam probationem. Ratio regulæ est, quia in uno teste etiam probatæ vitæ et notæ famæ, potest forsitan deficere sincera cognitio facti, vel potest locum habere studiosa voluntas et favor erga unum potius quam alium negotii respectum. At ubi adest concors duorum idoneorum testium depositio, supponi nequit utrumque testem vel factum ignorasse, vel humanam infirmitatem adeo persensisse, ut contra rei veritatem in unam sententiam conspirarent.

17. At plures causæ sunt, in quibus *plus* quam duo vel tres testes juxta ipsum cap. 23. h. t. requiruntur.

1°) Ex cc. 5. et 7. *De frigid. et malef.* (IV. 15) in causa nullitatis matrimonii ob impotentiam requiritur testimonium *septimæ manus* utriusque conjugis, seu producendi sunt septem testes utrinque, qui deponant de conjugum probitate et credulitate, nec non de propria persuasione matrimonium non fuisse consummatum. Gravitas negotii hanc dispositionem consulit.

2°) Juxta cc. 2. et 3. C. 2. q. 4. ad *clericos* condemnandos requiruntur plus quam 3 testes, et in specie ad condemnandum Episcopum 72 testes necessarii esse dicuntur. Ratio hujus dispositionis est, quia quo majores præsumptiones militant pro aliqua persona, eo majores contrariæ probationes requiruntur, ut legitima pœna plectatur. Jamvero pro clericis et præsertim pro Episcopis, validæ præsumptiones militant. Nam a) præsumitur clericus et præsertim Episcopus esse honestis moribus præditus, et justitiæ amore commendari; b) quemadmodum adnotat *Innocent. III.* in cap. 24. *De Accusat.* (V. 1) pastores Ecclesiarum et in genere clerici ob exercitium officii sui facile possunt contra se odium excitare malæ plebis, adeoque posse plures reperiri, qui animo ulciscendi testimonium dicant contra personam pastoris vel clerici. Quare ad destruendas præsumptiones favorabiles clericis nil mirum si jus antiquum majores probationes requirebat.

Fatendum tamen est hanc dispositionem de numero testium determinato contra clericos non amplius observari, præsertim post-

quam in cap. 37. h. t. nimia prohibita fuit testium multitudo, ita ut non ultra 40 testes admittendi esse dicantur. Attendenda vero est a judice *intentio* juris, ut caute procedat in causis clericorum et præsertim rectorum ecclesiarum et prælatorum.

3°) Ex c. 19. C. 2. q. 5. §. «Ipse vero sacerdos.» ad probandam purgationem canonicam Episcopi 12 testes requiruntur, presbyteri 7, diaconi vero 3, qui sub juramento deponant de credulitate, idest opinione innocentiæ personæ accusatæ ab imputato crimine. Ratio est; quia purgatio exigitur, quando licet vera probatio criminis non habeatur, tamen non levis adest suspicio de culpabilitate. Quare nil mirum si ad plene purgandam personam clerici a fama criminis, requirantur majores numero testes.

18. 4°) Si sermo esset de negotiis *extrajudicialibus,* ad valorem *testamenti* juxta jus civile Romanorum septem testes requiruntur iique rogati, juxta vero canonicum jus in cap. 10. *De testamentis* (III. 26), valet testamentum, quod fidelis christianus facit coram parocho suo, et duobus vel tribus testibus. Quomodo dispositio hujus capitis sit accipienda, explicatur in tit. *De testam.* (III. 26).

Hæc dicta sint de casibus in quibus plus quam duo vel tres testes requiruntur.

19. Quædam dicenda sunt de exceptione, quam regula superius allata de duobus testibus pati potest in *minus.*

Quæritur: *quid valeat fides unius testis?*

Cui quæstioni, distincta in species materia, respondemus.

1°) Quamvis unus testis veram probationem non exhibeat, tamen si omni exceptione major est, juridicam inducit *præsumptionem* veritatis. Ita communiter Doctores cum glossa in cap. 23. h. t. Immo testis hujusmodi in civilibus semiplenam probationem facit, quæ proinde potest suppleri alia semiplena probatione, quemadmodum est juramentum suppletorium, quod solet deferri illi ex collitigantibus, pro quo testis fide dignus deposuit, arg. cap. 2. *De Probation.* (II. 19). Ratio est, quia licet jus definiat terminos legitimæ probationis, tamen spernere non potest et pro nihilo habere testimonium hominis frugi, juramento firmatum.

2°) Dummodo tertii præjudicium absit, testimonium unius testis omni exceptione majoris plene probat. a) Ad probandum aliquem fuisse baptizatum, aliquem esse clericum, doctorem, vel in extremis vitæ dedisse sufficientia signa pœnitentiæ; pariter ad

probandum ecclesiam fuisse consecratam, satis est fides jurata alicujus idonei testis. Cc. 110 et 112. *De Consecrat.* D. 4. Afferri etiam potest c. 8. C. 26. q. 6. Ratio est, quia nemo prudens præsumitur in re gravi et religiosa gratis veritatem prodere, et perjurii reus fieri velle. b) Ubi agitur de peccato vitando nullumque fuit jus alteri acquisitum, unus testis juratus probat ad actum impediendum, cap. 22. h. t., ubi attestatio matris de existentia impedimenti prohibet, quominus filius matrimonium contrahat, quamvis ea attestatio non sufficiat ut dissolvatur matrimonium jam contractum. Addi potest cap. 12. *De spons. et matrim.* (IV. 1) cujus summa exhibet regulam nostram.

20. 3⁰) Unus testis *qualificatus* plene probat. Testis qualificatus ille est, qui ratione officii sui deponit. Testes qualificati sunt medicus vel chirurgus circa qualitatem vulneris inflicti, architectus vel in genere, qui est probatus peritus in rebus ad suam artem pertinentibus, testimonium ferens; notarius publicus deponens de rebus a se visis et relatis in actibus suis, nuncius publicus seu officialis tribunalis, qui testetur se fideliter executum fuisse munus suum. Isti omnes plenam fidem faciunt in judicio, ita ut eorum testimonium recipiatur ad plene probandum nisi alias suspicio oriatur, et contra eorum depositionem militent valida argumenta. Afferri potest cap. 13. *De Præscript.* (II. 26). Immo si de publico notario sermo sit, qui recepit depositionem testium, docent auctores eidem credendum esse, quamvis testes asserant non ita se deposuisse, quemadmodum notarius scripsit.

4⁰) Unus testis etiam probat, quando agitur de re levis prorsus momenti, in qua præsumi nequit virum bonæ famæ et honestæ vitæ fieri velle perjurii reum.

Ex quibus omnibus deducitur aliquando unum testem plenam fidem facere, regulam vero generalem esse saltem duo requiri testes ad plenam probationem inducendam. Cap. 23. h. t.

21. Quid vero dicendum si plures testes adducantur, sed inter se non concordant? Videlicet, *quid dicendum de testibus singularibus?*

Equidem regula *generalis* est: testes singulares *non probare*, quemadmodum traditur in cap. 9. *De Probation.* (II. 19) §. «Quamquam.» et in cap. 32. *De Elect.* (I. 6). Ratio est, quia testis singularis est unus testis. Sed ad rei claritatem singularitas testium *triplex* distingui solet: obstativa, diversificativa, adminiculativa.

Singularitas *obstativa* verificatur cum unum testimonium *excludit* alterum. Hoc in casu nulla probatio est. Immo ex hac singularitate argui potest fraus et dolus testium. Ita in specie accusationis Susannæ, de qua in *Daniel. XIII.*

22. Singularitas *diversificativa* locum habet cum plures testes diversa facta referunt, quæ inter se non colligantur relate ad punctum probationis. In hac hypothesi testes singuli tantum valent, quantum unus valeret. Idest unusquisque si omni exceptione major sit, pro re sua adserta, in civilibus facit semiplenam probationem. De hac singularitate testium præsertim agit Const. 34. *Greg. XV. 'Universi Dominici'* 20. Aug. 1622. §. 5. ubi ad probandum sacrilegum crimen sollicitationis feminarum ad turpia in tribunali pœnitentiæ, statuit, valere depositiones testium singularium ex. gr. plurium feminarum, quæ singillatim deponant de sollicitatione ad turpia, ab eodem sacerdote sibi seorsim facta, dummodo tamen concurrant præsumptiones, indicia, et adminicula, quæ judicis prudenti arbitrio judicando remittuntur.

23. Singularitas *adminiculativa* locum habet cum testes distinctas ejusdem facti circumstantias referunt, quæ possunt simul componi et uniri, vel referunt diversa facta, quæ simul conjungi possunt, et ita ut unum sit alterius vel causa, vel sequela. Si saltem duo contestes habeantur pro cujuslibet ejusdem facti circumstantiæ probatione, et ex complexu circumstantiarum facti substantia resultet, depositio testium singularium nullum dubium est, quin faciat *plenam* probationem. Quod si vero unum factum aliud includat, vel inter se sint immediate connexa, et unum factum sit antecedens, et alterum consequens; singulares testes hæc facta narrantes in *civilibus plenam* fidem faciunt, non vero in *criminalibus* in quibus aliquid aliud desideratur. Cap. 9. *De Probat.* (II. 19).

24. De valore depositionis testis *contrarii, variantis,* vel *trepidantis* aut *vacillantis.*

Contrarietas potest inspici sive inter *plures* testes, sive in eodem teste. In utraque varietate testium curandum est, ut si fieri possit dicta eorumdem inter se componantur, et perjurii periculum removeatur. Quæ regula servanda est sive contrarii inter se sint testes ab uno producti, sive sint ab utroque litigante propositi. Quod si revera contrarii sint, nec concordatio sit possibilis, videndum est utrum numero et qualitatibus moralibus æqua-

les sint. Profecto si moralibus qualitatibus æque sint instructi testes, et numero æquales sint, depositio præferri debet eorum qui pro reo testantur, nisi causa, quam tuetur actor, in jure habeatur uti favorabilis, quemadmodum esset causa matrimonii contracti, causa dotis, libertatis et testamenti. Ita in cap. 3. *De Probat.* (II. 19) et cap. ult. *De sent. et re jud.* (II. 27). — Quod si testes æque pollentes qualitatibus, inæquales numero sint, præferuntur illi, qui *numero* plures sunt. — Si vero qui numero minores sunt, alios præcellant nobilioribus qualitatibus et ea, quæ *majorem verisimilitudinem* exhibent, exponant, præferendi sunt numero pluribus. Nam judex non tam numerum testium considerare debet, quam dispositionem animi ad veritatem dicendam.

25. Contrarietas potest in *eodem* teste considerari, et testis contrarius ille est, qui sive in eodem judicio, sive in pluribus sibi contradicit quin revocet in eodem judicio, quod antea dixerat. Hanc clausulam exclusivam posuimus, quia qui revocat suam assertionem facit arguere solummodo errorem, non autem fraudem. Juxta vero sensum cap. 3. *De Probat.* (II. 19) v. «quibus examinatis» judex videbit utrum tales sint qualitates testis, et tales sint circumstantiæ in casu concurrentes, ut testes etiam post correctum errorem fidem promereantur.

Hoc posito testis contrarius nullatenus probat, quia falsitas argui potest; cap. 9. *De probat.* (II. 19), immo de falso puniendus est, c. 3. C. 4. q. 2. et 3. Quod si extra judicium testis asserat aliquid quod contradicat depositioni judiciali juratæ, standum est huic depositioni juratæ arg. c. 9. h. t. quia testimonium judiciale et juratum præsumitur magis deliberatum, et est qualificatum testimonium.

26. 2°) Testis potest esse solummodo *varius*, et tunc talis dicitur cum in uno judicio aliquid dicat, aliud vero in distincto judicio, quin una depositio alteram destruat, seu quando rem exponit uno modo in uno judicio, alio modo in altero, quin causam et rationem mutati sermonis exhibeat. Hoc in casu docent auctores standum esse primæ depositioni, arg. cap. 10. *De Probat.* (II. 19). Præsumitur enim in prima depositione et melius factum meminisse, et locutum fuisse juxta persuasionem animi sui. Excipitur vero casus quo secunda depositio magis verosimilis appareat, et concordans cum circumstantiis aliunde cognitis.

27. 3°) Testis potest esse *dubius* et *vacillans,* quique ille esse dicitur, qui anceps, vel timens, aut titubans deponat in causa in qua est interrogatus. Profecto si vacillatio talis sit, ut appareat testem vere dubium fuisse in depositione sua, et hæsitanter locutum fuisse, depositio ejus non recipitur ad probandum; reapse enim nihil certo asserit. Verum si timiditas et vacillatio solummodo revelet animum turbatum timore, vel alio affectu, nec varietas et dubium reperiatur in ejus verbis, depositio ejus omnino non est despicienda, sed neque assumi potest ad veram probationem conficiendam. Judex vero recipiens depositionem vacillantis, videbit qualitatem timoris vel pusillanimitatis testis, et congruum valorem juridicum assignabit fidei ejusdem testis. Ceterum in actis adnotabit depositionem prout ea contigit, cum omnibus suis adjunctis.

De fonte seu causa scientiæ.

28. Ut valor depositionum testium rite æstimetur, admodum interest cognoscere utrum ex se testes factum cognoverint, vel ab aliorum scientia et relatione illud didicerint. Hinc testes sunt vel *de scientia,* vel *de credulitate,* vel *de auditu,* vel *de fama.*

1°) Testes de *scientia* illi sunt, qui factum ex se cognoverunt, idest mediante aliquo corporeo sensu proprio et apto ad facti experientiam et notitiam habendam. Hinc testis de scientia ille est, qui vidit homicidium perpetrari, vel audivit aliquem proferentem blasphemiam, aut verbalem injuriam contra alium, vel gustavit sapidam rem.

2°) Testes de *credulitate* illi sunt, qui ex conjecturis et præsumptionibus arbitrantur ita et non aliter rem se habere. Hinc testantur de propria opinione.

3°) Testes de *auditu* ii sunt, qui deponunt facti narrationem se accepisse ab hominibus fide dignis.

4°) Tandem testes de *fama* sunt, qui referunt et deponunt aliquam opinionem et credulitatem in populo vigere.

29. Testes de scientia faciunt proprie fidem in judicio. Nam quemadmodum docet c. 15. C. 3. q. 9. testes testimonium dicere debent solummodo de iis, quæ sub eorum præsentia acta esse noscuntur. Consonat c. 20. C. 3. q. 9. Quare qui de scientia deponunt, dicuntur vere et proprie testes.

30. Testes de credulitate proprie testes non sunt; nam credulitas non ex præsentia et perceptione ipsius actus procedit, sed ex conjecturis, indiciis et præsumptionibus. Quare tantum valet depositio testis de credulitate, quantum valent indicia et præsumptiones quibus innititur. Hinc testes de credulitate rationem reddere debent de iisdem indiciis. Quod si indicia inducant vehementissimam præsumptionem, in factis difficilis probationis, testes de credulitate admittuntur etiam ad probationem faciendam præsertim si alia adminicula concurrant, vel si accedat præsumptio juris, arg. cap. 13. *De Probat.* (II. 19). Hoc enim in casu licet perfectio actus non verificetur, tamen credulitas est proxima sensui, neque aliter præsumi potest rem evenisse, quam testis arbitratur. Exemplum afferunt de testibus, qui in causa adulterii deponant se vidisse simul in eodem loco nudum cum nuda. Ceteris in aliis casibus, quando testes reddunt sufficientem rationem credulitatis suæ, licet non plene probent, tamen indicium valde efficax faciunt veritatis, et magnum gignunt præsumptionem.

31. Testes de auditu cum non fundentur in directa et propria facti cognitione, sed in dicto tertiæ personæ, veri testes non sunt, nec veram probationem conficiunt. Ita communiter Doctores innixi cap. 47. h. t. et c. 7. C. 2. q. 1. circa medietatem v. «Sed et de personis.» Inspecta vero intentione juris cap. 47. h. t. tradunt Doctores testimonium ex auditu prolatum valere ad probandum in factis antiquis. Ratio est, quia si hoc testimonium respueretur, sæpe vix alia probatio haberi posset. Hinc in factis antiquis legislatio civilis et canonica ob defectum monumentorum, quæ paulatim tractu temporis deficiunt, requirit leviores probationes, cap. 13. *De Prob.* (II. 19). Quodnam vero sit tempus antiquum, non est inter Doctores definitum. Communior sententia est, quæ illud concludit spatio 50 vel 60 annorum, quia exclusa pueritia, in qua rerum notitia certa non habetur, tali spatio præfinitur regulariter actus hominum longævorum, qui commemorent facta jamdiu præterita.

Tradunt insuper Doctores testimonium ex auditu valere ad probandam consanguinitatem vel affinitatem inter certas personas. Quia non semper possunt reperiri testes, qui cognoverint et viderint stipites affinitatis vel consanguinitatis; hinc admittuntur testes, qui audierint a majoribus suis existentiam et gradum al-

terutrius vinculi, vel affinitatis vel consanguinitatis inter aliquas familias.

Ut vero testes de auditu possint admitti, ex cit. cap. 47. h. t. necesse est 1°) ut receperint notitiam rei, quam deponunt, non omnes ab uno, sed alii ab uno, alii ab altero ex majoribus. Testes enim ex auditu non plus valent, quam valuisset persona, a qua notitiam facti acceperunt. Hinc si centum testes ab uno omnes aliquid audierunt, valent omnes pro uno.

2°) Necesse est ut receperint rei notitiam a personis exstinctis, vel longe absentibus prorsus fide dignis, ita ut testes ex auditu etiam deponere debeant de propria credulitate in factum. Ratio est, quia si auctores notitiæ, quam referunt testes ex auditu, possent facile examinari, sperni deberet uti suspecta productio testium ex auditu. Pariter suspicio concipi posset de testium ex auditu depositione, si nec ipsi crederent verum esse factum quod referunt.

3°) Ut in causa consanguinitatis testes ex auditu probationem conficiant, requirit *Innocentius III.* in cap. 47. h. t. ut testes sub juramento conficiant et explicent distinctam graduum computationem, nec non deponant se vidisse personas saltem in uno gradu constitutas sese habuisse pro consanguineis.

32. Testes tandem de fama deponere possunt, seu deponunt aliquam opinionem seu æstimationem in populo esse diffusam. Hinc tanti valet depositio testium, quanti facienda est fama. Jamvero cum opinio communis potest præjudicio aliquo inniti, hinc veram probationem veritatis non habet, sed solummodo præsumptionem si fama procedat ab hominibus prudentibus et fide dignis; a pari igitur testes de fama præsumptionem quidem gignere possunt, probationem verum minime conficiunt. Quapropter testes de fama interrogandi sunt circa originem opinionis communis. Si enim adsignari nequeunt auctores communis opinionis, opinio hæc erit rumor populi, inanis et despiciendus.

Ceterum ex cap. 2. *De Consang. et Affinit.* (IV. 14) fama populi de exsistentia impedimenti causa est, cur judex prohibeat matrimonium contrahendum, quoadusque facta diligentiori inquisitione cognoscatur veritas vel falsitas impedimenti adserti.

De testium productione.

33. Productio testium est petitio alicujus ex collitigantibus judici oblata, ut ad probandam vel propriam actionem, vel pro-

priam exceptionem, audiat unum vel plures testes, quos nominatim designat.

Ex tituli rubrica *'Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem'* sequitur regulam juris esse ut non fiat testium productio ante litis contestationem. Ratio est, quia in judicio punctum quæstionis ante litis contestationem plene definitum non est. Produci vero possunt testes etiam ante litis contestationem 1°) in judicio summario ubi contestatio necessaria non est; 2°) si judicium incidentale sit instituendum ob exceptionem declinatoriam fori; 3°) si testes adducantur ad conservandam rei memoriam, quæ tempore potest perire, et periculum litis timeatur.

34. Quæritur: *quomodo,* et *cujus expensis* producendi sunt testes?

Ex cap. 2. h. t. sub pœna nullitatis attestationum receptarum, productio testium intimari debet parti adversæ vel ejus procuratori, ut si aliquid habeant contra personas testium excipiendum, illud proferant. Necessitas hujus intimationis inducta est ex jure quod habet pars adversa excipiendi tum contra ipsas personas testium si idonei non sint, tum contra modum examinis peracti. Jamvero hoc jus excipiendi adversa pars non posset exercere, si ea inscia testes producerentur et reciperentur. Exceptionem autem patitur regula de citanda adversa parte: 1°) quando periculum est in mora. 2°) In causa hæreseos adversa pars citanda non est in testium productione. Cap. ult. *De hæret.* (V. 7). Proceditur enim per modum inquisitionis occultæ, nec testes publicandi sunt.

35. Relate ad expensas productionis, respondemus juxta cap. 10. §. «Proferendo» *de Rescript.* (I. 3) in 6°. testes esse producendos sumptibus ipsius producentis, qui iisdem testibus præstare debet viaticum et alimenta juxta eorum conditionem et statum. Detrahi autem non possunt sumptus, quos domi suæ manentes testes fecissent. Immo si testis adductus sit aliquis mercenarius, vel saltem ex labore diurno necessaria sibi suisque compararet, æquum est ut auctoritate judicis eidem præter expensas itineris et victus, aliqua amissi operis æstimatio adsignetur. Quamvis enim testis lucrum ex testimonio referre nequeat, tamen neque debet præjudicium reportare, juxta illud juridicum adagium *'Officium suum nemini esse debet damnosum'.* Expensæ autem necessariæ in productione testium toleratæ refundendæ sunt parti victrici, si eas fecit, nisi

a judice fuerit præscripta compensatio expensarum inter partes; l. «Properandum.» §. «Sive autem alterutra.» C. *De Judiciis.*

36. Quæritur, *quot* fieri possint productiones.

Quamvis testium plures depositiones melius ad veritatis cognitionem conducant, tamen ne judicialis tela nimis complicaretur, et exitus causæ differretur, modus erat productionibus testium imponendus. Hinc effrenata multitudo testium prohibetur in cap. 37. h. t., ubi non ultra 40 testes admittendi esse dicuntur. Jus ergo nostrum in cc. 15., 36. et 55. h. t. inhærens vestigiis civilis juris relati in auth. Cod. *de Testib.* §. «Quia vero» Collat. 7. regulam statuit generalem, tres nempe solum fieri posse testium productiones, quartam vero non admitti productionem, nisi interveniente juris solemnitate, de qua in cap. 33. h. t. Hæc porro solemnitas est, ut pars quæ postulat quartam productionem testium, juramento suo deponat 1°) se nec subtraxisse aliquam ex factis attestationibus, 2°) nec se quartam productionem facere ex dolo, idest ad litem protrahendam, sed ex eo solum, quia novos istos testes producere antea nequiverit.

37. Quæritur: An testis jam productus possit *iterum* produci.

Profecto si sermo sit de diversa causa, vel de diversis articulis, in quibus idem testis productus non est, potest optime iterum produci. Cap. 42. h. t. Nam timor non adest fraudis et corruptionis. Quod si agatur de eadem causa et de eodem articulo, in quo jam productus est idem testis, distinguendum est utrum *publicata* et *cognita* fuerit prima depositio, vel non. Si non fuerit publicata et cognita prima depositio, testis potest iterum produci. Nam periculum collusionis non urget. Ita in cap. 45. h. t. Verum si cognita fuerit prima depositio testis, non potest idem testis produci, ob periculum collusionis, et corruptæ fidei, nisi in hypothesi, quod interrogationes factæ non fuerint ad normam juris, et prius examen non fuerit legitime confectum. Et merito, cognitis depositionibus, potest timeri collusio et corruptio fidei. Nam testis jam productus, ideo ab aliquo iterum præsumitur produci, quia eum expertus est adversum. Quare ut sibi propitium eum reddat, facile omnem dabit operam, et industria illicita uti forsan non erubescet.

De juramento testium.

38. Testis in judicio non recipitur, nisi juramentum ediderit. Quare in cap. 51. h. t. expressum est 'Nullius testimonium, quantumcumque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet recipi'. Consonant cc. 10. et 39. h. t. Quare valet principium '*Testis non juratus non probat*'.

Dixi *non probat;* nam si ceteris qualitatibus præditus sit, præsumptionem utique inducit, quemadmodum tradunt doctores cum gloss. fin. in cit. cap. 51. h. t.

39. Juramentum vero hujusmodi 1⁰) comprehendit promissionem *de veritate dicenda*, et quemadmodum docent juristæ, testes jurare debent se dicturos solam veritatem et totam veritatem.

2⁰) Declarat testis se non venisse in judicium intuitu *amoris* vel *odii* erga aliquam personam, nec *pretium* recepisse, pro dicendo testimonio. Cap. 47. h. t.

3⁰) Jurat testis se esse *persuasum* de veritate eorum, quæ in examine exponet. Porro juxta cap. 17. h. t. ubi dicitur 'Receptis prius testium juramentis', nec non juxta cap. 29. h. t. et clarius juxta c. 3. C. 4. q. 3. §. 37., a testibus de rigore juris præstandum est juramentum, antequam examen incipiatur, ut idea religiosi timoris quodammodo testem regat et moderetur in decursu examinis ne aberret a veritate. Completo autem examine, majori cum difficultate inducitur testis ad corrigenda ea, quæ dixit, præsertim ob timorem infamiæ, vel saltem suspicionis de ejus sinceritate. Hinc præsumitur magis dicere veritatem, qui juramentum præstat ante, quam qui præstat post examen.

Ex dispositione autem juris, juramentum ante examen a teste in præsentia adversæ partis citatæ præstandum est. Cap. 2. h. t.

40. Quæritur: an possit *remitti* testibus juramentum.

Si quæstio solummodo partes, quæ sunt in judicio, attingat, nec afficiat jus tertii, *potest* testibus remitti præstatio jurisjurandi ex consensu partium collitigantium. Ita cap. 39. h. t. Juramentum enim est inductum pro rei veritate dignoscenda in commodum litigantium. Utraque vero pars litigans debet consentire, juxta reg. 66. Jur. in 6⁰., quia utriusque negotium respicit attestatio fidelis et sincera testium. Aliquando autem remitti nequit juramentum, sive quia intervenit jus tertii, quemadmodum in causis beneficialibus, circa bona et jura beneficii, in quibus intrat nego-

tium ipsius ecclesiæ, sive quia gravitas negotii exigit omnem cautelam juris ad sententiam tuto proferendam, uti sunt causæ matrimoniales de valore matrimonii contracti, gloss. in cap. 39. h. t. v. «remittatur,» et causæ majores criminales præsertim capitales, in quibus privatorum pactis nequit transigi, nec publico favori partes possunt renunciare. Cap. 12. *De foro compet.* (II. 2) et l. «jus public.» ff. *De Pactis.*

De examine testium.

41. Examen est conficiendum die non feriato, coram ipso judice et notario, qui in acta referat depositiones. Cap. 11. *De Probat.* (II. 19). Melius enim per se, quam per alios judex potest inquirere et detegere veritatem. Potest vero judex alteri, ceu consiliario suo vel adsessori committere officium suscipiendi attestationes.

Regulariter examen in loco judicii institui et confici debet. Verum si audiendæ sint personæ, quæ *egregiæ* dicuntur, quemadmodum sunt personæ illustres, vel in dignitate ecclesiastica constitutæ, vel si examinandæ sint personæ legitimo impedimento detentæ, ipse judex vel alter de illius mandato cum notario accedit ad ipsas personas. Cap. 8. h. t.

Quod si judicium vertatur coram judice laico, clerici, qui testem agere debent, examini subjiciendi sunt coram Episcopo, seu coram judice ecclesiastico, vel coram clerico, qui fuerit a suo Ordinario deputatus. c. 2. C. 14. q. 2. *Abb.* c. h. t. n. 5.

42. Interrogationes a judice faciendæ in examine debent esse *sufficientes*, et *carentes fallaciis.*

Ut sint sufficientes, debent esse *generales* et *speciales.* Generales quidem, quibus judex inquirit et investigat testis idoneitatem in causa. Interrogat scilicet testem de ætate, conditione, de ejus relatione cum personis collitigantibus, et cum ipsa causa, quæ agitatur, et an in genere cognoscat factum, de quo deponere debet.

Specialibus vero interrogationibus judex juxta cap. 37. h. t. inquirit et investigat modum et causas, quibus testis factum cognoscit, nec non circumstantias loci, temporis et personarum, et ipsam testis credulitatem explorat. Hinc interrogationes superficiales reprobantur in examine testium.

43. Interrogationes insuper fallaciis debent carere. Hinc merito in l. 1. §. «Qui quæstionem.» ff. *De Quæstionibus.* reprobantur interrogationes *suggestivæ,* et quidem non solum in examine testium, sed etiam in examine rei. Suggestiva interrogatio ea est in qua ipse judex quodammodo suggerit responsionem, seu ita judex circumvenit reum, vel testem, aut saltem prævenit interrogatione, ut interrogatus non juxta rei veritatem, sed juxta præconceptam judicis opinionem respondere quodammodo cogatur; ex. gr. Tu vidisti tali loco et tempore et talibus armis Titium infligentem vulnus Cajo in pectore? Testis ex interrogatione facta sibi jam designato in testem potest credere, judicem esse persuasum de culpabilitate Titii, et de ejus notitia facti simulque timere potest, ne si aptam interrogationi responsionem non proferat, indignationem judicis et pœnam incurrat. Quare interrogationes suggestivæ non relinquunt testem et reum in plena libertate respondendi, juxta propriam credulitatem. Merito etiam reprobantur istæ interrogationes, quia examen eo dirigitur ut judex non proponat factum, sed ut erudiatur a testibus et a reo circa factum.

Contra interrogationes illegitime factas datur reo exceptio.

44. Completo examine testis universa depositio est ei prælegenda, et ipse potest corrigere si quid præcipitanter et minus caute dixerit. Deinde suam depositionem ratam habet, et sua subscriptione eamdem confirmat. Si vero testis sit illiteratus, notarius id adnotat, et regulariter ab eodem exigit ut tractum lineæ rectæ in crucem dividat.

Normam specialem S. C. Inquisitionis præscripsit d. 20. Julii 1890 in examine testium in crimine «*sollicitationis.*»

De publicatione attestationum.

45. Postquam nova testium productio fieri nequit, vel quia vetita est a jure, vel quia novæ productioni testium renunciaverint partes, fit locus publicationi attestationum, scilicet judex vocat partes collitigantes, eisque præsentibus vel alterutro ex eis contumaciter absente, per se vel per notarium suum legit, aut in scriptis communicat quidquid singuli testes ad singula puncta quæstionis responderint. Partes vero in judicio sistentes habent jus ut sibi communicentur attestationes factæ, hinc ex cap. 22. *De sent. et re jud.* (II. 27) conceditur remedium appellationis contra decretum judicis negantis publicationem depositionum testium.

At non ita est necessaria publicatio attestationum, ut si omittatur nulla esse acta censeantur, sed si judex non facta publicatione hujusmodi, procedat ad sententiam proferendam, sententia hæc valet, licet ab ea possit appellari ut reformetur. Hinc publicatio attestationum dicitur esse *de justitia*, non vero *de substantia* actorum *processus*. Ratio validitatis sententiæ ex eo infertur, quod judici ex attestationibus innotuit factum, et ipse potuit per se videre, utrum et quam fidem testes promererentur. Unde judici elementa præsto erant, ut posset causam definire.

46. Quæritur: utrum *de se* et *absque petitione partium* possit judex depositiones testium publicare.

In genere id esse vetitum deprehendimus ex cc. 2. et 30. h. t., in quibus traditur, ex partium petitione aperiendum esse examen testium. Et merito. Cum enim depositionum publicatio uni vel alteri ex collitigantibus possit præjudicium afferre, hinc ea *non* permittitur absque partium petitione. Remoto autem præjudicio utriusque collitigantis, potest judex publicare exceptas testium depositiones.

Quid vero si tertius petat publicari examen testium?

Innocentius III. in cap. 30. h. t. respondet non posse a judice hanc fieri publicationem quoties, qui petit eam fieri, negotium in causa non habeat. Potest ergo peti publicatio examinis testium, ab iis solum quorum interest examen ipsum cognoscere. Vocari autem debent partes collitigantes, ut, etiam ipsis præsentibus, publicatio fiat.

47. *Effectus* publicationis testium *tres* sunt. I^us^. est ut generatim deinde neque adducti testes, neque novi possint supra iisdem articulis produci. Cc. 17., 18., 19. h. t. Ratio est, tum quia partes per admissam publicationem censentur renunciasse novis depositionibus; tum quia cognitis depositionibus jam factis a testibus idoneis, periculum adest ne alterutra pars videns examen testium contigisse contra suam exspectationem veteres vel novos testes corrumpat, et sibi studeat per fas et nefas favorabile testimonium procurare.

Insuper quidquid sit de jure civili, juxta canonicam legem in cap. 17. h. t. expressam super iisdem articulis novi vel testes jam adducti et interrogati iterum produci in gradu appellationis nequeunt. Consonat Clem. 2. h. t. Periculum corruptelæ hoc idem suadet.

48. Verum in diversis articulis seu capitibus veteres vel novi testes audiri possunt. Cap. 17. h. t. nec non cap. 25. eod.

In iisdem vero articulis etiam post depositionum publicationem possunt veteres et novi testes audiri a) si propter malitiam aut negligentiam *judicis,* aut ejus commissarii testes non fuerint sufficienter excussi. Cap. 48. h. t.; b) si *nulla* fuit ob juridicum defectum ipsa testium receptio, aut *amissæ* fuerint priores attestationes absque culpa producentis; cap. ult. *De Probat.* (II. 19); c) si nulla pariter fuit depositionum *publicatio.* Arg. cap. 35. h. t. d) Etiam in causis in quibus sententia ob periculum animæ vel vitæ hominis *non transit* in rem judicatam, quemadmodum in causis matrimonialibus quoad vinculum, cap. 35. h. t. et in causis capitalibus ad innocentiam rei defendendam, testes iterum produci et audiri possunt. Ita Doctores. e) Quando judex ad dubia exorta solvenda *reputat* necessarium novum testium experimentum. Cap. 10. *De Fide Instrum.* (II. 22).

49. 2us. effectus publicationis depositionum est, ut attestationes receptæ et publicatæ in uno judicio, vim habeant etiam in *alio* judicio inter easdem personas, si contra testes nulla facta sit et probata exceptio. Cap. 11. h. t. Hinc attestationes factæ et publicatæ in uno judicio probant et in alio. Cap. 37. §. fin. h. t. Ratio est, quia publicatio testium constituit validissimum argumentum idoneitatis testium agnitæ a partibus et ab ipso judice.

50. 3us. effectus est, ut post publicationem attestationum non admittantur exceptiones contra *personas* testium. Quod ut intelligatur sciendum est, triplicis generis esse exceptiones contra testes.

Primi generis exceptio tangit ipsam *personam* testis, ut is excludatur ceu minus idoneus ad testimonium ferendum in causa, ex. gr. quia infamis, inimicus capitalis etc. Secundum genus exceptionum percellit testium *examen,* eo quod haud legitime fuit institutum vel ob defectum jurisdictionis, vel ob non servatam formam juridicam. Tertium genus dirigitur contra *dicta ipsa* testium, vel quia dubia, vel quia inverosimilia, vel quia contraria facti circumstantiis aliunde cognitis, vel quia prolata extra articulos propositos, vel quia testis est singularis.

51. Exceptiones primi generis, quæ diriguntur contra personas testium, sunt opponendæ antequam publicentur attestationes. Cap. 31. h. t. Qui enim excipit contra personam testis postquam agnoverit depositionem ejus, præsumitur testem reprobare non ob rei verita-

tem, sed quia sibi adversam protulit depositionem. Verum ex eod. cap. 31. h. t. habemus, exceptionem contra personas posse proponi etiam post publicationem attestationibus 1°) si pars opponens exceptionem *juramentum* præstet se non ex malitia excipere contra testem; 2°) si jam *ante* publicationem protestatus fuerit se exceptionem promoturum contra personam testis; 3°) si excipiens possit ostendere se ante publicationem attestationum *ignorasse* qualitates testis, ob quas suspectus est, vel prorsus minus idoneus.

52. Relate ad exceptiones contra personas testium, animadvertendum est, ipsas nec impedire nec retardare examen eorumdem, sed probationem exceptionis propositæ remittendam esse in finem litis, cum nempe definitur jus per sententiam judicis. Ita Doctores cum gloss. in cap. 7. h. t. v. «Infames.» Ratio est multiplex 1°) quia cognitio exceptionis plerumque esset res difficilis et indaginem multam requirens, quæque diu *protraheret* exitum judicii; 2°) quia exceptio contra personam testis *odiosa* censetur, et vitanda est, si id fieri possit salva justitia. Quare admitti debet solum quando necessaria est ad rectam causæ decisionem. An vero exceptio necessaria sit vel non, cognosci non potest ante publicationem attestationum et conclusionem in causa. Publicatio enim attestationum forsan revelat, testem non probare contra excipientem, vel ejus depositione non esse opus in causa ob alias sufficientes probationes, et per consequens non esse necessariam exceptionem contra personam testis.

53. Verum si *notorius* sit defectus idoneitatis in teste arg. cap. 7. h. t., vel si militet contra ipsum præsumptio juris, vel si opponatur testi excommunicatio ob quam sit vitandus, exceptio contra personam recipitur et de ea cognoscitur etiam ante publicationem attestationum.

Hac in re prætermitti non debet dispositio cap. 49. h. t. in quo statuitur, ad probandam exceptionem contra personam testium, posse admitti alios testes productos ab excipiente, qui dicuntur *reprobatorii,* et insuper ad elidendam vim istorum testium, et ad defendendam idoneitatem priorum testium, alios iterum recipi posse testes a judice, non vero ultra procedi posse et admitti alios, qui reprobant istos postremo adductos. Ratio est quia secus quæstiones nunquam terminarentur.

54. Exceptiones contra ipsum examen, et contra dicta testium possunt proponi *post* publicationem attestationum. Jamvero ex-

ceptiones hujusmodi proponi possunt non solum ab adversa parte, contra quam testes producti sunt, sed etiam ab ipso producente, l. «Si quis testibus.» 6. h. t. et c. 3. §. «Si quis» C. 4. q. 3. Nam principium illud 'testis productus probat contra producentem' excludit solummodo exceptiones contra personam testis, non vero contra modum instituti examinis, et contra ipsam testium depositionem. Exemplum afferunt de eo, qui consentit in personam judicis incompetentis. Hic profecto expertus sententiam sibi contrariam non potest declinare sententiam judicis, cujus competentiam agnovit, sed si sententia injustà est, ab ea potest appellare, quia non præsumitur consensisse in abusum potestatis judicialis, et in sententiam injustam.

Titulus XXI.

De Testibus cogendis vel non.

1. Testes legitime citati vel admoniti tenentur in judicium venire et deponere juxta negotii notitiam, quam habent. Cap. 1. h. t. Hinc Doctores testium depositionem considerant ceu publicum munus, a quo nemo sese subtrahere debet, absque rationabili causa. Quoniam posita legitima vocatione, testes tenentur obedire, jus ipsum statuit posse judicem pœnas adhibere contra subditum, ut eum adigat ad ferendum testimonium facti quod cognoscit. Cap. 2. h. t. Quod si persona invocata et perducta in testem sit alterius jurisdictionis, ex. gr. alterius diœcesis, examen ipsum committitur judici proprio, qui eum adstringat ad testimonium ferendum.

2. Quid vero dicendum si *clericus* inducatur ut testis apud tribunal laicum? Exponimus theoriam juris *communis* et præscindimus a dispositionibus peculiaribus locorum, quæ per Concordata sancitæ fuere.

Hisce præmissis, quoniam clerici gaudent immunitate personali, non subduntur judici laico; c. 38. C. 2. q. 6. Quare si judex laicus cogat clericum ut ad suum tribunal accedat ut testis, quoniam exercet actum jurisdictionis in personam exemptam, abutitur auctoritate sua, et violat immunitatem ecclesiasticam personalem, ac proinde illicite agit. Verum neque ipse neque inducens clericum uti testem incurrit excommunicationem.

Quid vero si judex laicus indigeat testimonio alicujus clerici?

Clericus cogi potest ad testimonium ferendum, c. 2. C. 14. q. 13. et gloss. ib. v. «Occultetur.» At examen clerici proprius Episcopus rogatus a judice laico excipiet, et eidem remittet acceptam depositionem, vel idem Episcopus delegabit alium clericum ad judicem laicum, ut coram illo clericus inductus uti testis juramentum emittat, et deponat. Hanc esse praxim observatam ferunt Doctores post *Abb.* in cap. 8. h. t.; *Pirhing.* h. t. n. 24.; *Reiff. De testibus* §. 15. n⁰. 507.

3. Verum quænam norma servanda erit in ordine ad tribunalia laicalia, quæ *spernunt* regulam canonicam modo expositam, et clericum testem reliquis civibus prorsus æquiparant?

Quisque videt in casu hujusmodi agi vere et proprie de violatione immunitatis personalis clericorum. Hinc clericus non deberet judici vocanti obtemperare. Attamen si clericus accedere ad tribunal recuset, vi et coactione absque dubio compellitur. Quare quoad loca in quibus præsens materia per Concordata S. Sedis non fuerit definita, mihi videtur regula sequens proponenda esse. Quoniam juxta theoriam a citatis Doctoribus exhibitam, Episcopus est, qui examen clerici sui pro laico tribunali moderatur, hinc clericus vocatus uti testis in laico tribunali adire debebit Episcopum, et ejus judicio se debebit dirigere. S. C. Immunitatis declaravit in *Aquilana,* d. 5. Maii 1637: «Clericus absque licentia Episcopi non potest testimonium ferre etiam in causa civili coram judice laico;» cfr. *Ferraris Bibliotheca* v. «testis,» n. 107. Porro Episcopus ut tutius in præsenti materia procedat, postulabit a. S. Sede per organum vel S. Congr. Immunitatis, vel S. Pœnitentiariæ instructionem et opportunas facultates. Si vero casus urgeat clerico recurrenti injunget, ut meliori modo quo possit protestationem emittat, qua declaret se cedere coactioni.

4. Diximus jam judicem legitime vocantem aliquem testem posse pœnas adhibere contra irrationabiliter reluctantem. At non statim ad pœnas est procedendum, sed antea præcedere debet monitio et exhortatio, qua judex reluctantem moneat et excitet ad veritatem manifestandam. Cc. 1. et 3. h. t. Porro pœnæ sunt arbitrio judicis remissæ. In jure autem canonico testis admonitus et interrogatus si recuset ferre testimonium, juxta gloss. in cap. 3. h. t. præsumitur trahi amore vel odio erga aliquem ex collitigantibus, et posse districtione ecclesiastica, scilicet pœna spirituali censurarum compelli, ad testimonium ferendum. Cc. 1., 2. et 5. h. t.

Hac vero in re, sc. in determinandis pœnis contra testes recusantes testimonium, attendenda est maxime consuetudo. Clerici autem juxta cap. 2. h. t. recusantes in foro ecclesiastico testimonium ferre, possunt suspendi, et deinde excommunicari, et tandem etiam ob spretam auctoritatem ecclesiasticam, eos deponi posse dicitur. Verum neque in hac re stricte standum est juri canonico rigide accepto, sed potius consuetudo est inspicienda.

Ceterum in præsenti materia præ oculis habenda est moderatio servanda in censuris infligendis, quam Tridentinum in Sess. 25. *de Ref.* cap. 3. inculcat a judicibus adhibendam. Licet enim Concilium directe respiciat reum, tamen intentio ejus sese extendit ad testes. Principium enim statuit, non esse infligendas censuras, quando de rebus levibus agatur, et prævideatur eas magis sperni, quam formidari, et perniciem potius quam salutem parare.

5. Quæritur: utrum aliquæ personæ ab onere præstandi testimonium *eximantur*. Ad instar publicorum munerum, a quibus cives possunt ob causas legitime excusantes eximi, possunt etiam a testimonio ferendo in judicio nonnulli exonerari ob rationes particulares.

1°) Ex l. «Parentes.» Cod. *de Testib.* et c. 3. §. 34. C. 4. q. 3. *parentes* adversus liberos, et viceversa cogi non possunt ad testimonium ferendum.

2°) *Affines* qui inter se habentur ad instar parentum et liberorum, scilicet socer et gener, vitricus et privignus cit. c. 3. C. 4. q. 3.

3°) *Agnati* et *cognati* usque ad tertium gradum, gl. fin. in c. 1. C. 3. q. 5. Notandum vero est affines, agnatos et cognatos arg. cc. 5. et ult. h. t. posse cogi ad testimonium ferendum contra personas sibi vel consanguinitate vel affinitate conjunctas, quando veritas aliter nequit probari, ne pro defectu testium pereat sua justitia.

4°) Senes, valetudinarii, milites ceterique omnes, qui publico præsertim munere fungentes, impediuntur ad judicii locum accedere, nec non egregiæ personæ excusantur a testimonio ferendo saltem quatenus cogi nequeunt ut in judicium veniant. Cap. 8. *De testibus* (II. 20).

6. Quæritur: utrum clericus in causa ecclesiæ *suæ* possit ab *adversa* parte invocari in testem, et cogi ad ferendum testimonium.

Juxta cap. 12. *De Testibus* (II. 20) clerici non prohibentur testimonium ferre *pro* ecclesia sua. Ex hoc inferunt Doctores posse etiam produci ad testimonium ferendum *contra* ipsam ecclesiam. Hæc conclusio admitti potest cum limitatione merito tradita in c. 2. C. 14. q. 2., scilicet dummodo aliter sufficiens veritatis probatio haberi nequeat. Ratio enim justitiæ quæ probari et defendi debet in casu præferenda esse videtur sensibus grati animi et benevolentiæ clerici erga ecclesiam a qua sustentatur.

7. Quæritur: utrum possit cogi ad testimonium ferendum ille, qui *jurejurando* promisit se in judicio non esse dicturum testimonium.

Ex cc. 4. et ult. h. t. nec non ex cap. 45. *de Testibus* (II. 20) deprehenditur eum, qui hoc juramento adstringitur, non obstante data fide teneri ad testimonium pro veritate ferendum, si in judicio ceu testis inducatur. Quod si quæratur utrum juramentum sit de se nullum, vel indigeat dispensatione, inspecta speculative quæstione, potius dicendum est nullum esse de se. Nam est temerarium, ut notat Gloss. in cap. ult. h. t. in principio, et est insuper contra bonos mores. Temerarium quidem, quia emissum est absque prudenti consilio, et consideratione possibilis juridicæ interrogationis subeundæ, cui pro veritate respondendum est. Contra bonos mores, quia destruendo probationem, juramentum hoc in civilibus tendit natura sua ad occultandam veritatem et justitiæ virtutem impediendam; in criminalibus vero causis juramentum hujusmodi eo dirigitur, ut crimina, quæ probantur per testes, punitione sua careant. Quod iniquum est.

Verum in praxi adoptanda esse videtur opinio gloss. in cap. ult. h. t. v. «Sacramento» ut scilicet si juramentum de silentio observando fuerit publicum et notorium, saltem ad cautelam postuletur relaxatio ejusdem, vel etiam per judicis sententiam declaratoriam enuncietur, nullum esse juramentum. Alterutrum consulitur præsertim ut in populo omnis suspicio perjurii arceatur. Nisi enim saltem ex declaratoria sententia constaret nullitas juramenti, posset dubitari utrum is esset ad amussim casus in quo juramentum de silentio servando revera uti nullum foret habendum. Hæc dicta sint de promissione etiam juramento firmata, qua quis sese obligavit in commodum alicujus ad nihil dicendum. Quod si aliquis adstringeretur obligatione tacendi, quæ esset altioris ordinis, scilicet, quæ vel procederet ex divino præcepto, quemadmodum est

obligatio silentii sacramentalis, vel ex bono publico et salute animarum, non posset jure adstringi a judice ad testimonium ferendum, ac proinde interrogatus non teneretur pandere veritatem.

Titulus XXII.

De Fide Instrumentorum.

1. Prosequitur B. Raymundus tractatum de probationibus in specie. Vocabulum *instrumentum* si lato sensu sumatur, significat omne genus probationum. Hinc in cap. 4. *de testib. cog.* (II. 21) depositiones testium vocantur instrumenta. Instrumentum vero stricto sensu sumptum idem est ac scriptura, quæ conficitur ad probationem alicujus rei in futurum faciendam. Aliud dicitur *privatum*, aliud *publicum*. Publicum est, quod conficitur a persona publica ex. gr. a notario pro suo munere, idest cum debitis solemnitatibus juris. Privatum vero dicitur scriptura, quæ a persona privata conficitur, vel si a publica persona conficiatur, non adhibentur solemnitates juris.

Privatum instrumentum appellari solet *apocha, chirographum, syngrapha,* vel in genere *privata scriptura.*

Privatum instrumentum *authenticum* fieri dicitur, cum publico sigillo munitur, vel magistratus aut principis auctoritate publicatur.

2. Instrumentum publicum communiter illud appellatur, quod a notario cum solemnitatibus juris conficitur.

Notarius ut publicum conficiat instrumentum 1°) debet esse creatus et constitutus in territorio *a legitima potestate;* 2°) debet esse *rogatus*, scilicet debent partes ad eum accedere sponte sua, eumque precari ut scripturam conficiat. In ea autem notarius describere debet intentionem et mentem rogantis.

Solemnitates vero instrumenti sunt: a) ut contineat invocationem sanctissimi *nominis Dei;* b) ut apponatur nomen *supremi imperantis* in societate, cum adnotatione anni suæ dominationis; c) ut designetur *locus* et *tempus* confectionis instrumenti; d) ut describantur nomina *testium;* e) ut ipse notarius et testes *subscribant.* Hodie requiritur etiam subscriptio *partium,* vel aliud æquivalens.

Juxta pragmaticos solemnitas actus publici est etiam sigillum notarii, et indictionis romanæ adnotatio.

3. Si quæratur de valore juridico probationis instrumenti publici, per notarium cum debitis solemnitatibus celebrati, respondendum est, ipsum absque aliis adminiculis, in eo, quod dispositive continet, *plene* valere ad probationem conficiendam, tum pro contrahentibus tum contra eos, donec invicte demonstretur contrarium, licet demortuæ sint personæ, quæ instrumentum obsignarunt. Cf. cap. 2. h. t. et c. 33. C. 12. q. 2. nec non l. ult. Cod. *de re jud.* Hæc dispositio intelligenda proprie est de ipso instrumento, in quo a notario fuse et solemniter totum describitur negotium, sive quoad partem narrativam, sive quoad partem dispositivam, quodque instrumentum dicitur proprie *originale* et *authenticum.*

4. Quid vero dicendum de *protocollo,* et *exemplari?*

Protocollum solebat fieri et conservari in omnibus actibus publicis, sive notariorum sive officialium, qui publicæ alicui administrationi præerant. Relate ad nos protocollum erat brevis scriptura, in qua notarius antequam describeret instrumentum adnotabat summario modo intentionem contrahentium, et substantiam actus.

Protocollum in genere suam habebat auctoritatem. Primum quidem si verbum dubium in instrumento occurreret, poterat explicari ex clariori locutione protocolli, ac proinde agi ex protocollo contra instrumentum, quando in instrumento clare et distincte res expressa non esset. Quod si vero indubia fuisset locutio instrumenti, standum erat instrumento. Si protocollum insuper fuisset a partibus perlectum et ab iisdem receptum et approbatum, si defecisset instrumentum, poterat ad fidem faciendam afferri protocollum. Hoc enim in casu protocollum haberi poterat ceu documentum confectum et custoditum a persona, quæ publicam fidem promerebatur.

Animadversio tamen fieri debet. Communiter hodie partes non intendunt vere et proprie contrahere ullam obligationem ante solemnem confectionem et subscriptionem instrumenti. Quare si protocollum fiat, non recipitur per se ceu monumentum legitimum publicam fidem promerens.

5. Exemplar, quod etiam dici solet *transumptum* per se publicam fidem non obtinet, sed tanti valet, quantum constet illud referre documentum authenticum, quod est instrumentum. Quare plenam fidem facit exemplar, quando constet auctoritate publica,

idest solemniter fuisse extractum et confectum ex originali et publico instrumento.

Exemplar autem *solemniter* extractum et confectum juxta cap. ult. h. t. eamdem plenam fidem sibi vindicat, quam obtinet ipsum instrumentum publicum et authenticum. Solemnitas requisita juxta cit. cap. ult. h. t., et cap. 4. *de Confirm. util.* (II. 30) est ut ad petitionem partis auctoritate judicis interveniente exemplar fiat per publicam personam a judice ipso designatam. At ex consuetudine inductum est ut exemplar plene probet, quando vel ipse notarius, qui conscripsit instrumentum, vel alius notarius exemplar conficiat, simulque testetur se de verbo ad verbum authenticum instrumentum transcripsisse. At non idem dicendum de exemplaribus privata industria a persona privata confectis.

6. De aliis scripturis, quæ *authenticæ* esse dicuntur. 1°) Authenticæ dicuntur actiones, exceptiones, confessiones, probationes, et appellationes litigantium in actibus judicialibus relatæ, necnon ipsa sententia judicis, l. ult. Cod. *De re jud.*

2°) Authenticis instrumentis accensentur scripturæ, quæ impressum habent in sui confirmationem *sigillum* alicujus magistratus, vel personæ constitutæ in dignitate, quamvis nullius testis subscriptio reperiatur, cap. 2. h. t. Auctoritas enim magistratus vel eminentis personæ, non minoris facienda est quam illa notarii. Sigillum vero ut probet debet esse cognitum et integrum. Cap. 6. h. t. In moribus autem inductum est, ut præter sigillum, quod appellant *testem mutum,* requiratur etiam in scripturis subscriptio personæ cujus est sigillum.

3°) Authenticæ dicuntur scripturæ depromptæ ex publico *archivo* seu tabulario. Auth. «Ad hæc.» Cod. h. t. Publicum autem archivum illud est, quod ex mandato principis custoditur. Ratio est, quia in publico archivo solum reperiuntur scripturæ, quas publica auctoritas vult haberi pro authenticis, et per cancellarium easdem scripturas diligenter custodit.

7. Quid vero dicendum de scriptis, quæ in archivis Monasteriorum, Ecclesiarum, civitatum et familiarum etiam illustrium continentur, quibus nec notarius, vel cancellarius publicus præest, nec jura regalia adsistunt?

Profecto scripturæ ex hisce locis depromptæ non æquiparantur illis depromptis ex publicis archivis, l. 7. T. Cod. *De Prob.* Verum creditur istis scripturis, si sint et producantur contra Mo-

nasterium, civitatem, aut familiam, nec non contra tertiam personam territorii, vel jurisdictionis ecclesiæ, vel civitatis in qua archivum exsistit. Archivum enim hujusmodi censetur esse diœcesanum, vel municipale, et ab auctoritate custoditum, quæ jurisdictionem habet in subditos loci. Pariter documenta archivi præsertim Ecclesiarum, Monasteriorum et civitatum, in factis antiquis, quæ excedunt hominum memoriam, valent ad probandum etiam pro Ecclesia, Monasterio et civitate, Cap. 13. *De Prob.* (II. 19); nisi tamen contra documentum, extractum ex archivo, militent validæ præsumptiones. In factis autem recentioris ætatis, si monasterium, vel familia, vel civitas documenta in proprio archivo custodita pro se producere vellent, vel si adducerentur contra personam alienæ jurisdictionis, documentis hujusmodi non adhiberetur fides. Cit. l. Cod. *de Prob.* Non habentur enim ceu publica instrumenta et authentica. Si vero sermo sit de privatis inferiorum familiarum archivis, ex potiori ratione dicendum est, documenta in eis adservata fidem facere non posse, saltem contra extraneos a familia.

4°) Inter scripturas, quæ pro *quasi publicis* et *authenticis* habentur, plenamque fidem faciunt, sunt illæ, quæ inter privatos fiunt super contractibus, et quocumque negotio, dummodo præter partes principales, etiam subscribant *duo* vel *tres testes* integræ famæ. Dixi *duo vel tres testes.* Nam quamvis jus romanum in l. 11. Cod. *Qui potiores in pignore,* et gl. in eumd. loc. requirat tres testes, tamen saltem penes nos inductum est, ut bini testes sufficiant.

8. *De scripturis proprie dictis privatis.* Scripturæ, quæ nec a notario in forma solemni fiunt, sed a personis privatis, nec aliquo ex expositis modis redduntur authenticæ, stricto sensu privatæ appellantur. Sunt vero 1°) Chirographum, quo debitum nos traxisse fatemur, apocha vel syngrapha, vel epistola. 2°) Libri rationum, registra, aliæque adnotationes privatæ.

Quæritur quid scripturæ privatæ valeant pro scribente, vel contra ipsum. Animadvertimus par esse totam conscribere scripturam, vel ab alio exaratæ subscribere. L. «Si quis argentariis» ff. *De Edendo.*, et §. 1. Inst. *De empt. et vend.*

Scripturæ istæ in favorem scribentis regulariter non probant l. 7. Cod. *de Prob.* Nemo enim est pars et testis. Periculum siquidem esset, ne quis in commodum proprium, et præjudicium

alienum plura scriberet. Verum 1°) scriptura privata probat pro scribente seu subscribente: quando ab altera parte fuerit acceptata et firmata subscriptione sua, quæ non impugnetur. 2°) Epistola producta et ab adversa parte non impugnata. Pariter epistola quæ recipiatur ab eo, cui mittitur, quique, cum posset, non contradicit, censetur probare contra ipsum et pro scribente. Clem. 1. *De Procur.* (I. 10) et l. 7. C. *ad sen. Cons. Maced.*

Privatæ scripturæ *contra* ipsum scribentem *plene* probant, dummodo fuerint ab eodem recognitæ, idest non fuerint legitime impugnatæ, et expressam habeant causam obligationis. Requiritur autem 1°) recognitio scribentis ut scriptura habeatur ad instar confessionis extrajudicialis, quæ in scripto facta plene probat. Præsumitur enim majori cum deliberatione facta, et quodammodo semper loquens etiam in præsentia adversarii, qui eam possidet. Ac proinde censetur veluti confessio extrajudicialis, facta in præsentia adversarii. Cf. l. 26. ff. *Depositi.* §. fin. et l. 13. Cod. *De non numerat. pecun.* Requiritur 2°) expressio causæ obligationis; quia is, qui probat, debet probare non solum in genere, sed etiam in specie, seu non solum probare debet Titium sibi aliquid debere, sed etiam debet proponere et probare titulum debiti. Atque ita probatio respondet libello.

9. At jure romano contra privatam scripturam potest dari exceptio non numeratæ pecuniæ, vel non numeratæ dotis, qua elidatur effectus juridicus scripturæ. Prior exceptio datur duplici in casu: 1°) cum ex privata scriptura resultet creditorem solvisse debitori scribenti pecuniam, quam revera non solvit. Proponi autem debet intra biennium a die dati chirographi l. «In contractibus» 4. Cod. *De non numerat. pecun.;* 2°) cum scriptura exhibeat testimonium de soluto debito, vulgo *Quietanza*, quin tamen illud debitum fuerit solutum. Producenda vero est hæc exceptio intra triginta dies, computandos a die scriptæ declarationis, vulgo *Quietanza,* de solutione facta. Cit. l. 4. §. «super.» 2. In utroque casu contra producentem scripturam datur exceptio non numeratæ pecuniæ, cujus effectus est, ut onus probandi factam fuisse solutionem transferatur in adversarium. Exceptio de dote non numerata conceditur viro, qui scripto fassus est, se recepisse dotem uxoris, cum revera eam non receperit. Hæc exceptio, si intra biennium proponatur, transfert in adversarium onus probandi factam fuisse solutionem. Cit. l. «In Contract.» §. fin.

10. De *libris rationum* aliquid in specie dicendum est. Libri hujusmodi solent servari inter mercatores, nummularios, tutores, vel curatores, et alienarum rerum administratores. Regulariter libri hujusmodi probant quidem contra eum, qui librum conscripsit, non autem in ejus favorem. Gl. in Clem. un. §. «Ceterum.» *De Usuris.* (V. 5). Libri enim hujusmodi sunt scripturæ privatæ, in quibus quisque posset fraudem exercere in alterius præjudicium. Verum si a publica auctoritate sint recogniti libri hujusmodi, sive in totum, sive quoad determinatam quantitatem æstimationis, libri hujusmodi pro modo recognitionis publicæ auctoritatis, plenam fidem faciunt. Quod si libri mercatorum, tutorum, curatorum, et administratorum rerum alienarum, auctorem habeant tutorem, mercatorem etc. integræ opinionis, in eis tum data, tum recepta diligenter notata tempore non suspecto reperiantur, nec non causa seu titulus obligationis exprimatur, libri hujusmodi magnam inducunt præsumptionem. Idem dicendum de libris reddituum et onerum Monasterii, Parœciæ, et piorum institutorum.

11. Tandem juxta dispositionem tridentinam in cc. 1. et 2. Sess. 24. *De Ref. Matr.* Parochus debet habere et custodire diligenter librum in quo *matrimonia* describit notatque personas contrahentes et testes, nec non librum *baptizatorum* et *confirmatorum* sacro Chrismate, in quo adnotat baptizatum vel confirmatum, ejusque parentes et patrinos item librum *status animarum* necnon *defunctorum* ex Rit. Rom., t. x. p. 2. Jamvero libri hujusmodi obtinent fidem publicam, quia Parochus est testis qualificatus. Hinc particula ex libris istis a Parocho excerpta fidem facit, ad instar publici documenti. Quare pro ejus veritate præsumitur, quoadusque contrarium non probetur.

De productione instrumentorum.

12. Post litem contestatam usque ad conclusionem in causa possunt produci instrumenta, etiamsi fuerint publicatæ depositiones testium. Cap. 3. h. t. Post conclusionem in causa regulariter nequeunt alia instrumenta produci, quia conclusio in causa est terminus exclusivus probationum, et causa inde *liquere dicitur;* gloss. in cap. 36. *de Testib.* (II. 20) v. «liquere.» At etiam postquam conclusum fuerit in causa, possunt instrumenta recipi 1°) Si qui ea producit sit integræ famæ, et sub juramento asserat *tunc pri-*

mum reperta fuisse. Cap. 4. *de Exception.* (II. 25). In causis, quarum sententia non transit in rem judicatam, uti sunt causæ *matrimoniales,* quoad vinculum, et causæ *criminales* relate ad innocentiam probandam rei. 3⁰) Si partes in conclusione causæ sibi *reservarunt* jus nova documenta producendi. 4⁰) Si instrumenta proprie nova non sunt, sed appendices et documenta *declaratoria* instrumentorum jam productorum. Tandem si judex ipse nova reperiat documenta.

13. Quæritur: utrum una pars in judicio possit aliam collitigantem *adstringere* ad producenda sua instrumenta.

In cap. 1. *De Prob.* (II. 19) hoc principium traditur 'neminem teneri ad producendum documentum, quod contra se militet, et adversario probationem subministret'.

Hoc vero principium doctores communiter intelligunt de reo relate ad actorem, non vero viceversa. Scilicet docent, revera posse exposcere ab actore, ut edat documenta, quæ possunt quæstioni claritatem tribuere; non vero actorem posse documenta exposcere a reo. Ratio disparitatis est, quia actor libere instituens actionem, præsumitur omnia parasse documenta, ad suam intentionem probandam, e contra reus invitus se sistit in judicio ob necessitatem ad se defendendum, hinc non præsumitur paratus. Accedit ratio deducta ex generali principio, jura nempe esse promptiora ad favendum reo, quam actori, et actore non probante reum absolvi.

14. Verum etiam reus tenetur ad edenda 1⁰) instrumenta *communia,* quæ ab actore petantur. Gl. in cit. cap. 1. v. «Nulli.» Communia vero sunt instrumenta a) quæ *sumptibus* communibus confecta sunt; b) quæ commune *negotium* respiciunt; ex. gr. scripturæ aliquod commune negotium referentes, quemadmodum essent libri administrationis initæ societatis, vel documenta ipsum contractum continentia. Pariter c) scripturæ communes censentur esse instrumenta et testamenta inter *hæredes* et *legatarios.* 2⁰) Actor et reus possunt vicissim obligari ad edenda instrumenta necessaria ad probandam actionem, vel exceptionem. Hinc uterque potest exigere ut sibi monstrentur authenticæ et primitivæ scripturæ, quando juridicum exemplar non habeatur. Juxta cap. 5. h. t. hæc manifestatio fit a judice, vel a viris prudentibus destinatis ab ipso judice, qui actori vel reo postulanti editionem, perlegere debent vel totum instrumentum, vel particulam, in qua cadit controversia. 3⁰) Nonnulli docent edenda esse instrumenta etiam a reo, quando

actor probare potest se amisisse sua intrumenta *absque culpa* et ex infortunio. Pariter edenda esse instrumenta a reo tradunt, quando actor est persona *privilegiata*, scilicet Ecclesiæ, hospitalia, pupilli, fiscus. Innituntur l. 2. ff. *de jure fisci.*

15. Quæritur: utrum qui amisit instrumentum, possit alio modo *supplere* ejus defectum.

Amitti potest instrumentum vel a) ex *casu* fortuito, vel b) ex facto *proprio* allegantis, vel c) ex facto *adversarii*, qui illud subripuit, laceravit, vel mutilavit.

In genere juxta l. 1. Cod. *de fide Instrum.*, non adeo necessaria sunt instrumenta, ut non possint suppleri per alios legitimos modos probationis. Hinc ex. gr. si adsint duo testes fide digni, qui præsentes fuerunt in confectione instrumenti, quique deponant veritatem actus celebrati, et tenorem instrumenti, valent ad conficiendam probationem, præsertim si etiam accedat testimonium notarii. Ratio est quia vis probativa instrumenti non est in charta et membrana, sed in fide notarii et testium.

Quo posito, si de I°. casu sermo sit, probandum est infortunium, seu casus fortuitus, nec non tenor instrumenti. Jamvero ad probandum tenorem instrumenti, sufficiunt simpliciter testes fide digni, si producantur testes, qui præsentes fuerunt negotio de quo confectum est instrumentum. Quod si vero afferantur testes, qui legerunt vel viderunt instrumentum jam confectum, non sufficiunt quicumque testes, sed requiruntur testes periti, quique pares sint ad cognoscendum instrumentum, et ad detegendos ejus defectus substantiales, si fuerint. Hinc testari debent non solum de rebus et dispositionibus in instrumento expressis, sed etiam deponere debent de valore ipso formali instrumenti.

16. In II°. casu qui allegat amissionem ex facto suo derivantem, præter tenorem instrumenti, debet probare ipsum factum amissionis, nec non excludere fraudem ab eadem amissione.

17. In III°. autem casu, qui allegat amissum instrumentum debet ostendere solummodo factum iniquum adversarii; in reliquis standum est juramento ipsius allegantis, quo declarat tenorem instrumenti. Et hoc in pœnam fraudis. Cf. l. «Si de successione» Cod. *De Prob.*

18. Quid si producatur constitutio dubia *Romani Pontificis* præsertim ad probandum privilegium?

Respondet cap. 8. h. t., ubi Pontifex distinguit inter casum, quo constitutio est consona juri communi, et casum in quo non consonat. In primo casu potest recipi, quemadmodum recipitur ipsum jus commune; in secundo casu debet dubium proponi ad dissolvendum ipsi Romano Pontifici. Princeps enim est, qui legem suam dubiam interpretatur juxta l. ult. Cod. *de Legib.*

De instrumentis impugnandis.

19. Variis modis potest impugnari instrumentum. 1º) Ratione *causæ efficientis,* scilicet *notarii.* Et a) quidem si revera notarius publicus non fuit qui scripsit instrumentum, neque saltem titulum coloratum habuit. b) Si notarius ob aliquod iniquum facinus publicam amplius fidem non mereatur. Nam arg. cap. 4. *de hæreticis* (V. 7), hominis indigni nec scripturæ recipiuntur. At videndum est utrum ante crimen notarii, vel post illud exaratum fuerit instrumentum. Si post crimen haberi merito debet ceu suspectum. Si præcedenti tempore per se et in genere haberi nequit instrumentum uti suspectum, nisi gravia indicia et præsumptiones dubium ingerant de mala fide notarii.

20. 2º) Impugnari potest instrumentum ex parte formæ publicæ, seu ex *causa formali,* si deficiant *solemnitates* requisitæ ad publicum instrumentum habendum.

21. 3º) Ratione *causæ materialis.* Quod triplici in sensu accipi potest a) si quidem instrumenti materia talis sit, de qua non poterat contractus celebrari ex. gr. quia res est extra commercium posita. b) Quia falsum est, quod in instrumento continetur. c) Quia abrasum est vel corruptum in partibus substantialibus. De utroque hoc altero vitio aliquid dicendum.

22. Quæritur 1º) quomodo *probari* potest falsum esse quod in producto instrumento continetur.

Probatio hæc regulariter fit per testes et a) si testes, qui describuntur in instrumento, quique dicuntur *instrumentarii* sint adhuc viventes, et *omnes* negent se interfuisse confectioni instrumenti ipsius, vel dicant rem aliter contigisse, quam in instrumento descripta legitur, corruit instrumentum, et fides testium præfertur scripturæ Cc. 10. h. t. et 5. *De Probat.* (II. 19). Ex quibus locis deducitur principium 'probationem legitimam per testes in scriptura adhibitos, prævalere posse probationi per ipsam scripturam'. Ratio

est quia testes proprie adhibentur in scriptura, ut compleatur fides instrumenti.

Quid vero si *aliqui* tantum instrumentarii testes negent se interfuisse instrumenti confectioni, aut aliter rem se habuisse referant?

Distinguendum est inter instrumentum in quo testes adhibentur ad substantialem solemnitatem actus, et instrumentum in quo testes adhibentur præcipue ad effectum probationis actus. In primo casu unus etiam testis, qui instrumento contradicat reddit suspectum ipsum instrumentum. Exemplum affertur in l. 1. §. 1. ff. *Quemadmod. testam. aper.;* in qua traditur suspectum esse testamentum, ideo quia unus ex septem testibus a lege requisitis, dixit suum non esse sigillum in testamento repertum. In secunda hypothesi si longe major sit numerus testium adversantium instrumento, præ aliis, qui eidem adhærent, instrumentum corruit. Arg. c. 33. §. ult. *de Testib.* (II. 20). Quod si aliqui tantum testes contradicant instrumento, et major pars eidem adhæreat, aut saltem tot testes adhæreant, ut habeatur numerus sufficiens et legitimus testium ad probandum valorem actus, instrumentum sustinetur. Ratio est, quia ob fidem publicam notarii, præsumptio militat pro valore instrumenti, et contra fidem instrumenti nonnisi valida et proprie dicta probatio admittenda est, l. «cum precibus.» Cod. *de Probation.;* cujus summarium est *'statur instrumento, donec probetur contrarium'*. Cui rationi et alia consonat. Scilicet depositio testium qui favent instrumento, quia positiva est, magis per se facienda est præ depositione adversantium testium, quia negativa est.

23. Etiam testes extranei ab instrumento possunt admitti ad probandam falsitatem instrumenti; sed si directe impugnare satagunt instrumentum, debent probare se interfuisse toti negotio, de quo agitur in instrumento, designando circumstantias, quæ peractum negotium determinant, simulque edicere debent negotium aliter gestum fuisse, ac in instrumento exhibetur, idest declarare debent falsitatem instrumenti. Cap. 5. *De Probat.* (II. 19) et gl. fin. ib. Hæc omnia necessaria sunt, secus posset assertio testium referri ad aliud instrumentum, distinctum ab eo quod impugnant. Indirecte autem extranei testes possent impugnare instrumentum, si demonstrent vel unam ex partibus principalibus, vel testes, vel ipsum notarium, tempore confecti instrumenti, alibi commoratos

fuisse. *Abb.* in cap. 10. h. t. Testes vero extranei ut vires instrumenti elidant, illudque falsum esse demonstrent, debent esse a) omni exceptione majores, l. «Optimam.» Cod. *de contrahend. Stipulat.;* b) eam probationem præseferre debent, quæ superet probationem, quæ militat pro valore juridico instrumenti. Hinc si testes descripti in instrumento adhuc vivant, quique cum notario deponant pro valore instrumenti, ad impugnandum instrumentum saltem una plures personæ requiruntur omni exceptione majores, l. 14. Cod. *de contrahend. stipul.* Quod si mortui sint notarius et testes in instrumento descripti, communiter tenent, duos vel tres testes sufficere ad scopum. Ratio est quia agitur de concursu probationum contrariarum in quo major excludit minorem. Jamvero magis creditur duobus vel tribus testibus omni exceptione majoribus, qui sub fide jurisjurandi deponant, quam chartæ mortuæ, in qua, licet adsint scripti testes, tamen sub juramento interrogari non possunt, utrum revera præsentes fuerint in confectione instrumenti, et utrum cognoverint omnia rite processisse. Ita *Panormitanus* in cap. 10. h. t.

24. Quid dicendum si scriptura *privata* impugnetur tamquam non scripta, vel subscripta ab eo cui tribuitur?

Cognitio et probatio authenticitatis vel falsitatis scripturæ fieri debet 1°) per *testes omni exceptione majores,* qui si producantur ad probandam veritatem privatæ scripturæ, debent testari de actu externo confectionis scripturæ, simulque de ejus tenore. Si vero deponant de falsitate ejusdem, sufficit ut indirecte probent tali die et loco confici non potuisse scripturam, de qua quæstio est.

2°) Cognitio et probatio fieri potest per *collationem literarum,* seu peritiam calligraphorum. Hæc probatio olim sufficiens reputata fuit ad probandum juxta l. 20. Cod. h. t. At post Aut. Cod. «At si contractus» eod. titul. recipitur ceu semiplena probatio, ob facilem imitationem literarum, quæ fieri potest.

25. Ex vitio in ipsa materia instrumenti redditur suspectum instrumentum, et proinde impugnari potest, si fuerit corruptum, abrasum, vel deletum in partibus substantialibus, non vero si vitium hoc in accidentalibus reperiatur. Prior pars conclusionis evincitur ex cc. 6. h. t. et 7. *De Religiosis domibus* (III. 36). Secunda pars conclusionis probatur ex cc. 3. h. t. et cap. ult. *de crimine falsi* (V. 20).

Jamvero partes substantiales instrumenti censentur esse designatio loci et diei confecti instrumenti, nec non contrahentium nomina, contractus et pacta, seu conditiones contractui appositæ.

TITULUS XXIII.

De Præsumptionibus.

1. Ut factorum veritas in tuto et aperto poneretur, præter proprie dictas probationes, a legibus introductæ sunt *præsumptiones,* quæ verum facerent apparere et agnoscere, ante ipsam probationem. Generica notio præsumptionis est, ut dici possit '*rationalis conjectura rei dubiæ collecta ex argumentis et indiciis, quæ per rerum naturam frequenter eveniunt*'. Scilicet positis quibusdam adjunctis, rationalis persuasio in animo nostro gignitur, rem ita se et non aliter habuisse.

2. Præsumptio alia est *juris,* alia *hominis.* Præsumptio juris, quæ etiam dicitur *canonis* et *legis*, ea est, quæ in legibus ipsis expressa legitur. Scilicet quando argumenta et indicia considerantur ab ipsa lege, et vi legis faciunt arguere rem ita contigisse et non aliter. Præsumptio hominis seu judicis est, quæ in lege non designatur, sed judicis prudenti arbitrio remittitur, ut ex qualitate circumstantiarum rationalem facti conjecturam concipiat, et persuasionem sibi in animo firmet.

3. Quæritur: quid *valeant in judicio* præsumptiones tum hominis tum juris.

De præsumptione hominis. Præsumptio hæc alia est *levis,* alia *gravis,* alia *violenta,* seu *gravissima.* Levis ea est, quæ concipitur ex indiciis, quibus positis, vix aliquando contigit id, quod præsumitur evènisse, ex. gr. si quis videns hominem cum muliere colloquentem, illico crimen adulterii præsumeret. Jamvero cum hæc præsumptio ex causis prorsus insufficientibus concipiatur, temeraria dicitur, et potius dicenda est suspicio, quam vera præsumptio. Quare merito rejicitur in c. 9. C. 6. q. 1. et cap. 44. *De sent. excomm.* (V. 39), quia judex non ex temeritate, sed ex prudenti consilio procedat oportet.

4. Præsumptio gravis est ea, quæ concipitur ex adjunctis et indiciis, quibus positis, experientia docet ordinario contigisse id, quod præsumitur. Hinc si aliter res se haberet, esset casus extraordinarius, et præter consuetam regulam experientiæ. Præsumptio

hujusmodi vere rationalis est, et quia veram probabilitatem eventus profert, dicitur etiam probabilis. Præsumptio hæc arg. c. 44. *de Sent. excomm.* (V. 39) §. fin.; et 13. h. t. probationem veram non facit, sed solummodo semiplenam probationem. Indicia enim per se et ordinaria experientia propriedictam cognitionem facti non gignunt, nec proinde sufficienter instruunt judicem, qui procedere debet juxta acta et probata. Quare posita probabili præsumptione, judex vel poterit juramentum suppletorium deferre parti pro qua militat præsumptio, vel ei contra quem militat præsumptio intimare poterit, jure communi inspecto, purgationem canonicam ab impacta accusatione, vel melius, juxta hodiernam praxim exigere ab eodem ut sese defendat.

5. Præsumptio gravissima, quæ etiam dicitur vehemens et violenta, ea est, quæ licet a legibus non prævideatur, tamen concipitur ex adjunctis et indiciis adeo proximis et evidentibus, ut illis positis, non solum res, ita soleat evenire, sed etiam si aliter eveniret, esset casus prorsus inverosimilis. Præsumptio hujusmodi licet non excludat probationem in contrarium adductam, tamen in civilibus transfert onus probandi in adversarium, et pro certitudine habetur, quoadusque evidentissime non constiterit contrarium; scilicet nisi evidenter probetur contrarium, præsumptio violenta veram probationem affert, et concludere facit in causa. Cc. 3. *de Presbyt. non baptiz.* (III. 43) et 12. h. t. Exemplum hujusmodi præsumptionis affertur in cap. 2. h. t. deductum ex judicio *Salomonis,* qui ex violenta præsumptione sententiam tulit sapientissimam. Exemplum etiam reperiri potest in cap. 10. h. t. Hinc ex præsumptione adulterii si vir fuerit repertus solus cum sola muliere, et nudus cum nuda in eodem lecto, potest decerni divortium et dotis restitutio. Cap. 12. h. t.

6. Dixi *in civilibus,* nam in criminalibus violenta etiam præsumptio non recipitur, ceu sufficiens ad sententiam ferendam, et ad applicandam pœnam juxta articulum codicis criminalis. Cap. 14. h. t. Sufficiens ad summum reputatur, ut applicetur pœna extraordinaria.

7. **De præsumptione juris.** Alia præsumptio est *juris tantum,* alia *juris et de jure.* Præsumptio juris tantum tunc obtinet, cum jus tamdiu aliquid habet uti verum, quamdiu contrarium non probetur. Hinc præsumptio hujusmodi absolutam certitudinem non parit, sed conditionatam, scilicet dummodo contra præsumptionem

non resistat vera probatio. Hinc, ajunt doctores, præsumptionem hujusmodi proprie gignere probabilitatem.

8. Præsumptiones juris aliquando sunt *generaliores,* aliquando *speciales.* Exemplum priorum sunt 'nemo malus nisi probetur', quoadusque actor non probaverit suam intentionem, præsumitur bonum jus reo adsistere, 'ex præteritis præsumitur circa futurum', cap. 9. h. t. 'Ex vicinitate præsumitur notitia facti loci vicini', cap. 9. h. t. Exemplum præsumptionum specialium offerunt causæ omnes, quæ ex dispositione legis favore juris gaudent.

9. Effectus præsumptionis juris potest considerari in *agibilibus,* et in *ordine judiciali.* In *agibilibus,* qui obtinet pro se præsumptionem juris potest, actione sua prosequi in exercitio juris, quoadusque legitime ab alio non retardetur. Unde adagium juristarum 'Qui continuat, non attentat.' Ex. gr. Episcopus habet præsumptionem juris circa collationes beneficiorum in sua diœcesi. Hinc quoadusque non opponatur beneficium aliquod esse juris patronatus, vel affectum, aut reservatum, poterit Episcopus illud conferre, cuicunque sibi videatur. Insuper qui habet præsumptionem legis pro se, si jure suo utatur, quod de facto ab alio exercetur, non incidit proprie in casum spolii, nec tenetur ante omnia restituere spoliatum. Exemplum est in cap. 2. *de Restit. Spol.* (II. 5) in 6^{0}., ubi sermo est de decimis sacramentalibus, quæ parochi esse præsumuntur, et tamen de facto colligebantur a quibusdam canonicis. De hac specie vidimus in tit. *De Rest. Spol.*

10. In *ordine judiciali* effectus præsumptionis juris est 1^{0}) ut in adversarium sive sit actor, sive reus transferat onus probandi. Ex. gr. quoniam matrimonium est ex causis favorabilibus pro quibus jus præsumit, relevatur ab onere probandi ille, qui tuetur valorem conjugii. 2^{0}) Secundus effectus est ut præsumptio juris pro veritate habeatur, quoadusque contrarium plene non probetur, cap. 2. *de Rest. Spol.* (II. 5) in 6^{0}. nec non cap. 10. h. t.

11. Præsumptio *juris et de jure* ea est, super qua legislator, tamquam in re sibi cognita et certa, fundat suam legem. Unde si præsumptio non esset firma, simul etiam corrueret dispositio legis. Videlicet legislator animadvertens positis quibusdam indiciis et adjunctis, rem ita et non aliter evenire solere, eventum hujus rei habet uti certum, et in eo fundat legem suam. Quare in foro judiciali præsumptio hæc certitudinem producit, et tantum opera-

tur quantum veritas. *Abb.* in cap. 30. *De Sponsal. et Matrimonio* (IV. 1) n°. 2.

Dicitur autem præsumptio *juris,* quia a lege inducta, et recognita est, dicitur vero *de jure,* quia super hac præsumptione stabilitur jus firmum et certum. Exemplum habemus in cit. cap. 30. *de Spons. et Matr.* (IV. 1), ubi decernitur verum Matrimonium existere inter duos sponsos, inter quos copula carnalis libera intercesserit. En dispositio legis. Porro hæc lex fundatur in præsumptione, quod copula libere posita a duobus vinculo sponsalium ligatis, posita sit animo maritali. Unde *jure decretalium* hæc copula considerabatur tamquam certum signum consensus matrimonialis de præsenti, et lex canonica supponens hanc certitudinem consensus maritalis decernebat verum matrimonium intercessisse inter virum illum, illamque mulierem. Quare præsumptio maritalis consensus in facto hujus copulæ est juris et de jure. Hæc vero dispositio juris antiqui non amplius servari potest post Decretum Tridentinum in sess. 24. Cap. 1. *De Reform. Matrim.* in locis in quibus ejus publicatio facta est.

12. At etiam ratione locorum ubi c. 1. «Tametsi» Conc. Tridentini *non viget,* jus decretalium, expressum in cc. 15., 26., 30. *De Sponsalibus et Matrimoniis* (IV. 1), i. e. præsumptio de jure copulam carnalem sponsalibus validis supervenientem esse expressionem contractus matrimonialis, abolitum est Literis Apostolis S. P. *Leonis XIII.* d. 15. Febr. 1892 quæ incipiunt «*Consensus mutuus.*» Dixi *præsumptio de jure abolita est;* nam juxta verba ipsius S. P. *Leonis XIII.* præsumptio *juris* desuetudine et oblivione jam evanuerat. Ceterum de hac re ex professo tractabitur in l. IV. tit. 3.

13. **De Prævalentia præsumptionum.** Quod in titulo de probationibus dictum est, valet etiam in præsumptionibus, *majorem* scilicet præsumptionem elidere *minorem* contrariam. Ita in cc. «Accedens» 8. *De crimine falsi* (V. 20) et 16. *de Electione* (I. 6). Hinc 1°) Juxta *regulam* 34. *Juris* in 6°. '*Generi per speciem derogatur*'; præsumptiones speciales infirmant generales. Ex. gr. præsumptio generalis est neminem velle res suas perdere, specialis vero est præsumi condonationem debiti, quoties creditor chirographum restituat. Quare prior præsumptio tollitur, si verificetur factum restitutionis chirographi.

2⁰) Concurrentibus paribus conditionibus, ea præfertur, quæ est *conformior* ordini, rationi, tendentiisque *naturæ* rationalis hominis. Præsumendum enim est semper in favorem naturæ, quæ numquam cessat hominem movere et regere. Inter alia doctores afferunt exemplum legitimitatis filiorum, qui constante matrimonio concepti nascuntur.

3⁰) Præsumptio *juris* est fortior præsumptione *hominis*. Judex enim sequi debet id quod lex præsumit, quoadusque contrarium non probetur. Hinc ad destruendam præsumptionem juris, non sufficit conjectura ex adjunctis concepta, sed probatio requiritur.

4⁰) Quando actus positus est, præsumptio, quæ est *pro* ejus *valore*, vincit contrarias, quæ pro invaliditate militant. Quisque enim præsumitur serio agere, et juxta leges agere.

Titulus XXIV.

De jurejurando.

1. Juramentum inservit ad firmandas probationes, hinc in tractatu de probationibus propriam sedem merito sibi vindicat. Juramentum est *'Invocatio divini nominis in testimonium veritatis'*.

2. Tria sunt quæ juramentum comitari debent; scilicet *veritas, judicium* et *justitia, Jerem.* (IV. 2). Veritas quidem ne Deus invocetur in testem falsitatis; judicium requiritur, seu debita advertentia et consilium, quo dignitas actus cognoscatur; hinc pueri in judicio ante pubertatem ob infirmitatem consilii non possunt obligari ad edendum juramentum. Tertio requiritur justitia, ne juramentum fiat vinculum iniquitatis. Cap. 18. h. t.

Quare 1⁰) Juramentum nullum est, quoties aliquid *intrinsece malum* promittitur sub fide juramenti, sive quia positive malum est, sive quia dirigitur ad bonum impediendum. Hinc ex. gr. juramentum de non concedenda in mutuum pecunia, vel de non facienda fidei jussione irritum est, quia caritati adversatur. Sic non valet juramentum clerici, qui promittat se velle litigare coram laico judice. Cap. 12. *de foro comp.* (II. 2).

2⁰) Juramentum non valet, quando dirigitur in *præjudicium tertii*. Quare invalidum est juramentum Prælati, qui dicat se nolle repetere res Ecclesiæ suæ ablatas. Cc. 2. et 27. h. t. Ex

quibus sequitur juramentum versari debere super objectum, quod sit honestum et possibile. Si enim desit honestas, deficit vel veritas vel justitia; si deficit possibilitas deficiat necesse est judicium, seu prudens consilium, et sufficiens deliberatio.

3. **Divisio juramenti.** Præcipua divisio juramenti est, ut aliud sit *assertorium,* aliud *promissorium.* Assertorium est illud, quo aliquid affirmamus, vel negamus, sub Dei invocatione. Promissorium est illud, quo obligamus nosmetipsos ad aliquid præstandum vel vitandum. Juramentum promissorium semper est assertorium, in quantum affirmat præsentem animi intentionem. Juramentum hujusmodi promissorium solet adjici contractibus sive bilateralibus sive unilateralibus.

Juramentum prout extra vel in judicio emittitur dicitur *extrajudiciale* vel *judiciale.* Juramentum dein est aliud *solemne*, aliud *simplex*, prout fit adhibitis solemnitatibus cæremoniisque vel iis seclusis.

In *explicitum* quoque et *implicitum* dividunt juramentum respectu Dei, qui vel immediate invocatur vel mediate in creaturis attributa divina specialiter repræsentantibus.

4. I°. **De juramento promissorio extrajudiciali.** Juramentum promissorium consideratum est ceu actus religiosus accedens ad roborandam obligationem, quam quis in se suscipit per conventionem. Ex quo duo sequuntur. 1°) Eum, qui juramentum emisit, ad præstandum, quod promisit, teneri ex duplici capite, scilicet ex *justitia,* et ex virtute *religionis.* Ita communis sententia doctorum ex dispositione cc. 8. et 28. h. t. et cap. 2. *de Pactis* (I. 18) in 6°.; ratio est quia si juramentum non servaretur, despiceretur auctoritas Dei qui in testem promissæ fidei vocatus est. 2°) Ex conceptu tradito sequitur juramentum *non immutare* substantiam et naturam contractus. Scilicet nova vis, quæ ex juramento accedit contractui, est analoga naturæ contractus ipsius. Quare si contractus sit resolubilis, resoluto contractu, resolvitur etiam obligatio ex virtute religionis, et in genere cessante obligatione, quæ ex justitia procedit, cessare intelligitur juramenti vis et potestas.

5. Quæritur: utrum obligatio juramenti promissorii sit solummodo *personalis,* vel etiam ad hæredes transeat.

Sunt quædam obligationes, quæ non egrediuntur personam, quia afficiunt ipsam voluntatem individui, ita ex. gr. obligatio mandati respicit solummodo mandatarium, non autem ejus hæredes.

Hujus generis est obligatio juramenti, quæ præcise ex virtute religionis procedit. Est enim persona, quæ invocat Deum in testem, suamque intentionem vinculo religionis obligat. Nemo autem respondere debet coram Deo de interiori intentione alterius. Hinc juramentum, quemadmodum etiam votum non possunt consistere absque intentione jurandi et vovendi. Unde solummodo qui juravit vel vovit tenetur de juramento vel de voto respondere; et per consequens juramentum et votum ex virtute religionis obligationes prorsus personales referunt, quæ non transeunt ad hæredes.

6. Dixi 'obligationem ex virtute *religionis* esse *personalem.*' Nam obligatio civilis ex *justitia,* quæ ex conventione exsurgit, aut ex promissione ab alio acceptata, transit utique ad hæredes. Quapropter hæres, si promissiones juratas auctoris sui non servaverit, poterit utique cogi ad exsecutionem factæ promissionis, sed in casu non observatæ promissionis non erit perjurii reus. Ex quo patet juramentum *reale,* quo quis se obligat ad aliquid præstandum, in similitudinem voti realis obligare ob factam promissionem etiam hæredem ad præstandam rem promissam. Cap. 16. *De Censibus.* (III. 39). Cap. 6. *de Testam.* (III. 26), quia censetur ipsa res obligata fuisse ab eo, qui de ea poterat disponere. Verum hæres non erit reus perjurii, si obligationi non satisfaciet, et hoc verificatur etiam si quis juraverit pro se et suis successoribus. Nam obligatio religionis ex juramento procedens est omnino personalis. Quod si juramento promissum fuit solum factum personale, ex. gr. peregrinatio ad Sanctuarium aliquod, promissio non obligat hæredes, quia promissio in persona coarctatur, nec locus est virtuti justitiæ erga tertium.

Quamvis juramentum ex parte jurantis sit personale, tamen ex parte illius *in cujus favorem* juramentum editur, transit ad hæredes, qui possunt cogere jurantem, etiam ex virtute religionis ad implendum, quod promisit. Ita in cap. 14. h. t. Concordat l. «si pactum» ff. *de Probation.* Ratio est, quia obligatio juramenti urget jurantem, quoadusque impleta non fuerit.

7. Quæritur utrum contractus vel actus, qui *ex jure* vel civili vel ecclesiastico, *non* sustinentur, sustineantur tamen ob virtutem *juramenti,* quod iisdem contractibus vel actibus fuerit adjectum.

In cc. 28. h. t. et 2. eod. (II. 11) in 6°. et in cap. 2. *de Pactis* (I. 18) in 6°. hoc principium traditur 'pactum licet improbatum a legibus servandum esse ob fidem juramenti, dummodo juramentum

non fuerit vi aut dolo præstitum, et dummodo non urgeat vel in præjudicium salutis æternæ, vel in tertii detrimentum.' Quæstio proposita pendet ab intelligentia hujus principii. Profecto non loquimur de contractu vel pacto, quod vergat in præjudicium salutis æternæ, vel de eo quod redundat in præjudicium tertii. Nam in utroque casu juramentum vires contractui vel pacto nullas addit, quia non est vinculum iniquitatis. Pariter non loquimur de juramento ex vi vel fraude præstito, quia ob defectum consensus sustineri non potest. Sermo igitur est de juramento, quod libere emissum est et accessit contractui vel actui, qui virtute legis effectum per se non habeat solummodo quia lex humana eidem non adsistit, et quærimus utrum contractus, vel actus sustineatur ob virtutem religionis.

8. *Duplex est doctorum sententia. Prima* sententia distinguit inter contractus vel actus, quibus jus non adsistit ob rationem boni publici cui adversantur, et contractus vel actus, quos leges reprobant solummodo in commodum privatorum. In prima specie contractuum tradunt doctores hujus sententiæ, juramentum nullum robur addere contractui vel actui prohibito, ob principium expressum in cc. 12. *de foro comp.* (II. 2) et 26. *de sent. excomm.* (V. 39) et in l. «Jus publ.» ff. *de pactis*, scilicet neminem posse renunciare ei, quod pro se non fuit introductum; vel alio modo 'pactionibus privatorum non posse juri publico præjudicium inferri.' Ex jure nostro afferunt exemplum matrimonii contracti ex metu gravi, extrinseco injuste et directe incusso ad extorquendum consensum, quod matrimonium non redditur validum ob rationem juramenti, quod fortasse eidem addatur. Pariter afferunt exemplum donationis, quæ a novitio fiat ante professionem, quæ ex dispositione Concilii Tridentini in cap. 16. sess. 25. *De Reg.*, licet juramento firmata, non valet, nisi fiat intra duos menses proximos professioni de licentia Episcopi, vel ejus Vicarii generalis, et nisi sequatur professio religiosa. In utroque casu ajunt intrare rationem boni publici, eo quia nullitas prædictorum actuum inducta fuit a lege intuitu boni publici procurandi. Quare actus hujusmodi a jure reprobati, non confirmantur ex virtute religionis.

At si lex prohibeat aliquem contractum vel actum, solummodo in privatorum commodum, quoniam quisque potest suo privilegio renunciare, docent primæ sententiæ patroni, servandum esse contractum et actum valere ob virtutem juramenti, si fuerit additum

juramentum sponte, nec exsecutio juratæ promissionis vergat in præjudicium salutis æternæ, aut redundet in præjudicium tertii. Hinc ex. gr. quoniam prohibitio alienationis bonorum mulieribus facta est a legibus in commodum earumdem, si mulier renunciaverit suæ utilitati, et juramento sese obstrinxerit, tenebitur ad juramenti fidem servandam. Cap. 28. h. t.

9. *Altera* sententia distinguit inter contractus per se et ipso jure nullos, et contractus seu actus ipso jure validos, sed rescindibiles ad partis læsæ petitionem, simulque tenet juramentum nullam vim addere contractibus, et actibus primi generis, bene vero firmos et irrescindibiles reddere contractus et actus secundi generis. Ratio prioris conclusionis deducitur ex *regula 64. juris* in 6°. *'Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi'* nec non ex *reg. 42. juris* in 6°. *'Accessorium naturam sequi congruit principalis'.* Profecto juramentum, quod accedit ad roborandam obligationem, confirmare non potest id, quod juridice nullo modo existit. Ratio secundæ conclusionis infertur ex alio principio 'Multa per patientiam tolerantur, quæ si fuerint in judicium deducta, debent justitia exigente infirmari'. Scilicet quosdam actus lex per se non irritat, sed ob læsionem boni privatorum, si pars læsa invocet auctoritatem judicis, rescindi possunt. Jamvero si istis contractibus vel actibus, accesserit juramentum, merito sustinentur, quia ex vinculo religionis, quod sine vi et dolo adjecit pars, videtur renunciasse privilegio legis, idest juri petendi rescissionem actus vel contractus jam celebrati.

Ajunt vero hujus sententiæ patroni, principium superius positum, ex cap. 28. h. t. deductum, applicandum esse istis contractibus et actibus, non vero contractibus et actibus per se et ipso jure nullis.

10. Si quæratur quænam ex expositis sententiis sit præferenda, videtur secunda *melior* esse. Nam, ut insistamus notioni propositæ ab ipsis patronis prioris sententiæ, revera actus, qui ipso jure nulli sunt, ideo lex irritat, quia id postulat ratio boni publici, et ob hanc rationem jus ipsum privatas personas inhabiles reddit ad agendum. Hinc istis actibus in genere potest applicari principium *reg.* 64. *jur.* in 6°. 'Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi'; et per consequens juramentum adjectum contractibus vel actibus ipso jure nullis, pro non adjecto habendum esse videtur. 'Quia accessorium sequitur principale.' E contra quando lex

aliqua actus facit rescindibiles ad petitionem partis læsæ, videtur hoc in casu velle consulere bono privatorum. Quapropter si quis vult renunciare bono suo, nil mirum si lex actum vel contractum sustineat. Jamvero juramentum adjectum actui revera potest haberi ceu signum renunciationis privilegii rescissionis ex lege concessi. Hinc optime jus exigit observantiam contractus vel promissionis, negando rescissionem.

Confirmatur hæc theoria ex Auth. «Sacramenta puberum» C. *Si adversus venditionem*, in qua dicitur sacramenta minorum ætate servanda esse super contractibus non retractandis, idest super contractibus, qui rescindibiles essent, sed rescindendi non sunt ob juramentum. Nam contractus per se nulli, revera non retractantur. Hæc autem authentica non parum inservit ad explicandam dispositionem cc. 28. h. t., 2. ejusd. in 6°. et 2. *de Pactis* (I. 18) in 6°. Nam in istis capitibus, in quibus urgetur observantia juramenti, sermo est de contractibus mulierum, quæ minoribus æquiparantur, quarum proinde contractus nulli per se non sunt ipso jure, sed rescindibiles ex judicis sententia, ad petitionem partis læsæ. Hinc merito de ipsis Pontifex ait servandos esse ob virtutem juramenti.

11. Quæstio: *de renunciatione in forma juris valida et firmata, quam lex posterior irritat.*

Ex variatione inducta in legislatione civili, in variis locis et præsertim in Italia, exsurgit necessitas hanc quæstionem resolvendi, Videndum est scilicet, utrum renunciatio in favorem alterius, quæ facta fuerit in forma juris valida, et confirmata fuerit juramento, deinde autem fuerit infirmata a lege posteriore, sustineatur ex virtute juramenti.

Ut autem quæstio in forma magis specifica proponatur, quæri potest utrum renunciatio mulieris bonis paternis, quæ dotem congruam a patre obtinuit, quæ renunciatio facta fuerit in forma juris valida sub juramenti fide, et concepta sub expressionibus amplissimis in sensu legis tunc vigentis, deinde autem per aliam legem fuerit infirmata, sustineatur *ratione juramenti,* ita ut in conscientia non posset mulier exposcere regressum in bona paterna, juxta dispositionem novæ legis. Et si placet, quoad ditionem temporalem Romani Pontificis, magis adhuc specifice quæri potest, an mulier, quæ recipiens dotem congruam, juxta legem vigentem (Pontificiam) hereditati paternæ renuntiaverit in forma juris va-

lida, sub juramento, et adhibitis verbis et clausulis amplissimis ('rinuncio ai diritti sperabili e non sperabili, preveduti e non preveduti') possit deinde non obstante juramento optare ad hereditatem paternam ex virtute novæ legis civilis, quæ mulierem ad hereditatem eamdem vocat, et simul declarat nullas et irritas renunciationes hujus generis antea emissas; vel potius utrum in hoc casu obstet juramentum a muliere emissum, ita ut in conscientia teneatur observare renunciationem factam, et sese abstinere ab adeunda hereditate paterna, sibi una cum fratribus a nova lege delata.

12. Præ oculis habendum est principium jam alias expositum in præsenti titulo, quod nempe juramentum habetur in jure tamquam accessorium, ita ut obligationem inducat analogam principali obligationi. Quare, quoniam accessorium sequitur principale, concludendum est, cessante obligatione renunciationis ob legem noviter inductam, cessare etiam debere obligationem juramenti. Videlicet valet in casu theoria juramenti, quod additur contractibus resolubilibus, juxta quam, eo ipso quod contractus resolvitur, resolvitur simul obligatio juramenti.

13. Verum obstat, seu obstare videtur dispositio canonica relata præsertim in cap. 2. *de Pactis* (I. 18) in 6°. per hæc verba 'Quamvis pactum patri factum a filia dum nuptui tradebatur, ut dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis, si tamen juramentum nec vi nec dolo præstito firmatum fuerit ab eadem, omnino servari debebit, cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.'

Verum animadverti potest diversam esse speciem seu hypothesim, in qua judicavit *Bonifacius VIII.* a specie et hypothesi quæstionis nostræ. Sane in specie proposita *Bonifacio VIII.* agebatur de privilegio, quod leges civiles concedebant mulieribus, quod privilegium proinde natum censebatur esse mulieri renuncianti. Unde si mulier renunciaverit sub juramento huic privilegio sibi cognito, eo ipso amplius non poterit sine periculo perjurii recedere a juramento. Recessus enim a juramento nihil aliud erat nisi negatio illius rei, quam promiserat per juramentum. E contra in specie quæstionis nostræ agitur de privilegio seu favore, qui in actu renunciationis non existebat, immo nec prævideri poterat, quia obstabat lex; lex autem de natura sua est perpetua. Quare

renunciatio in casu nostro non poterat comprehendere privilegium regressus in bona paterna.

14. Quinam igitur fuit *sensus* renunciationis in casu nostro?

Quilibet actus censetur ordinatus ad legem sub qua ponitur, idest censetur informatus a spiritu legis vigentis. Hoc præmisso videamus quid valeat renunciatio in nostra hypothesi.

Renunciatio facta fuit sub virtute et influxu legis tunc vigentis, juxta quam legem denegabatur mulieribus successio cum masculis in paternam hereditatem, et solum concedebatur jus dotis congruæ. Quare mulieris renunciatio in casu ita poterat enunciari 'Quoniam mihi lex concedit solummodo jus ad consequendam dotem congruam, sub fide juramenti declaro congruam esse dotem mihi a parte adsignatam, et promitto me nullam fore allaturam molestiam patri, aut fratribus meis, quoad dotis ejusdem congruitatem'. Posita autem nova lege, quæ mulieres vocat cum fratribus ad paternam hereditatem, et irritat renunciationes jam factas, mulier expostulat regressum in bona paterna, non ex titulo legis, sub qua renunciavit, idest, non ex privilegio cui renunciavit, bene vero ex novo titulo vocationis cum fratribus ad paternam hereditatem. Igitur posita nova lege, mulier, adeundo hereditatem paternam non procedit contra suum juramentum. Quod dictum est de dotis renunciatione in casu, dicatur etiam de aliis renunciationibus ejusdem generis.

15. Facit ad rem theoria *Lessii*, qui in materia de principiis justitiæ et juris determinandis est Doctor facile princeps. Hic in suo celeberrimo opere '*De Justitia et Jure*' lib. II. cap. 17. dubitat. 7. num. 52. ita scribit 'Adverte . . . . . duos casus, quibus juramentum de re alioquin licita non obligat . . . . . Secundus est quando juramentum factum fuerit in favorem tertii, sed nemo acceptavit, vel saltem non valide acceptavit . . . . . Accessorium enim sequitur naturam principalis; hinc fit ut quando actus aliquis vel ex juris dispositione, vel ex recepta consuetudine, vel ex agentis intentione, tacitam aliquam conditionem includit, eamdem quoque includit juramentum actui appositum'. Jamvero in hypothesi quæstionis specialis nostræ, renunciatio sub juramento facta fuit in sensu legis tunc exsistentis, et ad tramites ejusdem legis; nempe mulier ideo renunciavit regressum in patrimonium paternum, quia juxta legem contenta esse debebat de dote congrua tantummodo, hanc vero renunciationem mulier non fecisset, si eidem lex de-

disset jus æqualis cum fratribus successionis in paternam hereditatem. Quare illa renunciatio implicitam habebat conditionem 'dummodo non immutetur legislatio'. Quapropter immutata legislatione, eo ipso res incidit in eum statum, a quo ipsa incipere non poterat.

16. Cohæret similis theoria ejusdem *Lessii,* lib. II. cap. 18. Dubitat. 10. num. 71. ubi ita scribit 'Promissio desinit obligare . . . . . si status rerum ita mutetur, ut promissor secundum judicium prudentum non videatur casum illum voluisse comprehendere, quod ex conditione rei promissæ, promissoris et promissarii dispositionibus, ceterisque circumstantiis judicandum est, ut recte Cajetanus . . . . . Ratio est, quia promissio non habet vim, nisi ex voluntate et intentione promittentis, quam expresse vel implicite habet dum promittit . . . . . Nec refert etiamsi juramento promissionem confirmaverit, quia juramentum non dat vim promissioni, nisi secundum eam mentem, qua ipsa censetur facta, unde si promissio habet tacitam conditionem, sive ex juris interpretatione, sive ex mente promittentis, juramentum accedens non tollit eam conditionem, sed solum secundum eam confirmat promissionem.'

Concordant cum *Lessio Abbas* et *Innocentius* in commentario ad c. 'Veniens' 19. h. t., qui hujusmodi constituunt principium 'juramentum desinit obligare, si res fuerit notabiliter mutata'. Ratio hujus principii juridici est, quia non præsumitur promittentis voluntas sese obligandi etiam in casu, quo res eadem non permanserit, sed notabiliter fuerit mutata. Unde in specie peculiari quæstionis nostræ, procul dubio non præsumitur mulier voluisse renunciare juri successionis in capita cum fratribus in paternam hereditatem, quæ deferretur eidem per novam legem, vi cujus legis tolleretur obligatio nihil ultra petendi, præter dotem congruam.

17. Neque obstant expressiones *effrænatæ,* seu formulæ amplissimæ adhibitæ in renunciatione mulieris, quoad regressum in bona paterna, nam formulæ hujusmodi apponi solebant a notariis, et non semel præter actualem cognitionem, imo etiam præter intentionem partis renunciantis. Insuper istæ formulæ adhibebantur in ordine ad sensum et intentionem legis tunc vigentis, quapropter directæ erant ad definiendam congruitatem dotis, quæ a lege relinquebatur, et ad excludendas futuras exceptiones, tum contra vires patrimonii paterni, tum contra augmentum successivum patrimonii ejusdem. Quare formulæ illæ non poterant sese extendere

ad casum, in quo lex nova deferret mulieri successionem in capita cum fratribus in bonis paternis.

18. Loquimur vero de formulis et expressionibus, quæ adhiberi solebant, nam si in aliqua renunciatione peculiari mulier expresse et scienter renunciasset juri quod sibi obvenire poterat ex nova lege, quæ prævidebatur, dicendum videtur renunciationem hanc ingredi theoriam c. 2. *de Pactis* (I. 18) in 6°. Etenim in ista hypothesi mulier renunciasset juri et privilegio sibi cognito, licet futuro.

19. Tandem pro majori claritate quæstionis a nobis propositæ, præstat aliam theoriam communem Doctorum referre, quam *Abbas* facit propriam in Commentario ad c. 33. h. t. et eam exhibet *Tancredi* in opere '*De Religione*' Tractat. IV. lib. 2. disputat. 14. n. 8. Videlicet juramentum subjiciendum esse strictæ interpretationi 'quia ubi de obligatione alicui imposita agitur, est facienda stricta interpretatio. Neque in hoc casu ulla fit injuria juramento, nam ejus favor est tantummodo ut veritas servetur.'

Quapropter concludendum est, in hypothesi nostræ quæstionis, si juramentum potest habere quemadmodum habet sensum verum et determinatum, cum referatur solum ad obligationem assumptam intra limites legis vigentis, et quoad durationem legis ejusdem, dicendum est juramentum non extendi debere ad casum in quo nova lex promulgatur quæ immutet statum juridicum rerum.

20. Quæritur: quid dicendum sit de juramento extorto per *metum gravem?*

In citatis cc. 28. h. t. etc. nullum dicitur esse juramentum emissum ex vi et dolo. Et merito; nam deest consensus jurandi, ubi vis vel dolus interveniat. At ubi sub metu etiam gravi emittatur juramentum, consensus naturalis adest. Metus enim non tollit voluntarium simpliciter. Hinc in cc. 8. et 15. h. t. nec non in cap. 4. *De iis quæ vi metusque causa fiunt* (I. 40), juramentum ex metu gravi emissum, uti validum habetur. Sed in cap. 8. h. t. addit Pontifex, Ecclesiam Romanam solitam fuisse absolvere ab hoc juramento, et relinquere in ministerio Ecclesiæ illum, qui sub fide juramenti ex metu extorti renunciaverat officio suo. Immo in cap. 6. h. t. insinuatur satisfieri obligationi ex juramento ob metum emisso, si res promissa materialiter solummodo præstetur. Nam facta præstatione rei, ait Pontifex, eos qui rem præstitam

receperunt, posse ministerio judicis compelli ad restitutionem faciendam.

21. De juramento, quod in ordine ad judicium emittitur et *judiciale* dici potest.

Non loquimur de juramento testium, quia de eodem sufficienter supra tractatum est. Sermo igitur de juramento *partium litigantium.* At neque loquimur de juramento malitiæ, calumniæ, et de veritate dicenda, de quibus jam actum est, sed tractatio restringitur ad juramentum partium, quod proxime respicit causæ *definitionem.*

22. Triplicis generis esse potest juramentum hujusmodi. Scilicet juramentum *voluntarium,* juramentum proprie *dictum judiciale,* et juramentum *necessarium.*

Juramentum voluntarium illud est, quod extra judicium, sed ob periculum litis futuræ, privata conventione, una pars alteri parti defert, sub ea conditione ut si ausa fuerit jurare, juramentum pro veritate habeatur, et jurans, absque alio processu victoriam assequatur. Legislatio romana huic juramento tantam vim tribuebat, ut eo præstito lis censeretur finita, leg. 17. et leg. «Non erit» ff. h. t.

23. Juramentum in l. 1. ff. h. t. dicitur maximum expediendarum litium remedium. Hinc ubi non suppetant invictæ probationes, vel ubi prævideantur magnæ judiciorum expensæ, solet ad juramentum recurri, quo unus ex collitigantibus, causæ vel pendentis vel futuræ committit bonæ fidei et religioni adversarii sui; aut ipse judex ab alterutro ex collitigantibus exigit juramentum. Si juramentum jam præstitum fuerit, jam quæstio fieri amplius non potest in merito causæ, sed solum utrum juramentum fuerit emissum vel non sub posita conditione. Quam *Abbas* cap. ult. h. t. nn. 1. et 2. docet, ex juramento decisorio jure canonico produci actionem, quia juramentum servandum est. Cc. 6., 26. et 28. h. t.

24. Simile huic juramento est illud, quod specifice appellatur judiciale, et *litis decisorium.* Juramentum hujusmodi illud est, quod una pars ex collitigantibus, abhorrens moras incepti judicii, vel deficiens in rationibus, invocata auctoritate judicis defert alteri parti, sub conditione, ut si jurare ausa fuerit, victoriam obtineat. In juramento hujusmodi aliquid est speciale et diversum a juramento voluntario, ut scilicet pars cui defertur juramentum, habeat

electionem vel emittendi juramentum, vel referendi illud adversario suo, qui non potest sese eximere a juramento præstando, dummodo notitiam facti habeat. Quod si hic absque legitima causa renuat juramentum emittere, tamquam convictus condemnatur. Ceterum judex prudenti suo arbitrio videbit, utrum causa possit rite terminari absque juramento, vel illud saltem salva justitia utile sit, ad expeditiorem exitum litis obtinendum.

Effectus utriusque juramenti est, ut causa finita censeatur, nec objici possit falsitas, quæ videatur fuisse firmata juramento, sed ad summum qui juravit poterit perjurii actione perstringi.

25. Juramentum hujusmodi potest quidem ex consensu partium prodesse, non potest vero nocere tertiæ personæ. Pariter cum habeat rationem transactionis, poterit ab illis deferri vel acceptari, qui possunt transigere. Deferri autem nequit 1°) in causis *matrimonialibus* quoad *vinculum;* causæ enim hujusmodi numquam transeunt in rem judicatam. Cap. 7. *de Sent.* et *Re jud.* (II. 27). 2°) In causis *criminalibus criminaliter actis;* transigi enim de pœna non potest. 3°) In causis *jurisdictionis;* nam possessor juris facto suo libero, non potest remittere in alterius favorem vel totam vel partem jurisdictionis beneficii sui. Quare deferri et acceptari potest juramentum voluntarium vel judiciale solummodo quando intrat interesse privatorum, idest deferentis et acceptantis in quo possunt utrinque remittere, conditionesque vicissim propositas excipere.

26. Tertium juramentum, quod in judicio a partibus præstatur proxime ad causæ decisionem dicitur *necessarium,* et est illud, quod alterutri parti ex collitigantibus, in supplementum probationis defertur ab ipso judice. Dicitur necessarium, quia illud defert judex ex ministerio proprio indagandi veritatem, nec illi cui defertur optio conceditur ad referendum juramentum adversario suo. Defertur autem vel ad complendam probationem, quæ completa et sufficiens non est, et hoc in casu juramentum dicitur *suppletorium* vel ad destruendam præsumptionem, quæ contra aliquem inducta est, præsertim per publicam famam, et dicitur *purgatorium.* Quare juramentum purgatorium defertur reo, ad ostendendam suam innocentiam, defertur vero præsertim quando fama publica clamitat contra aliquem. Nam si revera haberetur violenta præsumptio, aut semiplena probatio, locus non esset purgationi canonicæ.

27. Relate ad juramentum suppletorium, dicendum est illud non admitti posse pro omnibus judiciis indiscriminatim. Nam 1°) exigi nequit quando *sufficientes* habeantur *probationes*. Cap. 2. *de Prob.* (II. 19). 2°) Requiritur ut negotium sit *semiplene* saltem probatum. Si enim nullo modo probetur intentio actoris, absolvendus est reus. Cap. 3. §. fin. *de causa poss. et propriet.* (II. 12). Si vero plene fuerit probata intentio, tunc reus est condemnandus cc. 2. et 8. *de Probat.* (II. 19). 3°) Juramentum suppletorium non admittitur in omnibus causis. Hinc a) non admittitur in causis *criminalibus criminaliter actis,* præsertim ubi pœna est gravissima. In istis enim causis contra reum requiruntur probationes omni exceptione majores, l. ult. Cod. *de Probat.,* et c. 2. C. 2. q. 8. Potest vero judex deferre juramentum reo ad sese purgandum, seu ad ostendendam suam innocentiam, quando contra ipsum judicia militant, quæ communem præsumptionem faciant. Cap. ult. §. «Sane» h. t. Dixi *in causis criminalibus criminaliter actis,* nam in criminalibus civiliter actis, seu ad damnum sarciendum, potest actori deferri juramentum suppletorium. Causis criminalibus æquiparantur causæ civiles, quæ *famosæ* dicuntur, idest irrogant infamiam juris. In hisce enim causis requiritur plena probatio.

b) Non admittitur juramentum in causis civilibus maxime *arduis*, magnique *præjudicii*. Timeri enim potest ne homines spe magni lucri illecti, justitiam et religionem iniquo consilio violent, præsertim cum difficultas causæ removet periculum publicandæ falsitatis jurisjurandi. Porro causæ hujusmodi censentur esse, quæ versantur circa jus unius integræ hæreditatis, vel omnium, aut saltem majoris partis bonorum. Causis arduis et gravibus comparant auctores causas matrimoniales quoad vinculum, et causas religiosæ professionis. In istis enim causis cum agatur de negotio gravissimo, scilicet de statu hominis, admitti nequit contra valorem matrimonii vel professionis juramentum necessarium ob periculum perjurii. Pariter plures auctores ob aliqualem æqualitatem rationis docent deferri non posse juramentum suppletorium in causis beneficialibus, ipsum jus beneficii respicientibus.

28. Quæritur: *cui* deferendum sit hoc juramentum.

I[a]. regula, quæ haberi debet præ oculis est ut ille cui deferendum est juramentum omni *suspicione* careat oportet, et fidem promereat. Scilicet illis defectibus careat necesse est, ob quos leges aliquem removent a ferendo testimonio in judicio. Jura-

mentum enim necessarium succedit in locum probationum et testium depositionis, vel pro parte actoris, vel pro parte rei. Ita Doctores. Quare admitti nequeunt ad juramentum necessarium edendum personæ notatæ infamia sive juris sive facti, usurarii manifesti, hostes infensi, pauperes ex egestate suspecti. Insuper non admittuntur illi, qui alias perjurii reatu, vel alterius vitii macula notati noscuntur, ob quam fide suspecti merito habeantur.

29. IIª. regula est ut juramentum sit de *scientia,* non autem de credulitate. Juramentum enim hujusmodi æquiparatur depositioni testis ad probationem faciendam. Quare illi a juramento emittendo excluduntur, qui factum, de quo quæstio est, non ex seipsis et per sensum corporeum idoneum cognoverunt, sed ex aliorum relatione exceperunt. Hinc ex l. «Marcellus» 11. §. 2. ff. *de action. rer. amot.* non admittitur hæres ad juramentum edendum, super facto defuncti, et in genere nemo admittitur ad juramentum edendum de facto alieno, quia ex propria scientia cognoscere illud non præsumitur.

30. IIIª. regula est ut juramentum illi parti ex collitigantibus deferatur, pro qua militat *semiplena probatio.* Juramentum enim necessarium, ceu sufficienter eruitur ex cap. 2. *de Prob.* (II. 19) et l. 3. Cod. *de reb. credit.,* assumitur ceu alia semiplena probatio ad plenam probationem conficiendam, eique est deferendum, cui jus non aspernabili ratione non minimum adsistit. Hinc ex. gr. si actor unum testem adduxit omni exceptione majorem, ad suam intentionem probandam, reus vero solummodo negavit, juramentum est actori deferendum.

Quod si vero pars, quæ probare deberet, sive quia ejus rationes absolute inspectæ parvi faciendæ sint, sive quia infirmentur non parum, ab argumentis ex adverso adductis, minus quam semiplene probaverit, ita ut solum aliquam præsumptionem induxerit, hoc in casu juramentum deferendum erit adversario suo, ut suum bonum jus, vel suam innocentiam in tuto ponat; nisi tamen ex qualitatibus personarum et circumstantiis aliter faciendum esse judex perspexerit. Ita tenendum esse suadet cap. ult h. t. §. «Sane.»

31. Juramentum necessarium alicui delatum absque legitima causa *recusari* non potest. Qui vero illegitime illud præstare recuset, pro convicto habetur. Cap. ult. h. t. *Legitime* autem recusari potest juramentum 1°) si deferatur ei, cui inest onus probandi, et *sufficienter probaverit* suam actionem vel exceptionem.

Cap. 2. *de Prob.* (II. 19). 2°) recusari legitime potest juramentum ab eo *contra quem* probandum esset, et revera probatum *non* est. Nam valet in hoc casu adagium juris 'Actore non probante reus absolvitur'. Cap. ult. h. t. §. «Sane.» 3°) recusari juramentum potest, si qui jurare deberet, non posset ex *scientia propria* testari de facto controverso. Nam juramentum debet esse de scientia, non de credulitate. 4°) recusari tandem potest juramentum suppletorium sive ratione *causæ*, quæ illud non patiatur, sive ratione *personæ,* quæ postulat ut deferatur, quia jus non habet exposcendi delationem juramenti; ex. gr. si exposcat juramentum procurator, qui careat mandato speciali, vel mandato cum libera facultate, vel non sit procurator in rem suam; sive tandem ratione personæ cui defertur, quia emittere illud non potest, quemadmodum pupilli procurator, aut defensor rerum alienarum. Hæc dicta sint de juramento necessario.

32. Animadvertendum est ad juramentum necessarium posse reduci juramentum, quod in 'litem' appellatur; de quo est titulus specialis in Pandectis *'de in litem jurejurando.'* Hoc juramentum locum habet, cum aliquis ob vim vel dolum alterius, res suas amisit; et licet in genere constet de vi, de dolo, et de damno, tamen quantitas damni determinari non potest ex legitimis probationibus. Modus autem procedendi hic est, juxta l. 7. Cod. *Unde vi.* Ille, qui damnum passus est, debet coram judice enumerare omnes res amissas, et earum valorem indicare. Deinde judex prudenti arbitrio taxat quantitatem damni. Ille autem, qui damnum passus est, jurare debet super hac quantitate et non ultra, et reus in hac eadem quantitate condemnabitur. Cap. ult. *de iis quæ vi metusve causa fiunt* (I. 40); et l. «Videmus» §. «deferre» ff. *de in litem jurejurando.* Quod si quantitas taxata a judice sit minor vera quantitate damni, conceditur jus appellandi a judicis decreto.

De interpretatione juramenti.

33. Quædam *communia* sunt juramento *adsertorio* et *promissorio,* quædam vero *propria* sunt juramenti *promissorii.* 1°) Utrique juramento commune est, ut *stricta* et rigida *interpretatio* eligenda sit, ita sentiendum est juxta dispositionem cap. 19. *de Verborum Signif.* (V. 40) et reg. 15. *Jur.* (V. 12) in 6°. Hinc in juramento dubia locutio, quæ ex bona fide procedat, debet in favorem jurantis

accipi et explicari. Ratio est tum quia debet, quo fieri possit removeri perjurii periculum, tum quia juramenti obligatio non est admittenda, nisi clare et aperte de ea constet. Nemo enim censetur se sub juramenti fide voluisse obligare ultra cogitata. Huc faciunt species cc. 16. et 23. h. t. in quibus capitibus traditur non posse extendi juramentum ad ea, de quibus si quis cogitasset, verisimiliter non juravisset.

Verum si jurans *ex dolo* verbis dubiis et incertis usus sit, *contra* ipsum interpretatio facienda est; c. 9. C. 22. q. 5.

34. De juramento *promissorio* 2°. ut habeatur explicatio sincera, attendendæ sunt quædam conditiones, quæ inesse juramento præsumuntur. Cap. 25. h. t. — Iª. est ut si versetur juramentum circa materiam, quæ cadit sub dispositionem juris, debeat intelligi ipsa dispositio juris *communis*. Hæc regula traditur in summario cap. 21. h. t., quæ ita se habet 'Juramentum generale debet ita intelligi, si fieri potest, ut non obsit juri, alias tamquam temerarium non obligat contra juris observantiam.' Plura afferuntur exempla: 1ᵘᵐ traditur in eodem cap. 21. h. t.; ubi cum Episcopus Neapolitanus juravisset se in omni causa processurum juxta ordinem judicialem, Romanus Pontifex respondet, ipsum sine detrimento juramenti, posse procedere in crimine manifesto absque accusatione, ob eam rationem, quia jus commune in rebus manifestis juxta cap. 9. *De Accusationibus* (V. 1), non requirit accusationem ut procedatur.

2ᵐ exemplum affertur de clerico, qui sub juramenti fide spopondit perpetuam residentiam in loco beneficii. Sub hoc juramento non comprehenduntur casus, in quibus juxta jus commune clericus potest abesse.

3ᵐ exemplum est quod juramentum de observantia constitutionum capitularium et aliorum statutorum, nec non regulæ religiosi instituti, intelligendum est juxta modum in ipsis constitutionibus, statutis et regulis expressum. Hinc ex. gr. ea, quæ juxta statuta vel regulas materiam levem constituunt obligationis, etiam levem materiam constituunt juramenti. Desumitur hæc conclusio ex Clem. 1. *De Verbor. Signif.* (V. 11) §. «In primis.» Qua in re etiam præstat animadvertere juramentum servandi statuta et constitutiones, non extendi ad statuta vel constitutiones, quæ in posterum conficiantur. Juramentum enim debet habere objectum determinatum. Ita in cap. 35. h. t.

35. IIa. conditio subintellecta in juramento est, ut semper remaneat salvum jus, et salva semper sit auctoritas *superioris*. Ita fert summa cap. 13. h. t. Cum enim Consules *Tudertini* juramentum edidissent, se in mutuis et plagiariis (Gloss. *fidejussoribus*), sententiam laturos fore juxta patriæ consuetudinem, cumque juxta hanc consuetudinem sententiæ essent intra viginti et octo dies executioni mandandæ, consules hujusmodi putarunt se posse, immo debere negligere appellationem interpositam ad Sedem Apostolicam, et ea non obstante exsequi sententiam. At *Innocentius* hunc procedendi modum reprehendit, animadvertens juramentum editum a Consulibus servandi consuetudines loci non posse lædere jus superioris, quod habet recipiendi appellationem a sententia judicis inferioris, qua appellatione recepta, suspenditur exsecutio ipsius sententiæ judicis inferioris. Juramentum igitur non potest lædere jura et potestatem superioris. Simile admodum exemplum nobis exhibet cap. 22. h. t.

36. IIIa. conditio subintellecta est, ut obligatio juramenti non urgeat si res *notabiliter* fuerit *mutata*. Exemplum affert cap. 25. h. t.; ubi traditur virum non teneri ex fide juramenti, ad mulierem ducendam, quæ post juramentum labe fornicationis maculata sit.

37. Tandem in juramento reciproco hæc implicita inest IVa. conditio, *dummodo altera pars fidem servaverit*. Quemadmodum enim docet *regula* 75. *Jur.* (V. 12) in 6⁰. 'frustra sibi quis fidem postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat'. Insuper aperta et clara est dispositio cc. 3. et 29. §. ult. h. t. Ratio generalis est quia juramentum sequitur naturam obligationis, atque ejusdem extensionem, quæ ex ipsa promissione derivat, promissio autem reciproca est natura sua conditionata.

Titulus XXV.

De Exceptionibus.

Probationes principaliter pertinent ad actorem, exceptiones ad reum. Hinc post tractatum de Probationibus in genere et in specie, subnectitur titulus de Exceptionibus, seu tractatur de modo defensionis rei.

1. Vocabulum *exceptio* si lato sensu sumatur, comprehendit etiam reconventionalem actionem, qua reus sese contra actorem

tuetur; stricto autem sensu sumpta exceptio definitur juxta *Ulpianum* l. 2. ff. h. t. 'exclusio actionis, seu intentionis actoris'. Clarius autem definiri potest ut sit: *'Assertio rei contra factum vel jus actoris, ad retardandam vel elidendam intentionem actoris ejusdem.'*

2. Hinc aliæ sunt *peremptoriæ* et *perpetuæ,* aliæ autem *temporales.* Primæ sunt, quæ prorsus elidunt intentionem actoris et afficiunt ipsum meritum causæ, ita ut si exceptio sit legitima, ipsum jus actoris destruat; ex. gr. exceptio rei judicatæ, pacti de non petendo in perpetuum, transactionis, solutionis etc. Temporales, seu *dilatoriæ,* eæ sunt, quæ non diriguntur contra ipsum jus actoris, seu contra meritum quæstionis, sed solummodo tendunt ad impediendum præsens judicium, et suspendere conantur virtutem juris, quod adversa pars, hic et nunc experitur. Hinc eo quod judicium ad aliud tempus distrahunt, dilatoriæ appellantur.

3. Exceptiones hujusmodi dilatoriæ 1⁰) dirigi possunt contra ipsam *personam judicis,* quo in casu cum tendant ad declinandum forum, dicuntur *declinatoriæ fori.* Excipi vero potest contra judicem, vel quia incompetens est, vel quia in causa suspectus merito habetur. Suspectus autem est judex vel propter amicitiam, vel cognationem, vel affinitatem, qua ligatur cum adversario, vel propter hostilem animum, quem gerit erga ipsum reum, vel ob imperitiam, vel eo quod munus advocati exercuit in eadem causa, vel quia versatur in eodem, vel in simili negotio. Arg. cap. 36. *de Appellat.* (II. 28).

4. 2⁰) Possunt actiones dilatoriæ dirigi contra ipsum *actorem,* vel ejus procuratorem; ex. gr. si ob censuras, quibus innodantur, ab agendo repelluntur. Pariter qui agit, potest ope exceptionis repelli si possideat titulum actionis ex modo a lege interdicto, ex. gr. ex alienatione facta judicii mutandi causa.

5. 3⁰) Possunt dirigi exceptiones contra ipsam *causam:* ex. gr. si quod debebatur sub conditione, aut ex die, absolute aut illico postuletur. Talis est exceptio de non petendo ante certum tempus.

6. 4⁰) Tandem dilatoriæ exceptiones dirigi possunt contra ipsum *ordinem judicialem* non observatum. Ex. gr. si libellus introductivus non fuerit rite confectus, si citatio tempore feriarum facta fuerit.

7. Quæritur: *quis possit excipere.*

Exceptio est species defensionis, omnis ergo, qui actione percellitur, poterit exceptionem proponere, si eam in promptu habeat. Omnis ergo reus poterit excipere. Quare etiam ille reus excipere poterit, qui reconventionalem actionem proponere nequit, quia nemini jus sese defendendi adimitur. Hinc *Ulpianus* in *reg.* 156. *Jur.* ff. 'Cui damus,' ait, 'actiones, eidem exceptiones competere multo magis quis dixerit.' Scilicet facilius conceditur excipere, quam agere, et ideo qui agere non potest, poterit tamen exceptionem proponere.

8. Quare si legitima exceptio opposita a judice spernatur, sive per sententiam interlocutoriam, sive per judicii prosecutionem factam non obstante exceptione, reus merito censetur gravatus, et juxta dispositionem cap. 67. *de Appellat.* (II. 28), ab hoc gravamine poterit appellationem proponere. Consonat argum. cap. 7. h. t.

Neque obstat dispositio Conc. Tridentini in Sess. 24. *De Ref.* c. 20. ubi statuit non posse a tribunali judicis inferioris appellari ad tribunal superius, nisi in casu sententiæ definitivæ, vel sententiæ vim habentis definitivæ. Nam Concilium eam prohibet appellationem, qua totum negotium de uno ad aliud tribunal transfertur, ut judex superior de merito causæ ex integro videat. In casu autem nostro appellatio non respicit integrum negotium, sed solummodo gravamen rei ob neglectam exceptionem. Quare remanente causa principali penes inferius tribunal, judex superior poterit videre, utrum attendenda sit vel non exceptio rei, simulque, si ita videatur, poterit judici inferiori præcipere, ut exceptionem admittat. Ita in cap. 7. h. t. Ceterum cum dispositio cap. 67. *de Appellat.* (II. 28) clara et aperta sit, si voluisset Concilium eidem derogare, de ea procul dubio mentionem fecisset.

9. Quid vero dicendum si a Sede Apostolica delegati fuerint judices cum clausula '*ut procedant non obstantibus exceptionibus*'?

De hac quæstione agit cap. 13. *De offic. et potest. judic. deleg.* (I. 29). Ex modo loquendi *Alexandri III.* in hoc capite patet, judicem etiam delegatum teneri semper ad observandas rationabiles exceptiones.

Quid vero si in mandato delegationis Pontifex præcipiat judicibus ut procedant in cognitione causæ non obstantibus exceptionibus rationalibus ex adverso oppositis? Respondet Pontifex absolute loquendo hoc in casu judices debere spernere legitimas ex-

ceptiones. Ratio est quia supremus Princeps in casibus particularibus potest juri tertii derogare. Verum adnotat Pontifex hanc hypothesim esse fere impossibilem. Ait enim neque se neque suos Antecessores umquam rescripsisse cum clausula 'ut procederetur etiam rationalibus exceptionibus non obstantibus.' Quare ex modo loquendi firmat regulam generalem, judicem nempe etiam delegatum attendere et observare debere exceptiones legitimas.

10. Quæritur: utrum reus possit opponere *plures* exceptiones, quæ contrariæ inter se sint, vel saltem casus diversos considerent.

Primo intuitu videretur non posse, nam reus inconstans in negatione actionis vel in declinatione fori, vel in vitando judicio non videtur fraude carere. Cui rationi et alia accedit ratio deducta ex ordine judiciali. Scilicet actor plures actiones præsertim oppositas non potest proponere, ergo neque reus plures exceptiones proponere poterit. Reus enim juxta dispositionem leg. 1. ff. h. t. excipiendo fit actor.

Non obstantibus rationibus allatis potest reus uti pluribus exceptionibus. Nam non solum in l. 8. ff. h. t. sed etiam in cap. 15. *De præscriptionibus* (II. 26) aperte traditur theoria affirmans. Ratio est, quia juxta *regulam* 20. *juris* in 6⁰. 'nemo uti pluribus defensionibus prohibetur.' Jamvero exceptio nihil aliud est quam species defensionis. Ex qua animadversione etiam fluit responsio secundæ difficultati. Videlicet non valet argumentum deductum ab exemplo actoris, qui plures actiones experiri nequit. Nam cum exceptio sit species defensionis, conceditur reo ut plures etiam proponat exceptiones; quemadmodum actori conceditur facultas afferendi plura argumenta ad suam intentionem probandam. Immo quamvis exceptio nollet considerari et haberi ceu propriedicta defensio, sed ceu remedium ad instar actionis, tamen non valeret comparatio inter actorem et reum. Scilicet quamvis actori interdictum sit plures actiones ad idem jus assequendum experiri, tamen dicendum non esset interdici reo plures experiri exceptiones. Jura enim magis favent et subveniunt reo, qui coactus in judicium trahitur, quam actori, qui libere suam intentat et prosequitur actionem. Nec valet prima ratio dubitandi; nam multiplicatio exceptionum nihil aliud est, quam multiplicatio defensionum, quæ vetita non est, neque per se suspicionem gignit malæ fidei. Qui enim sese tuetur, potest nescire quænam defensio futura erit magis efficax ad removendum judicis animum, et ob hanc solam rationem

plures exceptiones proponit. Quare qui proposuit exceptionem facti, qua nempe excluderet factum ab actore propositum, non impeditur quominus inde proponat exceptiones juris.

11. Possunt vero plures exceptiones non solum ex intervallo, sed etiam *simul* proponi. Nam jura non distinguunt inter successivam et simultaneam propositionem plurium exceptionum. In cap. autem 15. *De præscr.* (II. 26) exhibetur species de simultanea duarum exceptionum propositione. Immo ex eodem capite inferunt Doctores posse simul proponi plures exceptiones contrarias. Hæc vero contrarietas non est intrinseca, ita nempe ut ferat ad contradictoria, vel ad opposita, quemadmodum esset, si affirmaretur et negaretur aliquid, sed est contrarietas secundum sensum et intentionem legum. Quod ut intelligatur, consideretur principium traditum in cap. 6. *de fide instrum.* (II. 22) §. «cæterum.» 'Quod meum est ex una causa, meum fieri non potest ex alia causa, nisi meum esse desierit.' Hinc qui habet prædium ex hæreditate, non potest illud idem deinde habere ex alio titulo, manente adhuc primo titulo, quia posito valore juridico prioris tituli, titulus superveniens caret sua efficacia, idest nihil intrinsece quoad jus operatur. Quo posito exceptio ex uno sufficienti titulo, ex. gr. emptione, est contraria in sensu legum exceptioni ex præscriptione. Jamvero in cit. cap. 15. admittitur duplex exceptio simultanea, scilicet ad probandam exemptionem aliquarum ecclesiarum utiliter recipitur exceptio privilegii apostolici, et exceptio præscriptionis contra jurisdictionem Episcopi.

Hoc autem in casu duplicis contrariæ exceptionis a reo propositæ, conditio subintelligitur, ut nempe si una non valeat, assumatur et expendatur altera exceptio. Scilicet oppositio contrariarum exceptionum intelligitur facta disjunctive, non autem copulative.

12. Si quæratur quinam sit *ordo juridicus* in pluribus exceptionibus proponendis et expendendis, dicendum est regulariter primo loco proponendas et expendendas esse exceptiones, quæ impugnant ipsam jurisdictionem seu *competentiam* judicis. Deinde exceptiones, quæ *personam* judicis afficiunt, quia suspectus. Tandem eas exceptiones proponendas esse, quæ competunt ratione *libelli, causæ,* et reliquas, quæ possunt locum habere.

13. Quæritur: *quo tempore,* seu in quo stadio judicii exceptiones sint proponendæ. Exceptiones dilatoriæ regulariter sunt pro-

ponendæ *ante* litis contestationem, tendunt enim ad impediendum judicium præsens. Hinc proponendæ sunt antequam per quasi-contractum in contestatione litis a partibus collitigantibus initum, status judicii determinetur, et judicis jurisdictio recognoscatur. Hinc in specie, si sermo sit de exceptionibus declinatoriis, nisi opponantur contra judicem ante contestationem, censetur prorogata jurisdictio ejusdem e partium consensu. Immo ne diu protrahatur tempus ad hasce exceptiones dilatorias proponendas, statuit *Innoc. III.* in cap. 4. h. t. posse judicem definire tempus peremptorium earumdem dilationum proponendarum. Quo tempore inutiliter elapso præsumitur quis renunciasse suis exceptionibus, nisi specifice sibi reservaverit aliquam ex illis producendam, cum melius ejus probatio in promptu fuerit. — Verum juxta sensum cap. 4. h. t. etiam *post* terminum præfixum, et post ipsam litis contestationem possunt utiliter exceptiones proponi: 1°) Si ex *postfacto* exceptio de novo exorta fuerit, ex. gr. si actor committat spolium; 2°) si antea *cognita* non fuerit; qui autem opponit exceptionem hanc, sub juramenti fide affirmet oportet tunc primum eamdem exceptionem sibi innotuisse; 3°) si exceptio talis sit, quæ reddat *nullos* causæ actus antecedentes; quod præsertim contingit, quando agitur de exceptionibus contra judicem, cujus jurisdictio prorogari nequit ex partium consensu; ex. gr. si judex laicus acta judicii confecerit in causa spirituali. 4°) Exceptio *communicationis* semper potest proponi in progressu judicii. Cap. 12. h. t.

14. Exceptiones *peremptoriæ* regulariter opponi possunt post litem contestatam, usque ad conclusionem in causa. Ante litem contestatam opponi regulariter non possunt exceptiones hujusmodi, ceu traditur in cap. 1. *De litis contest.* (II. 3) in 6°. Nam cum actio peremptoria dirigatur adversum ipsum jus actoris non debet opponi antequam constet de quo jure præcise quæstio est, et antequam saltem in genere constet utrum actor possit vel non possit sufficienter demonstrare suam intentionem. Si enim actor prorsus careat probationibus, eo ipso absque ulla exceptione reus absolvitur. Quare inutiliter proponuntur exceptiones peremptoriæ ante litem contestatam, et si de facto proponantur non retardant cursum judicii. Verum si exceptio est notoria, vel sit exceptio litis finitæ, possunt optime proponi etiam ante litis contestationem quando directe impetunt actionem clare expressam in libello. Cap. 1. *de lit. cont.* (II. 3) in 6°. In notoriis enim judex permittere nequit, ut

causa in formale judicium deducatur juxta cap. 10. *de filiis presbyt.* (I. 17), nec patiendum est lites jam finitas iterum reviviscere et diu protrahi.

15. Exceptiones *peremptoriæ* proponi nequeunt *post sententiam definitivam*. Judex enim post datam sententiam non potest retrogredi, et iterum causam videre; hinc post sententiam definitivam remanet solum remedium appellationis, et pro minoribus et ecclesiis remanet etiam extraordinarium remedium restitutionis in integrum. Verum etiam post sententiam definitivam exceptio peremptoria admittitur, quando principaliter respicit exsecutionem ipsius sententiæ. Ita ex. gr. exceptio ex privilegio competentiæ quo clerico obærato tribuitur, ut exsecutio plene non fiat, sed salva remaneat congrua sustentatio. Item exceptio falsi potest etiam proponi post sententiam definitivam. Cap. 6. h. t.

16. Cum vero causa pertractatur in gradu appellationis, possunt in eo eædem proponi exceptiones peremptoriæ, quæ proponi potuissent in primo gradu jurisdictionis. Nam in secundo gradu jurisdictionis pertractatur causa ex integro. At si constet exceptionem peremptoriam non fuisse propositam in primo gradu jurisdictionis ex malitia rei conventi, qui sibi reservavit exceptionem ut ea uteretur in gradu appellationis ad fatigandum actorem, hoc in casu excludi debet exceptio proposita cum tractatur causa in gradu appellationis. Ratio est quia jura numquam fraudibus et artibus subdolis favere intendunt. Hinc quamvis exceptio excommunicationis sit privilegiata, ita ut semper proponi possit, tamen si constiterit fuisse ex malitia dilatam, quamvis admittatur, tamen reus condemnatur ad legitimas expensas actori refundendas. Ita in cap. 12. h. t.

17. Tandem duo sunt animadvertenda. 1°) Reum excipientem *probare* debere suam exceptionem. Reus enim excipiendo fit actor. Hinc efficax non est exceptio vel ad declinandum forum et judicium vitandum, vel ad elidendam prorsus intentionem actoris, nisi probetur. 2°) Animadvertendum est ipsam exceptionem posse elidi per contrariam *replicationem* actoris, qua actor inficiatur et oppugnet exceptionem rei. Porro reus potest iterum respondere et excipere contra replicationem actoris, quæ responsio appellatur *duplicatio*. Atque si inde respondeat actor habebitur *triplicatio*, et deinde *quadruplicatio*. Verum cavendum est ne ob iteratas exceptiones et responsiones diu protrahatur judicii exitus. Hinc

ordinarie in tribunalibus caveri solet ne ultra quadruplicationem aliæ exceptiones opponantur.

Titulus XXVI.

De Præscriptionibus.

1. Præscriptio est una ex exceptionibus, quæ ob suam difficultatem specialem tractationem exigit. Hinc merito postquam actum est de exceptionibus in genere, in specie tractatur de præscriptione.

Præscriptio igitur considerata uti exceptio potest definiri: 'Exceptio peremptoria vi cujus possessor bonæ fidei post legitimum tempus possessionis potest repellere dominum, qui repetat rem suam vel usum juris antiqui.' Magis autem generice potest definiri ut sit: '*Modus legitimus acquirendi jus vel liberationem aliquam, procedens per possessionem modo et tempore a legibus definito continuatam.*'

2. Dicitur *modus legitimus,* quia a legibus humanis inductus, licet enim naturæ jus vellet ut sua unicuique bona servarentur, juxta illud principium 'res clamat ad dominum', tamen, ceu notat *Alexander III.* in cap. 5. h. t. ad vitandam miserorum segnitiem et longi temporis errorem et confusionem, uno verbo propter publicum bonum, leges invexerunt præscriptionem. Scilicet exclusa præscriptione rerum singularum dominium ex titulis non solum justis, sed etiam veris probari debet. Quod cum sæpe sæpius sit arduum, sequitur statum proprietatis, seclusa præscriptione nutare debere. Unde qui pacifice longo tempore opinione domini possideret, certus undequaque non esset de suo jure, nec proinde sedulo labore excoleret res suas, ac proinde segnities foveretur. Pariter exclusa præscriptione facile confusio daretur in proprietatem rerum. Etenim ad probandam rem esse meam, non sufficit probare illam mihi obvenisse ex titulo justo ex. gr. ex emptione, ex donatione etc., sed probandum est, eum qui mihi rem dedit, fuisse verum dominum rei, immo exclusa præscriptione etiam antiquiorum possessorum, quod non adeo facile probari potest. Quare nisi diuturna possessio cum reliquis requisitis juvaret ad dominium habendum, facile nutaret securitas proprietatis, lites multiplicarentur, et confusio oriretur in divisione proprietatis seu dominii. Ob istas rationes boni publici leges induxerunt præsumptionem, quod nempe dominus pro derelicta haberet rem, quæ ab altero præscripta esset;

14*

atque ita res fit propria legitimi occupantis. Præscriptio ergo non adversatur juri naturæ, sed illud interpretatur.

Dicitur in definitione *jus vel aliquam liberationem,* ut intelligatur acquisitio juris positivi, et acquisitio juris negativi, seu exclusio juris alieni in re nostra.

Reliqua in definitione clara sunt, et insuper de his sermo erit suo loco.

3. Olim præscriptio distinguebatur ab *usucapione:* 1°) quia usucapio tribuebat *dominium,* et proinde erat unus ex modis acquirendi, præscriptio autem solummodo dabat *exceptionem.* 2°) Usucapio solummodo in rebus *corporalibus* locum habebat, quia in ipsis solis verificari potest dominium; præscriptio autem etiam ad res *incorporales,* idest ad jura extendi poterat. 3°) Usucapione acquirebantur res soli *italici,* præscriptio etiam in rebus *provincialibus* verificari poterat. 4°) Ratione *temporis* etiam distinguebantur. Nam usucapione res mobiles anno acquirebantur, immobiles vero biennio, e contra in præscriptione necessarium erat tempus 10, 20, vel 30 annorum, vel etiam longius.

Sed Imperator *Justinianus* in l. un. Cod. *de usucap. transfer.* in unam massam univit usucapionem et præscriptionem. Quare post Justinianum una pro alia indiscriminatim usurpatur.

Divisiones præscriptionis.

4. Præscriptio alia est *formalis* seu in *facto esse,* alia *causalis* seu in *fieri.* Prior est ipsum jus acquisitum per possessionem continuatam modo et tempore legibus determinato. Secunda præscriptio consistit in actibus illis, qui diriguntur ad obtinendum jus. Hoc in sensu præscriptio dicitur incipere, currere vel interrumpi.

5. Præscriptio alia est *ordinaria,* alia *extraordinaria* et *longissimi temporis,* alia *immemorialis.* Ordinaria est quæ completur cursu ordinario temporis, quod in rebus mobilibus est triennium, in immobilibus est decennium inter præsentes, viceennium inter absentes. Extraordinaria est quæ completur longissimo tempore 30 vel 40 annorum, vel etiam 100 annorum, quæque nomine proprio appellatur *centenaria.* Tandem immemorialis verificatur, cum initium possessionis excedit memoriam hominum nunc existentium. Vel clarius præscriptio immemorialis ea est, cujus initium excedit memoriam hominum. Verificatur autem quando nemo ex

actu viventibus de initio præscriptionis recordatur, et insuper actu viventes testantur se a majoribus accepisse, rem ita et non aliter se habuisse.

De qualitatibus seu conditionibus præscriptionis.

6. Qualitates præscriptionis hisce continentur versiculis:

Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus,
Possideat vere completo tempore legis.

Scilicet conditiones ad legitime præscribendum sunt: 1⁰) ut res sit præscriptibilis. 2⁰) Ut habeatur bona fides in præscribente. 3⁰) Justus titulus. 4⁰) Vera possessio continuata ad tempus in iure statutum.

Requiritur A. *ut res sit præscriptibilis,* non omnes enim res possunt præscribi. Scilicet

a) præscribi nequeunt res, quæ vel in *nullius* dominio sunt, vel usibus publicis deputatæ, ex. gr. aer, forum, via publica.

b) Præscribi nequeunt res *sacræ,* quæ divino cultui mancipatæ extra hominum dominium positæ sunt. Pariter jura *spiritualia* nequeunt præscribi a laicis, ob inhabilitatem ad eadem possidenda vel quasi possidenda. Talia sunt jus decimandi post dispositionem cap. 7. *de his, quæ fiunt a Prælat.* (III. 10); jus beneficia conferendi. Ita in cap. 7. h. t. Possunt vero hæc jura præscribi a clericis. Ita in cc. 1., 4., 6. etc. h. t. Ratio est quia clerici habiles sunt in jure ad quasi possidendum in hac materia.

7. Quæritur: utrum præscribi possint jura *episcopalia,* et in specie utrum præscribi possit exemptio ab onere subjectionis erga Episcopum, visitationis ejusdem et procurationis eidem debitæ.

Videretur dari posse hæc præscriptio juxta cc. 15. et 18. h. t. nec non ex cap. 16. *de Off. Ord.* (I. 31) et 7. *de Privileg.* (V. 7) in 6⁰.

Verum contraria conclusio traditur in cc. 12. et 16. h. t. Hæc capita quæ inter se contraria videntur esse, conciliantur, si distinctio fiat inter præscriptionem *exstinctivam* et *translativam.* In cc. 12. et 16. h. t. sermo est de prohibitione exstinctiva, quæque prohibetur. Scilicet præscribi non potest ut nulli præstari debeat obedientia, ut a nemine quis sit visitandus, nemini præstet procurationem, quæ, ceu adnotat *Innocent. III.* in cap. 16. h. t. natura sua Prælati visitationem subsequitur juxta illud Apost. (1. Cor. IX., 11. 7.) 'Qui spiritualia seminat, non est magnum si metat car-

nalia, cum nemo cogatur suis stipendiis militare.' Hæc præscriptio, quæ exstinguit jus superioris et relativam obligationem subditorum, interdicta est. Inducit enim effrænatam libertatem a quacumque auctoritate, et in Ecclesia Christi acephalos faceret exsistere. Quod vero de hac præscriptione loquatur dispositio prohibitiva cap. 12. et cap. 16. patet ex verbis cap. 12. in principio 'cum non liceat a capite membra recedere', nec non ex specie utriusque capitis. Sane in cap. 12. agitur de duobus Prioribus, quorum Ecclesiæ licet constitutæ erant in diœcesi Bracharensi, nec ulli alteri superiori subderentur, tamen Archiepiscopo obedire nolebant invocantes præscriptionem. Pontifex decernit prædictos Priores teneri ad præstandam, sicut alii clerici diœcesani faciebant, obedientiam et reverentiam Archiepiscopo, non obstante præscriptione temporis.

In cap. autem 16. agitur de Abbate S. Maglorii, et de rectoribus aliquarum Ecclesiarum diœcesis Parisiensis, qui Archiepiscopo Senonensi ratione sui officii archiepiscopalis visitationem peragenti renuebant procurationem præstare ob hanc solam rationem, quia non meminerant se prædecessoribus ejusdem procurationem exsolvisse. *Innoc. III.* decrevit procurationem esse præstandam, quia subditi nequeunt tum procurationem, tum præstationem visitationis præscribere, licet alius contra Archiepiscopum utramque præscribere valeat.

8. In cc. autem 15., 18. h. t., 16. *de Off. ordin.* (I. 31) et 7. *de Privileg.* (V. 7) in 6°. sermo est de præscriptione translativa, quæ nempe transfert jus de uno in alium superiorem, scilicet ut vel immediate Romano Pontifici, aut alteri prælato inferiori obedientia, et altera solvantur onera, quæ Episcopo, idest superiori locali præstanda essent et solvenda. Igitur quamvis subditus donec maneat talis, non possit præscribere contra superiorem suum dependentiam et alia onera, tamen præscriptio potest locum habere relative idest translative ad aliam personam, quæ in locum superioris accedat.

Quamvis ex dictis præscribi possit exemptio a juribus episcopalibus, et in genere a juribus superioris relate ad aliquem locum vel ecclesiam positam intra limites jurisdictionis superioris, et quamvis juxta dispositionem cap. 9. h. t. fines prædiorum ecclesiasticorum possint præscribi, tamen juxta cap. 4. *de Parochiis* (III. 29), quod alludit ad cc. 4., 5., 6. C. 16. q. 3. præscriptio non valet

contra fines Parochiarum quando sunt cogniti et legitime distincti, et ob paritatem rationis etiam diœcesum et provinciarum. Gloss. in ipsum cap. 4. *de Parochiis* (III. 29) v. «Per canones.» Videtur enim jus speciali modo adsistere terminis et limitibus diœcesum et Parochiarum, ne facile Episcopus vel Parochus invadat alienam provinciam, et confusio inde oriatur in administratione sacramentorum et in exercitio jurisdictionis, adeo ut saltem præscriptio ordinaria excludatur.

9. c) Tandem nonnullæ res impræscriptibiles sunt ob vitium, quod eisdem inhæret. Tales sunt res *furtivæ* vel *vi possessæ.* Res hujusmodi præscribi nequeunt a fure, qui mala fide eas detinet, quæcumque sit duratio possessionis furis ejusdem. Immo nec usucapi possunt præscriptione ordinaria a tertio possessore, licet sit in bona fide, nisi fuerint a vitio furti, vel rapinæ purgatæ. Purgantur vero quoad possessorem bonæ fidei, res a vitio furti vel violentæ occupationis 1°) per præscriptionem longissimi temporis, seu 30 vel 40 annorum; l. «Sicut rem.» Cod. *de Præscript. 30 vel 40 annor.*, et l. 1. §. «ad hæc» Cod. *de annali exceptione.* Ita *Lessius de Justitia et Jure* lib. II. cap. 6. dubitatione 15. et 48. Eo autem fortius res a vitio purgatur per centenariam et immemorialem præscriptionem. 2°) Purgatur vitium si res fuerint iterum in manum domini reversæ. Dominus autem ad effectum præscriptionis etiam intelligitur ille, qui rem bona fide possidebat, licet non esset sua, et ab eo esset sublata.

10. B. Alterum requisitum præscriptionis est *ut firmetur bona fide.* Scilicet qui rem possidet, animo et persuasione domini possidere eam debet. Hæc autem bona fides debet esse absoluta, nec sufficit relativa ad aliquam tantum personam. Scilicet, quemadmodum ait Pontifex in cap. ult. h. t. requiritur ut qui præscribit rem, habeat conscientiam rem non esse alienam. Quare qui arbitratur rem quam possidet esse Titii, dum revera est Sempronii, non præscribit contra Sempronium, licet relate ad Sempronium dici posset versari in bona fide. Nam non est absolute in bona fide, seu in opinione quod res sua sit. Cf. *Engel* h. t. n. 13. qui limitat conclusionem nisi bona fides et præscriptio fuerit respectu diversorum jurium, v. g. si sciam quidem rem esse alienam, sed gnorem alteri in ea competere usumfructum, hypothecam, aut simile jus quoddam, tunc enim quoad ista jura, quæ bona fide ignoro, non impedietur præscriptio.

11. Jus civile ad præscribendum requirebat bonam fidem ab initio tantum, ita ut non interrumperet aut impediret mala fides seu contraria persuasio superveniens ante tempus a legibus definitum ad præscribendum l. un. Cod. *de Usucap. transferenda*. Jus vero canonicum correxit jus cæsareum in hac re statuitque ad legitime præscribendum necessariam esse bonam fidem, non solum in principio possessionis, sed etiam in toto annorum cursu, qui ad præscribendum præfinitus est. Cc. 5. et ult. h. t.

12. Quæritur: utrum qui *dubitat* de suo jure, vel de legitima possessione, censeatur esse bona fide ad præscribendum.

Doctores distinguunt inter dubium, quod verificatur *initio* possessionis, et illud, quod exsurgat in *decursu* possessionis. Dubium in principio possessionis vitiat præscriptionem, nam nemo sibi arrogare debet et arripere rem, quam certus non est suam fore. Quare deficiente certa persuasione rem habendi animo domini, nec bona fides in possessore locum obtinet.

13. Quod si possessio initium duxit cum certa opinione dominii et juris, dubium inde superveniens non vitiat præscriptionem, neque interrumpit. Nam posito facto legitimæ possessionis, quoad usque res dubia est, valet regula 'melior est conditio possidentis'. Regula est 65. *Jur.* in 6°. Scilicet nemo potest de legitima possessione turbari, aut de juribus inde supervenientibus, nisi contrarium clare constet. Hinc in cap. ult. h. t. illum solum dicitur præscribere non posse, qui in aliqua parte temporis habeat *conscientiam rei alienæ*, scilicet scientiam habeat rem non esse suam. Juxta enim c. 5. C. 34. q. 1. et 2. *in jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.* Ex hac conclusione sequitur possessorem cum dubium superveniat posse pro sua possessione præsumere. Unde gloss. fin. in cap. ult. h. t. ita scribit 'Qui dubitat an res sit sua, et habet justam causam dubitationis, adhuc dicitur bonæ fidei possessor et utitur fructibus; (l. «Qui scit» ff. *de Usur.* §. «bonæ»), et in hoc casu præscribit.'

Immo licet possessor bonæ fidei in decursu possessionis nullam causam possidendi se habere detegat, tamen non tenetur ad restituendam rem actori, qui eam petat, nisi actor bonum jus clare demonstraverit. Posset enim res potius quam ad actorem pertinere ad alium, cui majus præjudicium forsan possessor affer-

ret, si actori rem cederet, quam si ipse retineret, l. ul. C. *de rei vindicat.*

Verum merito adnotant Doctores, eum, qui prudenter dubitat de suo bono jure, teneri ad adhibendam debitam diligentiam ut dubium diluat, et rei veritas, si fieri possit, dignoscatur. Nam quisque quantum in se est tenetur juxta rei veritatem bonis uti et jura servare.

14. Quæritur: utrum interrupta bona fides censeatur in eo, qui continuat quidem in facto possessionis, sed tamen turbatur in jure possessionis per judicium intentatum.

Distinguendum est utrum citatus vicerit in causa, vel non. Si causa ceciderit, jam præscriptio interrupta, vel cessasse prorsus intelligitur. Si autem vicerit, interrupta non censetur præscriptio, sed tempus præcedens judicium, juxta sensum regulæ 36. Cancellariæ Apostolicæ, computatur in æstimanda præscriptione. Qui enim citatus victor exsistat, censetur potius vexatus fuisse quam turbatus in jure suo.

15. Quæritur: an cum *errore juris* legitime præscribatur.

Species proposita in quæstione esset de eo, qui rem habuit ex titulo, qui jure nullus erat, sed ex errore reputatus est legitimus; ex. gr. quis, reputans ex errore, posse prælatum res immobiles magni valoris, vel mobiles pretiosas Ecclesiæ suæ alienare absque ulla solemnitate, aliquod prædium magni valoris vel rem mobilem pretiosam ejusdem Ecclesiæ emit a prælato. Quæritur utrum hic juvetur præscriptione, etiamsi contractus emptionis nullus per se fuerit.

Præmittimus quæstionem propositam supponere jus de quo agitur, esse debere clarum et certum. Nam si esset jus obscurum vel dubium, quod a variis vario modo sumeretur, posset locum habere bona fides, ad præscribendum sufficiens. Ita sensit *Abbas* in cc. 4. n. 12. h. t. *Lessius: de Just. et Jure* Lib. II. cap. 6. n. 16; et *Layman: Theol. Mor.* Sect. 5. tract. 1. cap. 8. n. 11. Potest enim in hac hypothesi qui rem alienam recipit, sententiam sequi, quæ pro validitate tituli militat, atque ita rem habere opinione domini. Quo posito dicimus ex errore contra jus clarum et indubium non admitti præscriptionem. Nam quidquid sit de bona fide morali ad vitandum peccatum, certum est deesse bonam fidem juridicam, quæ nempe ex legibus procedit. In materia autem quæ instituta est et regitur legibus humanis, plurimum deferendum est iisdem. Porro, aliis omissis, in l. 4. ff. *de jur. et facti ignor.* ex-

presse traditur: 'Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse, facti vero ignorantia prodesse potest'. Regula autem 82. *Jur.* in 6°. ita se habet 'Qui contra jura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere.' Ratio est quia ignorantia juris allegari utiliter non potest. Quare qui errat in jure claro et notorio, non censetur esse in bona fide, sed potius in ficta, ergo mala fide. Cf. *Engel.* h. t. n. 15.

16. Quæritur: an mala fides *antecessoris* in possessione rei noceat etiam *successori,* qui in bona fide versetur.'

Distinguunt Doctores inter successorem *universalem* et successorem *singularem.* Successor singularis ille est, qui rem alterius obtinet, ex titulo particulari, qui rem illam in specie afficiat, ex. gr. emptor rei alicujus est in re empta successor particularis venditoris. Universalis est successor, qui universitatem bonorum vel jurium alterius obtinet vel in toto vel in parte, ita ut repræsentet personam illius, cui succedit, et a quo causam habet.

Profecto si sermo sit de successore universali, scilicet de possessore bonorum juxta jus prætorium, vel de herede sive testamentario sive ab intestato succedente, non immerito tenent doctores malam fidem prædecessoris nocere etiam successori in tricennali etiam, vel in quadragenaria præscriptione quoad ipsum dominium, seu jus rei, nisi heres speciali aliquo titulo muniatur, distincto a titulo hereditatis. Nam heres juridice repræsentat personam ipsam defuncti, et possessio heredis censetur esse eadem possessio defuncti, l. 11. Cod. *de acquir. poss.* Valet igitur regula 46. *Jur.* in 6°. «Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille uti debebit.» Hinc canonicum jus in cc. 14. *de Sepult.* (III. 28) et 5. *de Raptor.* (V. 17) statuit heredem teneri ad exonerandam conscientiam defuncti. Scilicet heres tenetur ad restituendam domino suo rem male possessam a defuncto. Igitur heres non præscribit rem mala fide possessam ab auctore suo. Ex ratione autem contrariorum sequitur bonam fidem auctoris prodesse etiam heredi qui complet præscriptionem inceptam ab eodem auctore.

17. Probati vero auctores merito docent, hanc dispositionem verificari de *primo* herede, non autem de secundo herede, qui successit priori heredi in bona fide exsistenti. Nam si fictio juris pro primo herede valuit, non ideo videtur admittenda esse pro secundo, cujus auctor exsistebat in reali bona fide. Hinc secundus heres dici non potest universalis successor possessoris malæ fidei.

A fortiori autem exceptio valebit pro illis, qui ex titulo particulari aliquid obtinuerunt a primo herede qui opinione domini possidebat.

18. Quid vero dicendum de *particulari* successore?

Res est juris civilis potius quam canonici. Hinc juxta locorum leges quæstio solvenda est. In genere dicendum est juxta jus Romanorum, expressum in *Nov.* 119. c. 1., non reprobatum a jure canonico, immo a Doctoribus receptum, in præscriptione ordinaria malam fidem antecessoris nocere etiam successori. Hæc vero mala fides antecessoris non nocet successori in præscriptione longissimi temporis, seu tricennali et quadragenaria. Nam in Auth. quæ efformata est ex cit. *Nov.* 119. excipitur præscriptio longissimi temporis. Ad rem faciunt ea, quæ superius diximus cum loqueremur de tertia classe rerum impræscriptibilium, earum scilicet, quæ vel furtivæ sunt, vel vi a non domino detinentur. In re canonica scitu necessaria est doctrina auctorum, quæ tenet Prælato vel successori in beneficio non nocere malam fidem antecessoris in prælatura vel in beneficio. Quare successor in beneficio potest præscribere rem mala fide possessam ab antecessore suo. Ratio est quia successor non habet causam sui juris ab antecessore, sed a collatione legitima beneficii, quæ a superiore ecclesiastico facta est. Ita *Panormitanus* in cc. 3. et 4. h. t. Ita etiam *Fagnanus* in cap. 11. *de Rest. Spol.* (II. 13) nn. 136. seqq.

19. Non idem vero dicendum esse videtur de mala fide Prælati relate ad Ecclesiam vel Capitulum, quod sit in bona fide. Scilicet mala fides Prælati probabilius impedit quominus Ecclesia vel Capitulum præscribat contra tertium. Ita docent *Pirhing* h. t. n. 78.; *Reiffenstuel.* h. t. n. 79. 81. aliique. Etenim Prælatus est caput Ecclesiæ vel Capituli, et ejus mala fides juridice afficit ipsam Ecclesiam et Capitulum. Principaliter enim res geruntur a Prælato, qui proinde principaliter influit in malam fidem possessionis Ecclesiæ vel Capituli.

20. Ea, quæ de bona fide in præscriptione dicta sunt, directe et proprie acquisitionem alicujus juris respicere videntur. Quæri potest utrum bona fides necessaria sit ad præscribendam liberationem ab aliquo onere, et obligationem, qua quis tenetur; scilicet quæritur utrum decurrat præscriptio ad liberandum aliquem ab obligatione, ex. gr. a servitute, relate ad tertium cum scientia juris alieni.

Hanc quæstionem pertractant *Panormitanus* in cap. ult. h. t. nn. 8. et seqq. et communiter auctores. Sic *Engel.* h. t. n. 18.; *Reiffenstuel.* h. t. §. 7. etc. Breviter quædam de hac quæstione dicemus.

Varia est doctorum sententia. Nonnulli innixi dispositioni cap. ult. h. t. tenent bonam fidem semper esse necessariam, quia præscriptio induci nequit, si exsistat opinio *rei alienæ.* Verba capitis aperta sunt. 'Quoniam', ait Concilium Lateranense IV., 'omne quod non est ex fide peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quam civilis. Cum generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.'

21. Alii autem distinguunt *duas* classes obligationum: Prima classis obligationum est earum, quibus adstringimur *positive* vel ad aliquid *agendum,* vel ad aliquid *non agendum.* Ad aliquid *agendum,* ex. gr. obligatio ex mutuo ad solvendum debitum creditori nostro, obligatio emphiteutæ ad solvendum canonem, etc. Ad aliquid *non agendum,* ex. gr. obligatio servitutis altius non tollendi, qua dominus ædificii cogitur sese abstinere ab elevatione majori murorum perficienda, et servitutis ne luminibus aut prospectui officiatur. Relate ad istas utriusque generis obligationes, ajunt doctores, requiri bonam fidem ad præscribendum. Qui enim cum opinione alieni juris, vel non agit ubi esset agendum, vel agit ubi non esset agendum, revera dici potest possidere vel occupare rem alienam in mala fide. Ita *Reiffenstuel* h. t. nn. 111—113 cum aliis.

22. Secunda classis obligationum complectitur illas obligationes, quæ sunt prorsus *negativæ,* quæque consistunt in sola patientia, quam tolerare debemus ex facto alterius, qui jus habet aliquod agendi in re nostra. Exemplum afferunt ex servitutibus rusticis itineris, actus, viæ, quibus transitum alterius pati debemus in prædio nostro. Pariter exemplo sunt actiones pœnales ad noxam seu ad vindictam criminis exigendam. In hoc genere obligationum, ajunt doctores, locum habere præscriptionem etiam cum opinione alieni juris, scilicet exstingui istas obligationes dicunt ex negligentia et non usu ad totum usque tempus necessarium ad præscribendum. Nec opinio alieni juris præscriptioni officit; nam non

constituit malam fidem quæ impedit præscriptionem. Ea enim solummodo opinio alienæ rei juxta cap. ult. h. t. impedit præscriptionem, quæ fundatur in peccato. Jamvero quando quis positive non tenetur aliquid vel non præstare, sed solummodo patienter tolerare exercitium juris alieni, nullo modo peccat si alter negligat exercere jus suum, licet optime cognoscat illi competere hoc jus. Nam solummodo tenetur non impedire, quominus qui jus habeat illud exerceat. Cfr. *Abbas.* cit. loc. n. 21. et expositores juris canonici: *Reiffenstuel, Pirhing, Engel,* h. t.

Nihilominus licet bona fides non requiratur ex una parte quæ a servitute liberanda est, res vel jus ejusmodi quia mere facultatis esse solet, non tollitur nisi «unius — partis liberandæ — prohibitio et agentis patientia accesserit.» Exempla non pauca præbent decisiones S. C. Concilii, e. gr. d. 5. Febr. et 29. April. 1879; d. 15. Julii 1882; d. 7. Sept. 1889, in una *Montisfalisci*. In ecclesia cathedrali diœcesis Montisfalisci anno 1637 erectum est beneficium Archipresbyteratus, cujus possessores (Archipresbyteri) ex *tabulis fundationis* habebant jus interveniendi ad omnes capitulares cœtus in quibus ageretur de actibus non continentibus *interesse particulare* veterum canonicorum. Sed anno 1887 canonici veteres volebant Archipresbyterum excludere ab actu non continenti interesse capituli, sc. ab electione coadjutoris canonici. Non negabant quidem originarium jus Archipresbyterorum interveniendi actibus electionis, nominationis etc., sed jus ejusmodi jam præscriptum esse asserebant non usu Archipresbyterorum. Res delata est ad S. Congregationem quæ d. 7. Sept. 1889 dedit responsum contra Capitulum favens juri Archipresbyteri. — Ratio hujus decisionis videtur fuisse: Jus Archipresbyterorum erat mere facultatis, i. e. poterant aut intervenire aut non intervenire. Si antecessores Archipresbyteri non interveniebant, præscriptio contra eos non currebat, nisi prohibitioni interveniendi a capitularibus factæ acquieverant. Id quod in casu probari nequibat.

23. C. Tertium requisitum ad præscribendum est *justus titulus,* quem admodum expresse tradit cap. 17. h. t. cui consonat cap. 31. *de decimis* (III. 30), et cap. 1. h. t. in 6⁰.

Titulus justus communiter definitur ut sit *'causa de se habilis ad transferendum dominium'*. Requiritur vero causa, quæ de se, idest natura sua, sit habilis ad transferendum dominium, quia secus deesset fundamentum præscriptionis. Præscriptio enim in

eo fundatur, quod juxta formam juridicam res aliena incipiat ab aliquo possideri animo et opinione domini, et ex hujusmodi opinione domini oritur bona fides in possidente, quæ necessaria est usque ab initio præscriptionis. Hinc si quis rem alienam precario tantum possideat, numquam præscribere poterit, quia titulus precariæ possessionis excludit persuasionem dominii in possessore. Ita ex. gr. qui rem-commodatam retinet eaque utitur. Quare tituli justi sunt emptio, venditio, donatio, præstatio, legatum etc., in quibus titulis si alienans sit dominus rei reversæ transfert dominium in recipientem. Tituli autem inhabiles ad præscribendum sunt: pignus, depositum, commodatum, locatio et conductio etc., quia res precario conceditur, nec qui recipit rem, potest eam animo domini possidere. Igitur ad præscribendum requiritur titulus justus, seu qui sit a lege recognitus sufficiens ad transferendum jus de uno in alium.

24. Verum posset *contra* animadverti talem titulum etiam absque præscriptione transferre dominium.

Respondetur autem in titulo justitiam distingui a veritate. Potest enim titulus esse justus quin sit verus, dominium autem transfertur ex titulo justo simul et vero. Scilicet quando non solum ponitur titulus a legibus recognitus, sed etiam ab illis personis ponitur, quæ vitio juridico non laborant, quo inficiatur titulus, hoc solummodo in casu titulus operatur translationem dominii, eo quia est simul justus et verus. Sed si partes contrahentes titulo quidem recognito a lege utantur, sed vitio aliquo laborent quod inefficacem reddat titulum, translatio dominii non verificatur, quia titulus est quidem justus, sed non est verus. Huic defectui remedium affert præscriptio, tribuens veritatem titulo. Quare Doctores justum titulum distinguunt in *verum* et *coloratum*, et tradunt ad præscribendum sufficere titulum coloratum.

25. Nomine tituli colorati venit titulus ille, qui a legibus uti habilis habetur ad transferendum dominium, sed vitio aliquo afficitur ita ut viribus careat in casu ad effectus suos actu producendos. Ex. gr. emptio, venditio est titulus per se sufficiens ad transferendum dominium, sed fingatur pupillum absque juris solemnitatibus alienare res suas. In hac hypothesi per se non valet alienatio, quia pupillus arbitrio proprio non potest alienare sua bona. Verum si emptor ignoraverit venditorem esse pupillum, illumque verum et liberum dominum rerum suarum reputaverit,

emptio venditio erit quidem titulus justus, sed solummodo coloratus et non verus. Quare hoc colorato titulo interveniente poterit esse locus præscriptioni. Dixi *ignoraverit venditorem esse pupillum,* nam si emptor sciverit venditorem esse pupillum, ex errore autem juris putaverit pupillum posse suo lubitu res proprias alienare, præscriptio non valebit, quia præscriptio non valet, uti vidimus, cum ignorantia juris certi et determinati. Quare titulus coloratus est sufficiens ad præscribendum, quando defectus veritatis in titulo procedit vel ex errore facti, vel ex errore juris dubii.

26. Quæri posset utrum titulus *æstimatus* et *præsumptus* idem operentur ac titulus coloratus.

Titulus æstimatus seu *putativus* locum habet quando creditur ex falsa opinione intervenisse revera titulum in præscriptionis initio, licet reapse non intervenerit. Ex. gr. opinio est intervenisse emptionem et venditionem prædii, quod actu bona fide possidetur, sed emptio et venditio non intervenit.

27. Titulus vero *præsumptus* obtinet quando certa opinio sive vera sive falsa non habetur exstitisse titulum juridicum præscriptionis, sed ex circumstantiis inducitur conjectura et præsumptio quod exstitit; scilicet juridice fingitur exstitisse titulum. Ita in longæva et pacifica possessione rei alicujus præsumitur exstitisse titulum favore possessoris, quia nemo præsumitur voluisse simpliciter et absolute renunciare gratis juri suo quoad rem illam.

28. Hisce positis dicendum est præscriptionem ordinariam non verificari cum titulis putativo et præsumpto, bene vero locum habere posse præscriptionem extraordinariam et privilegiatam, et præsertim immemorialem, de qua in specie tractat cap. 1. h. t. in 6°. De hisce autem præscriptionibus inferius aliquid dicemus.

29. D. 4um. requisitum ad præscribendum est *justa possessio.* Etenim juxta regul. 3. *Jur.* in 6°. 'Sine possessione præscriptio non procedit.' Quæ regula non solum valet inspecta præscriptione in se, sed etiam inspecta præscriptione in sua majori vel minori extensione, cap. 15. h. t. Unde adagium juridicum enatum est 'Non plus præscriptum, quam possessum.'

Possidere in sensu tituli quis dicitur, qui rem detinet tamquam suam vel utitur jure aliquo tamquam suo. Possessio hujusmodi requiritur ad præscribendum. Nam possessio solummodo naturalis, seu sola rei detentio non sufficit, sed requiritur possessio simul *naturalis et civilis.* Requiritur scilicet detentio rei, vel exer-

citium juris una simul cum opinione domini. Porro non requiritur ut qui in via est ad præscribendum, semper per seipsum possideat, sed sufficit ut aliquis ejus nomine possideat rem, vel quasi possideat jus præscribendum, arg. cap. 17. h. t.

30. Possessio ut valeat ad præscribendum, debet esse *continuata,* quod non ita est intelligendum, quod una eademque persona debeat continuare possessionem ad præscribendum, sed possessio de una in aliam personam continuari potest. Quare de testatore ad heredem vel legatarium, de venditore ad emptorem vel ad successorem ex alio titulo particulari continuatur possessio, l. penul. §. 1. ff. *de div. temp. præscript.*

31. Continuationi possessionis et proinde præscriptionis opponitur simplex *suspensio,* quæ a pragmaticis dicitur *dormitio præscriptionis,* nec non opponitur *interruptio.* Differt dormitio seu simplex suspensio præscriptionis ab interruptione, eo quod si suspendatur præscriptio a temporis decursu illud solummodo subtrahitur tempus in quo suspensa mansit, et tempus anterius computatur cum tempore posteriori, cc. 14. et 10. h. t.; e contra si interrupta fuerit præscriptio, tempus anterius non conjungitur cum posteriori, sed præscriptio in posterum de novo incipienda est.

32. *De simplici suspensione.* Censetur suspensa præscriptio contra Ecclesiam tempore, quo destituitur pastore seu rectore suo. Caret enim suo legitimo defensore. Ita in cc. 1., 4. et 15. h. t. Idem dicendum si prælatus in ea versetur conditione ut agere et jura Ecclesiæ tueri nequeat, quia conditio hæc quasi vacationi æquiparatur. Ita Doctores innixi cit. cc. 1. h. t. et 5. *de Concess. Præb.* (III. 8). Hinc si Prælatus fiat hæreticus, vel schismaticus, vel dilapidet bona Ecclesiæ suæ, vel ab hostibus detineatur, præscriptio contra Ecclesiam non currit.

33. Alia species suspensionis est in præscriptione contra pupillum. Durante enim ætate pupillari, licet pupillus tutoris protectione muniatur, contra eum leges non admittunt præscriptionem. Ita in leg. «sicut in rem» Cod. *de Præscript. 30 vel 40 ann.* Indulgentiæ enim indiget pupillus majoris quam Ecclesia et minor, contra quos tunc solum non decurrit præscriptio, quando legitimo curatore seu defensore suo careant.

34. Quoad reliquas species suspensionis tenendum est principium traditum in canone c. 13. C. 16. q. 3. et c. 1. C. 34. q. 1. et 2.: 'non valenti agere non currit præscriptio.'

Ne vero currat præscriptio necesse est ut impedimentum vel sit juris vel sit facti communis et notorii, non autem sufficit factum domesticum et simpliciter personale. Hinc decurrit præscriptio contra eum qui ob crimen vel in carcere detinetur, vel in exsilium ejicitur. Non decurrit vero præscriptio si impedimentum est juris, scilicet si ipsum jus aliquem removet ab agendo in judicio ex. gr. filium familias. Pariter impedimentum facti communis et notorii suspendit præscriptionem. Hinc ex. gr. tempore belli et hostilitatis, quo in populo jura tacent. Ita in cap. 10. h. t.

35. *De interruptione præscriptionis.* Interrumpitur præscriptio, cum ob aliquid superveniens in decursu ejusdem tempus antecedens redditur nullius roboris ad præscribendum. Interruptio juxta doctores alia est *naturalis*, alia *civilis.* — *Naturalis* contingit cum deficiat unum ex essentialibus elementis præscriptionis: 1°) Si possessor qui hactenus arbitratus est se obtinere titulum habendi rem uti suam, detegat deesse titulum, et deveniat in certam notitiam juris alieni circa rem a se possessam nec proinde amplius possideat animo domini, uno verbo si cesset in possessore bona fides. 2°) Si amiserit possessionem naturalem et civilem, licet id contingat ex injuria alterius.

36. *Civilis* interruptio præscriptionis verificatur cum ex parte præscribentis nullum deficit elementorum essentialium, sed a jure præsumitur aliquid ex iisdem deficere, seu possessor a jure constituitur in mala fide ita ut nequeat exinde frui effectibus possessionis bonæ fidei. Hæc civilis interruptio inducitur per litis contestationem, immo per ipsam libelli oblationem; l. 2. et l. ult. Cod. *de annali except.* Ratio est quia propositum alterius vindicandi rem suam adversus possessorem natura sua turbat bonam fidem, seu opinionem proprietatis in ipso rei possessore. Ex hoc vero sequitur ad interrumpendam præscriptionem non sufficere extrajudicialem denunciationem, qua quis possessori dicat suam esse rem. Nam jus non agnoscit hanc denunciationem uti sufficientem ad bonam fidem turbandam in possessore, nec possessor statim credere tenetur alteri asserenti rem esse suam, nisi assertionem probaverit.

37. Porro naturalis interruptio ex *duplici* capite *differt* a civili: 1°) quia naturalis interruptio absolute destruit præscriptionem anteriorem relate ad *omnes,* qui causam et titulum habere possunt

in re a possessore detenta. Civilis vero interruptio efficaciam suam exercet solum relate ad illum, *qui judicium instituit.* Hinc si hic causa cadat vel in toto vel in parte, si possessor perseveret in bona fide relate ad tertium, qui forsan est verus dominus, præscriptio continuare censetur contra hunc tertium.

2ª. differentia est in eo ut naturalis eo ipso quod verificatur, destruat anteriorem præscriptionem, civilis autem interruptio non statim plene operetur suum effectum, sed pendeat ex judicis sententia condemnatoria, ita ut si possessor victor exeat a judicio, vel judicium transactione finiatur, continuat præscriptio quasi numquam mota fuerit quæstio ex adverso.

Si quæratur quomodo probetur continuatio possessionis, dicendum est probanda esse solum extrema, seu initium possessionis, et actualem conditionem, tempora autem intermedia præsumi. Hinc adversario inest onus probandi interruptam fuisse possessionem.

38. *De tempore requisito ad præscribendum.* Postremum elementum præscriptionis est tempus legitimum. Et primo sit sermo

De rebus mobilibus. Res mobiles sunt res, quæ a loco suo mutari possunt, nec non jura, quæ relate ad ipsas res mobiles alicui competunt. Res mobiles cum titulo præscribuntur *triennio.*

39. Quid vero si pertineant ad Ecclesiam?

Profecto si sermo sit de rebus mobilibus *pretiosis,* cum hæ quoad alienationem æquiparentur immobilibus juxta Constit. «Ambitiosæ» Extr. Comm. *de rebus Eccl. non alienand.* (III. 4) dicendum est eas *non* præscribi triennio, quia præscriptio est genus alienationis. — Si autem sermo sit de rebus mobilibus ecclesiarum *non pretiosis,* licet dissentiant doctores, tamen communior sententia tenet, eas præscribi *triennali* spatio. Ratio sententiæ deducitur ex auth. Cod. «Quas actiones» *De sacros. Eccl.* in qua usucapio triennalis circa res ecclesiæ in suo robore relinquitur, et hæc dispositio authenticæ recepta est a Gratiano in c. 16. §. «Quas actiones.» C. 16. q. 3. Nec obstat caput 8. h. t. ubi dicitur ecclesiam romanam non admittere præscriptiones contra ecclesias, quadragenaria minores; nam caput hujusmodi respicit bona immobilia. Absonum enim esset longissimum tempus requiri ad præscribendas res mobiles, quarum pleræque vix ad tantum tempus servantur.

40. *De rebus immobilibus.* Res immobiles dicuntur quæ exsistentiam habent determinatam ad aliquem locum. Si domus, agri, nec non jura et actiones, quæ res immobiles afficiunt, uti sunt census, ususfructus, jus patronatus reale et servitutes. Ipse etiam titulus beneficii, nec non jura beneficio adnexa ex. gr. jus decimandi Parochorum, quartæ funeris etc. rebus immobilibus accensentur. Clem. §. «Proinde.» *de V. S.* (V. 11).

Hisce positis si res immobiles pertineant: a. ad *privatas* personas, cum titulo præscribuntur spatio *10* annorum inter *præsentes,* et *20* annorum inter *absentes.* Ita l. un. Cod. *de Usucap. transformanda.* Quod si quis aliquibus annis fuit præsens, aliquibus autem absens, supra decennium adjiciuntur anni absentiæ, ita ut pro unoquoque anno absentiæ bini computandi sint anni, atque ita completur integrum tempus præscriptionis. Auth. «Quod si quis.» Cod. *de Præscript. long. temp.* Unde regula est ut duo anni absentiæ æquivaleant uni præsentiæ, et vice versa. Ex. gr. si quis per 5 annos fuit præsens et deinde recessit, ut præscribat requiruntur 15 anni, eo quia 5 anni absentiæ duplicandi sunt. Utraque hæc præscriptio triennalis et decennalis vel vicennalis dicitur ordinaria.

Præsentia autem et absentia personarum in materia præscriptionis respicit ipsas personas petentis et possessoris nullo habito respectu ad rem præscriptam. Hinc si personæ in eadem morentur provincia dicuntur præsentes etiamsi res præscripta in alia sit provincia; si vero personæ morentur in diversa provincia dicuntur absentes etiamsi res inveniatur in eadem provincia, ubi manet præscribens. L. 12. Cod. *de præscript. longi temp.*

41. Quid vero si *desit titulus, adsit* vero *bona fides?*

Ex l. «sicut in rem» Cod. *de præscript. 30 vel 40 annor.* et ex cap. 3. h. t. pro rebus tam mobilibus quam immobilibus privatorum requiritur tempus *30* annorum, quod in jure est longissimum, et inducit præscriptionem extraordinariam, quæ titulum non requirit. In cap. 3. h. t. sermo est explicite de rebus immobilibus, sed ob majorem rationem doctores inferunt dispositionem applicari etiam mobilibus. Eadem dispositio de actionibus etiam intelligenda est ex l. «sicut in rem» Cod. *de præscript. 30 vel 40 annor.,* scilicet spatio triginta annorum præscribuntur.

Hæc dicta sint de rebus personarum privatarum sub quarum appellatione veniunt etiam clerici relate ad bona sua *patrimonialia.*

42. Quid vero dicendum b. de bonis immobilibus *Ecclesiarum*, et in genere *locorum piorum?*

Bona hæc præscribuntur spatio *40* annorum, seu requiritur quadragenaria præscriptio. Ita in cc. 4., 6., 8. et 9. h. t. Et quidem doctores inter quos citamus *Pirhing* in h. t. n. 95. et *Barbosa: collectanea* in cap. 6. h. t. tradunt, posita bona fide et possessione quadragenaria etiam absque titulo præscriptionem valere contra bona immobilia ecclesiarum; requiri vero titulum coloratum, quando jus commune canonicum resistit præscribenti, id est quando præsumptio juris favet Ecclesiæ contra quam præscriptio procedit, quemadmodum verificatur in cap. 6. h. t. ubi agitur de jure decimandi. Hæc theoria fundatur in cap. 1. h. t. in 6°.

43. Excipitur c. ecclesia *romana*, cujus bona et jura non præscribuntur nisi spatio *100* annorum. Ita in cc. 13., 14. et 17. h. t. Præiverat ipsum jus civile in auth. «Quas actiones» Cod. *de sacros. Eccl.*

44. Doctores referunt, aliquas familias religiosas, et quædam monasteria obtinuisse privilegium ut eorum bona ordinario tempore non præscribantur, sed requiratur spatium temporis etiam majus quadragenario.

45. Specialis mentio facienda est de præscriptione *centenaria*, et de *immemoriali* præscriptione.

Centenaria præscriptio ea est cujus initium cognoscitur, et saltem ad centum retro annos protrahitur. Immemorialis autem verificatur quando possessio adeo antiqua est, ut ejus initium hominum memoriam excedat. Probatur vero existentia et veritas præscriptionis hujusmodi, quando habeantur testes, qui saltem per 40 annos testentur de scientia propria rerum statum semper ita fuisse, quemadmodum nunc est, simulque testentur se a majoribus audivisse eumdem pariter rerum statum semper fuisse.

Utraque præscriptio proprium nomen et magnum valorem juridicum habet. Unde in specie si sermo sit de centenaria, certum est eam vincere etiam præscriptiones longissimi temporis triginta vel quadraginta annorum. Nam centenaria præscriptio præ aliis brevioribus est necessaria ad præscribenda bona et jura ecclesiæ romanæ. Cc. 13. et 17. h. t.; cap. 2. h. t. in 6°. et Auth. Cod. «Quas actiones.» *de Sacr. Eccl.*

46. At teste Card. *De Luca: De emphit.* disc. 60. n. 3. controvertitur utrum præscriptio centenaria æquipolleat immemoriali.

Ratio est quia in cap. 1. h. t. in 6°. dum agitur de admittenda possessione etiam sine titulo contra favorem juris communis, idest contra eum, qui habet intentionem fundatam in jure communi, mentio fit solummodo de præscriptione immemoriali. Verum et ipse Card. *De Luca* l. cit. et S. Rota in pluribus decisionibus, et præsertim in decisione 155. n. 6. part. 6. Recent.; nec non S. Congregat. Concilii in relatione Secretarii in *Milevit.* diei 18. Febr. 1854, stante præscriptione centenaria tradunt præsumi posse beneplacitum apostolicum et meliorem titulum de mundo.

47. Si autem sermo sit de præscriptione immemoriali, post dispositionem cap. 1. h. t. in 6°. certum est ab omnibus eam considerari ceu maxime privilegiatam, ita ut allegari possit etiam ab eo cui resistit jus commune, nec necessarius sit titulus ad eam firmandam, sed ipsa sit melior titulus de mundo. Quare in subjecto, quod sit capax privilegii, præscriptio hæc vim privilegii habet. Gloss. in cit. cap. 25. *de V. S.* (V. 40). Nec ea comprehenditur in lege sub clausula 'non obstante præscriptione', sed requiritur specialis mentio idest 'non obstante quacumque præscriptione etiam immemoriali', quemadmodum videmus fecisse Trid. ex. gr. in cap. 10. Sess. 23. *de Reform.*

Notandum hic est præscriptionem etiam centenariam non currere contra *onera Missarum;* nam 1°. status animarum in purgatorio æquiparatur statui pupillorum intra annos pupillares, in quibus præscriptio dormit; cfr. supra n. 33. — 2°. Præscriptio punire debet solum negligentem, proprii juris; at quomodo animæ possunt esse negligentes. — 3°. S. C. Concilii sæpe tuebatur jura legati Missarum, e. gr. in *Romana,* d. 4. Maii 1715, item in *Romana,* d. 19. Jun. 1788, in *Imolen.* 8. Jul. 1855, denique in una *Oneris Missarum,* d. 20. Dec. 1879. Species hujus decisionis erat: Seminarium quoddam a. 1749 ex hereditate subiit obligationem celebrandi trinas missas in unaquaque hebdomade et missam annualem festo S. Bernardi. Per 17 annos legatum pie observarunt; postea — i. e. ab a. 1766 — neglexerunt, ita ut Episcopus prædecessor oratoris obligationem cessasse arbitraretur. Sed successor totam rem transmisit ad S. C. Concilii cum precibus absolutionis pro præterito et reductionis. S. vero C. Concilii formatis dubiis: I. An constet de obligatione Seminarii adimplere faciendi Missarum onera in casu? et quatenus affirmative II. An et quomodo absolutio et Missarum reductio indulgenda sit in casu? d. 20. Dec. 1879

respondit: . Ad Ium. Affirmative. Ad IIum. Firmo remanente festo S. Bernardi, affirmative juxta petita, facto verbo cum Ss.mo. —

Titulus XXVII.

De sententia et re judicata.

A. De sententia.

1. Postquam probationes ex utraque parte collitigantium fuerint adductæ, tum ad demonstrandam intentionem actoris, tum ad exceptiones a reo propositas confirmandas, locum habet conclusio in causa, seu vel tacita vel expressa renunciatio partium ulterioribus probationibus adducendis, et res eo devenisse censetur, ut judex ad sententiam definitivam edendam procedat. Hinc post tractationem de probationibus actoris et exceptionibus rei tum in genere tum in specie, subnectitur titulus de sententia et re judicata. Quamvis vero judicis decisio tendat ad tribuendam victori proprium jus, tamen illud illico *cum effectu* non concedit, nam potest ab eadem decisione appellari, et iterum discussioni causa subjici. Quare sententia judicis per se non est res judicata, idest finita et irrevocabilis, et per consequens merito in titulo una ab altera distinguitur.

2. Sententia est '*decisio judicis pronunciata super re a litigantibus in judicium deducta*'. — Alia est *definitiva,* alia *interlocutoria.* Definitiva est, quæ in causa principali pronunciatur, et ex parte judicis liti finem imponit, vel per absolutionem vel per condemnationem juxta actionem principaliter institutam, vel saltem per facti declarationem, si de facti exsistentia solummodo et qualitatibus solummodo videndum est. Hinc sententia definitiva alia dicitur *absolutoria,* alia *condemnatoria,* alia solummodo *declaratoria facti.*

Diximus 'sententiam definitivam ex parte *judicis* finem liti imponere'. Nam judex proferens sententiam functus est munere suo, nec sententiam a se latam potest corrigere aut revocare, licet agnoscat eam esse iniquam l. 55. ff. *de re jud.*

3. Sententia autem interlocutoria ea est, quæ emittitur inter principium et finem judicii super aliqua quæstione incidente, ex. gr. utrum procedi debeat ad examen testium recipiendum.

Sententia hæc alia dicitur *simpliciter interlocutoria,* alia dicitur *interl. vim habens sententiæ definitivæ.* Prima est, quæ emittitur circa aliquod incidens quod in causam principalem remote

solum influit; ex. gr. sententia seu decretum de concedendis dilationibus, de testibus examinandis vel non. — Sententia autem interlocutoria vim habet definitivæ, quando licet directe non definiat meritum causæ, tamen præjudicat causæ in merito, ita ut institutum judicium quodammodo perimat; nec alia sententia in eodem judicio sperari possit. Ita ex. gr. si judex sententia sua adprobet exceptionem peremptoriam; si absolvat reum ab observatione judicii, vel sese incompetentem pronunciet.

4. *De requisitis ad sententiam præsertim definitivam edendam necessariis.*

I°. *De requisitis extrinsecis.* Inter hæc 1um. requisitum est *tempus.* Quoad tempus causæ omnes ecclesiasticæ juxta dispositionem Tridentinam in cap. 20. Sess. 24. *de Ref.* debent intra *biennium* a die motæ litis finiri, secus liberum est partibus ad judices superiores confugere, qui judices causam ad suum tribunal pertrahunt in eo statu, in quo reperitur in inferiori tribunali. Verum hæc dispositio Tridentina accipienda non est et applicanda quæstionibus in præjudicium justitiæ. Quare licet celeri expeditione finiendæ sint causæ, tamen si sermo sit de judicio ordinario, in quolibet tribunali sententia ferri nequit antequam ab utraque parte conclusum fuerit in causa. Concedenda enim est partibus ad plene tuendum jus suum sufficiens temporis copia. Clem. 2. «Sæpe contingit.» *de V. S.* (V. 11). Hinc etiam termini substantiales præcedere et servari debent, nec ad sententiam emittendam judex poterit devenire, quoadusque res dubia est. Quibus in casibus juxta sensum cap. 4. *de off. deleg.* (I. 29) aut partes consentire debent ut causa tractetur a judice penes quem incepta est, non obstante lapsu biennii, aut judici superiori remittenda est causæ cognitio ad normam dispositionis Concilii Tridentini.

5. 2um. requisitum est, ut judex omnibus rite cognitis et intimius perpensis, juxta cap. 10. *de fide instr.* (II. 22) *partibus collitigantibus* per trinam vel per unam peremptoriam citationem designet *diem* in quo laturus est sententiam. Posita citatione, contumacia unius vel alterius ex collitigantibus non impedit prolationem sententiæ.

3um. requisitum est ut sententia proferatur in *loco judicii.* Hinc dicitur a pragmaticis sententiam esse proferendam a judice pro tribunali sedente. Animadvertendum vero est, hanc dispositionem non ita esse intelligendam, ut prohibeatur quominus Episcopus

exercere possit jurisdictionem etiam contentiosam, in qualibet parte suæ diœcesis; arg. cap. 7. *de off. leg.* (I. 30).

6. Tandem 4°. requiritur ut in *scriptis* sententia proferatur, ut eam possint partes expendere et videre utrum appellandum sit vel non. Hæ conditiones adeo necessariæ sunt, ut si prætermittantur, nulla reddatur sententia. Ita in cap. ult. h. t. in 6°. Verum fatendum est in hac materia plurimum valere consuetudines locorum.

7. II°. *De requisitis intrinsecis sententiæ.* 1um. requisitum sententiæ intrinsecum est, ut ea sit *juri conformis,* ita ut sententia contra leges et canones sit nulla, nec transeat in rem judicatam, quamvis ab ea non appelletur intra decennium. Cf. cap. 1. h. t. et l. «expressum» ff. *de appellat.* Hoc vero principium intelligendum est de jure seu de lege, et canone claro et indubio, non autem de lege et canone controverso. Pariter nulla *non* est sententia in qua læsum est jus litigantis vel quia immerito exclusa et probatio cæteroquin efficax, vel quia factum non est rite receptum a judice et inspectum prout oportebat. Sententia autem *nulla* est si errorem expresse aut tacite contineat contra ipsas constitutiones juris. Ita l. 1. ff. *Quæ sentent. sine appell. rescind.* Hinc sententia nulla est quæ non tantum litigantem condemnat, sed potius ipsam legem condemnare videtur. Merito autem hæc sententia uti nulla habetur, quia juxta *Reg.* 62. *Jur.* in 6°. 'Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi'. Judex enim exsecutor legis debet legem applicare, non autem pro suo arbitrio legem condere. Hinc si judex decernat, electionem factam ab electoribus suspensis esse validam, ejus sententia nulla est. Cap. 8. *de consuet.* (I. 4) et cap. 16. *de Elect.* (I. 6) quia videretur judex velle reformare jus commune. Nulla autem per se non esset sententia, si judex ex errore arbitraretur, electores non fuisse suspensos; et exinde electionem validam esse pronunciaret. Hoc enim in casu pronunciaret solum contra jus alterius collitigantis.

8. 2um. requisitum traditur in cap. 24. *de accusat.* (V. 1) et in Clem. 2. *de V. S.* (V. 11) et est ut sententia sit conformis *libello* introductivo judicii. Conformitas autem debet verificari 1°) in *re;* scilicet judex non potest in sententia pronunciare de alia re, quæ non sit in libello expressa. Hinc valet principium 'Non potest judex concedere actori ultra petita'. Quare si actor petat solum possessionem, judex non potest de rei proprietate

pronunciare. 2°) Libello conformis esse debet sententia in titulo seu in *causa* petendi. Hinc si in libello expostulet actor solutionem pecuniæ ex titulo pretii in venditione conventi, judex debet solummodo videre utrum reus ex hoc titulo teneatur ad solutionem, non vero utrum teneatur ex alio.

9. At æquitate suadente et præsertim ubi interveniat periculum animarum, judex ecclesiasticus debet pronunciare sententiam *pro veritate rei,* prout in jure cautum est, licet libellus introductivus undequaque non consonet sententiæ. Quod etiam tenendum est quando una res in alia implicite contineatur ex. gr. si actor petat rem certam, nec res præstari possit, potest judex condemnare reum ad præstandam æstimationem.

10. 3ᵘᵐ. requisitum est ut sententia sit *certa,* ita ut saltem generice sit determinata quantitatis rei debitæ et jus præstandum. Hinc indeterminata sententia non tenet §. 32. «Curare.» Inst. *de action.* et ll. 3. et 4. Cod. *de Sent. quæ sine certa quant.*

Quare sententia quæ sub conditione pronuncietur non valet. Etenim revera lis non finitur per hanc sententiam, sed iterum judici causæ cognitio subjicienda esset, quando conditionis eventus verificatur.

Ex dato criterio etiam sequitur, sententiam exhibere debere vel absolutionem vel condemnationem rei. Hoc vero non secumfert obligationem in judice ad condemnandum vel absolvendum reum in toto, sed potest juxta acta et probata in parte tantum reum absolvere, et in parte eum condemnare.

11. Tandem regulariter debet judex in sententia exprimere *causam* judicii sui, idest motivum a quo fuit inductus ad judicandum ita et non aliter. Licet enim juxta cap. 16. h. t. præsumatur judex semper legitime sententiam proferre, tamen ut partes videant utrum sit opportunum appellare nec ne, plurimum juvat cognoscere valorem motivi, quod impulit judicem ad ferendam sententiam.

Adnotandum vero est, *Congregationes Romanas* in decisionibus suis non exhibere rationem decisionis. Ratio autem hæc esse videtur, quia cum ipsæ constituant tribunal Romani Pontificis, sua decreta edunt ad instar legis; legislator autem simpliciter suam voluntatem manifestat et jubet, quin motivum legis suæ exprimere teneatur.

B. De re judicata.

12. Res judicata nihil aliud est quam ipsa judicis sententia, a qua non fuit appellatum intra tempus a jure præfinitum. Jure nostro tempus hoc ad *10* dies reducitur, qui dies juxta c. 28. in princip. C. 2. q. 6. incipiunt numerari a recitatione sententiæ, seu a publicatione et notificatione idest intimatione sententiæ facta partibus collitigantibus. Notificatio autem hujusmodi fit juxta praxim tribunalis ubi sententia emittitur.

13. Effectus rei judicatæ est ut sententia habeat pro se *præsumptionem juris et de jure*, ac proinde pro veritate habeatur nec retractari possit. Scilicet facit jus inter partes cap. 13. h. t. §. «quamvis.» Hinc per sententiam quæ transit in rem judicatam censetur lites finiri cc. 2. h. t. et 5. *de dolo et contum.* (II. 14).

14. Alius effectus rei judicatæ ex priori descendens est ut sententia debeat *exsecutioni mandari,* nec si retardetur exsecutio perimatur jus victoris. Hinc ex re judicata enascitur actio persecutoria perpetua, quæ perimitur solum extraordinaria et longissimi temporis præscriptione triginta vel quadraginta annorum.

15. Verum *non omnes* prorsus sententiæ transeunt in rem judicatam. Et 1°) exceptio datur in casu quo sententia lata est *contra legem* vel canonem juxta dicta superius in cc. 1. et 13. h. t. Hoc enim in casu potest sententia retractari usque dum per lapsum triginta annorum non fuerit præscripta.

Idem dicendum de sententia a judice non suo lata, idest ab *incompetente* judice, quia est ipso jure nulla, et censetur emissa contra legem cap. 4. *De Judiciis* (II. 1). Idem dic si sententia feratur a judice *corrupto* l. 7. C. *Quando prov. non est necess.*

2°) Iisdem sententiis contra legem emissis comparantur sententiæ in quibus judex processit ex falsa causa et præsumptione, idest ex *errore facti*, qui aperte et evidenter demonstretur. Ubi enim aperta est iniquitas, sententia tutela juridica protegi non potest, quemadmodum docet cap. 9. h. t. Hinc in cap. 9. *de Testibus* (II. 20) de sententia prolata ex falsis testimoniis absolute traditur eam nullam esse ipso jure et cognita veritate reformandam esse.

3°) Alia exceptio verificatur in causis *matrimonialibus*, quæ agitantur circa valorem vinculi conjugalis. In hisce enim causis sententia sive pro valore sive pro nullitate vinculi non transit in

rem judicatam, sed licet exsecutioni mandata sit, tamen iterum causa discuti potest, si novæ emergunt validæ probationes contra sententiam, et ipsa sententia si contrarium constiterit potest retractari. Ita in cc. 7., 10. et 11. h. t. nec non in cap. 6. *de frig. et malef.* (IV. 15). Ratio est, quia matrimonium est juris divini, hinc sententia judicis non potest illud validum reddere si nullum sit, nec illud irritare si fuerit valide contractum. Hinc quotiescumque appareat veritas, servanda est; nec habet locum præsumptio juris et de jure, quia hæc non potest afficere actus jam positos sub dispositione juris divini (hoc saltem in foro conscientiæ).

4°) In rem judicatam non transit sententia *condemnatoria in criminalibus*; quandocumque enim constiterit innocentia rei, poterit corrigi sententia saltem per recursum ad principem.

16. Quæritur: utrum sententia, quæ etiam transit in rem judicatam, aliis, qui in judicio partem non habuerunt, nocere aut prodesse possit.

Responsio generalis est *negativa*. Nam judicium negotium est privatorum. Hinc sententia nihil aliud est quam applicatio juris casui speciali prout resultat ex circumstantiis expositis et probatis a partibus collitigantibus. Quare in judicio jus pronunciatur coarctatum ad personas, quæ partem in causa habuerunt. Præsto autem sunt loca juris, quæ idem plene evincunt. Ita in cap. 6. *de fid. instrum.* (II. 22) et in cc. 17. et 25. h. t. nec non in l. 2. Cod. *Quib. res judicata* etc.

Hinc valet principium juristarum 'res inter alios acta nobis neque nocere neque prodesse potest'.

17. Verum si is, qui primus habebat actionem, passus sit alterum agere, vel si quis passus sit agere eum a quo causam habuit, implicite se adstrinxit ad recipiendum judicatum, ceu tradit cit. cap. 25. h. t. Exceptio autem hujusmodi juxta leg. pen. ff. *de re judic.* recte intelligenda est, scilicet valet solummodo in casu; quo qui passus est alterum agere, dum videbat hunc agere, et cum potuisset impedire, non obstitit ullo modo, neque per aliquam protestationem. — Pariter ubi vera connexio causarum verificatur, sive quia favor unius causæ inducat præjudicium alterius et viceversa, sive quia una tenet locum causæ principalis et altera eam uti accessoria sequatur; sive tandem quia plures personæ habent causam in eadem re individua, principium de præjudicio vel tertii utilitate non servatur, sed oppositum tenendum est. Scilicet res

inter alios acta tertiæ etiam personæ nocet vel juvat. Hinc in c. 3. D. 81. sententia contra male ordinatum nocet Episcopo qui ordines contulit. In c. 10. C. 3. q. 6. autem proposita specie de episcopo ejecto et de alio subrogato in ejus locum, traditur sententiam latam in favorem ejecti nocere episcopo subrogato, et e contra eidem prodesse sententiam latam adversus episcopum ejectum. Exemplum simile legitur in cap. 22. *de accusat.* (V. 1) et in cap. penult. *de purg. can.* (V. 34).

Hinc etiam ob individuam rem pluribus communem juxta cap. 72. *de appell.* (II. 28) si una eademque sententia plures tangat et unus appellans victor exstiterit, victoria illius aliis etiam prodest. Sententia enim consideratur esse indivisibilis ita ut vel teneat in toto vel prorsus non valeat.

C. De expensis.

18. *De expensis judicii et a quo sint solvendæ.* Judex in sententia cavere etiam debet de expensis judicii, a quo et in qua quantitate solvendæ sint, præsertim si a victore expostulentur.

Expensarum solutio a jure et a doctoribus considerata est ceu pœna temere litigantium. Hinc principium statuitur judicem debere damnare victum, quando ipse victus causam seu rationem litigandi non habuit, seu quando temerario ausu judicium ingressus est. Ita in l. «Eum quem temere adversarium» ff. *de judiciis.*

19. Ex hoc principio inferunt Doctores expensas inter partes compensari, quando justam causam litigandi habuit victus. At hoc principium non apud omnia tribunalia in praxi servatur.

Quando autem verificatur condemnatio ad solvendas expensas, nomine expensarum solummodo veniunt illæ necessariæ, quæque dicuntur etiam judiciales cap. 5. *de dolo et contumacia* (II. 14). Hinc expensæ superfluæ et voluntariæ, quæque potius ad commoditatem quam ad necessitatem factæ censentur, non sunt restituendæ.

Ceterum arbitrium prudentis judicis æquam expensarum rationem determinabit, exigens etiam si opus fuerit juramentum a victore super quantitate earumdem expensarum.

D. De exsecutione sententiæ.

20. Exsecutio sententiæ est *actus judicialis, quo ex ministerio judicis revera præstatur victori id, quod per sententiam judicis*

ejusdem verbaliter obtinuit. Sententia eo ipso quod transiit in rem judicatam, jam in ea conditione reperitur ut exsecutioni mandetur. Quare ante spatium decendii sententia nequit exsecutioni mandari. Post vero decendium distinguendum est inter actiones personales et reales. In actionibus *realibus* exsecutio post *10* dies facienda est, quia qui decidit judicio, proprietatis amplius dominus non est, et rei possessionem immerito retinet invito domino.

21. In actionibus vero *personalibus,* seu quando agitur de solutione debiti, vel de præstatione operis ab aliqua determinata persona facienda, in ll. 2. et 3. Cod. *de Usuris rei judicatæ* conceditur victo ad solvendum *quadrimestre,* quod incipit decurrere a die latæ sententiæ. Concordat etiam jus nostrum in cc. 15. h. t. et in 26. *de Off. deleg.* (I. 29). Ratio est, quia quisque non semper illico habere parata media ad solvendum vel exsequendam præstationem præsumi potest. In actione autem reali res, quam sententia persequitur, determinata est et restitui illico potest. Insuper pro varietate circumstantiarum ex justa causa hoc tempus poterit judex vel coarctare, vel etiam protrahere. Cap. 15. h. t.

22. Quæritur: *a quo judice* facienda est exsecutio sententiæ.

Distinguendum est inter judicem ordinarium et delegatum. Quando judex est *ordinarius* et bona super quibus exsecutio facienda est, reperiuntur *intra* fines suæ jurisdictionis judex idem qui sententiam pronunciavit, exsecutioni mandat sententiam, seu ejus jussu apparitores et officiales tribunalis procedunt ad occupanda bona partis victæ (physice vel symbolice) et eos actus perficiunt, qui inserviunt ad ponendum in tuto jus actoris.

Quod si bona contra quæ facienda est exsecutio sententiæ reperiantur sub jurisdictione *aliena,* seu sub jurisdictione alterius judicis, judex, qui sententiam tulit, non potest ipse sententiam exsequi, sed judex loci in quo bona sita sunt accepto exemplari authentico sententiæ, eam exsecutioni mandabit. Neque hic alter judex poterit recusare exsecutionem sententiæ latæ legitimo modo.

23. Verum si sententia sit *evidenter* nulla, vel ab ea fuerit appellatum, ita ut appellatio servanda sit etiam in suspensivo, judex alterius territorii non poterit ullo modo adstringi ad eam exsequendam; nam nemo tenetur ad agendum id quod certo scit esse nullius roboris.

Dixi *si sententia sit evidenter nulla.* Nam si dubium solummodo fuerit nullitatis sententiæ, pro validitate præsumendum est,

Qua in re etiam hæc fieri debet animadversio. Scilicet judex alterius territorii in casu, licet meritum causæ ingredi nequeat, quia est nudus exsecutor sententiæ, tamen videre et cognoscere potest non solum de exceptione evidentis nullitatis sententiæ, sed etiam de aliis exceptionibus, quæ directe proponantur contra ipsam exsecutionem sententiæ ex. gr. de exceptione incompetentiæ ad exsequendum, de exceptione compensationis, solutionis etc. Ratio est quia exsecutor sententiæ curare debet ne jura partium in actu ipso exsecutionis lædantur. Hinc exsecutionem non perficit physice et materialiter, sed juris rigore servato.

24. Quid vero si judex qui sententiam protulit fuerit *delegatus?*

Si sermo sit de judice delegato a *Romano Pontifice,* certum est ipsum posse exsequi sententiam a se latam. Ita in cc. 26. et 28. §. «Præterea» *de off. et potest. jud. deleg.* (I. 29). Immo ob privilegium delegationis Pontificis, quem judex repræsentat, non solum potest per alium exsequi sententiam suam juxta cap. 3. eod. tit. *de off.* (I. 29) etc. sed etiam potest exigere ut exsecutio fiat a judice ordinario loci, qui tenetur mandatis delegati judicis obtemperare juxta cc. 7. et 25. §. «Quia vero» tit. cit.

25. Quod si sermo sit de judice delegato ab *ordinario,* qui sit inferior Pontifice Romano, ex. gr. ab Episcopo, controvertitur inter Doctores, utrum delegatus possit suam sententiam exsecutioni mandare, nec ne. Communior vero opinio juxta sensum cc. 4. *de foro compet.* (II. 2) nec non 5. et 33. *de offic. et potest. jud.* (I. 29) est, ut nequeat delegatus ab inferiore exsequi suam sententiam, quia judex ordinarius inferior non censetur commisisse delegato suo totum negotium finiendum, sed solummodo quæstionis solutionem, et sibi reservasse præsumitur complementum negotii, quod fit per exercitium publicum jurisdictionis in exsecutione sententiæ. Verum in praxi inspiciendum est mandatum delegationis, ex quo mandato facile deprehenduntur limites commissi muneris.

26. Si quæratur, *quomodo* facienda sit exsecutio sententiæ, dicendum est in actionibus *realibus* sententiam exsequi debere circa ipsa bona, quæ in sententia designantur. Si vero sermo sit de actionibus *personalibus* et reus per solutionem vel præstationem non satisfaciat mandatis judicis, servandus est modus, qui minus quo fieri possit præjudicium eidem reo inferat. Hinc primo bona mobilia sunt pignori subjicienda et deinde publicanda. Quod si

nullus emptor apparuerit, pro rata crediti sunt victori adjudicanda. Si bona mobilia non sufficiant, bona immobilia et deinde jura sunt exsecutioni subjicienda. Ita in l. 14. ff. *de re jud.*

Excipiuntur autem ab exsecutione instrumenta artis, libri studiosorum, et in genere ea quæ prorsus necessaria sunt ad exercitium propriæ industriæ. Excipiuntur etiam res quæ alteri fortiori vinculo sunt obligatæ, vel quæ nequeunt alienari. In utroque enim casu finis exsecutionis frustraneus redderetur.

Titulus XXVIII.

De appellationibus, recusationibus, et relationibus.

Ratio conjunctionis tituli præsentis cum præcedenti per se patet. Siquidem post latam sententiam remedium juridicum præsto est, appellandi nempe ad tribunal superius, si ab inferiori judice lata sit sententia.

1. Appellatio in sensu tituli est '*Provocatio a judice inferiore ad superiorem, proposita ob aliquod gravamen illatum vel inferendum*'. Judex inferior dicitur judex *a quo*, judex autem superior dicitur judex *ad quem.*

Solet ab aliquibus apponi in definitione specialis qualitas appellationis, ut nempe *gradatim fiat;* ne scilicet spretis gradibus jurisdictionis intermediis, statim ad supremum tribunal deveniatur, Verum in rebus ecclesiasticis hæc conditio apprime non servatur. Nam ex quolibet tribunali ecclesiastico orbis potest illico appellari ad Sanctam Sedem.

Dicitur in definitione *ob aliquod gravamen illatum vel inferendum,* quia aliquis non solum potest appellare a decreto judicis, quod præjudicium revera infert in præsenti, quemadmodum esse potest sententia definitiva adversa, sed etiam a judicis decreto, quoties timeri potest præjudicium in futurum ex. gr. ab interlocutoria sententia quæ influat in sententiam definitivam postea edendam.

2. Appellatio distinguitur in *judicialem* et *extrajudicialem.* Judicialis est quæ fit ob gravamen in judicio illatum, sive gravamen inferatur per interlocutoriam sive per aliud decretum judicis, ex. gr. ob terminum nimis brevem ad probandum peremptorie adsignatum cap. 1. *de dilat.* (II. 8); sive gravamen inferatur per definitivam sententiam.

Extrajudicialis appellatio ea est, quæ proponitur ob gravamen externum quod jam illatum est vel timetur a judice extrajudicialiter procedente. Ex. gr. si quis a judice deprehendatur et conjiciatur in carcerem, non ut reus alicujus criminis, sed ob rationem œconomicam præventionis mali facinoris, vel ordinis et disciplinæ custodiendæ causa, potest ad judicem seu magistratum superiorem provocare, et hæc provocatio dicitur appellatio extrajudicialis. Pariter si judex per exercitium voluntariæ jurisdictionis aliquem immittat in possessionem rerum vel jurium cum præjudicio tertii, fit etiam locus appellationi extrajudiciali. Hinc appellari potest contra possessionem alicui a judice ordinario datam in beneficio, vel etiam contra ipsam collationem, provisionem, electionem etc. Cap. 8. h. t. in 6°.

Animadvertendum vero est, nomine appellationis in sensu rigoroso et juridico sumptæ venire solam *judicialem* appellationem, extrajudicialem vero improprie dici appellationem, et potius generaliori vocabulo nuncupari provocationem, idest recursum vel querelam. Cap. 5. h. t.

3. Hinc appellatio extrajudicialis per se non suspendit exsecutionem actus contra quem proponitur, neque illico reddit nullius valoris, velut totidem attentata ea quæ inde geruntur, quemadmodum contingit in appellatione proprie dicta; sed appellatio extrajudicialis suspendit exsecutionem actus solummodo, quando superior visa causa, quæ in appellatione exprimi debet, admittit provocationem, et examen de materia controversa instituit. Hæc conclusio infertur ex cap. 46. h. t. in quo Pontifex decernit appellationem ob insufficientiam causæ in ea expressæ non impedire effectus confirmatæ electionis, contra quam appellatio proposita fuerat, quamvis concedat appellanti copiam agendi contra personam electi per viam denunciationis vel accusationis. Ergo a sensu contrario si causa fuisset sufficiens, impedivisset effectum confirmatæ electionis.

4. Appellatio judicialis potest fieri a sententia *definitiva* non solum, sed etiam a sententia *interlocutoria*, ex cc. 11. et 12. h. t. Verum ex dispositione Tridentini in cap. 1. Sess. 13. *De Ref.* et in cap. 20. Sess. 24. *De Ref.* ad evitanda subterfugia et frivolas querelas in causis ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, facultas appellandi coarctata est ad sententiam definitivam et sententiam interlocutoriam, quæ *vim* habeat sententiæ *defini-*

tivæ, et cujus sententiæ interlocutoriæ gravamen per sententiam definitivam reparari nequeat.

5. Quæritur: *quis* possit appellare.

Quæstio præsens non respicit causam, sed personam appellantis. Quo posito omnis poterit appellare, qui gravamen ex sententia vel decreto, quamvis directe contra ipsum lata non fuerint, sentiat, et quamvis ceteroquin agere prohibeatur. Hinc etiam excommunicatus poterit appellare cc. 5., 8. et 11. *de Except.* (II. 25) Amplissimæ conclusionis ratio deducitur ex indole propria appellationis, quæ juxta cap. 61. §. «Porro» h. t. considerata est ceu species defensionis, quæ nulli denegatur. Hinc si uterque litigans arbitretur sententiam judicis sibi nocuisse, uterque appellare potest, ut reformetur pars sibi minus propitia. Pariter etiam tertius contra quem sententia lata non est, dummodo sua intersit, appellare potest; c. 30. C. 2. q. 6.

6. Quæritur: *a quibus judicibus* liceat appellare.

Appellatio considerata est ceu provocatio, qua subditus læsus in suis juribus invocat auctoritatem superioris, et apud eum insistit ut corrigat, vel nullius prorsus valoris reddat actum inferioris. Hinc appellari potest a quolibet judice c. 9. C. 2. q. 6. dummodo non fuerit judex ipse princeps societatis, vel tribunal, quod proprie et immediate locum principis tenet. Quare a sententia Pontificis Romani appellatio interponi non potest. Imo contra appellantes a sententia Papæ ad futurum Generale Concilium in Constitutione *Apostolicæ Sedis* sub n. IV inter excommunicationes latæ sententiæ speciali modo reservatas Romano Pontifici ita legitur: 'Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit'. Nam ejusmodi appellatio est species schismatis, quasi nempe posset esse Concilium Generale absque Romano Pontifice et ipso Summo Pontifice superius. — Pariter neque a sententia *Romanarum Congregationum* in causis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellari potest. Verum loco proprie dictæ appellationis contra latam sententiam concedi potest beneficium *novæ audientiæ* et revisionis causæ penes idem tribunal tractandæ, quod relate ad effectum æquivalet remedio appellationis; nam propositis probationibus iterum quæstio discussioni subjicitur, et si

constet de bono jure appellantis ss. Congregationes non dedignantur rescribere 'Recedendum a decisis', cujus rescripti vis est ut sententia antea lata revocetur.

7. Quæritur: *ad quem judicem* sit appellandum.

Cum diversi sint gradus jurisdictionis, alii aliis majores, hinc ut servetur ordo jurisdictionis, regula generalis est appellationem procedere ab uno ad alium judicem immediate superiorem. Ita constitutum etiam est in jure cc. 66. h. t. et 3. §. «Archidiaconus» h. t. in 6°. Verum cum Romanus Pontifex sit rector universalis Ecclesiæ, ordinariam habens jurisdictionem in omnes Christi fideles, concurrere potest cum omnibus ordinariis locorum in cognitione causarum, c. 17. C. 9. q. 3. Hinc sequitur, Romanum Pontificem a quolibet tribunali ecclesiastico in causis ecclesiasticis appellationes posse recipere, omissis etiam intermediis gradibus jurisdictionis cc. 4. et 6. C. 2. q. 6. Romano Pontifici in hac re sacri canones comparant delegatum ejus in provincia suæ jurisdictionis. Hic scilicet repræsentans personam Pontificis, potest immediate appellationes recipere omissis gradibus intermediis. Cap. 1. *De off. Leg.* (I. 30).

8. Relate ad judices Romano Pontifice inferiores daturne exceptio regulæ generalis?

Omittimus casum sententiæ Vicarii Generalis Episcopi, a qua sententia non appellatur ad judicium Episcopi, sed ad tribunal Metropolitani. Omittimus dico hunc casum, quia Episcopus non constituit gradum intermedium inter suum Vicarium et Metropolitanum; nam tribunal Vicarii Generalis censetur esse idem ac tribunal Episcopi, uti expresse tradit *Bonif. VIII.* in cap. 2. *de Consuet.* (I. 4) in 6°.

9. Hisce positis præteriri potest gradus intermedius et appellari ad judicem superiorem, quando judex intermedius factus est inhabilis sive physice sive moraliter ad causam videndam in gradu appellationis, vel etiam quando legitime introducta consuetudo adsistat. Conclusio hæc innititur cc. 3. h. t. in 6°. et 10. *de off. deleg.* (I. 14) in 6°. Hinc si judex medius longe absit a residentia sua, aut ab hostibus detineatur, aut aliter impediatur ab exercitio judicialis potestatis, poterit in appellatione præteriri. Pariter poterit præteriri si incidat in hæresim, vel in excommunicationem majorem aut suspensionem, vel fiat schismaticus, vel si judex possit recusari tamquam suspectus.

10. Huc facit præsertim casus, quo quæstio est inter Episcopum et Clericum diœcesanum, quo in casu non judicat Episcopus, sed juxta c. 46. C. 11. q. 1. eligendi sunt arbitri, qui dicuntur *arbitri juris.* Ab arbitrorum sententia, ut ipsa natura rei fert, non appellatur ad tribunal Episcopi, sed ad judicem superiorem, quemadmodum etiam insinuat cap. 11. *de off. et potestat. Judicis deleg.* (I. 14) in 6°.

11. Quid vero si appellatio proposita fuerit coram judice, qui revera non sit judex appellationis, sed sit superior non immediatus, nec rationalis causa legitimam reddat omissionem judicis intermedii?

Diximus *judicem superiorem.* Nam quisque videt fore nullam per se appellationem ad judicem inferiorem, quia esset contra substantiam appellationis, quæ supponit majorem jurisdictionem in judice, cujus invocatur auctoritas contra sententiam. Quo posito ajunt communiter Doctores cum glossa juxta sensum cap. 66. h. t. appellationem et acta, quæ sequuntur, valere, quoties contra appellationem adversa pars non excipiat. Ratio est, quia pars adversa non excipiens videtur consentire et ita prorogare jurisdictionem judicis superioris, qui certe in ea conditione est ut prorogari possit ejus jurisdictio. In cap. 7. h. t. species est de duobus collitigantibus, quorum unus appellavit ad Romanum Pontificem, alter ad proprium judicem appellationis. Cum vero qui appellavit ad Romanum Pontificem citatus nollet comparere coram proprio judice appellationis, judex hic tulit in eum ob contumaciam excommunicationis sententiam. Romanus Pontifex decernit, sententiam valere, si judex appellationis nescierit, appellationem fuisse interpositam ad Sanctam Sedem. Hinc tradunt Doctores, in specie capitis prævalere debere appellationem factam ad Sanctam Sedem, sed eum qui ita appellavit citatum apud judicem proprium appellationis comparere debere et notam reddere judici appellationem ad Romanum Pontificem, ita ut judex hic proprius appellationis, nesciens appellationem ad S. Sedem possit legitime ultro procedere in causæ cognitione et appellantem ad Sanctam Sedem habere pro contumace.

12. Quæritur: *quibusnam in casibus* liceat, vel non, appellare.

In genere potest appellari in omnibus causis in quibus appellatio non sit vetita a jure. Plures exceptionis casus afferuntur a Doctoribus.

1⁰) *Causa criminalis criminaliter acta*, in qua ex jure romano expresso in l. 2. Cod. *Quorum appellationes non recipiuntur* non conceditur appellatio quoties reus fuerit convictus et confessus de crimine. Qui enim convictus et confessus est de crimine, hoc remedium invocat solummodo ad applicationem pœnæ differendam. At si causa suppetat appellationis, præsertim si dubium contra confessionem possit promoveri, etiam juxta jus romanum conceditur appellatio; immo si sermo sit de capitis damnato, quilibet alius etiam eo invito appellare potest, l. 6. ff. h. t. Absolute vero repelluntur ab appellatione edenda auctores atrociorum criminum læsæ majestatis, insignis latrocinii, falsarum monetarum.

2⁰) Appellare nequit qui *pacto* quæstionem transegit, vel causam terminavit delato alteri parti juramento, vel si speciali conventione cautum sit ut a judicis sententia non appelletur. Imo sufficit tacita renunciatio appellationis ut inde non amplius ea proponi possit, uti si quis factum poneret appellationi contrarium. Exempla habentur in cc. 54. §. fin. h. t. et 25. *de testibus* (II. 20) et 20. *de offic. delegat.* (I. 29).

3⁰) Similis exposito est casus *de arbitris voluntariis,* qui nempe a partibus collitigantibus plena fiducia relicto judice ordinario digni habiti sunt ad causam decernendam. Ab istorum sententia appellari nequit, nisi ob manifestam iniquitatem. Cap. 2. *de arbitris* (I. 43); pars enim, quæ adversam patitur sententiam, cum libere consensit in arbitros, conqueri de injuria non potest. Hoc idem vero dicendum non est de arbitris necessariis, seu de arbitris juris a quorum sententia potest appellari.

4⁰) Appellatio negatur quando res est *notoria.* Cc. 5. in fin., 13. et 14. h. t.; appellatio enim in notoriis interponi videtur solummodo ad differendam litem creandasque adversario molestias. Notorium vero in casu illud dicitur, quod constat per evidentiam rei, quæ nulla tergiversatione celari potest, vel constat per confessionem propriam in judicio libere et absque metu emissam, quæque non possit revocari per allegationem erroris, vel tandem constat per sententiam judicis, quæ transit in rem judicatam. Ita in cc. ult. *de cohabitat. Cleric. et mulier.* (III. 2), 24. *de Verbor. Significat.* (V. 40) et 61. h. t. §. 2.

Idem dicendum est juxta cap. 29. h. t. de *frivola* appellatione, quæ proponatur contra decisionem emissam a judice, secundum dispositionem juris claram et determinatam. Scilicet hoc in casu

non conceditur appellatio, quia gravamen non esset a judice, sed ab ipso jure communi procederet, quod proinde attendi nequit; et appellatio nihil aliud operaretur quam dilationem exsecutionis sententiæ secundum jus latæ. Exemplum hujus exceptionis traditur in cap. 4. *de Cleric. non resid.* (III. 4) in quo docemur non attendendam esse appellationem clerici contra sententiam episcopi qui jussit eum residere debere in loco beneficii sui.

5°) Appellatio non attenditur, quæ emissa fuerit ab exsecutione sententiæ quæ transit in *rem judicatam,* nec qui appellat auditur, nisi forte exsecutor excesserit modum in exsecutione. Ad rem faciunt cc. 33. h. t. et 15. *de Sent. et Re jud.* (II. 27). Hæc vero exceptio intelligenda est de nudo et mero exsecutore qui nempe nullum judicium exerceat, sed sine ulla cognitione præmissa plene et rigorose satisfaciat alterius judicis voluntati. Si enim judex esset mixtus qui nempe videre deberet de exceptionibus propositis contra rei judicatæ exsecutionem, posset merito ab ejus actibus appellari.

6°) Argum. Clem. 1. *De Re jud.* (II. 11) nemini ter appellare licet, videlicet duplex sententia conformis transit in rem judicatam.

7°) Tandem aliis omissis appellatio non conceditur quando *fatalia,* idest tempora a jure præfinita sive ad appellandum sive ad prosequenda acta appellationis inutiliter elapsa fuerint. Sententia enim in hoc casu transit in rem judicatam.

13. Quæritur quid sentiendum in casu, quo causæ cognitio delegata fuerit cum clausula ut definiatur a judice delegato *appellatione remota?*

Profecto hic modus delegandi causas potest adhiberi a solo Romano Pontifice, qui solus potest contra dispositiones juris communis interdicere appellationem.

Quo posito juxta dispositionem cap. 53. h. t. effectus proprius hujus clausulæ est ut appellatio non admittatur nisi in casibus a jure expressis, idest vi clausulæ non solum frivolæ inhibentur appellationes, sed et omnes, quæ in jure expresse non indulgentur. Scilicet hæc clausula illas solummodo non excludit appellationes, quarum gravamina *expresse in jure* traduntur, ceu sufficientia et legitima ad appellandum. Ex. gr. si judex denegat spoliato restitutionem spolii, cap. 10. *De Restit. Spoliat.* (II. 13); si partes citatæ fuerint ad locum non tutum, cap. 47. h. t. poterunt appellare

non obstante clausula *appellatione remota*, quia de istis casibus expresse cavet jus concedens facultatem appellandi.

14. Quid vero dicendum de aliis casibus, in quibus una pars revera gravata est a judicis sententia, sed gravamen tale *non* est de quo *expresse* caveat jus?

Sunt qui dicunt in casu, quo justa causa suppetat appellationis, licitum esse appellare non obstante clausula, quamvis justa causa hujusmodi non reperiatur expressa in jure. Ratio autem hujus sententiæ est, quia appellatio ex justa causa est species defensionis, quam princeps tollere nequit, aut saltem tollere non præsumitur. Dicunt vero hanc esse differentiam inter gravamen expressum in jure et illud non expressum, ut gravamen non expressum in jure debeat in appellatione declarari, non autem opus sit declarare causas gravaminis de quo jus cavet.

Verum inspecto rigore juris exhibito in cap. 53. h. t. dicendum esse videtur, supposita clausula *'appellatione remota'* non posse interponi appellationes in casibus non expressis in jure. Hinc in istis casibus in jure non expressis judex, qui sententiam tulit, potest tuto procedere ad exsequendam sententiam suam, licet pars collitigans appellationem interponat, nec revocari possunt a superiore ceu attentata ea, quæ inde geruntur. Ratio est, quia judex non tenetur revereri appellationem nisi in casibus in jure expressis. Excipi tamen debet casus, quo Princeps delegans ex certa scientia appellationem exceperit c. 28. *De Off. deleg.* (I. 29) §. 3. Hoc enim in casu videtur reformasse tenorem prioris rescripti delegationis.

Verum nullum erit remedium in casibus in jure non expressis?

Remedium erit recursus superiori factus contra injustam sententiam judicis delegati. Scilicet poterit coram superiore delegante institui querela contra injustam sententiam juxta cap. 9. *de Sentent. et Re jud.* (II. 27). Ratio est, quia appellatione remota non censetur exclusa et interdicta oppositio contra injustam sententiam. Hinc in cit. cap. 9. dicitur 'Cum aliqua causa appellatione remota committitur, et sententia fertur iniqua, eam evacuari oportet, nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam. Hinc semper contra injustam sententiam poterit fieri recursus ad principem quemadmodum etiam innuit cap. 53. h. t. Quare poterit impetrari beneficium novæ audientiæ et revisio causæ. Insuper si sententia delegati nulla est, ob non servatam formam judicialem,

parti læsæ competit actio vel exceptio nullitatis, quæ juxta naturam perpetuarum actionum spatio 30 annorum perdurat.

15. Quæritur: *quinam sit modus* servandus in appellationibus proponendis.

Primo quidem appellatio interponenda est coram judice qui sententiam tulit, seu coram judice *a quo,* ita ut secus sit nulla nec producat effectum sive suspensivum sive devolutivum. Judex enim *a quo* ignorans appellationem jure meritoque procedere potest in judicio, si appellatio proponatur contra sententiam interlocutoriam, vel in exsecutione sententiæ suæ si appellatum fuerit a sententia definitiva. Cfr. cc. 59. et ult. h. t.

Quod si nequeat appellatio interponi coram judice *a quo* vel quia copia judicis ejusdem haberi non possit eo quod a sua residentia absit, nec alius vicibus ejus fungatur in excipiendis querelis, vel quia appellans impediatur quominus adeat judicem, appellari potest directe coram judice *ad quem,* c. ult. h. t. Imo juxta idem caput quando qui vult appellare, impeditur quominus appellationem interponat coram judice *a quo,* potest coram viris honestis protestari, et exprimere causas appellationis. Quæ protestatio cum expressione causarum consideratur ceu vera et legitima appellatio. Ex hodierna autem praxi actus appellationis proponendus est coram utroque judice, *a quo* et *ad quem.*

16. Appellatio autem proponi non potest in forma generica, sed in *forma specifica* facienda est. Scilicet non valet appellatio generalis ab omni causa, sed designari debet causa in qua appellationis remedium invocatur. Ita in cap. 2. h. t. Sustinetur vero appellatio, quæ fiat ab omni gravamine, quod quis in aliquo determinato judicio subiit, quia indeterminata non est materia quæ proxime proponitur Superiori cognoscenda. Ita in cap. 18. h. t.

17. Insuper in appellatione a sententia *interlocutoria* exprimi debet in specie causa seu *motivum* appellationis, idest gravamen, quod quis passus est, vel timet sibi obventurum ex judicis decreto. Ita in cc. 1. h. t. in 6°. et 61. h. t. §. «Porro.»

18. E contra in appellatione a sententia *definitiva* non requiritur expressa mentio causæ seu gravaminis ob quod appellatur. Ita in cap. 1. h. t. in 6°. ubi *Innocentius IV.* ea quæ antiquitas statuit de appellationibus a sententia definitiva se non immutare asserit; scilicet conservat dispositionem juris romani in l. 2. ff. h. t. quæ tenet, necessariam non esse expressionem causæ in appella-

tionibus a sententia definitiva. Hinc juxta jus commune sufficit si gravatus dicat se appellare a sententia definitiva, quia iniqua est. Imo juxta Doctores: si gravatus præsens sit in judicio, sufficit si audita sententia pronunciet verbum *appello,* vel *provoco,* appellatio valet.

Hodie in scriptis redigi debet actus appellationis, quamvis in cap. 1. h. t. in 6°. de appellationibus ad *Summum Pontificem* solummodo dicatur quod in scriptis fieri debeant.

19. Ratio diversæ dispositionis inter sententiam interlocutoriam et definitivam in eo forsan reponenda est, quia in sententia interlocutoria gravamen, si quid sit, corrigi potest ab eodem judice a quo, hinc necesse est ut judex illud cognoscat; in sententia autem definitiva gravamen ab eodem judice emendari nequit, quia causam definitam iterum ingredi non potest. Præterea magis dura videtur et adversa judici appellatio ab interlocutoria, quam a definitiva. Prior enim appellatio suspendit cursum judicii, et exercitium jurisdictionis judicis, secunda vero appellatio suspendit solam exsecutionem sententiæ, non autem judicium in quo judex per sententiam definitivam functus est jam munere suo.

20. *De libellis dimissoriis judicis, seu de apostolis.* Appellatio instituta est, ut causa in sua specifica forma, et in sua determinata juridica indole de uno ad aliud tribunal transferatur, ut judex superior iterum ad examen revocet ea quæ inferior cognovit et definivit. Hinc in jure inductum est ut ad petitionem partis gravatæ judex *a quo* transmitteret judici *ad quem* literas in quibus declararet factam fuisse appellationem a sententia sua in tali causa, quæ apud suum tribunal pendebat inter determinatas personas. Literæ hujusmodi, seu libelli ex more antiquo appellati sunt *apostoli,* quia *missi.* Ita in c. 24. C. 2. q. 6.

Præcipua divisio horum apostolorum est, ut alii sint *dimissorii,* alii *reverentiales,* alii *refutatorii.*

21. Dimissorii sunt literæ judicis ad Superiorem, quibus testificatur de appellatione interposita et a se admissa. Dimissorii dicuntur quia judex inferior quasi a se dimittit appellantem, seque inde extraneum habet a negotio judicis, inde peragendo.

22. Reverentiales illi dicuntur in quibus judex declarat causam non fuisse justam ad appellandum, se autem appellationem admisisse ob reverentiam superioris, cujus auctoritas ab appellante invocatur.

23. Apostoli autem refutatorii illi sunt in quibus judex *a quo* declarat se appellationem nón admisisse, simulque pandit causam ob quam arbitratur nullam esse appellationem, et rejiciendam esse petitionem appellantis. Causa hæc debet exprimi. Cap. 1. h. t. in 6°.

24. Apostoli petendi sunt intra *30* dies ab interposita appellatione, ita ut hoc tempore inutiliter elapso perimatur ipsa appellatio, scilicet uti deserta habeatur. Ita in cap. 6. h. t. in 6°. Peti autem debent congruo loco et tempore, immo instanter, et instantius, scilicet non sufficit petere obiter et quomodocumque, sed locus et tempus eligi debet, quo judex audire et excipere possit petitionem appellantis. Ita in Clem. 2. h. t. Judex vero potest præfinire tempus intra quod appellans recipiat apostolos, quo elapso censetur deserta appellatio. Ita cit. Clem. 2. h. t.

Quod si judex vel recusaverit dare apostolos, vel de facto intra terminum præfinitum ad tradendos eos non dederit, poterit appellans impune prosequi appellationem.

De Fatalibus appellationum.

25. Fatalia appellationum dicuntur ea *tempora intra quæ appellatio proponenda, et causa appellationis prosequenda et finienda est, ita ut secus censeatur deserta.*

Fatalia alia sunt ad *inchoandam,* alia ad *prosequendam,* alia ad *finiendam* appellationem.

26. Fatalia ad inchoandam appellationem sunt *10* dies computandi a tempore intimatæ seu publicatæ sententiæ. c. 28. C. 2. q. 6. et cc. 13. et 5. h. t. — C. 28. «Anteriorum» cit. ita habet: 'Sancitur omnes appellationes posse intra decem dierum spatium a recitatione sententiæ numerandorum judicibus ab iis, quorum interest, offerri'. Si vero agatur de gravamine extrajudiciali decendium decurrere incipit ab ejus *notitia.* Hinc tempus fatale non decurrit ignorantibus. Notitia autem requiritur ut incipiat decendium; nam fatalia conceduntur ad deliberandum utrum expediat nec ne invocare auctoritatem superioris. Cap. 8. h. t. in 6°. Hæc sunt verba *Bonifacii VIII.* in hoc capite: 'Statuimus ut ab electionibus, postulationibus, et quibuslibet extrajudicialibus actibus (in quibus potest appellatio interponi) quisquis ex eis gravatum se reputans per appellationis beneficium gravamen illatum desideravit revocari, infra decem dies *(postquam sciverit),* si velit, appellet'. Ex

quo vero inceperit decurrere decendium computatur uti *continuum*, ita ut in computatione veniant etiam dies feriati. Ita ex cap. 15. *De Sentent.* et *Re jud.* (II. 27).

27. Secundum fatale est prosequendæ appellationis, idest præsentandæ appellationis coram Superiore, seu coram judice *ad quem*. Inspecto jure canonico hoc tempus designari debet a judice *a quo*, ita ut si inutiliter elapsum sit, appellatio habeatur uti deserta, et judex *a quo* possit ultro procedere in actibus judicialibus. Ita in c. 33. et Clem. 4. h. t. Juxta vero jus civile datur appellanti semestre ad præsentandas literas judicis *a quo;* ex l. 2. et 3. *De temporib. appellat.*

28. Tertium genus fatalium est finiendæ appellationis. In cap. 5. h. t. conceditur annus integer ad finiendam appellationem; quod si adsit causa rationalis et notoria, conceditur biennium, quod computatur a die interpositæ appellationis. Ita in Clem. 3. h. t.

29. Duo autem sunt animadvertenda. 1°) In tribunalibus *majoribus* ob multitudinem causarum, quæ in illis agitantur non attendi hanc præfixionem temporis, sed rem arbitrio judicis relinqui, qui terminum partibus ad sese defendendum præfigere potest. Ceterum judex non potest prohibere quominus partes collitigantes communi consensu diutius prorogent tempus appellationis. Clem. 4. h. t.

30. 2°) Animadvertendum est juxta cap. 8. h. t. in aliis tribunalibus annum non decurrere legitime impeditis. Legitimitas impedimenti eo dirigitur, ut culpam appellantis excludat. Quare onus probandi exsistentiam impedimenti ad ipsum spectat appellantem. Hoc posito juxta cap. 8. h. t. impedimentum legitimum ad prorogandum tempus finiendæ appellationis est impotentia sive physica sive moralis ipsius appellantis. Ex. gr. si careat pecunia necessaria pro expensis itinerum, defensorum, etc. Nec non ex eod. cap. 8. impedimentum legitimum potest procedere ex parte adversarii, qui ad declinandum judicium proponat frivolas exceptiones et petat iteratas dilationes.

Ex supra autem exposito principio sequitur etiam nocere non posse appellanti lapsum anni vel biennii, quoties id proveniat ex facto judicis non expedientis causam, quo in casu juxta Doctores et civile jus in Auth. Sed. et cit. Cod. *De tempor. appell.* ipso jure fatalia non decurrunt; vel id proveniat ex facto tertii ex. gr. ex

negligentia procuratoris quem appellans credidit diligentem, vel etiam ex infortunio inopinato.

31. Quæritur: *quisnam* debeat decernere utrum appellatio sit nec ne deserta ob lapsum fatalium.

Si appellans causam introduxerit coram superiore, judex hic superior videbit et decernet quæstionem, ex. gr. utrum interfuerit nec ne impedimentum legitimum ad finiendam appellationem. Quod si vero appellans non introduxerit causam coram judice superiore, tunc ipse judex *a quo* ad petitionem victoris causam videbit. Et siquidem appellans vel non compareat, vel nihil alleget ad probandas inducias prosecutionis appellationis, absque alia pronunciatione judex sententiam jam latam exsequetur juxta sensum cap. 27. h. t. et Clem. 2., 3. et 6. eod. Si vero appellans rationem afferat cur appellationem non sit prosecutus, judex *a quo* quæstionem præmissa discussione definiet. Ita DD.

32. Quæritur utrum fatalia negotio *extrajudiciali* noceant eodem modo quo judiciali quæstioni.

Profecto per lapsum fatalium sententia judicialis transit in rem judicatam, quæ pro veritate habetur. Hinc per lapsum fatalium quæstio finita est, nec ullum remedium ordinarium juris superest parti gravatæ, et solummodo si minor, vel qui minoribus comparantur, læsi fuerint, habebunt beneficium extraordinarium restitutionis in integrum, sed pro aliis et in genere leges per lapsum fatalium quæstionem habent pro finita.

Verum non idem dicendum de negotio extrajudiciali, in quo ob gravamen illatum appellatur ad superiorem. Scilicet in hujusmodi hypothesi gravaminis extrajudicialis per lapsum terminorum fatalium cessat quidem appellatio, idest recursus per modum appellationis viribus caret, et actus contra quem appellatio proposita est in possessione et in præsumptivo valore juris perseverat. Sed exinde non prohibetur usus remedii juris communis. Remedium hujusmodi in hoc consistit ut qui sentit se gravatum ob injustum actum extrajudicialem, ex. gr. ob electionem indigni, vel ob collationem beneficii factam spreto jure patroni, aut actualis possessoris beneficii, possit vel judicium instituere ad juris rigorem, quo actus ille extrajudicialis nullus declaretur, vel excipere contra actum seu decretum superioris, vel petere restitutionem in integrum, si ea a jure concedatur. Glossa in cap. 8. h. t. in 6°. quoad exceptionem proponit exemplum sequens: 'Si Episcopus con-

ferat Titio beneficium quod habet Cajus, Cajus vel potest statim ab habita notitia hujus collationis appellare, vel potest exspectare donec vocetur ut possessionem restituat, et excipere contra factum collationis. Hæc autem exceptio excludi non potest, licet decem dies lapsi jam fuerint a notitia illati gravaminis. Ratio conclusionis est, quia negotium extrajudiciale cum non exhibeat sententiam, non transit in rem judicatam. Quare licet ob lapsum fatalium appellatio deserta fuerit, qua poterat suspendi virtus seu effectus illius actus, contra quem appellatio proponenda fuisset; tamen valor actus poterit in judicio impugnari. Glossa in cap. 8. h. t. in 6^{0}. v. «Debitam» hanc aliam affert rationem; idest quando quis plures vias habet ad suum jus tuendum, licet una via præscripta fuerit, non inde sequitur præscriptum fuisse ab adversario etiam in alia via. Hinc si præscripta est appellatio, remanet adhuc via contradictionis et exceptionis. Porro supraexposita theoria fulcitur dispositione cc. 5. h. t. §. «Infra quod.» et 8. h. t. in 6^{0}. In hoc postremo loco expresse dicitur, ei qui appellationem extrajudicialem deseruit, præsto esse alia remedia juris post lapsum decendii, dummodo tempore intermedio gravamini non consenserit.

De effectibus appellationum.

33. Effectus ordinarii et regulares appellationis legitimæ 2 sunt: suspensio et devolutio. Dixi *ordinarii* et *regulares:* nam aliquando solummodo devolutivus effectus appellationis locum habet.

Effectus *suspensivus* in eo consistit, ut per appellationem sententia judicis vel actus extrajudicialis contra quem proponitur non quidem perimatur, sed in suspenso maneat. Hinc ea, quæ aguntur adversus appellationem servatam in suo effectu suspensivo habentur ceu totidem attentata, quæ revocari possunt, quia censentur posita ab eo, qui vera et actuali jurisdictione caret. Quare servandum est principium, ut appellatione pendente nihil innovetur. Ita c. 7. h. t. in 6^{0}.

34. Effectus *devolutivus* in eo est positus ut judex superior non solum cognoscere debeat utrum ratio appellandi sit justa nec ne, sed etiam ut totam causam ad se pertrahat prout proposita discussa et definita est in tribunali inferiori, simulque decernat de merito causæ ejusdem.

35. A. *De appellationis effectu suspensivo.* Proximus et regularis

effectus appellationis legitime interpositæ juxta cap. 10. h. t. in 6°. est ut suspendat virtutem juridicam sententiæ vel actus a quo appellatio interposita fuit. Hinc nisi expresse casus in jure excipiatur, in genere appellationi effectus suspensivus tribuendus est.

Est quæstio inter Doctores utrum appellatio a sententia *interlocutoria* cogat judicem supersedere in causa principali. Et quidem si talis sit articulus a quo appellatum est, sine quo causa principalis non possit expediri, tenendum est juxta cap. 10. h. t. judicem *a quo* supersedere debere in causa principali, quoadusque appellationis negotium fuerit expletum. Communior vero et probabilior etiam opinio est, judicem *a quo* etiam supersedere debere in causa principali, quando articulus appellationis influat quidem in causam principalem, sed talis non sit, ut absque eo meritum causæ non possit expediri. Hæc conclusio fulcitur arg. cc. 7. et 10. h. t. in 6°. Consonant *Abb.* et Gl. in id. c. 10. h. t.

36. Verum non pauci casus excepti esse deprehenduntur: I[us]. casus exhibetur in cap. 3. h. t. in quo traditur superiorem regularem posse exsequi *correctionem* et punitionem religiosi sui, juxta regulam ordinis, quamvis subditus religiosus appellaverit a mandatis superioris.

37. II[us]. casus exceptus exhibetur a Tridentino in sess. 24. *De Ref.* c. 10. cui consonat cap. 4. sess. 14. et cap. 1. sess. 22. *De Ref.* Casus est de appellatione a decretis *visitationis* episcopalis, et correctionis morum. Quamvis in c. 12. *De Off. Ordinarii.* (I. 31) dicatur interclusum esse effugium appellationis in corrigendis abusibus juxta canonicas sanctiones, tamen in cap. 26. h. t. traditur, in casu, quo aliquis contra disciplinam ecclesiasticam appellavit, episcopum præfigere debere tempus ad prosequendam appellationem, quo elapso posse Episcopum libera uti auctoritate sua. Hinc appellatio non prohibetur absolute. Sed Conc. Trid. in citatis locis mutationem induxit, et hæc, quæ sequuntur statuit, scilicet: 'Episcopi in omnibus iis quæ ad visitationem et morum correctionem subditorum suorum spectant, jus et potestatem habent etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi et exsequendi juxta canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua, pro subditorum emendatione ac diœcesis utilitate necessaria videntur'. Insuper ubi de visitatione ac morum correctione agitur, statuit Trident.: '*Nulla appellatio* seu querela etiam ad Sedem Apostolicam interposita, eorum exsecutionem, quæ de-

creta, mandata, aut judicata fuerint, quoquomodo impediat aut suspendat'. Videlicet appellatio a decretis episcopalibus sacræ visitationis aut correctionis morum non servatur in *suspensivo.* Episcopus enim ad regimen Ecclesiæ suæ debet ea libertate juris muniri, ut efficax simul et promptum remedium exordientibus malis applicare possit, ne in exercitio vigilantiæ suæ retardetur ex malitia vafrorum hominum, qui judicem superioris gradus primo intuitu decipere, ejusque auctoritatem invocare saltem ad differendam inflictam sibi pœnam callide studeant.

38. III[us]. casus sequitur ex secundo et respicit *censuras* ecclesiasticas *absolute illatas,* sive sermo sit de excommunicatione, sive de suspensione, sive de interdicto cujuscumque generis. Cum enim censuræ sint pœnæ medicinales ad corrigendos fideles institutæ, si ab istis censuris jam inflictis appellatio proponatur, ea non servatur in suspensivo. Hinc ex. gr. excommunicatus poterit denunciari et proventibus ecclesiasticis privari, licet appellaverit. Faciunt ad rem cc. 53. h. t. et 20. *de Sent. Excom.* (V. 39).

Dixi 'jam inflictis' nam si solum facta fuerit comminatio censuræ, appellatio interposita etiam in suspensivo servanda est, cap. 40. h. t., nisi tamen lata fuerit sub conditione, quæ inde verificetur. Nam essemus in casu censuræ de facto inflictæ, quæ ligaret personam. Cap. 21. *De Sent. Excom.* (V. 39).

39. Huc facit Constitutio *Benedicti XIV.* ‚*Ad militantis*' diei 30. Martii 1742. in qua plures describuntur et declarantur casus, in quibus appellatio in suspensivo prohibetur. Præcipui sunt a) Appellatio ab applicatione decretorum, quorum exsecutio a Tridentino commissa est Ordinariis locorum etiam uti Sedis Apostolicæ delegatis, cum clausula 'appellatione vel inhibitione quacumque remota'. Immo prohibetur appellatio in suspensivo ab exsecutione quorumcumque decretorum aliorum Conc. Trident. ordinariis locorum demandata ab eodem Concilio et a Const. *Pii IV.* «*Benedictus Deus.*» Concilii confirmatoria. Scilicet quando Episcopus exsequitur aliquod *decretum Concilii Tridentini*, appellatio ab ista exsecutione non servatur in suspensivo.

b) Non sustinetur in suspensivo appellatio a decretis Ordinariorum, etiam extra visitationem, circa *cultum divinum,* et præcipue circa Missæ celebrationem.

c) Non datur appellatio in suspensivo a decretis ordinariorum circa *curam animarum* et *Sacramentorum administrationem* et alia

parochialia munera, etiam quoad exemptos tam sæculares quam regulares.

d) A deputatione *vicariorum etiam perpetuorum* cum adsignatione congruæ, a deputatione vicariorum ecclesiarum parochialium ob imperitiam vel suspensionem aut dejectionem parochi titularis, necnon a deputatione œconomi curati tempore parochialis ecclesiæ vacantis.

e) Non servatur in suspensivo appellatio a censuris, vel a sequestratione fructuum contra curam animarum habentes *non residentes* in loco beneficii proprii.

f) A *divisione Parochiarum* earumque erectione in titulum juxta cap. 13. sess. 24. *De Ref.* in Trid.; ubi parochiæ non habent determinatos fines et parochi sacramenta promiscue fidelibus petentibus ministrant.

g) Non servatur in suspensivo appellatio a decretis Episcopi, quibus etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus cogit rectores ecclesiarum parochialium ob *populi numerositatem* tot sibi sacerdotes adjungere, quot sufficiant ad sacramentorum administrationem; nec pariter a decretis quibus Episcopus ob grave incommodum populi ad sacramenta percipienda ipsis etiam invitis rectoribus novas parochias instituit, et novis parochis congruam portionem fructuum adsignat.

h) A decretis quibus Episcopus, vocatis iis quorum interest, ex ecclesiis collapsis, quæ reparari nequeunt ob inopiam, transfert ad matrices aut ad alias ecclesias beneficia simplicia etiam juris patronatus cum omnibus emolumentis et oneribus; necnon a decretis quibus Episcopus adstringit patronos, rectores, beneficiatos aut parochianos ad *restaurationem* ecclesiarum parochialium, servata tamen forma Trident. C. 7. sess. 21. *De Ref.*

i) A denegata promotione ad sacros ordines et a suspensione susceptorum ob crimen occultum, sive *ex informata conscientia.*

k) A censuris aut aliis provisionibus contra *concubinarios,* et præsertim clericos etiam retinentes domi aut extra mulieres *suspectas* juxta præscriptum S. Conc. Trid. sess. 24. *De Reformat. Matrimon.* cap. 8. et sess. 25. *de Ref.* c. 14.

l) Non servatur effectus appellationis in suspensivo a decretis ordinarii circa conversionem tertiæ partis fructuum dignitatum, canonicatuum etc. in *distributiones quotidianas,* earumque divisionem inter præsentes in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis in

quibus nullæ sunt hujusmodi quotidianæ distributiones, vel sunt ita tenues ut verosimiliter negligantur juxta Trid. Concil. c. 3. sess. 21. et c. 3. sess. 22. *De Ref.*

m) Ab exsecutione *piarum dispositionum* tam in ultima voluntate quam inter vivos. Trid. c. 8. sess. 22.

n) A decretis Episcopi cogentibus clericos tum sæculares tum regulares etiam monachos et exemptos ad *processiones publicas,* servata tamen forma Const. *S. Pii V. «Etsi mendicantium,»* et circa præcedentiam in eisdem inter dictos clericos; necnon a decretis ejusdem super observantia censurarum etiam episcopalium et festorum Diœcesis.

o) Effectum suspensivum non parit appellatio a præfixione termini pro punitione regularis Episcopo non subjecti, degentis intra claustra monasterii, sed extra claustra notorie delinquentis facienda a superiore regulari, et pro notitia punitionis hujusmodi jam inflictæ Episcopo danda.

Tandem aliquibus aliis casibus omissis, qui data occasione in eadem cit. Constitutione *'Ad militantis'* possunt perlegi, non servatur in suspensivo appellatio a decretis episcopalibus circa *clausuram monialium*, ac punitionem delinquentium in eandem, et personas intra eandem degentes.

Item a decretis episcopalibus circa examen pro approbatione vel reprobatione *confessariorum earumdem* tam ordinariorum quam extraordinariorum, et tam sæcularium quam regularium quomodolibet exemptorum, etiam pro monialibus subjectis ipsis regularibus, nec non contra *earumdem ministros* in temporalibus et alios quoscumque officiales earum; quoad vero exemptos et regulares, servata forma Const. *Greg. XV. 'Inscrutabili'*.

40. Quæstio non inutilis proponitur: utrum quando episcopus ad crimen puniendum, vel in causa visitationis procedit servata tela judiciaria, appellatio ab ejus sententia definitiva servanda sit etiam in suspensivo?

Diximus 1°) *'servata tela judiciaria'* seu servata forma judicii, non autem quando procedit ex informata conscientia, et correctionem morum exercet modo disciplinari, per decretum, mandatum, vel provisionem. Diximus 2°) A *'sententia definitiva';* quia juxta cap. 1. Sess. 13. *De Ref.* in causis visitationis et correctionis morum appellari solummodo potest a sententia definitiva, non au-

tem ab interlocutoria, nisi habeat vim definitivæ sententiæ, aut damnum contineat quod reparari nequeat a sententia definitiva.

Hisce positis, in hypothesi, qua episcopus in correctione criminum, quæ juridice patent et in foro probari possunt, judicialiter procedit, cognoscit et judicat, dicimus appellationem a sententia definitiva servandam esse non solum in effectu devolutivo, sed etiam in suspensivo. Conclusio hujusmodi fulcitur resolutione S. Congregationis Concilii authenticam proferentis interpretationem dispositionis Tridentinæ, quam resolutionem a Summo Pontifice fuisse approbatam refert *Fagnanus: comm.* in c. 3. h. t. n. 15. Cfr. eundem auctorem in cap. 13. *De off. et pot. Jud. Ord.* (I. 31). Idem firmatur in declaratione S. Congregationis præpositæ causis Episcoporum, edita die 16. Oct. 1600., approbata a *Clemente VIII.* In hac declaratione mentio est de hypothesi qua visitator, citata parte et adhibita cognitione causæ, judicialiter procedit, et traditur appellationem servandam esse etiam in suspensivo. Cfr. *Reiff.* h. t. §. 9. circa fin. Ratio est, quia Tridentinum Concilium in forma judiciorum quoad appellationem, solummodo jus anterius immutavit circa appellationem ab interlocutoria sententia, quam reprobavit in c. 1. sess. 13. *De Ref.* Hinc in reliquis, etiam quoad effectum devolutivum et suspensivum, pristinum jus servandum est.

Ceterum in forma judiciali non verificatur ratio ob quam in correctione disciplinari interdicitur appellatio in suspensivo. Nam in correctione ceu notat Gl. fin. in cap. 3. h. t. et *Hostiensis* n. 8°. idcirco non potest appellari in suspensivo, quia correctio fit ad pœnitentiam, in qua externa judicialis forma servari nequit, sed proceditur juxta rei veritatem in conscientia sufficienter cognitam. E contra quando circa criminosam actionem judicium instituit episcopus, debet ipse sequi normas juris communis et admittere omnes effectus et vices quibus publicum judicium natura sua subjicitur, inter quos effectus et vices etiam recensetur regularis suspensio exsecutionis in appellatione a sententia definitiva.

41. B. *De effectu devolutivo appellationis.* Effectus devolutivus in eo consistit ut judex superioris instantiæ non solum de justitia, seu de legitimitate appellationis cognoscere debeat, sed ferre debeat judicium etiam in merito causæ, confirmando vel rejiciendo, vel saltem corrigendo et moderando sententiam judicis inferioris.

42. Ut judex appellationis tute in causa procedat, eidem transmittenda sunt acta judicii prioris instantiæ. De istis actis mentio est in cap. 11. *de Probat.* (II. 19); ubi ea quæ veniunt nomine actorum describuntur: videlicet citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, et interrogationes, confessiones, depositiones testium, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, conclusiones, et cetera quæ occurrunt. Exemplar actorum debet fieri a notario seu cancellario tribunalis, ex mandato judicis ad petitionem partis collitigantis. Debet autem fieri expensis partis ejusdem, quæ appellavit. De hac re agit Tridentinum in cap. 20. Sess. 24. *De Ref.* in quo statuit, hoc exemplar faciendum esse a notario quam primum, saltem intra mensem.

43. Judex appellationis, cognita legitimitate appellationis, causam in merito videbit, et non solum sententiam proferet, sed poterit ipse eam exsecutioni mandare, quin eam remittat judici inferiori. Si appellatio facta fuerit a sententia definitiva, judex appellationis cognoscet et decernet non solum meritum causæ principalis, sed etiam ejus accessoria et consequentias. Ita docent *Pirhing* h. t. n. 238. *Reiffenstuel.* h. t. n. 233. et alii juxta sensum cap. 55. h. t.

44. Quod si appellatio facta fuerit ab interlocutoria sententia, primum videbit judex utrum admittenda sit appellatio vel non. Si appellatio non sustineatur, judex appellationis remittet totam causam cognoscendam judici inferiori, simul condemnans appellantem ad refundendas adversario suo expensas judicii, cap. 53. h. t. Quod si vero constiterit de legitima appellatione seu de motivo rationali pro admittenda appellatione, hoc in casu judex superior decernet de causa incidentali, seu de gravamine a quo appellatum est.

45. Si quæratur autem utrum judex superior occasione causæ incidentalis pertrahat ad se etiam cognitionem causæ principalis, *Pirhing* h. t. nn. 124. circa finem et 237. docet juxta textum cap. 59. h. t. et glossam ib. v. «Alioquin» et *Abbatem* ib. n. 8. ad superiorem judicem devolvi etiam cognitionem causæ principalis in merito. Et quidem hæc erat praxis forensis civilium tribunalium ditionis temporalis Summi Pontificis; scilicet si ad tribunal S. Rotæ ab incidenti appellaretur, tota causa principalis ad idem tribunal pertrahebatur.

De attentatis pendente appellatione.

46. Nomine *attentati* in casu venit factum per quod pendente appellatione inducitur *innovatio contra jus appellantis.* Hinc 1⁰. si ponatur aliquod factum per quod nihil *innovetur* circa quæstionem, in qua pendet appellatio, non est attentatum. Ex. gr. si is qui appellavit in judicio petitorio, pendente appellatione, turbetur a possessione rei litigiosæ, judex *a quo* ad petitionem partis poterit judicium possessorium instituere, et possessionem redintegrare quin committat attentatum, quia quæstio pendens apud judicem superiorem non est circa possessionem. Cfr. cap. 17. h. t. Idem dicendum in specie, qua pendente lite in gradu appellationis circa validitatem matrimonii judex primarum instantiarum nempe Episcopus inhiberet alterutri ex collitigantibus ne sponsalia et eo magis matrimonium auderent cum persona tertia contrahere. Hæc enim inhibitio nihil contra causam principalem induceret, sed potius ipsi appellationi faveret. Huc facit cap. 2. *De matrimonio contract. cont. interdict. Ecclesiæ.* (IV. 16).

2⁰. diximus attentatum constitui ex innovatione aliqua *contra jus* posita. Hinc judex inferior si aliquid in causa appellationis peragat, quod a jure permittitur, non erit attentatum, ex. gr. si post appellationem præfiniat tempus ad recipiendas literas dimissorias judici superiori præsentandas, jure meritoque aget. Clem. 2. «Quamvis» (II. 12) h. t.

47. Hisce positis quamvis attentata juxta cap. 4. *De judiciis* (II. 1) juridico valore careant, eo quia posita sunt a judice *a quo* post translationem causæ ad judicem superiorem, tamen sustinentur quoadusque ex petitione partis non fuerint revocata. Hæc conclusio deducitur ex cap. «Non solum» 7. h. t. in 6⁰. Et ratio est, quia nullitas attentatorum a jure statuta est in favorem illius ex collitigantibus, contra quem aliquid attentatum fuerit. Si ergo hic non petit revocari ea, quæ sunt contra se gesta, censetur juri suo renunciasse, et eadem agnoscere et recipere ceu valida et legitima. Cap. 12. *De foro compet.* (II. 2) Revocatio attentatorum principaliter petenda est a judice appellationis, qui juxta cap. 55. h. t. in causa appellationis ad se cum principali trahit etiam accessoria, inter quæ certe veniunt attentata. Dixi *principaliter.* Nam si sermo sit de attentatis contra appellationem ab interlocutoria sententia, potest ipse judex *a quo,* antequam appellatio fuerit a ju-

dice superiore acceptata, revocare attentata juxta cap. 60. h. t. Ipse enim, pendente appellatione a sententia interlocutoria, idest antequam judex superioris instantiæ declaraverit legitime fuisse appellatum, et ad se pertraxerit totam causam, adhuc perseverat esse judex in causa principali.

48. Ex hac ratione etiam diverse lata est dispositio juris circa modum revocationis attentatorum. Modus hic exhibetur in cap. 7. h. t. in 6⁰. videlicet attentata contra appellationem a sententia *definitiva* possunt revocari ante omnia, antequam nempe sententia in gradu appellationis proferatur. Ratio est quia per hanc appellationem tota causa transfertur ad judicem superiorem ita ut judex *a quo* fiat quodammodo extraneus ab eadem. Purgatio igitur attentatorum judicis *a quo* illico potest fieri a judice superiore. et per consequens pars litigans, cujus interest attentata purgari, petere potest ut per remedium conveniens ante omnia revocentur. At idem dici non debet si attentata commissa fuerint a judice *a quo* contra sententiam *interlocutoriam.* Et ratio est, quia cum post appellationem ab interlocutoria judex *a quo* continuet partem habere in causa principali, ea, quæ ipse judex *a quo* peragit, sustinentur, donec non appareat legitimam esse appellationem per decretum judicis superioris acceptantis appellationem. Hinc attentata solum post hoc decretum revocari possunt a judice superiore. Cap. 7. §. «Illa vero» h. t. in 6⁰.

Antequam tractationi de appellationibus finem imponamus, maxime opportunum arbitramur referre 'Decreta' Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium anni 1600, approbata a *Clemente VIII,* quippe quæ explicant Tridentinam dispositionem Sess. 24. cap. 10. *de Ref.* et normas praxi accommodatas tradunt. En tenor horum decretorum prout referuntur in Appendice XIII. Concilii *Romani* anni 1725.

Decreta

Sac. Congregationis Episcoporum de mandato *Clementis* Papæ *VIII.*
Lata anno 1600
circa Appellationes et Inhibitiones.

Ad tollendas ambiguitates et controversias jurisdictionales, quæ inter appellationum et prioris instantiæ judices, non sine par-

tium dispendio cursusque justitiæ impedimento, et sæpe cum scandalo oriuntur, Sacra Congregatio, causis Episcoporum præposita, facta prius relatione SS. D°. N°. *Clementi* Papæ *VIII.* ac de Sanctitatis Suæ mandato, vivæ vocis oraculo desuper habito, in hunc, qui sequitur modum, ab omnibus ad quos spectat in posterum fieri, ac servari debere mandavit, et mandat.

I. Metropolitani, Archiepiscopi, Primates aut Patriarchæ in Suffraganeos eorumve subditos non judicent, nisi in casibus *a jure expressis.*

II. Item nec alii Superiores, etiam Nuntii, vel Legati de latere, specificam facultatem majorem non habentes, causas in curiis Ordinariorum, vel aliorum inferiorum judicum pendentes, ad se advocent, nisi per viam legitimæ appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur, tuncque appellantes ab inferioribus jurisdictionibus, quoad alias causas eximere non possunt.

III. Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, prius constiterit appellationem a sententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit, in casibus a jure non prohibitis, per legitimam personam et intra debita tempora fuisse interpositam ac prosequutam.

IV. Nec, dum causa coram inferioribus judicibus pendet, ante definitivam sententiam, vel vim definitivæ habentem, de gravamine illato Superiores cognoscere valeant, licet citra præjudicium cursus causarum, se id facere contestentur, nec ad hunc effectum liceat eis inhibere aut simpliciter mandare, ut ipsis copia processus transmittatur, etiam expensis appellantis.

V. Inhibitiones post appellationem, sicut præmittitur, receptam, non concedantur, nisi cum inscriptione tenoris sententiæ, aut decreti definitivi aut vim definitivæ habentis, vel damnum per definitivam irreparabile continentis, alias inhibitionis et processus, et inde sequuta quæcumque sint ipso jure nulla, eisque impune non parere liceat.

VI. Si appellans asserat, sententiæ aut appellationis exemplum culpa *judicis a quo* vel *actuarii* habere non posse, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda, sed eis tantum ad quos pertinet injungi poterit, ut soluta condigna mercede actorum, exemplum authenticum appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen judex *a quo,* ne

si vere appellatum fuerit in causa appellabili, interim aliquid in præjudicium appellantis attentet, et si per actum publicum aut per testium depositiones constiterit, acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta possit judex appellationis adjicere, ne interim aliquid novi contra appellantem attentetur.

VII. Ab exsecutione decretorum Sacri Concilii Tridentini, aut Visitationis Apostolicæ appellationes a Metropolitanis non recipiantur nec si Episcopi virtute ejusdem Sacri Concilii procedunt, uti Sedis Apostolicæ delegati in causis, quæ sub eorum jurisdictione ordinaria non comprehenduntur, salva tamen in hoc casu Legatorum et Nuntiorum Apostolicorum auctoritate.

VIII. In causis vero Visitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum admittantur, nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur, vel cum Visitator citata parte et adhibita causæ cognitione judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum.

IX. Cum a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ut indebitæ carcerationis, vel torturæ, vel excommunicationis, etiam comminatæ, appellatur, non nisi visis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio vel provisio aliqua concedatur.

X. Causa appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur carcere permanebit, quoad judex, ad quem appellatum est, visis actis et causa cognita, aliter decreverit: et tunc si a judicis, ad quem decreto vim definitivæ habente fuerit appellatum, nihil mandare, aut pro sui decreti exsecutione attentare poterit, donec per judicem superiorem aliud fuerit ordinatum.

XI. Acta originalia processus primæ instantiæ ad judicem appellationis notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa et suspicio incidat, quæ judicialiter objiciatur et tunc terminata causa remittenda sunt ad Ordinarium ut in suo archivo conserventur.

XII. Censura ecclesiastica in appellantem prolata, relaxari aut nulla declarari per judicem appellationis non possit, nisi auditis partibus et causa cognita; tuncque si constiterit eam justam esse, ad judicem qui excommunicavit appellans remittendus est, ut ab ipso juxta sacros canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem præstiterit, obtineat; si

vero injustam esse clare apparet, superior absolutionem impendat; si dubitetur, honestius est ut ad excommunicatorem intra brevem aliquem competentem terminum eidem præfigendum absolvendus remittatur, licet etiam superior hoc casu idipsum per se præstare jure possit.

XIII. Absolutio ad cautelam, non nisi parte citata et visis actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolatæ, vel a jure, si occurrat dubium facti, vel probabile dubium juris, concedenda erit: tuncque ad breve tempus cum reincidentia, et præstita per excommunicatum cautione de stando juri, et parendo mandatis Ecclesiæ tantum; et si juxta formam a jure præscriptam, apparebit, quem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem præstare, et si ob contumaciam manifestam, expensis pariter satisfacere, et cavere de judicio, sisti coram excommunicatore si tenebitur, priusquam ad cautelam absolvatur.

XIV. A sententia etiam definitiva contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur, nec inhibitio aut alia quævis provisio, quamdiu appellans in hujusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.

Romæ in S. Congregatione, die 16. Octobris 1600.'

De Recusationibus et relationibus.

49. I. *De Recusationibus.* Quoniam recusatio judicis in aliquibus convenit cum appellatione, et præsertim in effectu suspensivo jurisdictionis judicis, hinc in titulo de appellationibus agitur etiam de recusationibus.

Recusatio est *'judicis suspecti et jurisdictionis ejus proposita causa suspicionis declaratio'*. Ita DD.

Recusatio judicis petenda est ante litis contestationem, quia qui in judicem consensit, acceptans ejus jurisdictionem, eo ipso demonstravit se nullam adversus judicis personam suspicionis causam habere. Auth. «Offeratur» C. *de lit. cont.* et c. 15. C. 3. q. 5. Verum juxta cap. 25. *De Off. del.* (I. 29) et cap. 4. *de Except.* (II. 25) potest utique recusatio proponi etiam post litem contestatam, quoties causa suspicionis in decursu judicii exorta fuerit, vel quoties tunc primum notitia ejusdem habeatur. Causæ autem recusationis sunt in genere vinculum consanguinitatis et

affinitatis, aut arctissimæ amicitiæ judicis cum adversa parte collitigante, vel relatio familiaritatis ex una parte, et potestatis ex alia, uti si unus ex collitigantibus fiat familiaris judicis, cap. 25. *De Off. deleg.* (I. 29), vel interesse, quod judex in causa habere possit, juxta dicta superius de testibus suspectis, vel tandem odium ejusdem judicis in ipsum recusantem. Ceterum gravitas causæ pro admittenda vel neganda recusatione cognoscenda remittitur arbitrio judicis competentis. Jure canonico potest recusari non solum judex delegatus, sed etiam ordinarius, juxta dispositiones cc. 61. h. t. et 5. et 14. *de Off. et Pot. jud. deleg.* (I. 29).

50. Quæritur utrum Episcopus in actu visitationis quoad decreta, quæ emittit, possit ceu suspectus traduci, et juridice recusari.

Quæstio hæc proposita fuit in S. Congr. Concilii ab Episcopo *Egitaniensi,* qui retulit in generali visitatione plerumque contingere ut dum Episcopus vel Visitatores ab eo delegati officio visitationis incumbunt, allegentur seu recusentur uti suspecti a delinquentibus ad impunitatem assequendam. Et quidem juxta leges et consuetudines regni, in inquisitione et cognitione criminum, eo ipso, quo quis uti suspectus allegetur, non potest ultro procedere. Hinc ajebat Episcopus, plura crimina cum pessimo exemplo impunita remanere. Quare Episcopus postulabat facultatem ulterius inquirendi et procedendi quoad emendationem et punitionem non obstante hoc impedimento recusationis opposito a quavis persona, quantumvis potente sive ecclesiastica sive sæculari. *Clemens VIII.* ex voto Congregat. die 21. Maji 1603. declaravit, *Episcopum in visitatione uti suspectum allegari non posse.*

51. Modus autem procedendi ad proponendam recusationem designatur in cap. 61. h. t. Scilicet qui vult judicem recusare uti suspectum debet proponere causam probabilem recusationis. Deinde ex consensu partium collitigantium, vel si non adsit aliquis adversarius, ex consensu judicis et rei eliguntur unus vel plures arbitri. Quod si dissentiant, unum eliget pars recusans, alium adversarius ejus vel judex. Arbiter vel arbitri intra competentem terminum videbunt de causa suspicionis; interim judex supersedebit in causa. Elapso autem congruo termino, judex poterit ultra procedere. Quod si duo sint arbitri, nec in unam sententiam conveniant, tertius eligetur arbiter. Si exclusa fuerit suspicio, judex prosequetur cognitionem causæ. Qua autem in re animadverti debet sermonem hic esse de arbitris juris, non autem de voluntariis. Eliguntur

enim ex dispositione legis. Hinc ab eorum arbitrio potest interponi appellatio ad superiorem judicem, quoties gravamen verificetur. Si autem admissa fuerit suspicio ab arbitris, hoc in casu judex sese abstinebit a prosecutione judicii, sed vel alteri ex consensu recusatoris committet causæ cognitionem, vel acta omnia judici superiori remittet, ut ipse procedat in causa.

52. Effectus propositæ recusationis est ut suspendat auctoritatem judicis, quoadusque non fuerit resoluta quæstio de suspicione objecta. Unde supersedere debet judex recusatus in cognitione quæstionis. Cap. 41. h. t. §. fin.

Utrum autem quæ interim aguntur a judice, debeant ceu totidem attentata haberi, non conveniunt Doctores. Sententia autem verior est horum actorum valorem pendere a decisione, quæ feratur in causa suspicionis. Unde probata suspicione, acta post recusationis petitionem uti totidem attentata habenda sunt.

53. II°. *De Relationibus.* Relatio est *judicis inferioris in causa de jure dubitantis consultatio missa ad principem, ut sciat quid in judicando sequi debeat.*

Dicitur *de jure.* Quando enim jus est revera dubium, judex non potest officium suum interponere, sed authentica interpretatio a principe exspectanda est; ejus enim est jura interpretari, cujus est condere l. ult. C. *De Legib.* Quare relatio non includit translationem totius causæ ad superiorem, sed consultatio directe respicit punctum juris dubii resolvendi. Si autem judex de quæstione facti dubitet, non quidem superiorem consulere, sed per seipsum rem in tuto ponere debet, l. «Eum.» 73. §. «Judicibus» ff. *De Judiciis.*

54. Effectus relationis est ut suspendatur jurisdictio judicis inferioris quoadusque responsum a Principe datum fuerit. Hinc relatio induit naturam appellationis. l. «Ex illa» 13. Cod. h. t. et Cap. 5. *De Officio Leg.* (I. 30). Ut vero relatio sit juridica et effectum suspensionis actorum producat, debet fieri auditis et consentientibus partibus. Ipsis ergo judex tradere debet exemplar relationis ad Principem, secus fides illi non adhibetur. Cap. 68. h. t.

Olim relationes frequentes erant, et argumentum hujus frequentis consultationis habetur in tit. Cod. *De Relat.* Sed cognitum est lites nimium protrahi, cum post longas discussiones, quæstio juris referri debeat ad Principem. Quare *Justinianus* in Nov. 125. decrevit ut Judices omissis relationibus, causas juxta

proprium prudentem sentiendi modum judicarent, partes vero possent ad remedium appellationis confugere, quatenus gravamen se passas esse putarent.

Hodie insuper ordinarie loquendo relatio in desuetudinem abiit, præsertim quia per leges et declarationes authenticas puncta juris dubia explicata satis fuere. Sed hoc non prohibet quominus super aliquo dubio juris superveniente legislator in societate interrogetur.

Titulus XXIX.

De Clericis Peregrinantibus.

1. Quamvis rubrica solummodo *clericos* nominet, tamen ex verbis dispositionis Pontificis in cap. un. h. t. privilegium in titulo concessum, ob paritatem rationis ad *laicos* etiam extenditur. Hoc privilegio fit, ut tum clerici tum laici ad S. Sedem peregrinantes gaudeant privilegio appellantium, ita ut ipsi et eorum jura censeantur esse sub protectione Apostolicæ Sedis. Quare post titulum de Appellationibus titulus præsens subnectitur. Hinc ex hoc privilegio fit ut peregrinantibus et iter arripientibus ad Apostolicam Sedem vel pro causa introducenda, vel pro appellatione prosequenda, licet se suaque jura eidem Sedi expresse non commendaverint, omnia tamen integra servanda sint, et si ablata fuerint, sint restituenda. Aliis verbis: Peregrinantes ad Sedem Apostolicam ipsi cum suis juribus et rebus esse censentur sub protectione ejusdem Sedis, ita ut contra ipsos nihil sit innovandum. Unde quidquid post arreptum iter romanum peregrinanti per judicem fuerit ablatum vel mutatum in præjudicium ejusdem, debeat considerari ceu attentatum, et proinde restitui et revocari. Cap. un. h. t. Peregrinantes hujusmodi dicti sunt *Romipetæ.*

2. Ut vero privilegium hujusmodi valorem juridicum obtineat, necessariæ sunt quædam conditiones. Et quidem si ad quæstionem instituendam peregrinatio fiat, necesse est, ut peregrinatio suscipiatur, antequam ille qui iter est aggressurus, citatione a legitimo judice præveniatur. Nam qui est citatione judicis præventus, debet coram eodem comparere Cap. 9. *De Appellat.* (II. 28). Scilicet requiritur a) ut res adhuc sit integra, b) ut iter aggressurus non cognoscat rescriptum Apostolicum, quod forte pro causæ cognitione et definitione obtinuerit pars adversa. Qui enim post notitiam

hujusmodi rescripti iter romanum aggreditur, dolo agere videtur. Cap. 15. *De Appell.* (II. 28).

Quod si peregrinatio fiat ad appellationem proponendam contra judicis sententiam vel contra gravamen illatum, iter assumendum est intra decem dies a lata sententia vel gravamine a judice illato, et iter hujusmodi denunciandum est judici, qui dedit sententiam vel gravamen intulit. Ratio est quia iter arripiens ad Apostolicam Sedem, juxta cap. 32. *De Appell.* (II. 28) censetur ipso facto appellasse, et per consequens servandæ sunt conditiones necessariæ appellationis.

3. De privilegio exposito agit Constitutio *Eugenii IV.*, quæ refertur sub n. 3. in tit. *de Privileg.* (V. 7) inter extravag. commun. In hac constitutione sub pœna nullitatis actorum Eugenius inhibet ordinariis quibuscumque locorum, et eorum commissariis ne contra officiales S. Sedis in obsequiis ejusdem exsistentes, et quoscumque alios pro suis et eorum causis vel negotiis prosequendis ad Sedem Apostolicam venientes, et durante necessitate penes eamdem commorantes, et ab eadem recedentes procedere, aut in eos excommunicationis, suspensionis et interdicti, aut privationis officiorum et beneficiorum, seu quamvis aliam sententiam promulgare præsumant.

4. Huic Constitutioni derogatum est expresse a Concilio Tridentino, quoad *Parochos* illosque *omnes,* qui beneficium obtinentes *cum cura animarum*, non observant legem *residentiæ.* Concilium enim Tridentinum in cap. 1. Sess. 23. *De Ref.* statuit, posse Episcopum contra istos omnes citatos etiam solum per edictum et contra contumaces procedere per censuras ecclesiasticas, sequestrationes et subtractiones fructuum, et alia remedia usque ad privationem beneficii, nec exsecutionem hanc posse suspendi quolibet privilegio, aut appellatione vel inhibitione etiam in Curia Romana vel vigore Eugenianæ Constitutionis.

Excommunicatio in Constitutione *Eugenii IV.* et in Bulla *Cœnæ* in §§. 9. et 10. utraque Rom. Pontifici reservata, amplius non viget, quia non est renovata in Const. «*Apostolicæ Sedis.*»

Titulus XXX.

De Confirmatione utili vel inutili.

1. Quoniam sententiæ judicum possunt confirmari a superiore, ultimo loco ponitur titulus de Confirmatione.

Confirmatio juxta leges accipitur pro actu jurisdictionis; hinc nonnisi a personis potest perfici, quæ auctoritate in societate gaudent; et privatæ personæ potius approbare dicuntur aliquem actum quam confirmare.

Confirmatio communiter definitur *'Juris prius habiti seu quæsiti per legitimum Superiorem facta corroboratio'*. Confirmatio superioris non solum potest pro objecto habere actum, vel privilegium, vel contractum, vel transactionem, sed etiam decretum, sententiam, statutum, vel aliam dispositionem inferioris. Hinc confirmatur electio, confirmatur statutum capitulare aut synodale.

2. Duplex solet distingui confirmatio: alia nempe fieri dicitur in forma *communi*, alia in forma *speciali*. Prior, quæ appellatur etiam *simplex*, fit, quando superior absque prævio aliquo formali examine causæ, sed habita solum generica cognitione rei, statutum, actum vel contractum ab inferiore gestum confirmat in eo statu, in quo antea fuit. Unde plene instructus non præsumitur superior de vero rerum statu. Adeoque confirmatio hujusmodi inclusam habet conditionem: 'Si actus vel contractus antea valuerit' Arg. cap. 1. et 2. h. t. Hinc confirmatio hujusmodi totam sese refert ad primum statum et positionem actus vel contractus, nec qui nullus fuit ab initio, ab eadem confirmatione vires suscipit.

3. Confirmatio in forma specifica, quæ etiam dicitur *ex certa scientia,* fit cum perfecta notitia negotii, et cognitione causæ. Hinc superior hanc confirmationem concedit absolute, ita ut si res antea non valuit, censeatur veluti nova concessio auctoritate superioris firmata. Quare confirmatio ex certa scientia actui revera *novum* jus addit, illumque firmat, si forsan fuit invalidus. Cap. 1. *De Transact.* (I. 36) *et communis DD.* cum gl. fin. in id. cap. Hinc si aliquod statutum ex. gr. Capituli vel Cleri diœcesani confirmatum fuerit a Summo Pontifice in forma specifica, vim habet derogandi etiam juri communi. Ita Card. *De Luca: De Judic.* Part. I. Disc. XXXV. n. 62. seq. Statutum enim ita

probatum habetur ceu dispositio Summi Pontificis quoad locum determinatum.

De confirmatione vero in forma communi hoc tenendum est, inutilem eam prorsus non esse; nam saltem superioris nomen, et aliquam auctoritativam recognitionem refert. Hinc juxta cap. 15. *de Elect.* (I. 6) confirmatio in forma communi tribuit electo jus administrandi diœcesim. Verum in genere confirmatio hujusmodi parum valet, uti notat gl. in cap. 1. h. t. v. «Confirmationem.»

4. Quæritur: quomodo *cognoscatur* utrum confirmatio facta fuerit in forma speciali, aut solum fuerit simplex confirmatio, idest in forma communi.

Ut habeatur confirmatio in forma speciali, necesse est, ut appareat, principem omnia novisse, et examen quoad omnia instituisse, adeo ut princeps in confirmatione edenda videatur egisse de plenitudine potestatis suæ cum plena cognitione causæ. Quare debent haberi signa et argumenta ex quibus inferatur, principem omnia cognovisse.

Argumenta hæc habentur: 1⁰) Si princeps *expresse* se processisse *declaret* ex certa scientia. Principi enim de facto suo testimonium ferenti credendum est. Clem. un. *de probat.* (II. 7). 2⁰) Si princeps dicat se in confirmatione procedere *de plenitudine potestatis.* 3⁰) Si dicat se per confirmationem *supplere quoscumque defectus,* sive juris sive facti, quemadmodum si expresse velit, suam confirmationem valere debere, non obstante quacumque lege vel consuetudine in contrarium. 4⁰) Deduci etiam potest confirmatio in forma specifica ex *insertione* actorum seu instrumenti vel privilegii confirmati in ipsis literis confirmationis. Nam ideo hanc insertionem fecisse videtur princeps, ut indicet se omnia perpendisse. Cap. 8. h. t. Ita etiam præsumitur confirmatio in forma specifica si constiterit præcessisse diligens examen præsertim in aliqua Sacra Congregatione, ita ut appareat Summum Pontificem cum plena cognitione causæ confirmationem dedisse. Hæc theoria exhibetur a Card. *De Luca* in loc. cit.

5. Quid vero si *dubitari* possit de natura confirmationis?

Profecto præsumi non potest confirmatio specifica; nam certa scientia cum sit res facti, non præsumitur, sed vel debet ipse princeps declarare se processisse ex certa scientia, Cap. 1. *De Const.* (I. 2) in 6⁰. et cap. 23. *De Præb.* (III. 4) in 6⁰. vel ex aliis adjunctis constare debet de plena cognitione habita a principe, ceu

expositum superius est. Hæc sententia communior est doctorum contra *Abbatem: Comment.* in cap. 7. n. 5. h. t. aliosque paucos doctores. Unde quando confirmatio in forma specifica invocatur ad proprium jus tuendum, ea probanda est. Perseverante autem dubio, præsumptio militat potius pro confirmatione *in forma communi;* præsumitur enim princeps confirmare actum, juxta modum, quo potest de jure communi, non autem de plenitudine potestatis. Modus enim procedendi de plenitudine potestatis est extraordinarius et servatur necessitate cogente vel ob rationem magni momenti non prævisam. Quare regulariter et nisi aliter significaverit, princeps præsumitur confirmationem actui concedere in forma communi. Accedit alia ratio. Etenim confirmatio per se consideratur uti qualitas quæ accedere non potest alicui subjecto quod non exsistat, sed solummodo majus robur superaddit actui in suo valore juridico exsistenti.

• 6. Hæc autem interpretatio confirmationis a fortiori valet, si ex ea tertii præjudicium sequatur. Præjudicium enim tertii numquam præsumitur, princeps enim præsumitur constante voluntate æqualitatem inter subditos servare velle. Ita inter alios docet Card. *De Luca*, *De Præmin.* Part. II. Disc. 41. n. 5. ubi scribit 'Cum sit principium absolutum in specie, quod confirmatio principis intelligatur sine præjudicio tertii'. Concordat *Pignatelli* tom. X. Consult. 107. ubi ita concludit 'Propterea Doctores asserunt, impropriandа esse verba dispositionis principis, ne contineant tertii præjudicium'. Hæc theoria firmatur dispositione cap. 15. *De Off. et Potestat. Jud. Deleg.* (I. 29).

7. **De Confirmatione inutili.** Confirmatio utilis ea est, quæ valorem juridicum obtinet, in qua proinde judex inferior non potest sententiam ferre, neque eidem contravenire cc. 1. et 2. h. t. Confirmatio vero inutilis ea est, quæ non valet.

Confirmatio simplex non valet, quoties actus, cui accedit, invalide positus fuerat. Dantur vero etiam casus in quibus ipsa confirmatio in forma specifica non habet suum juridicum valorem. Et 1°) confirmatio hujusmodi non habet virtutem tribuendi valorem juridicum *actui de se irrito,* si actus laboret defectu indispensabili, vel si defectus possit utique dispensari, sed non soleat a superiore dispensari. Extraordinaria enim non præsumuntur; sed in confirmatione mentio facienda esset dispensationis defectus hujusmodi.

2º) Si defectus non possit suppleri a principe, nisi *cum præjudicio tertii.* Hoc enim in casu princeps non præsumitur voluisse confirmare actum, sed ut valeat confirmatio, necessaria est mentio præjudicii tertiæ personæ. cui princeps ob graves causas voluerit derogare.

3º) Clausula ex certa scientia vel alia æquivalens nihil operatur in iis quæ princeps *ignorasse* præsumitur, quemadmodum sunt res facti ex. gr. statuta et consuetudines locorum, privilegia, etc. quibus per concessionem seu per rescriptum contrarium posteriorem derogasse non censetur, nisi de eisdem mentionem fecerit.

8. Profecto si in confirmatione concessa a principe facta fuerit expressa mentio de privilegio, quod intendit abrogare, illud licet fuerit concessum sub clausulis amplissimis, censetur esse comprehensum in dispositione principis, et proinde censetur esse abrogatum. Quid vero, si expressa mentio privilegii contrarii facta non fuerit? In ista hypothesi clausulæ, quæ solent adhiberi in Romana Curia præ oculis habendæ sunt. 1ª. generalis est *'Contrariis quibuscumque non obstantibus'.* Hæc est communissima et adhiberi solet in omnibus ferme rescriptis, decretis, constitutionibus; quare, ut mihi videtur, hæc clausula habet sensum generalem, et adhibetur ad legem seu decretum in tuto collocandum. Quare ipsa non habet extensionem majorem, quam habet ipsa dispositio legis. Atqui juxta cap. 1. *de Const.* (I. 2) in 6º. statuta et privilegia particularia, cum sint facti et in facto consistant, potest Romanus Pontifex probabiliter ea ignorare, ac proinde non intelligitur in aliquo ex iisdem derogare velle, nisi expresse de ipsis caveat.

Ergo posita clausula generali, privilegia non censentur abrogari. Ratio autem juridica est; quia sublatis ob privilegia aliquibus casibus particularibus, nihilominus dispositio generalis optime sustinetur, nec redditur frustranea voluntas principis, ad quem effectum evitandum clausula hæc apponi solet.

9. Quid si alia clausula adhibita fuit *'privilegiis contrariis non obstantibus'?* Hæc clausula posita in concessione seu decreto Pontificis abrogat privilegia quæ non sunt clausa *in corpore juris,* sed quæ derivant ex concessione *peculiari.* Quod si huic clausulæ adjectum fuit relativum *quibuscumque,* ea in genere privilegia omnia comprehendit, imo etiam casus improprios, et extendit dispositionem Pontificis etiam ad extraneos, qui ceteroquin comprehensi non essent in illa dispositione. Ita sentit *Barbosa: De clau-*

sulis, clausula 83. h. t. n. 1. et in tract. *De dictionibus usu frequentioribus,* dictione 317. n. 3. et 9. Concordat S. Rota Romana *Recentiorum decis.* 57. p. 4. tom. 2. n. 10. Igitur per istam clausulam censentur in genere abrogata omnia privilegia anterius concessa, quæ obstent actuali dispositioni Pontificis. Verum juxta stylum Curiæ Romanæ dantur quædam specialissimi generis privilegia, quæ non censentur comprehensa sub formula generali derogatoria licet amplissimis verbis concepta sit, ut est illa de qua agimus.

Hæc privilegia sunt 1⁰) quæ conceduntur sub clausulis derogatoriis derogatoriarum, idest cum derogatione earum dispositionum, quæ in posterum edantur contra privilegium, seu quæ conceduntur cum derogatione ad alias futuras et contrarias derogationes; quo in casu derogatoriæ dicuntur *prægnantes.* Cf. *Pignatelli:* tom. 10. consult. 107. n. 6.; *Barbosa: De clausulis,* clausula 41. n. 7.

2⁰) Sub clausula illa amplissima non comprehenduntur privilegia quæ fuerint concessa cum clausulis derogatoriis, quæ dicuntur *restitutoriæ,* ita ut privilegium quod hic et nunc conceditur, si deinde contrariam habeant dispositionem Pontificis, censeantur in pristinum restitui, et reviviscere quasi de novo concederentur. Porro quoad ista specialissima privilegia DD. tradunt, ea abrogari tantum posse dupliciter:

a) Si in literis Pontificis posterioribus adhibeatur clausula '*quorum tenores*' i. e. si Pontifex dicat 'non obstantibus privilegiis quibuscumque contrariis, quorum tenores hic pro expressis habeantur'. Hæc clausula est amplissima præ omnibus, quæ solent in Curia Rom. adhiberi, et exprimit decisam voluntatem Pontificis, abrogandi quodcumque contrarium privilegium. Et quidem idem dicendum est de contrario *statuto, decreto,* vel *concessione* etc., si in literis Apostolicis posterioribus dicatur 'non obstantibus statuto, decreto, etc. quorum tenores etc.

b) Si in literis Pontificis posterioribus de ipsis privilegiis mentio *specialis* reperiatur.

4⁰) Confirmationes inutiles sunt, quæ ex falsitate rerum narratarum obreptitiæ vel subreptitiæ sunt. Cap. 3. et 5. h. t.

10. Quæritur utrum judex inferior possit examen instituere circa valorem confirmationis factæ a. R. Pontifice.

Quæstio hujusmodi licet directe respiciat confirmationem quam Romanus Pontifex dare potest alicui actui, contractui, privilegio etc.,

tamen et ipsas concessiones facultatum, beneficiorum, etc. potest indirecte attingere. Resolvitur vero quæstio in cc. 1. et 2. h. t. Videlicet judex inferior quicumque sub pœna nullitatis actorum seu attentatorum non potest manus apponere et juridicum examen instituere circa pontificias literas confirmatorias, sive eas emendando sive eas immutando, sive eas recognoscendo, nisi speciale mandatum adsit, seu facultas ipsius Romani Pontificis, aut nisi notoria sit subreptio vel obreptio concessæ confirmationis. Ratio est, quia ordo jurisdictionis postulat, ut cum aliquem actum princeps in societate sub sua tutela per confirmationem constituerit, inferior quisque auctoritate carere censeatur circa illum actum. Verum facta licentia a principe, inferior poterit suo examini subdere actum, qui fuerat sub protectione principis, vel etiam si notorie constet principem fuisse deceptum in positione actus, ob subreptionem vel obreptionem. Nam præsumi nullo modo potest, principem auctoritate sua voluisse protegere fraudes et fallacias suorum subditorum. Constat vero principem deceptum fuisse, quando deceptio est vere notoria, vel notorietate facti, vel notorietate juris.

11. Verum fatendum est, hodierna praxi saltem ad cautelam ad evitandum periculum attentatorum, semper peti apostolicum assensum, antequam judex inferior literas Pontificis juridico examini subjiciat. Venia hujusmodi apostolica appellatur *facultas aperitionis oris* quæ nihil aliud est quam facultas Pontificis in specie concessa judici, ut cognita veritate rerum, possit procedere etiam contra tenorem et dispositionem aliquarum literarum Apostolicarum, vel alicujus rescripti pontificii. In specie hæc facultas aperitionis oris solet concedi a Romano Pontifice, ad partis petitionem, quoties ex rerum expositione constet eidem Pontifici saltem dubium de vitio obreptionis vel subreptionis literarum suarum. Concedi vero etiam facile potest hæc facultas aperitionis oris, quia non est mera gratia, sed potius dici potest remedium justitiæ, ad obstaculum removendum, quod obstaculum impedit quominus veritas cognoscatur.

Quare facultas aperitionis oris etiam conceditur ad impugnandas Literas Apostolicas, quando in ipsis Literis Apostolicis adjectum fuerit decretum irritans, vel quando apposita clausula celebri, quæ dicitur *sublata*.

Verum quoniam rescripta Pontificis habent pro se præsumptionem veritatis, penes judicem, qui ex venia Pontificis causam videt,

probandum est vitium obreptionis vel subreptionis, quod nisi probetur standum est pro valore rescripti.

Post obtentam facultatem aperitionis oris, si quæstio relativa proponatur penes Sacras Congregationes Romanas, solet quæstio hæc proponi sub sequenti dubii forma: *An intret arbitrium aperitionis oris in casu.* Si constiterit sacro tribunali de nullitate rescripti, vel Literarum Apostolicarum ob vitium obreptionis vel subreptionis, responsio est *affirmative.* Decernitur nempe revera Pontificem fuisse deceptum, nec voluntatem habuisse concedendi gratiam obtentam, ac proinde Literas Apostolicas juridico valore carere. Unde Sacra Congregatio aperit os Pontificis seu explicat mentem ejus. Si vero de nullitate non constiterit, responsio est *negative.* Hinc firma remanet voluntas Pontificis expressa in Literis Apostolicis vel in rescripto, nec voluntas ejus aliter est explicanda quam in literis vel in rescripto expressa legitur.

12. Quærendum est in titulo quid sentiendum sit de innovatione privilegiorum et aliorum instrumentorum. Innovatio instrumenti seu privilegii potest esse vel *simplex,* vel *habens vim confirmationis.* Simplex innovatio locum habet, cum, ne memoria depereat, et ob vetustatem scripturæ monumentum corrumpatur, et inutile reddatur, conficitur exemplar authenticum ejusdem, quod obtineat vim probativam, quam primum instrumentum habebat. Hæc innovatio nullum jus novum confert, sed solummodo antiquum jus, si quod competebat, conservat per authenticam recognitionem instrumenti, seu privilegii. Cfr. Cc. 13. et 29. *De Privilegiis* (V. 33) et 4. h. t. Dari autem potest etiam innovatio instrumenti antiqui et privilegii quæ *formalis* dici potest. Hæc innovatio vel conceditur in forma communi, vel conceditur in forma specifica. Innovatio in forma communi novum jus non concedit, sed solum roborat jus jam quæsitum, et non amissum. Innovatio autem in forma specifica, idest ex certa scientia, confirmat privilegium seu jus ita, ut si forte fuerit per non usum vel contrarium usum amissum, illud faciat reviviscere, ideoque innovatio hujusmodi æquivalet novæ concessioni, et novæ reintegrationi. Cfr. *Barbosam: Collectanea* in cap. 4. h. t. n. 10. seqq. *Pirhing.* h. t. §. 4. n. 27. circa finem.

Finis Libri II. Decretalium Greg. IX.

Appendix
ad Librum II. Decretalium Gregorii IX.

Rem valde utilem addiscentibus jus canonicum nos facturos esse arbitramur, si ad calcem tractationis ordinis judicialis, nuperrimum Sanctæ Sedis documentum referamus. Illud autem exhibemus prout in latinam linguam translatum legitur in ephemeridibus 'Acta S. Sedis' Vol. XIII., pag. 324.

Ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium.

Instructio
pro ecclesiasticis Curiis quoad modum procedendi œconomice in causis disciplinaribus et criminalibus Clericorum.

Die 11. Jun. 1880.

Sacra hæc EE. et RR. Congregatio, mature præsenti Ecclesiæ conditione perpensa, quæ pene ubique impeditur, quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas, et considerato quoque defectu mediorum aptorum pro regulari Curiarum ordinatione, constituit facultatem Ordinariis locorum expresse concedere, ut formas magis œconomicas adhibere valeant in exercitio suæ disciplinaris jurisdictionis super Clericis. Ut autem tota justitiæ ratio sarta tectaque maneat, serveturque processuum canonica regularitas et uniformitas, opportunum censuit sequentes emanare normas a Curiis servandas:

I. Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque Clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitæ

rationem vigilando, remediisque utendo canonicis ad præcavendas apud eosdem et eliminandas ordinis perturbationes.

II. Ex his remediis alia præveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur ut impediant quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariæ, causæque ad delinquendum proximæ removeantur. Altera finem habent revocandi delinquentes ut sapiant, reparentque admissi criminis consequentias.

III. Conscientiæ et prudentiæ Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, juxta canonum præscriptiones, et casuum adjunctorumque gravitatem.

IV. Mediis quæ perseverant præcipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et præcepta.

V. Has provisiones præcedere debet summaria facti cognitio, quæ ab Ordinario notanda est, *ut ad ulteriora* procedere, quatenus opus sit, et certiorem reddere queat superiorem Auctoritatem in casu legitimi recursus.

VI. Canonicæ monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta, etiam per epistolam aut per interpositam personam, sive in forma legali, ita tamen ut de earumdem exsecutione constet ex aliquo actu.

VII. Quatenus infructuosæ monitiones evadant, Ordinarius præcipit Curiæ, ut delinquenti analogum injungatur præceptum, in quo declaretur quid eidem agendum aut respondendum sit, cum respondentis pœnæ ecclesiasticæ comminatione, quam incurret in casu transgressionis.

VIII. Præceptum intimatur prævento a Cancellario coram Vicario Generali; sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatæ integritatis.

§. 1. Actus subsignatur a partibus præsentibus et a prævento quoque, si velit.

§. 2. Vicarius Generalis adjicere valet juramentum servandi secretum, quatenus id prudenter expetat tituli indoles, de quo agitur.

IX. Quoad *pœnalia* media animadvertant reverendissimi Ordinarii, præsenti instructione haud derogatum esse judiciorum solemnitatibus, per sacros canones, per apostolicas constitutiones, et alias ecclesiasticas dispositiones imperatis, quatenus eædem libere efficaciterque applicari queant; sed œconomicæ formæ con-

sulere intendunt illis casibus Curiisque in quibus solemnes processus aut adhiberi nequeant, aut non expedire videantur. Plenam quoque vim servat suam extrajudiciale remedium ex *informata conscientia* pro criminibus occultis, quod decrevit Sacra Tridentina Synodus in Sess. 14. cap. 1. *De Ref.* adhibendum, cum illis regulis et reservationibus, quas constanter servavit pro dicti capitis interpretatione S. C. Congregatio in pluribus resolutionibus et præsertim in *Bosnien.* et *Sirmien.* 20. Dec. 1873. (De hoc remedio extrajudiciali vide l. I. t. 11. nn. 50—51.)

X. Quum procedi oporteat criminaliter, sive infractionis præcepti, aut criminum communium, vel legum Ecclesiæ violationis causa, processus confici potest formis summariis, et absque judicii strepitu, servatis semper regulis justitiæ substantialibus.

XI. Processus instruitur *ex officio* aut in sequelam supplicis libelli, aut notitiæ alio modo a Curia habitæ, et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentia veritas detegatur, et cognitio tum criminis tum reitatis aut innocentiæ accusati exsurgat.

XII. Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo Ecclesiastico adstante Actuario.

XIII. Unicuique Curiæ opus est Procuratore fiscali, pro justitiæ et legis tutela.

XIV. Quatenus pro intimationibus aut notificationibus haud præsto sit opera Apparitorum Curiæ, supplebitur exhibitione eorumdem explenda per qualificatam personam, quæ de facto certioret, sive eas transmittendo ope commendationis penes tabellariorum officium illis in locis, in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii.

XV. Basis facti criminosi constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extrajudicialibus, vel testium depositionibus, et quoad titulum transgressionis præcepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis perfectorum modis enuntiatis Art. VII. et VIII.

XVI. Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quæ talia continere debet elementa, ut veritatem evincat aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio.

XVII. Personæ quas examinare expediat semper audiuntur

separatim. (Normam specialem præscripsit S. C. Inq., d. 20. Julii 1890, in examine contra sollicitantes.)

XVIII. Testes ad probationem aut ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub juramento audiri debent, quod extendi potest si opus sit ad obligationem secreti.

XIX. Testium absentium aut in aliena Diœcesi morantium exposcitur examen in subsidium ab Ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo prospectum facti, et auctoritas requisita petitioni respondet, servando præsentis Instruct. normas.

XX. Quoties indicentur testes ob facta aut adjuncta essentialiter utilia merito causæ, qui examini subjici nequeant, eo quod censeatur haud convenire ut vocentur, aut quia vocati abnuant, mentio eorumdem fit in actibus, et curatur supplere eorum defectui per depositiones aliorum testium, qui de relato aut alia ratione noverint id quod exquiritur.

XXI. Cum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati responsabilitatem constituendam, vocatur iste ad examen.

XXII. In indictione nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversus eum collatæ ut parari valeat ad respondendum.

XXIII. Quando autem ob accusationum qualitates, aut ob alia adjuncta prudens non sit in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur, eumdem ad examen vocari, ut sese excuset in causa, quæ ipsum respicit uti accusatum.

XXIV. Si judicio sistere abnuat, iteratur indictio, in qua eidem præfigitur congruus peremptorius terminus, eique significatur quod si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax, et pro tali in facto æstimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento, istam quoque posthaberet intimationem.

XXV. Si compareat, auditur in examine, et quatenus inductiones faciat alicujus momenti, debent istæ quantum fieri potest exhauriri.

XXVI. Proceditur inde ad contestationem facti criminosi, et conclusionum habitarum, ad retinendum accusatum criminosum lapsumque in relativis pœnis canonicis.

XXVII. Quum accusatus tali modo habeat plenam cognitionem ejus, quod in actis exstat contra se, ultra quod respondere possit, jure se defendendi a semetipso etiam uti valet.

XXVIII. Potest quoque, si id expetat, obtinere præfixionem

termini ad exhibendam defensionem, cum memoria in scriptis; præcipue quando ob dispositionem Art. XXIII. nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione.

XXIX. Expleto processu actorum, instructor restrictum conficit essentialium conclusionum ejusdem.

XXX. In die, qua causa proponitur est in facultate accusati faciendi se repræsentare et defendere ab alio Sacerdote aut laico patrocinatore antea approbatis ab Ordinario.

XXXI. Quatenus præventus constituere defensorem renuat, Ordinarius consulit constituendo aliquem *ex officio.*

XXXII. Defensor caute notitiam haurit processus et restricti in cancellaria, ut paratus sit ad defensionem peragendam, quæ ante propositionem causæ exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subjicitur oneri secreti jurati, quatenus Ordinario videatur indolem causæ id expostulare.

XXXIII. Transmittitur dein Procuratori fiscali processus et restrictus, ut munere suo ex officio functo, uterque Ordinario tradatur, qui plena causæ cognitione adepta, diem constituit in qua disceptanda et resolvenda sit, curans ut accusatus certior de hoc fiat.

XXXIV. Die constituta proponitur causa coram Vicario Generali, interessentibus Procuratore fiscali, Defensore et Cancellario.

XXXV. Post votum Procuratoris fiscalis et deductiones defensionis profertur sententia dictando dispositivam Cancellario cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicæ sanctionis, accusato applicatæ.

XXXVI. Sententia indicitur prævento, qui appellationem interponere potest ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem.

XXXVII. Pro appellatione servantur normæ statutæ a Constitutione '*Ad militantis*' s. m. *Bened. XIV.* 30. Martii 1742; aliæque emanatæ ab hac s. Congregatione Decreto 18. Decembris 1835,*) et litera circulari d. 1. Aug. 1851.

XXXVIII. Comparitio pro appellatione facienda est infra terminum 10 dierum a notificatione sententiæ, quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in exsecutionis statu reperitur.

XXXIX. Interposita appellatione infra 10 dies, Curia absque mora remittit ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem, quam appellatum est, omnia acta originalia, nempe processum, restrictum, defensionem, sententiam.

*) Decretum hoc habes apud 'Acta S. Sedis' Vol. XIII. etc.

XL. Auctoritas ecclesiastica superior capta cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti, ut infra terminum 20 dierum Defensorem constituat, qui approbari debeat ab eadem superiori auctoritate.

XLI. Elapso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellantem nuncium misisse appellationis beneficio, et hæc consequenter perempta declaratur a superiori auctoritate.

XLII. Quum appellatio producitur a sententia alicujus Curiæ Episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et decisione causæ, sequitur normam procedendi in hac instructione traditam.

XLIII. Si contingat quod Clericus non obstante fori privilegio ob crimina communia subjiciatur processui et judicio laicæ potestatis, Ordinarius hoc in casu summariam sumit criminosi facti cognitionem, et perpendit an ipsum, ad tradita per sacros canones locum faciat infamiæ, irregularitati aut alii ecclesiasticæ sanctioni.

§. 1. Donec judicium pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est quod Ordinarius sese limitet ad media provisoria.

§. 2. Expleto tamen judicio et libero reddito accusato, Curia juxta exitum informationum ceu superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum præsentis instructionis.

XLIV. In casibus dubiis et in variis practicis difficultatibus, quæ contingere possint, Ordinarii consulant hanc S. Congreg. ad vitandas contentiones et nullitates.

Ex Aud. SSmi. d. 11. Jun. 1880. SSmus D. N. *Leo* div. prov. PP. *XIII.* audita relatione præs. Instructionis ab infrascripto S. Congr. EE. et RR. Secretario eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est. Romæ die et anno quibus supra.

J. Card. Ferrieri Præf.

J. B. Agnozzi, Secretarius.



Index rerum.

Titulus X.

De ordine cognitionum. p. 69.

Titulus XI.

De plus petitionibus. p. 73.

Titulus XII.

De causa possessionis et proprietatis. pag. 74.

Titulus XIII.

De restitutione spoliatorum. p. 87.

Titulus XIV.

De dolo et contumacia. p. 101.

Remedia. pag. 104.

Titulus XV.

De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ. p. 106.

Titulus XVI.

Ut lite pendente nihil innovetur. pag. 109.

Titulus XXIV.

De jurejurando.

Quæstio de interpretatione juramenti.

Titulus XXV.

De exceptionibus.

Titulus XXVI.

De præscriptionibus. p. 211.


Titulus XXVII.

De sententia et re judicata.

Titulus XXVIII.

De appellationibus, recusationibus et relationibus. p. 239.

Index titulorum.



PRÆLECTIONES
JURIS CANONICI

QUAS

JUXTA ORDINEM DECRETALIUM GREGORII IX.

TRADEBAT

IN SCHOLIS PONT. SEMINARII ROMANI

FRANCISCUS SANTI
PROFESSOR.



EDITIO TERTIA EMENDATA ET RECENTISSIMIS DECRETIS ACCOMMODATA

CURA

MARTINI LEITNER,
DR. JUR. CAN.
VICERECTORIS IN SEMINARIO CLERICORUM RATISBON.

LIBER III.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATI.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.
MDCCCXCVIII.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 4. Julii 1898.

Dr. Franc. Xav. Leitner,
Vic. in Spir. gen.

Monitum Editoris.

Jam Commentarii hujus *primum volumen* tertio editum in omnibus pæne catholici terrarum Orbis partibus benigne est receptum. Nunc sequitur *secundi voluminis prima pars* continens prælectiones in librum III^um^ Gregorii IX., *aucta* et *emendata.* Augere ambitum hujus libri non affectus suadebat, sed cogebat necessitas recipiendi omnes alicujus momenti *S. Sedis novas dispositiones,* inprimis in jure *Regularium.*

Præter locos Juris *Canonici* etiam accuratissime examinabantur Juris *Civilis* Romanorum loci qui præcipue citantur in titulis XII.—XXIV. h. l.

Desideriis a lectissimis doctissimisque viris circa materiam tractandam nobis propositis in omnibus satisfacere non potuimus; nam non est Editoris nova ratione ac via excogitata opus Auctoris transmutare in novum, sed complere et emendare illud quatenus opus erit. Libentissime autem satisfaciemus desiderio a multis patefacto, ut „*Index alphabeticus*“ in fine totius Commentarii locupletissime auctus librum reddat vere utilem et thesaurum omnibus patentem.

Decretalium Gregorii IX.

Liber III.

Titulus I.

De vita et honestate Clericorum.

1. Duplicem in republica christiana dari statum personarum clericorum nempe et laicorum nequit in dubium revocari. Divina enim institutione factum est, ut cœtus quidam personarum a reliquis fidelibus distingueretur, quæ cum in sortem Domini vocentur, idest ad divina ministeria obeunda deputentur, *clerici* appellantur. Liber tertius, de *Clericis*, eorum statu, obligationibus et juribus præsertim agit, et ejus primus titulus *de vita et honestate clericorum* inscribitur.

2. Clerici in sensu proprio et communi acceptione sunt personæ, quæ specialiter Deo et ejus cultui per ordinem, vel saltem per primam tonsuram mancipantur. Verum in legibus *pœnalibus*, eo quia materiam odiosam constituunt, in genere sub appellatione clericorum non veniunt *Episcopi* aliique in superiori dignitate constituti. Cap. 4. *De sententia excomm.* (V. 11) in 6°. *Exceptio* tamen a Doctoribus fit quoad pœnam *excommunicationis latæ sententiæ.* Hæc enim omnes etiam superiores clericos et religiosos comprehendit, quemadmodum doctores inferunt ex cit. cap. 4. *De sent. excomm.* Hinc Episcopus etiam subjicitur excommunicationi inflictæ percussoribus Clericorum; c. «Si quis» 29. C. 17. q. 4. Sublata ista exceptione, in reliquis legibus pœnalibus sub appellatione generali *clericorum* non veniunt personæ ecclesiasticæ in superioribus dignitatibus constitutæ. Quamvis enim personæ hujusmodi inter clericos numerentur, tamen speciale, seu proprium nomen habent in jure, quo a communibus et minoribus clericis secernuntur. Optime ergo ex *regula* 49. *juris* (V. 13) in 6°. *'In*

pœnis benignior est interpretatio facienda', clerici dignitate majores, qui proprium nomen habent, non comprehenduntur in legibus pœnalibus, in quibus mentio de clericis simpliciter fit. Conf. *Fagnanum* ad c. «Sedes» 15. *De Rescr.* (I. 3) n. 12.

3. In *favorabilibus* autem nomen *clerici* in *ampla* significatione accipitur, comprehenditque tum minores, tum superiores clericos, tum etiam religiosos. Quare *privilegia* status clericalis hisce omnibus competunt. Quod de privilegiis dicitur, dicatur etiam de *honestate vitæ,* idest de obligationibus status clericalis. Cum enim sermo est de hujusmodi obligationibus, vox *clericus* sensu lato accipitur. Congruum enim est, ut ii omnes qui privilegiis clericalibus fruuntur, clericalibus etiam obligationibus subjiciantur, quæ ad tuendum honorem status clericalis ab Ecclesia constitutæ sunt. Quare cum titulus, de quo agimus, status clericalis obligationes exhibeat, clerici in sensu tituli sunt ii omnes, qui per aliquem ordinem, vel saltem per primam tonsuram divino cultui mancipantur.

4. Immo cum aliis etiam modis ab Ecclesia receptis fideles statum ecclesiasticum ingrediantur, et divino servitio publice consecrentur; alii etiam præter proprie dictos clericos, privilegiis clericalibus fruuntur, et obligationibus clericalibus subjacent. Nomine ergo clericorum in sensu tituli præsentis veniunt etiam *regulares* omnes, sive professi, sive tirones qui habitum religiosum susceperunt, immo et *moniales,* dummodo hi omnes ad Religionem pertineant, quæ fuerit ab Ecclesia recepta.

5. Quæstio fit de *Eremitis,* utrum ad statum clericalem pertineant vel non. Dicendum est, inter Clericos recensendos esse Eremitas illos, qui de manu Episcopi habitum eremiticum suscipiunt, et ab eodem destinantur servitio alicujus Ecclesiæ vel Oratorii, ut in eodem sub Ordinarii dependentia vivant. Per hoc enim haberi possunt ceu totidem ecclesiasticæ personæ. Ita DD. post gloss. in cn. 12. «Qui vere» C. 16. q. 1. v. «vere.»

6. Hisce explicatis, exponendum est quid veniat sub appellatione *honestatis vitæ* clericorum. Quamvis fideles omnes ad honestam vitam servandam teneantur, tamen clerici qui in sortem Domini vocantur, sanctioris vitæ obligatione tenentur. De qua sanctitate *Trid.* sess. 22. c. 1. *de Ref.* docet, vitam clericorum ita esse conformandam, *ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ*

se ferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.

7. Renovat inde S. Synodus sanctiones omnes sacrorum canonum, quæ de honestate vitæ clericorum latæ fuerunt; et dum Episcopis inculcat vigilantiam ut observentur, non obstante quacumque consuetudine, statuit, Episcoporum decreta circa correctionem clericorum, appellatione interposita, non suspendi. (Conf. Sess. 14. in Proëm. et sess. 23. c. 5. *De Ref.)*

8. Hæc in genere dicta sint, sed ut tituli materiam intimius ingrediamur, honestatem in *internam* et *externam* dividimus. Interior honestas consistit in munditia cordis, in exercitio virtutum moralium quæ monasticæ appellari solent, et in recta intentione quoad susceptionem status clericalis, et exercitium officii proprii. Hæc honestas pertinet ad vitam privatam seu interiorem clerici, et ad perfectionem spiritus. Quare honestas hujusmodi proprie et directe non est objectum legum ecclesiasticarum; sed de illa agit Theologia moralis. Hinc canones pauca quidem tradunt de hac honestate clericorum. (Conf. c. 35. §. «*Ceterum.*» *De Elect. et Electi pot.* (I. 6) in 6⁰. et Sess. 23. cap. 4. *de Ref. in Trid.)*

9. Exterior honestas, qua decorari debent clerici, quatuor præcipue capita complectitur. Clericus scilicet debet esse 1⁰. diligens in exsecutione proprii officii; 2⁰. morum gravitate, seu vitæ probitate ornatus; 3⁰. decenti habitu indutus; 4⁰. a nonnullis artibus et officiis alienus.

10. Quoad I^um. res clara est, et explicite traditur in c. 15. h. t. et ratio est; quia clericus publice deputatur ad ministerium sacrum, et ejus officium bonum societatis fidelium attingit. Vocationi ergo suæ non satisfaceret clericus, nisi diligenter ministerio fungeretur. Quisque vero clericus pro qualitate sui ordinis et specialis positionis in Ecclesia tenetur *officium suum adimplere.* De specialibus positionibus et officiis clericorum sermo est in propriis titulis. Huc faciunt cc. 29. et 30. *De Consecr.* D. 2. et c. 1. h. t. in quibus locis decernitur, sacra officia a clericis honorifice exercenda esse, et clericorum inservientium sacris ministeriis proprium et distinctum honorem apparere debere. Quare laicis et feminis, ibidem, interdicitur, ne tempore divinorum officiorum, sacrarium seu presbyterium ingrediantur, et ad altare accedant. Quam prohibitionem renovavit *Benedictus XIII.* sub pœna interdicti in Conc. Romano ann. 1725. Tit. XXVIII. *De Immunitate* cap. 4.

11. Honestas clericorum externa consistit II°. loco *in gravitate morum et probitate vitæ.* Ratione hujus honestatis tenentur clerici ad plura. Scilicet debent 1°. caste et caute vivere, 2°. abstinere a crapula et ebrietate, 3°. avaritiam fugere. Hac in re adest c. 13. h. t. in quo præcipitur ut omnes clerici studeant caste vivere, præsertim vero clerici in sacris ordinibus constituti; cui legi ni pareant, per Judicem ecclesiasticum pro qualitate culpæ puniantur. Quo in capite illud *præsertim* explicat diversitatem culpæ clericorum minorum et majorum. Nam clerici minores delinquentes peccant solummodo contra virtutem castitatis; clerici vero majores peccant simul contra virtutem religionis, cui proprium corpus consecrarunt in susceptione ordinis sacri.

12. Porro lex castitatis clericorum non solum excludit peccatum formale contra eandem virtutem, sed etiam eis interdicit ea quæ suspicionem incontinentiæ secumferunt. Est enim lex pro clericis, ut caste simul et *caute* vivant. Hinc evitare tenentur habitationem cum suspectis mulieribus; de qua *in tit. seq.* Tenentur etiam evitare *frequens colloquium cum monialibus,* nisi rationabilis et manifesta causa accedat. De hac re loquitur c. 8. h. t. Consonat huic capiti cap. un. in principio *De statu Regular.* (III. 16) in 6°. quod caput in observantiam revocavit Conc. Trid. sess. 25. c. 5. *De regul. et Monialib.* Ex hisce capitibus juris eruitur, inhiberi laicis simul et clericis tum ingressum in monasteria monialium, tum accessum et colloquium frequens cum iisdem, et Episcopum esse custodem et vindicem tum clausuræ tum frequentis accessus et colloquii cum iisdem monialibus. De clausura monialium inferius sermo erit.

13. Nunc aliquid dicendum est *de frequenti accessu et colloquio clericorum cum monialibus absque violatione legis clausuræ.* In cit. cap. 8. Clerici præsumentes sine manifesta et rationabili causa frequentare monasteria mulierum, arceantur ab Episcopo, et si non destiterint, officio ecclesiastico privandi esse dicuntur. Cui Decretali inhærens S. Congregatio Concilii in pluribus causis, relatis a *Giraldi comm.* in cap. 8. h. t., resolvit posse Episcopum infligere censuras, aliasque pœnas contra clericos et laicos frequentantes monasteria monialium, ac cum illis colloquentes. *Excipiuntur* tamen parentes, fratres et sorores monialium, qui possunt sine licentia Episcopi colloqui cum filiabus et sororibus monialibus diebus non prohibitis, qui scilicet non sint dies adventus et quadra-

gesimæ. Porro lex quæ feratur ab Episcopo contra frequentem accessum et colloquium cum monialibus, obligat etiam Episcopos alienæ Diœceseos, Vice-Legatos, et actuales locorum Gubernatores, ceu patet ex epistola Encyclica *Benedicti XIV.* quæ incipit *'Gravissimo'* data die 31. Octobris 1749. Cum vero contra aliquas ex istis personis, si legem episcopalem infringant, utpote non subditas, censuræ episcopales non exserant suam vim; hinc statuit Benedictus, invocandam esse ab Episcopo hoc in casu auctoritatem Sedis Apostolicæ, proposito recursu vel directe ad Romanum Pontificem, vel ad S. Congreg. Episcoporum et Regularium.

14. Si quæratur *quandonam* dici possit frequens accessus et colloquium, Gloss. in cit. c. 8., etiam *duabus* vicibus constitui posse docet frequentiam. Verum hac in re nisi lex episcopalis in concreto determinaverit numerum accessuum et colloquiorum ad pœnam incurrendam, frequentia determinabitur *prudenti arbitrio* judicis. Hæc de clericis sæcularibus.

15. *Regularibus* vero accessus et collocutio cum monialibus etiam sine frequentia interdicitur in decreto Congreg. Episcoporum et Regul. approbato a *Sixto V.* nonis Maji 1590, et ab *Urbano VIII.* 12. kal. Decemb. 1623. Tandem in Decreto Congr. Concilii approbato a *Clem. IX.* die 11. Maji 1669, statuitur, Regulares quoscumque absque legitima facultate accedentes ad colloquendum etiam per quodcumque modicum tempus cum monialibus, aut aliis in clausura degentibus peccare mortaliter, et simul posse coërceri ab Ordinario tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, sub pœna excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, et aliis pœnis statutis contra regulares accedentes sine licentia ad monasteria Monialium. Ab hac vero excommunicationis pœna regulares non possunt absolvi a Superiore suo regulari, licet eam contraxerint ob accessum et colloquium cum monialibus proprii ordinis. Idem dicendum de monialibus colloquentibus, si Episcopus in lege prohibente etiam contra ipsas moniales pœnam excommunicationis comminatus fuerit. Utraque hæc postrema conclusio patet ex resolutione S. Congr. Conc. in causa *Viterbiensi* diei 26. Junii 1627. Quamvis ex decreto *Urbani VIII.* licentia Episcopi pro Regularibus ad colloquendum cum monialibus subscribenda esset etiam a proprio Superiore regulari, tamen ex resolutione S. Congr. Conc. in causa *Spoletana*, Accessus diei 26. Nov. 1672, inferunt Doctores, sufficere solam facultatem concessam ab Episcopo.

16. Porro lex quæ prohibet sive frequens colloquium clericis sæcularibus, sive quodcumque colloquium Regularibus cum Monialibus, non afficit *confessarium* sive ordinarium sive extraordinarium, dum actu munere confessionum excipiendarum funguntur, sive *visitatorem* monasterii, sive alium qui *ratione officii* sui in monasterio cum Abbatissa, vel cum alia moniali loqui et negotia pertractare debet. Quod vero pertinet ad confessarios *extraordinarios* monialium præ oculis habenda est Const. *Benedicti XIV.* «*Pastoralis curæ*» edita nonis Augusti 1748. In ea Const. postquam Summus Pontifex Episcopis et aliis Prælatis inculcaverit observantiam legis Tridentinæ sess. 25. cap. 10. *de Regul.* circa deputationem Confessarii extraordinarii in monasteriis Monialium bis aut ter singulis annis faciendam, prope finem §. «Ac demum» hæc decernit: 'Quibuscumque Confessariis extraordinariis, qui vel alicui communitati generaliter, vel peculiariter alicui personæ in monasterio degenti concessi ac deputati fuerint, districte inhibemus sub pœnis adversus accedentes ad monasteria Monialium, et cum ipsis conversantes, præsertim regulares, a prædecessoribus nostris quandocumque statutis (quas etiam præsentium vigore confirmamus et innovamus), ne, postquam suum officium impleverint, ad idem monasterium ulterius accedere aut, ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causæ, aut necessitatis obtentu et colore audeant aut præsumant'.

Ad intelligentiam hujus dispositionis referre placet oraculum ejusdem Pontificis prolatum mense *Januario 1749,* quod exceptum ex *Lib. Regular.* illius anni S. Congregat. Episcoporum et Regularium nobis exhibet *Lucidi: De Visitat. Sacror. Limin.* Vol. 2. §. V. n. 163. hisce verbis expressum: 'Confessarium extraordinarium regularem, finito suæ deputationis munere non posse amplius accedere ad monasterium sine licentia necessaria, quandoquidem obnoxius exstat prohibitioni ac pœnis statutis contra regulares non secus ac alii regulares. Declarat autem Sanctitas sua, quod hæc prohibitio non comprehendit presbyteros sæculares, quodque hi possunt etiam exspirato tempore muneris Confessarii extraordinarii accedere, ut antea, ad monasteria; siquidem hac in parte nova Constitutio *(Pastoralis curæ)* nihil innovavit circa presbyteros sæculares'.

Animadvertendum præterea est, in cit. Constitutione confessariis extraordinariis post expletum munus prohiberi quodcumque

commercium intra monasterium, et per consequens etiam commercium epistolarum. Verum vocabulum *Commercium* non actum significat, sed habitum. Quare non auderem condemnare et pœnis comminatis subjicere confessarium extraordinarium regularem, qui post munus completum unam vel ad summum duas epistolas alicui moniali scriberet.

17. Gravitas morum et probitas vitæ exigit 2°. ut clerici abstineant *a crapula et ebrietate*, idest ab immoderato ciborum usu, seu ab excessu in cibis, et superfluo usu potus, seu ab excessu in potu. Utrumque enim turpe vitium est, et clericali statu indignum quod vitam moresque facile corrumpit. Lex ecclesiastica utrumque vitium vehementer abhorrens, contra clericos transgressores, si admoniti, non abstineant, statuit pœnam suspensionis ab officio, vel etiam beneficio per Superiorem applicandam c. 14. h. t. Hæc vero pœna non latæ, sed *ferendæ* sententiæ est. Hoc enim exprimitur per illud *ab officio vel beneficio suspendatur.*

18. Ne Clerici facile incidant in vitium crapulæ et ebrietatis, prohibentur ingredi *hospitia cauponaria*, idest tabernas, nisi *ex necessitate* in itinere. Expresse traditur id in c. 15. h. t. in princ. in c. 4. D. 44. et can. 53. *ex Apostolicis.* Multa Concilia Provincialia et Synodi Diœcesanæ tabernarum frequentationem earundemque sine necessitate visitationem sub pœnis etiam *suspensionis* prohibent.

19. Animadvertendum insuper est, sacros canones conjungere prohibitionem crapulæ et ebrietatis, cum prohibitione ludorum, et chorearum, quemadmodum legitur in c. 1. D. 35 et in c. 19. D. 34. Quare ut secundum caput concludamus, quod de gravitate morum est, et de probitate vitæ clericorum, aliquid de hac prohibitione dicendum est. Et quoad ludos, clericis interdicuntur aleæ et taxilli et c. 15. h. t. in genere prohibentur ludi, quorum eventus magis a fortuna quam ab industria pendent, præsertim si fiant ex fructibus beneficii et bonorum ecclesiasticorum. Delinquentes episcopi, presbyteri, diaconi pœna *depositionis* plectuntur, c. 1. D. 35. qui est can. 41. *Apostolorum;* ceteri vero clerici pœnâ *excommunicationis* ferendæ sententiæ, cn. 42. *Apostolorum.* Nec se tueri possunt clerici prætextu consuetudinis. Consuetudo enim hæc reprobatur ex criterio I°. dato in libr. I. t. 4. *De consuetudine*, n. 6. — Non prohibentur autem iisdem Clericis ludi, qui privata in domo, et absque scandalo fiant cum moderatione, et causa recreandi animum.

20. Quoad vero choreas, in genere c. 3. D. 23., clericis intimat, ut *a mundi voluptatibus sese abstineant: non spectaculis, non pompis intersint, convivia publica fugiant.* Et cit. c. 19. D. 34. clericis legem statuit *ne his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur, aut turpia, aut obscœni motus corporum choreis et saltationibus efferuntur.*. Omnia hæc simul inde conjungens Conc. Trid. in c. 1. sess. 22. *De Refor. luxum, comessationes, choreas, aleas. lusus* interdicit clericis sub pœnis veterum canonum, vel etiam majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, ita ut appellatio exsecutionem decreti episcopalis non suspendat.

21. Verum caveant Episcopi a nimio rigore in pœnis infligendis præsertim contra clericos ludentes. Hinc a S. Congr. die 20. Decemb. 1687 probatum non fuit decretum synodale Episcopi Vasionensis, quo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibentur Sacerdotes ludere aleis et taxillis quocumque modo, et cum quacumque persona. Conferatur *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* lib. 10. c. 2. n. 2.; nec non *Giraldi* in *Expos. Juris Eccl.* comm. ad cap. 15. h. t.

22. Tertio tandem clerici ut gravitatem morum servent, *avaritiam* declinare tenentur. Canone 3. D. 23. et c. 21. C. 6. q. 1. Quo in secundo canone avaritia comparatur hæresi. Sacrorum autem canonum intentio eo dirigitur, ut clericorum animum removeant ab amore divitiarum, eosque doceant vitam agere modestam et frugalem, juxta illud *S. Pauli* in 1. *Tim.* VI. 8, 9. *'Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem'.* Hinc canones prohibent quominus clerici *commercia* sæcularia, maxime vero *inhonesta* exerceant cc. 15. et 16. h. t. Pariter statuunt, superflua bonorum ecclesiasticorum in pios usus esse eroganda: cc. 8. et 26. C. 12. q. 1. — Hinc etiam hospitalitatem exercere tenentur Clerici; c. 68. C. 16. q. 1.

23. In specie autem prohibentur clerici ferre *sententias venales,* non solum eas quæ turpiter venales sunt, illas scilicet, quæ feruntur in favorem illius qui pecuniam dedit ac feruntur juxta intentionem donantis pecuniam; sed prohibentur etiam ferre sententias quæ *aliquo modo* indecenter venales dici possunt. Prohibentur scilicet clerici aliquid a partibus litigantibus exigere ad officium judicis præstandum; debentque gratis causam videre c. 10.

h. t. Sciendum enim est, aliquibus in locis consuetudinem inolevisse, ut partes collitigantes judici aliquam quantitatem pecuniæ, quæ *sportularum* nomine appellabatur, pro ejus labore et sustentatione persolverent. Sportulas vero recipere nequeunt ex lege generali ecclesiastica *clerici;* rationem qua prohibeantur, vide in l. I. t. 32. *De officio judicis,* n. 8.

24. Hæc valent spectato jure Decretalium *Gregorii IX.* expresso in c. 10. h. t.; accessit vero Const. *Bonif. VIII.* relata in c. 11. *De Rescr.* (I. 3) in 6°. §. 4. in qua judicibus delegatis a Rom. Pontifice idem interdicitur, et solum conceditur ut possint recipere esculenta et poculenta quædam in parva quantitate, ex mera liberalitate oblata: simulque conceditur ut aliquid recipiant nomine expensarum necessariarum, si extra domicilium proprium proficisci debeant. Quo in casu expensæ pro æquali a partibus persolvendæ sunt. A quibus expensis persolvendis litigantes notabiliter pauperes eximuntur.

25. Possunt insuper judices delegati, si *revera indigeant*, sibi assumere assessorem partibus non suspectum, cui partes collitigantes mercedem a judicibus defigendam solvere debent; alioquin — i. e. absque necessitate — si assumitur assessor, judex de suo proprio providere tenetur eidem; c. 11. *De Rescriptis* (I. 3) in 6°. §. 5. Præter hæc si quid a judicibus fuerit receptum, restituendum est, non obstante donantis remissione. Ita *Bonifacius.* Hæc dispositio, quæ de judicibus *delegatis* est, a Doctoribus etiam *ordinariis* applicatur. Conf. *Thesaurum: De Pœnis ecclesiasticis;* v. 'Munera'.

26. Tertium caput honestatis externæ clericorum *habitus decentiam* respicit. Lex canonica cavet, ut Clerici habitum deferant et coronam seu tonsuram proprio statui congruentem c. 8. D. 41. et c. 15. h. t.

Quæstio prima proponitur de *qualitate* habitus clericalis. Non loquimur hic de vestibus quæ a sacra liturgia determinantur, quibus clerici utuntur in Ecclesia dum sacris ministeriis dant operam; sed loquimur de vestibus, quibus in ordinaria et publica inter cives consuetudine induuntur quæque *civiles* appellari possunt.

27. Quinque prioribus sæculis, ut ex epist. *Cœlestini I.* ad Episcopos Provinciæ Viennensis et Narbonensis patet, vestis clericorum non discriminabatur a communi veste civium. Deinde vestis propria clericorum induci cœpit, quæ in Conciliis particularibus appel-

latur *tunica*, quæ cum ad talos usque protrahi solebat, *talaris* dicta est. Verum canones generales universam respicientes Ecclesiam Concilio Trid. antiquiores nonnisi habitus clericalis decentiam et modestiam commendant. Hinc modo potius negativo loquuntur, et interdicunt luxuriosas vestes, variis vel coloribus vel ornamentis intextas; immo et rubras et virides vestes prohibent, simulque frequentem mutationem coloris et formæ. Ita Concilii generalis *Lateranensis IV.* sub *Innocentio III.* decretum relatum in cit. c. 15. h. t. — Ita etiam Clem. 2. h. t., in qua interdicitur clericis vestis virgata vel partita.

28. *Tridentina* autem Synodus in sess. 14. c. 6. *de Ref.* reprobans temeritatem nonnullorum clericorum deferentium publice laicales vestes, renovat veteres constitutiones, inculcatque honestatem et modestiam vestis clericorum simulque tribuit *Episcopis* facultatem determinandi qualitatem et formam vestium, quæ deferri debeant a clericis in ordinibus sacris constitutis, vel qualecunque beneficium ecclesiasticum possidentibus. Huic determinationi ab Episcopo factæ, se aptare clerici tenentur; quemadmodum præter verba expressa S. Synodi *juxta Episcopi ordinationem et mandatum*, docet *Bened. XIV.* in *Institutionibus ecclesiasticis* 21., 34. et ex professo 71. referens decisiones S. Congreg. Concilii.

29. Accessit deinde Const. *Sixti V.* diei 9. Jan. 1589, quæque incipit: „*Cum Sacrosanctum.*“ In Const. hac dispositio tridentina ad omnes prorsus clericos extenditur, clericali scilicet tonsura etiam tantummodo insignitos, et nedum ad possidentes beneficia ecclesiastica, aut ad ea jus habentes, sed etiam extenditur ad clericos minores participantes de pensionibus ecclesiasticis, aut præstimoniis vel portionibus quibuscumque fructuum bonorum ecclesiasticorum. Ac insuper in eadem Constitutione designatur qualitas vestis clericalis.

30. Præcipit scilicet Pontifex, ut Clerici *talari* veste utantur; quod si in talari veste et tonsura clerici non incedant, eos subjici declarat pœnis a Trident. Synodo statutis, etiam nulla prævia monitione. Rigorem hujus constitutionis temperavit idem Sixtus in alia constitutione, quæ incipit: ‘*Pastoralis*‘ diei 31. Jan. 1589. excipiens a comminatis pœnis in prima constitutione clericos obtinentes pensionem, vel ecclesiasticorum bonorum fructus non excedentes annua 60 ducata de camera, nec non familiares Papæ inferioris familiæ.

31. Verum nec quoad ceteros clericos servatur constitutionis Sixtinæ rigor habitum talarem præcipientis; nam usus et praxis etiam optimæ notæ sacerdotum induxit, ut modestæ quidem et statui clericali propriæ vestes adhiberentur, quæ tamen non talares, sed breviores essent, juxta locorum exigentiam et consuetudinem. Hinc *Bened. XIV.* cum esset Archiepiscopus Bononiæ in *Institutionib. Eccl.* 34. et 71., non obstante Sixtina Constitutione, quam commemorat, coarctavit obligationem deferendi vestem talarem tantummodo ad Sacerdotes, qui Ecclesiam ingrediuntur sacra mysteria operaturi. De hac eadem re idem Pontifex mentionem facit etiam in c. 8. lib. 11. *De Syn. Diœc.* n. 4. Quapropter quamvis circa qualitatem vestis clericalis modestia semper observanda sit, et quamvis sacrorum canonum intentioni vestis talaris maxime congruat; tamen ea esse potest vestis clericorum, quæ ab usu communi regionis recipitur, nisi aliter ordinatio et mandatum Episcopi caveat juxta facultatem a Tridentino Episcopis tributam.

32. Quæstio altera proponitur *de pœnis contra clericos vestes clericales non gestantes comminatis.* — Et primo quidem clerici in *majoribus* ordinibus constituti, vel clerici minores qualecumque ecclesiasticum *beneficium* possidentes, si notabili tempore et legitimo impedimento cessante publice deserant vestes statui clericali congruentes, et moniti ab Episcopis contumaces persistant, coërceri possunt pœna *suspensionis* ab ordine, officio et beneficio. Quod si hac pœna perculsi non resipiscant, et denuo in hoc delinquant, *privari* possunt officio et beneficio. Ita c. 6. sess. 14. De *Ref.* in *Trid.* In Const. vero *'Cum sacrosanctum'* cit. *Sixtus V.* duo statuit 1°. pœnam privationis extendit etiam ad clericos simplici *tonsura* insignitos, et possidentes solummodo beneficia *simplicia,* et in genere ad omnes, qui pensionem vel præstimonium percipiunt de bonis ecclesiasticis, nisi incedant in habitu talari et tonsura clericali. 2°. Eidem pœnæ clericos aliosque subjicit *ipso jure* et absque ulla monitione, vel judicis decreto. Verum prior pars correcta est ab eodem Sixto V. qui in Const. *'Pastoralis'* a pœna privationis excepit clericos possidentes pensionem non excedentem annua 60 ducata auri de Camera, et familiares inferioris familiæ, seu famulos, qui omnes non tenentur ex ratione officii vestes clericales deferre. Secundæ partis rigorem temperavit *Benedictus XIII.*, qui in Const. *'Catholicæ Ecclesiæ'* diei 2. Maji 1725, decrevit, ut Episcopi contra clericos beneficia ecclesiastica possidentes, defe-

rentes vestes laicales, procedere debeant per citationem, domi dimissa copia, vel si extra Diœcesim commorentur, adfixa citatione ad valvas Ecclesiæ, et *sententiam declaratoriam* privationis juris ordine servato pronunciare debeant. Beneficia autem quæ per hanc privationem vacant, reservantur Sanctæ Sedi. Statuit insuper Pontifex clericos hujusmodi, interim ante etiam admonitionem, citationem et sententiam fructus non facere suos, sed sub pœna peccati lethalis teneri ad eos restituendos ac fabricæ Ecclesiæ applicandos esse, sublata etiam facultate majori Pœnitentiario eosdem fructus condonandi clerico. Quam facultatem condonandi tribuit eidem Pœnitentiario *Benedictus XIV.* in casibus *occultis* solummodo; ceu videre est in Const. hujus Pontif. *'Pastor Bonus'* diei 13. Aprilis 1744. §. 24.

33. Quod si sermo sit de clericis minoribus beneficio quolibet et pensione carentibus, clerici hujusmodi, quamvis non teneantur habitum clericalem deferre, et statum ecclesiasticum deserere libere possint; tamen si dimittant habitum clericalem et tonsuram, privilegio fori spoliantur. Etenim ut clerici minores hoc fruantur privilegio ex lege tridentina expressa in c. 6. sess. 23. *De Ref.* habitum et tonsuram clericalem deferre debent et alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inservire, et si fuerint conjugati, eorum matrimonium debet esse cum unica et virgine; c. un. *De Clericis conjugat.* (III. 2) in 6⁰. Hæc autem amissio privilegii personam Clerici ipsius non egreditur. Etenim superior ecclesiasticus potest, si velit, ad suum forum clericum delinquentem revocare, quoties ipse clericus perseveret, idest si neque a jure, neque ab homine per sententiam fuerit clericalibus privilegiis denudatus, atque ad laicam communionem redactus; quemadmodum probat Cardinalis *De Luca: De Jurisd.* disc. 55. n. 5. ubi refert resolutionem S. Congr. Concilii in causa *Leodiensi* diei 12. Nov. 1630, quæ resolutio a Pontifice fuit probata. Idem decisum est in aliis causis non solum ab eadem Congr., sed etiam a S. Congr. Immunitatis, etiam pro Clerico conjugato; præsertim in caus. *Bonon.* Censurarum diei 22. Januarii 1760 (Conf. *Giraldi, Expos. etc. — Comm.* ad c. 15. h. t.). At per habitus clericalis desertionem, amisso etiam privilegio fori, non ideo dicendum est jure tridentino amissa fuisse privilegia canonis et compententiæ, ceu responsum fuisse a S. Congr. Concilii in causa *Aquensi* mense Febr. 1589. et alias die 3. Decemb. 1622 refert *Bened. XIV.: De Syn.* lib. 12. c. 2. n. 2.

34. Verum immutata disciplina hac in re fuit. Nam *Pius IX.* per organum S. Congr. Immunitatis eccles. decretum edidit, quo declaravit, clericum in sacris non constitutum, sive cœlibem sive conjugatum, quoties ob non observatam plene legem Sacrosancti Concilii Trid. sess. 23. cap. 6. *De Ref.* amittit privilegium fori, ipso jure et ipso facto privari *omnibus* privilegiis clericalibus, ita ut debeat considerari et tractari tamquam persona mere laicalis etiam in causis criminalibus et pro effectibus pœnalibus; quin in posterum requiratur præcedens trina monitio aut declaratio particularis supra ista amissione seu privatione privilegiorum. Hoc decretum legitur in epistola typis edita Cardinalis *Barberini* Præfecti S. Congregationis Immunitatis ecclesiasticæ diei 20. Nov. 1860.

35. Quod si clericus, qui sponte sua reliquit habitum ecclesiasticum et tonsuram, voluerit utrumque iterum sumere, poterit id agere etiam sine expressa venia Episcopi, et privilegia clericalia iterum assequitur, nisi ejus consilium *ex fraude* procedat; idest præsertim nisi id efficiat ad declinandum judicium vel civile, vel criminale in foro laico. Ita resolvit S. Congregatio in causa *Meliten.* Fori 7. Maji 1672. Non poterit vero habitum clericalem iterum suscipere clericus sine venia Episcopi, si præcesserit decretum Episcopi, qui post trinam monitionem prohibuerit quominus idem clericus habitum iterum absque ejus venia suscipiat. Conf. *Bened. XIV.: De Synodo* l. 12. c. 3. n. 1.

36. Cum ad modestiam et externum clericorum decorem simul cum vestibus capitis etiam et vultus honestas sese referat; hinc in titulo nostro de cultura comæ et barbæ lex posita est in *cap. 5.*, in quo edicitur: ‘Clericus neque comam, neque barbam nutriat‘. — Et merito; nam clericus sacræ militiæ adscribitur per comæ abscisionem, et *idem est clericum fieri, ac crinibus detonderi,* quo ritu significatur renunciatio seu depositio omnium temporalium; c. 7. C. 12. q. 1. Hinc immoderata cultura comæ, quæ videlicet morem lascivum et femineum redolet, et nimiam levitatem animi manifestat, adeo clericis indecora esse censetur, ut contumaces etiam pœna excommunicationis coërceri possint cap. 4. h. t., quod ita se habet; ‘*Si quis clericus comam relaxaverit, anathema sit*’ scilicet *excommunicetur*, ceu cum Glossa explicant Doctores. Hinc clerici nutrientes comam et barbam, etiam inviti ab Archidiacono tonderi præcipiuntur c. 7. h. t. Quæ coërcitio, cessante hodierno

jure Archidiaconi auctoritate, arbitrio Episcopi perficienda relinquitur, vigore cit. cap. 7. h. t.

37. Huc spectat prohibitio comæ adscititiæ seu fictitiæ. Suo alienos capillos capiti addere proprium fuit luxuriantium feminarum, quæque proinde a poëtis irridentur et a SS. Patribus redarguuntur. Conf. *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* l. 11. c. 9. n. 2. Deinde mos, comas fictitias assumendi, etiam adoptatus fuit a viris. — Harum comarum usus in clericis antiquitus non fuisse videtur. Etenim solummodo Synodi recentiori ævo celebratæ morem hujusmodi in clericis reprehendunt. Quæ prohibitio cum innitatur sanctioni c. 7. h. t., in quo coërcitio clericorum nutrientium comam Ordinario, uti vidimus, tribuitur, inde patet super hac prohibitione gestandi comam fictitiam ad commoditatem et non ad luxum dispensare posse Episcopum extra missæ celebrationem; cfr. S. C. C. in *Mephiten.* d. 8. Aug. 1722. Dixi *extra Missæ celebrationem,* nam cum *Zacharias* R. P. in Synodo Romana *c. 13. et c. 14.* legem ediderit relatam in c. 57. *De Consecr.* D. 1. et sub pœna prohibuerit, non solum Presbyteros et Diaconos, sed etiam ipsos Episcopos Missæ sacrificium velato capite celebrare; facultatem gestandi comam fictitiam concedere Sacerdoti celebranti, vel ministro assistenti non potest Episcopus, sed auctoritas Romani Pontificis requiritur. Quemadmodum aperte etiam innotescit ex resolutione S. Congr. Rituum 31. Jan. 1626, et ex declaratione *Innoc. XI.* ad Legatos apostolicos et episcopos, citata a *La-Croix* lib. 6 part. 2. n. 401. Qua de re conferantur, si placet *Benedicti XIV. Institutiones ecclesiasticæ:* 34. § 4 et 96. n. 9.

38. Prohibitioni de abusu in capitis et vultus ornamento, similis est prohibitio delationis *annuli.* In cap. 15. h. t. et in Concilio *Romano* an. 1725. tit. XVI. cap. III. clericis interdicitur delatio annuli, exceptis illis quibus competit. Conferri potest hac in materia: *Giraldi, Comm.* ad cap. 15 h. t. quoad V^{um}.

Ex responsionibus S. Rituum Congregationis deduci potest, delationem annuli in celebratione Missæ esse vetitam Sacerdotibus et Abbatibus non benedictis, Protonotariis Apostolicis non participantibus, nec non Doctoribus et Canonicis quibuscunque. Dixi *et Canonicis quibuscunque;* nam neque Cathedralis Canonicis licet gestare annulum in sacris functionibus, præsertim in Missæ sacrificio; idquod non solum ex responsionibus præteritorum sæculorum, sed etiam novissimi temporis apparet; cfr. S. R. C. 20. Nov. 1628 n. 780. »Petitum fuit declarari: an prohibitio facta per hanc S. C.

circa delationem Annuli, quando Protonotarii celebrant, comprehendat etiam *Canonicos Cathedralis.* Et S. C. respondit: *Affirmative«:* item S. R. C. in *Dalmatiarum*, d. 4. Aug. 1663 ad XI. n. 2240.; in *Neapolitana* d. 12. Febr. 1892, denique in *Piscien.*. d. 9. Mart. 1894. Juxta ultimam responsionem ne consuetudo quidem quæcunque jus tribuit deferendi annulum. Cum vero prohibitio hæc respiciat celebrationem Missæ; hinc clerici doctores quibus competit delatio annuli, illum extra Missam poterunt licite deferre: conf. etiam *Ferraris: Biblioth. Canonica* v. »Annulus«.

39. Quartum caput honestatis externæ clericorum in eo posuimus, ut *abstineant a nonnullis artibus et officiis.* Et 1°. quidem cum clerici mancipati esse censeantur sacris ministeriis, ipsis interdicuntur artes et officia, quæ licet honesta in se sint, tamen clericos *nimium distraherent* a suis functionibus ecclesiasticis, ac ad vitam laicalem pertraherent. Ex. gr. *negotiatio* proprie dicta, cap. 15. h. t. tutela, administratio alienorum bonorum. De his vero in ultimo titulo hujus libri.

40. 2°. Cum Clerici mites debeant esse, et a sanguine abhorrere, ipsis interdicitur exercitium artis physicæ, seu *medicinæ* et præsertim *chirurgiæ* in operationibus, quæ per *incisionem*, aut *adustionem* perficiuntur c. 10. *Ne Clerici vel Monachi* (III. 50). Unde ad exercendam hanc artem physicam pro clericis majoribus, et pro minoribus, beneficium ecclesiasticum possidentibus requiritur *apostolicum indultum.* Hac in re conf. potest *Bened. XIV. De Synodo* L. 13. c. 10. nn. 2. et seq. — Ob supra enunciatam lenitatis rationem in bello arma tractare, et *militiam agere* clerici nequeunt cc. 1. et seqq. D. 51. Immo clerici prohibentur arma vetita *deferre,* nisi ad propriam tuitionem ex. gr. in itinere in quo aggressiones prævideantur, c. 2. h. t. et Glossa ibi. Delinquentes vero in hac re *clerici* possunt excommunicari ex dispositione ejusdem capitis; *Monachi* vero tenentes arma intra septa Monasterii absque Superioris licentia excommunicationem incurrunt latæ sententiæ. Clem. 1. §. »quia vero«. 5. *De Statu Monach.* (III. 10). — Animadvertimus autem hanc censuram non fuisse renovatam in Const. *Pii IX. Apostolicæ Sedis,* adeoque non amplius vigere. Plures deinceps pro temporum opportunitate latæ sunt a R. Pontificibus Constitutiones, quarum summam refert *Giraldus* in cit. opere '*Expositio juris Pontificii*' in comm. ad cit. c. 2. h. t.

41. 3°. Tandem artes et officia interdicuntur clericis, quæ offendunt *dignitatem status clericalis.* Et 1°. quidem ludi theatrales profani in Ecclesiis perfici non possunt, neque ab ipsis clericis c. 12. h. t. Nam ut notat Glossa in idem caput v. »monstra«, non prohibentur fieri in Ecclesia ludi honesti simul et pii, idest piæ repræsentationes, quæ inserviant ad recolenda divina mysteria, et ad excitandam devotionem. Præ oculis autem maxime habenda est dignitas et sanctitas loci. Quare abstinendum est ab iis omnibus, quæ reverentiam loco sacro debitam lædere, et aliqualem etiam profanationem sapere possent. Insuper prohibentur clerici alibi etiam exercere artem *jaculatorum* et *histrionum* seu *mimorum* cap. 15. h. t. Quam artem si per annum exercuerint, ipso jure privantur omni privilegio clericali; si autem breviori tempore et tertio moniti non resipiscant, eadem pœna mulctantur; cap. un. h. t. in 6°. Immo clericis interdicitur etiam *interesse* spectaculis publicis et pompis c. 3. D. 23. Glossa vero in hunc canonem explicat, quænam spectacula interdicantur clericis, scilicet spectacula obscœna et turpia, in quibus depravationis periculum adesse potest. Tandem in Clem. 1. h. t. clericis prohibetur personale exercitium officiorum, quæ *vilia* et *indecora* reputantur in *societate* ex. gr. officium tabernariorum etc. Ceterum de his materiis fusius agendum est in tit. ultimo h. l. necnon in aliquibus titulis l. V[i].

Titulus II.

De cohabitatione Clericorum et Mulierum.

1. Consortia mulierum vitam clericorum suspicionis macula suffundere possunt; hinc præsens titulus primo subnectitur, in quo de honestate vitæ clericorum actum est. Cum ex dictis in 1°. titulo Clerici non solum incontinentiæ labem, sed etiam ipsam speciem et suspicionem hujus vitii a se removere, et caute vivere debeant; hinc ceu principium generale, quod tituli præsentis tractatum regit, sequens regula statuenda est. Clerici ex lege canonica cohabitare, et conversationem habitualem cum feminis quibuscumque de continentia suspectis habere nequeunt. Clare hujusmodi principium traditur initio c. 1. h. t., quod desumptum est ex can. 3°. Conc. *Nannetensis* [in Conc. *Moguntino* (anno 813), prout inscribitur in Decretalibus, c. 49., deprehenditur etiam c. 1[i]. sententia; similiter in alio Conc. *Moguntino* (888) c. 10.] — et ita se habet:

'Inhibendum est ut nullus Sacerdos feminas, de quibus suspicio potest esse, retineat.'

2. Hinc ex cap. 9. h. t. prohibitum non est clericis cohabitare cum feminis, in quibus *naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari, idest matre, sorore, amita etc.* Consonat dispositio Concilii *Nicæni* relata a Gratiano in c. 16. D. 32. Feminis vinculo sanguinis conjunctis addunt Doctores etiam *affines,* nec non *extraneas maturæ ætatis et bonæ famæ.* Et merito. Nam citatus canon nicænus præter matrem, sororem et amitam nominat etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones, cum quibus sinit clericos habitare. Ad evitandam vero suspicionem cum extraneis auctores tradunt mulierem saltem 40 annorum ætate esse debere, et probatæ vitæ. Quare ut determinentur mulieres cum quibus clerici cohabitare possint, respiciendum est ad vinculum sanguinis, vel affinitatis, et ad ætatem cum bonis moribus conjunctam.

3. At capiti 9. h. t. obstat dispositio secundæ partis cap. 1. h. t. in qua interdicitur clericis cohabitatio cum omnibus feminis, etiam sanguinis vinculo conjunctis, ex gr. matre etc.... En verba: *'Sed neque illas (feminas) quas canones concedunt, matrem, amitam et sororem; quia instigante diabolo et in illis scelus perpetratum reperitur, vel etiam cum pedissequis earum'.* — Porro si contendunt quidam dispositionem capitis 1. abrogatam fuisse dispositione capitis 9., immerito hoc asserunt; nam utrumque caput inserebatur eodem tempore in eundem Codicem *Gregorii IX.* idquod utrique capiti tribuebat virtutem legis universalis, quæ virtus hic debet spectari sola. Potius vero dicendum est cum *Bened. XIV. De Syn.* L. 11. c. 4. n. 7., cap. 1. h. t. non referre regulam generalem, sed potius *exceptionem* cap. 9., atque ita componendum esse utrumque caput, ut nempe cum Innocentio III. in c. 9. generatim permittatur clericis cohabitatio cum mulieribus naturali fœdere conjunctis; quia ex regula generali juxta longam et probatam experientiam suspicio criminis cum istis feminis non verificatur; et excipiatur cum concilio Nannetensi in c. 1. casus in quo etiam hujusmodi feminæ aut earum pedissequæ afferant ex pravis moribus rationalem suspicionem criminis incontinentiæ. Et revera quamquam cap. 1. videatur exhibere regulam generalem, tamen si rite consideretur, refert indolem exceptionis. Nam fundamentum prohibitionis collocant Patres in suspicione criminis, adeo ut prohibeant in primis verbis capitis non quamcumque cohabitationem,

et qualecumque consortium clericorum cum mulieribus, sed solummodo inhibeant consortium cum mulieribus de quibus suspicio esse potest. Quod si objiciatur, Patres nannetenses deinde absolutis verbis proscripsisse consortium clericorum etiam cum matre, amita etc., respondere potest cum interpretatione textus ejusdem capitis 1[i]. »Inhibendum est«, legitur in c. 1., »ut nullus sacerdos feminas, *de quibus suspicio potest esse,* retineat. Sed neque illas, quas canones concedunt: matrem, amitam, et sororem: quia instigante diabolo, et in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earundem.« Conferamus ad meliorem intelligentiam hunc textum cum textu capitis 9[i]. qui sic se habet: »A nobis tua fraternitas requisivit: . . . cum clericis quoque non permittas mulierculas habitare: nisi forte de illis personis exsistant, in quibus *naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari.*« — Ex utroque capite deducitur regula generalis: Nullus sacerdos sive clericus cohabitet cum feminis, de quibus suspicio esse potest. — Ergo, ait Innocentius III. in c. 9., potest cohabitare cum proximis consanguineis, uti matre, amita, sorore, quia propter naturale fœdus *præsumi* potest suspicionem abesse sævi criminis. At — talis est dispositio c. 1. — si revera cohabitatio cum proximis consanguineis suspicionem creat ob periculum incontinentiæ ex parte sive ipsius clerici sive feminarum naturali fœdere conjunctarum vel earundem pedissequarum, præsumptio cedere debet veritati, i. e. clericus neque cum illis potest cohabitare. — Hæc interpretatio necessario adhibenda est, si consideramus c. 1. uti *legem universalem* in *Decretales* assumptam. — Si vero c. 1. in *se* spectamus, i. e. uti canonem Concilii *Nannetensis*, facile permittimus textum »Sed neque illas quas canones concedunt« absolute *posse* intelligi, scilicet in Provincia Nannetensi cohabitationem clericorum cum consanguineis etiam proximis omnino vetari quippe cum in illa regione ex communiter contingentibus suspicio semper adfuerit. —

Si quæras, quid *practice* sit observandum quoad cohabitationem clericorum cum mulieribus, respondetur:

Nunquam præbeat mulier sævi criminis suspicionem, secus Episcopo fas est cogere clericum ad dimittendam mulierem ob *solam* suspicionem; S. C. EE. et RR. in causa *Bambergen. — Herbipolitan.*, d. 17. Aug. 1883. — Quæstionem pro singulis diœcesibus generaliter vel in singulis casibus determinat Episcopus; sic Benedictus XIV. cum Bononien. diœcesi præesset, permisit parochis »convivere cum

feminis usque ad tertium consanguinitatis et primum ac interdum etiam secundum affinitatis gradum sibi conjunctis: »ceterarum vero nomina«, ait Pontifex, »ad nos deferri jussimus, ut earum conditione inspecta, deliberaremus, an sine ullius offensione possent Parochorum ædes incolere;« *De Syn.*, l. n. c. 4. n. 7. et *Instit. 83.* —

De pœnis contra clericos concubinarios.

4. Clericus si contra legem canonicam cum mulieribus vivat, *concubinarius* dicitur, et peculiaribus subjicitur pœnis. Cum de hisce pœnis loqui debeamus, determinandum est quid veniat nomine concubinatus. Obiter animadvertimus, in veteribus canonibus aliquando appellatam fuisse concubinam uxorem *legitimam*, sed *minus solemniter* ductam in matrimonio. Ita cc. 4. et 5. D. 34.; cn. 4. est ex Conc. *Toletano I.* Concubinatus *stricto* sensu sumptus nihil aliud est nisi consortium hominis cum muliere, quam loco uxoris detineat.

5. Quoad clericos autem, et ad pœnas iisdem applicandas, concubinatus latiori significatione sumitur. Determinandum ergo est quando clericus dici possit reus criminis concubinatus. Crimen concubinatus importat vitium; hinc clericus qui semel aut iterum carnale commercium habeat cum muliere, non dicitur concubinarius. Requiritur igitur prava consuetudo ad turpe hoc crimen constituendum. Indifferens vero est utrum cum una vel cum pluribus mulieribus prava consuetudo habeatur, et an mulier suspecta domi vel alibi detineatur. Clericus ergo concubinarius in sensu Tridentini in cap. 14. sess. 25. *De Refor.* quoad effectum pœnarum, ille est, *qui detineat mulierem, vel mulieres suspectas, sive domi, sive extra domum,* idest habitualiter eas frequentet. Consonat huic notioni traditæ a Tridentino Concilio cap. 2. h. t.

6. Hisce explicatis, deveniamus ad *pœnas* in specie designandas, quæ a jure nostro clericis concubinariis infliguntur. Omittimus sanctionem veterum canonum, quæ præsertim contra clericos in majoribus ordinibus constitutos, videtur fuisse depositio perpetua, seu dejectio a clero. Ita *Gregorius Magnus* in epistola 26. ad Januarium Episcopum Calaritanum lib. 3. epistolarum. *Nicolaus I.* in decreto tit. *De Presbyteris* et c. 2. D. 28. — Si Decretales *Gregorii IX.* inspiciamus, habemus cc. 2., 3., 4., 5. et 6. h. t. quæ *Alexandro III.* inscribuntur, in quibus hæc dispositio juris statuitur,

ut nempe salutari admonitione Episcopus studeat ad bonam frugem clericum concubinarium revocare, resipiscere vero nolentem suspendat ab ecclesiasticis beneficiis usque ad congruam satisfactionem, c. 4. h. t.; si autem clericus adhuc in crimine persistat, post trinam admonitionem, possit Episcopus beneficiis eum spoliare; ac tandem crescente adhuc contumacia, ab ipsa fidelium communione arcere possit donec corrigatur. Animadvertendum insuper est, jure Decretalium Sacerdotem notorie concubinarium *vitandum* fuisse in missæ celebratione cc. 7. et 10. h. t. — Quæ pœna etiam indicta fuerat contra clericos concubinarios a *Nicolao II.* in Synodo Romana cujus dispositio relata est a *Gratiano* in c. 5. D. 33.

7. Verum hæc dispositio antiqui juris correcta est a *Martino V.* in Extrav. *Ad evitanda*, in qua inter personas a fidelibus vitandas Sacerdos notorie concubinarius in missæ celebratione non recensetur.

8. Hæc jure canonum antiquorum et Decretalium Gregorii IX.; nunc exponenda est disciplina juxta legem *Trid. Concilii.* Huc referenda sunt cap. 14. sess. 25. *De Ref.* et cap. 6. sess. 21. *De Ref.* — Ut autem rei claritati consulatur, quatuor casus distinguendi sunt: Casus I[us]. est de clericis *beneficium aut pensionem possidentibus.* In c. 14. sess. 25. Concilium præprimis renovat pœnas veterum canonum contra concubinatum clericorum, deinde sermonem instituens de clericis beneficium aut pensionem possidentibus, statuit, clericum concubinarium *monendum* esse. Hæc porro admonitio debet esse *specialis* seu *personalis,* nec sufficit generalis, vel per edictum; quemadmodum ex resolutionibus S. Congregationis Concilii probat *Nicolaus Garcia 'De Benef.'* part. 11. c. 10. n. 186. Quod si post hanc admonitionem clericus sese non abstinuerit a consortio cum suspecta muliere, statuit S. Synodus, eum ipso facto *privari tertia parte* fructuum, obventionum et proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum; et hanc tertiam partem fructuum etc. . . . applicandam esse fabricæ Ecclesiæ, vel aliis piis locis arbitrio Episcopi. Deinde *iterum* clericus eodem modo *admonendus* est, et si nec post secundam admonitionem pravam deserat consuetudinem cum eadem femina, vel cum alia, privatur ipso facto omnibus fructibus, proventibus et pensionibus, locis piis ut supra applicandis, et insuper ab administratione ipsorum beneficiorum *suspendendus* est quoadusque ordinarius etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur. Suspensio autem

hæc non latæ sententiæ est, sed ferendæ. Tridentinum enim utitur verbo *suspendantur*. Si vero nec ita suspensus clericus hujusmodi mulierem vel mulieres suspectas e domo expellat, aut cum ipsis conversetur, a beneficio, et officio et pensionibus *quibuscumque* ecclesiasticis in perpetuum *privatur*, et *inhabilis* redditur ad *quodcumque* beneficium, honorem, et officium ecclesiasticum, donec manifeste mutatis in melius moribus et vita dispensationem hac in re a propriis Superioribus obtinuerit. Perseverante vero adhuc contumacia, contra clericum hujusmodi proceditur eodem modo quo proceditur contra clericos non habentes beneficium, de quibus infra. Quod si clericus dimiserit turpe consortium cum muliere suspecta, et ad illud misere *redierit*, sive cum eadem, sive cum aliis, statuit Concilium, clericum hujusmodi præter prædictas pœnas, etiam *excommunicationis* gladio plectendum esse.

9. Cognitio autem et decisio quæstionum in materia concubinatus clericorum ad *Episcopum* reservatur, qui procedere potest absque strepitu et figura judicii, sed veritate facti solummodo inspectu; et pœna quæ ab Episcopo infligatur, non potest in exsecutione ab ulla exceptione vel appellatione suspendi aut retardari. Ita Tridentinum in cit. c. 14. sess. 25. *De Ref.;* cfr. l. II. t. 28. nn. 36. et seqq.

10. Qua in re animadvertimus supra expositam pœnam privationis fructuum, quæ *ipso facto* imponitur, non obligare in conscientia clericum concubinarium, nisi post sententiam *declaratoriam* Judicis. Omnibus enim pœnis, quæ externam exsecutionem requirunt, subjici non tenetur reus in conscientia ante declarationem Judicis, nisi a lege aliter caveatur, arg. c. 19. *De Hæret.* (V. 2.) in 6°. — Conf. *P. Thesaurum: De pœnis* cap. 4. v. »Concubinatus«. — Hæc de clericis beneficium aut pensionem possidentibus.

11. Casus II^us^. Quoad clericos beneficium aut pensionem *non habentes* statuit Concilium in eod. cap. 14. sess. 25. *De Refor.* eos puniendos esse ab Episcopo juxta delicti qualitatem et perseverentiam contumaciæ. Pœnæ autem sunt reclusio in carceribus, suspensio ab ordine, inhabilitas ad beneficia obtinenda, aliæque pœnæ juxta sacros canones.

12. Casus III^us^. In eodem cap. 14. Conc. *Tridentinum* statuit, *Episcopum* concubinarium, quod absit, post monitionem factam a Conc. Provinciali, nisi abstineat a prava consuetudine, *ipso facto*

suspensum esse, et perseverante contumacia, rem esse deferendam ad Rom. Pontificem.

13. Casus IV[us]. Tandem Concilium Tridentinum in c. 6. sess. 22. *De Refor.* contra *Parochos* turpiter et scandalose viventes statuit, eos *monendos* esse, deinde si perseverent in contumacia, coërcendos esse et castigandos ab Episcopo, quod si incorrigibiles perseverent in nequitia, eos *privari* posse beneficio ab Episcopo, juxta canonica instituta, quavis exceptione et appellatione remota; exemplum habes in causa *Gaëtana* decisa, d. 13. Junii 1885 a S. C. Concilii.

14. Quæri tandem potest utrum contra omnes clericos concubinarios, et *quomodo* procedi possit.

Profecto si concubinatus clerici sit prorsus *occultus,* puniri nequit canonica sanctione, sed divino judicio plectendus relinquitur c. 11. D. 32. — Si concubinatus sit *notorius,* scilicet vel per confessionem factam in jure, vel per evidentiam facti, quæ nulla tergiversatione celari possit, c. ult. h. t., tunc etiam sine accusatione contra clericum reum procedi potest. Verum debet servari forma procedendi præscripta a Conc. Trid., ita ut si quoad clericos beneficium possidentes privatio illico decernatur, spreta tridentina forma, seu ordine, privatio hæc habeatur ceu spolium judiciale, sitque nullius valoris, et concedatur clerico restitutio in integrum contra sententiam.

15. Tandem si concubinatus clerici sit *quasi occultus*, id est si tantum gravis suspicio de clerici concubinatu enascatur, et in populo scandalum oriatur, hoc in casu clerico neganti crimen inspecto jure Decretalium intimanda esset purgatio canonica; quam purgationem nisi præstare velit, vel in ea defecerit, tunc uti convictus puniri posset. Scilicet posset contra ipsum procedi tamquam in clericum concubinarium convictum, cc. 8. h. t. et 10. *De purgatione canonica* (V. 34). Hodie vero juxta regulam tridentinam clericus graviter suspectus de concubinatu monendus est, ut mulierem suspectam a se removeat; quod nisi monitioni paruerit, præsumptio criminis exsurgit contra eum, et proinde pœnis a Tridentino statutis subjici poterit.

Tandem animadvertimus, circa modum procedendi contra clericum concubinarium præ oculis haberi posse regulas practicas statutas in Instructione S. Congregationis Episcoporum et Regularium

a Summo Pontifice *Leone XIII.* approbata die 11. Junii 1880, quam in appendice libri II. exhibuimus.

Titulus III.

De Clericis conjugatis.

1. Non omnis cohabitatio cum mulieribus est clericis interdicta; datur enim honesta cohabitatio per legitimum matrimonium. De hac honesta cohabitatione agit titulus noster. Quæritur 1°. *an Clerici possint matrimonium contrahere.*

Distinguendum est inter clericos in *minoribus*, et clericos in *majoribus* ordinibus constitutos.

Clerici minores non solum *valide*, sed etiam *licite* contrahunt matrimonium; nam eorum mancipatio statui ecclesiastico et cultui divino non est absoluta, sed conditionalis. Scilicet clerici minores considerantur potius in via ad majores ordines, quos cum susceperint, in vera, completa et perpetua statione ecclesiasticæ militiæ collocantur. Positio ergo minorum ordinum relate ad statum ecclesiasticum, cum includat conditionem, *dummodo clericus velit in sancto proposito perseverare statum ecclesiasticum definitive amplectendi*, non reddit clericum ipsum inhabilem aut quoquomodo impeditum ad matrimonium contrahendum.

2. Matrimonium vero a clericis minoribus contractum, quantum in se est, collocat eosdem in conditione *aliena* ab ecclesiastica. Primo autem loco consideremus matrimonium clericorum in relatione ad *beneficia* quæ possident. Ex lege canonica clericus minor matrimonium contrahens, *ante* etiam ipsam *consummationem* privatur beneficiis, quæ possidet. Diximus *ante consummationem*, nam ob matrimonium simpliciter ratum clericus beneficio suo privatur cc. 1., 3. et 5. h. t.

3. Specialem expositionem promeretur c. 3., cujus species est: Quidam clerici minores diœcesis *Verulanæ* beneficium ecclesiasticum assecuti, aliquid de suis patrimonialibus bonis in Ecclesiam proprii beneficii contulerant. Cum deinde matrimonium contraxissent, quæsitum est ab *Alexandro III.* quid sentiendum esset de beneficio, et de bonis collatis Ecclesiæ. Pontifex respondit, beneficio privandos esse clericos hujusmodi, sed collata bona eisdem esse restituenda. Hæc vero secunda dispositio, quæ in summa capitis dicitur valde notabilis et allegabilis, procedit ex eo quod bonorum

suorum donatio facta a clerico Ecclesiæ propriæ, vel a monacho monasterio, præsumitur conditionata, id est præsumitur eidem donationi implicite inesse conditio, ut duret, donec perduret commoratio donantis in Ecclesia vel monasterio. Nemo enim clericus vel monachus factus præsumitur velle se absolute bonis suis exspoliare adeo, ut ad statum laicalem reversus mediis sustentationis destitui patiatur. Hinc hæc donatio consideratur et accipitur in similitudinem dotis ab uxore in domum viri illatæ. Unde merito Alexander III. præcepit restitutionem bonorum collatorum. Donationes vero quæ Ecclesiis *absolute* fiunt, irrevocabiles sunt.

4. Quæritur a DD. utrum *privatio beneficii* quoad clericum contrahentem matrimonium *procedat ipso jure, an ex judicis sententia fieri debeat.* Quamvis nonnullis auctoribus visum fuerit, hanc privationem non procedere ipso jure, sed requiri judicis sententiam, tamen prævaluit et in praxi servatur contraria opinio, quæ a Glossa in c. 1. h. t. traditur. Dicendum scilicet est, clericum minorem *per ipsum contractum* matrimonii omni prorsus privari titulo et jure beneficii aut beneficiorum possessorum. Ratio hujus canonicæ dispositionis in cc. 3. et 5. h. t. adsignatur, et deducitur ex conceptu notabilis distinctionis et separationis pro latina Ecclesia inter statum conjugalem et statum clericalem. Status nempe conjugalis propter sua onera et officia erga uxorem et liberos habitus est ceu incompatibilis cum statu clericali, in quo homo divino servitio mancipatur. Hanc incompatibilitatem perbelle exprimit *Innocentius III.* in cap. 5. h. t. per hæc verba: *'in quorum* (clericorum conjugatorum) *conversatione cithara cum psalterio male concordat'*, ubi per vocabulum *cithara* Pontifex intelligit sæcularia solatia, et per vocabulum *psalterio* intelligit officia clericalia, inter quæ et illud est divinas laudes canendi. Ex qua incompatibilitate illico descendit, componi non posse statum conjugalem cum legitima et juridica possessione Beneficiorum, quæ statui clericali alligantur, et conceduntur ad honestam vitam clericorum in eum scopum, ut ecclesiastica munia diligenter et rite exerceant. Hinc in titulo *De Renunciatione* (I. 9) c. 9. matrimonii contractus agnoscitur a jure ceu factum inducens tacitam aut præsumptam renunciationem beneficii. Nec objiciant in cc. 3. et 5. h. t. a Pontificibus asseri clericos minores contrahentes matrimonium *privandos esse* beneficio; nam hæc verba explicantur juxta sententiam cap. 1. h. t., in quo dicitur, compellendos esse ad relinquenda beneficia eccle-

siastica. Scilicet si præsumant hujusmodi clerici adhuc detinere beneficium, expellendi sunt ab ipsa materiali possessione; non vero privandi ipso Beneficii titulo et jure, quo jam carent ob initum matrimonium.

5. Quid vero si matrimonium fuerit *invalidum?* Quidam distinguunt casum nullitatis ex defectu *consensus* vel ex impedimento *cognito,* et casum nullitatis ex impedimento *contrahenti occulto,* quod clericus contrahens ignoraverit. In 1°. casu ajunt, beneficiis præhabitis clericos non privari, eo quia non præsumitur renunciare juri suo, qui scienter actum nullum ponit; in 2°. casu vero privari, ob seriam voluntatem assumendi statum incompatibilem cum beneficio; quæ seria voluntas renunciationi æquivalet. Auctores qui hanc tuentur sententiam moventur ab arg. c. 4. *De Bigamis* (I. 21), ubi propter affectum idest propter intentionem etiam inefficacem cum opere tamen subsecuto quis inter bigamos recensetur etc. Casus cit. cap. 4. est de viro, qui post mortem uxoris ordines sacros suscepit et deinde attentavit et consummavit novum matrimonium. Porro licet hoc secundum matrimonium fuerit nullum, tamen vir ille ob affectum, idest intentionem contrahendi et consummandi matrimonium consideratus est uti bigamus. — Verum si attendatur ad *rationem juridicæ dispositionis,* tenendum est, in utroque casu privationem beneficii locum non habere saltem ipso jure. Nam privatio beneficii fuit inducta ex incompatibilitate status conjugalis cum fideli adimplemento officiorum clericalium. Quoadusque ergo revera assumptus non est status conjugalis incompatibilis, censentur perseverare jura actus clericalis. Per matrimonium vero quomodocumque invalidum status conjugalis non assumitur. Hinc si matrimonium ex qualibet causa nullum contrahat clericus minor, dicendum est ipsum non amittere ipso facto jus et titulum beneficii juxta *Reg.* 52. *Jur.* in 6°.: *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.* Nec factum contracti matrimonii in casu nostro potest recipi pro tacita renunciatione. Nam si matrimonium est validum, tunc certe, ob acceptationem veram et realem conditionis incompatibilis, jus præsumit factam renunciationem beneficii, sed in casu invalidi matrimonii deest acceptatio status incompatibilis; deest ergo in concreto ratio præsumptæ vel tacitæ renunciationis juxta intentionem c. 9. *De Renunc.* (I. 9). Videlicet non præsumitur clericus voluntatem seriam habuisse renunciandi beneficio nisi in hypothesi validi contractus

matrimonii, et assumpti status conjugalis. Quod si enim clericus scivisset matrimonium non valere, procul dubio præsumitur noluisse valedicere beneficio. Ergo in hypothesi matrimonii invalidi admitti nequit renunciatio, præsertim quia, excluso facto juridico, renunciatio fieri debet auctoritate Superioris eandem acceptantis. Hæc responsio firmatur auctoritate Glossæ fin. in c. 1. h. t. et c. 16. D. 28. Ergo non vacat beneficium ipso facto.

6. Quid igitur dicendum est de beneficio clerici minoris contrahentis invalidum matrimonium? Si invalidum sit matrimonium ob impedimentum *ignoratum* a partibus, licet ipse unicus actus matrimonialis contractus non reddat vacans beneficium clerici, tamen perseverantia clerici in statu conjugali, declarans acceptationem seriam et stabilem, idest repetitis actibus confirmatam status laicalis, naturaliter facit beneficium esse desertum. Hinc *per collationem* alteri factam procul dubio prior clericus *privatur* beneficio.

7. Si autem clericus *scienter* attentavit matrimonium invalidum, quamvis ipso jure non privetur titulo beneficii, tamen ob crimen exspoliandum esse beneficio *judicis auctoritate* tradunt doctores.

8. Hæc quæ diximus respiciunt beneficia clerico minori collata ante contractum matrimonii; quid vero dicendum de beneficio, quod forte clerico post contractum matrimonium, et perseveranti in statu conjugali conferatur? . . . Hæc collatio ob incompatibilitatem inter utrumque statum *nulla* est *ipso jure*. Quod si scienter collatio hujusmodi ab Episcopo facta fuerit; tunc clericum conjugatum a possessione beneficii illegitima ejiciet non quidem Episcopus ille, qui beneficium contulit, sed ejus Superior c. 5. h. t. circa finem.

9. Verum positæ conclusioni videtur adversari cap. 7. h. t. in quo supponitur posse clericum conjugatum beneficium ecclesiasticum assequi et retinere pacifice. Species est: In Diœcesi Pictaviensi clericus qui acolytus fuerat, dimisso habitu, uxorem duxerat. Episcopus cogebat eum, uxore frustra obsistente, ad habitum et tonsuram clericalem deferendam. Interrogatus hac de re *Innoc. III.*, respondit, molestiam non esse inferendam clerico illi, nec cogendum esse ad deferendam tonsuram et habitum ecclesiasticum *'dummodo tamen nullum percipiat ecclesiasticum beneficium, cujus ratione ad id teneatur'*. Ergo etc. . . .

Respondemus. Incompatibilitas inter statum conjugalem et clericalem non est absoluta et essentialis uti diximus, sed derivat

ex conceptu consecrato in legislatione Ecclesiæ latinæ. Potest ergo ex *dispensatione Summi Pontificis* clericus conjugatus beneficium recipere. Juxta glossam et communem doctorum sententiam, ad casum pontificiæ dispensationis respicit cap. 7. h. t. — Neque dicatur, Innocentium mentionem non fecisse hujus dispensationis; nam cum necessitas dispensationis notissima esset, nec de illa moveretur quæstio, non tenebatur Innocentius illam commemorare. Erat insuper extra scopum mentio dispensationis; nam Pontifex ex suo scopo debebat solummodo indicare hypothesim, in qua clericus tenebatur gestare habitum, et hanc hypothesim conditionate expressit, idest si aliquod beneficium ecclesiasticum clericus conjugatus possideret, non vero tenebatur exprimere modum, quo hypothesis illa verificari poterat, an scilicet cum dispensatione, vel absque dispensatione; an cum dispensatione Pontificis vel solum ex dispensatione Episcopi. Res enim nota erat, quod dispensatio Pontificis requirebatur.

10. Quod de beneficiis dictum est, applicari etiam debet *pensionibus* ecclesiasticis; scilicet clerici minores, matrimonium contrahentes privantur ipso facto pensionibus ecclesiasticis, pariterque nulla est ipso jure collatio ecclesiasticarum pensionum facta clericis conjugatis, nisi accedat dispensatio Romani Pontificis. Porro pensiones ecclesiasticæ illæ dicuntur, quæ titulo *clericali* conferri solent.

11. Non prohibentur vero pensiones quæ titulo *civilis* stipendii concedi solent pro ministerio temporali et labore tolerando ex. gr. pro pulsandis organis, pro exercenda advocatia, seu patrocinio Ecclesiæ etc.... Pater *Thesaurus: De pœnis ecclesiasticis, cap. IV.* v. »Apostasia«, cum Doctoribus ex arg. c. 10. h. t. tradit clericum in minori assumentem statum incompatibilem cum statu clericali ex. gr. *voluntariam militiam,* ipso facto saltem vi tacitæ renunciationis privari pensione ecclesiastica et ecclesiastico beneficio: Conferatur *Giraldi: Expositio Juris Pontif.* Sectio 336. ad cap. 1 tit. 3. lib. III.

Hæc dicta sint de effectu matrimonii contracti a clerico minore in relatione ad beneficia et pensiones perceptas ex bonis ecclesiasticis; nunc considerandus est effectus ejusdem matrimonii relate ad *privilegia* clericalia.

12. Si inspiciamus jus decretalium, habemus c. un. h. t. in 6^{0}, in quo conceditur clericis minoribus conjugatis privilegium fori, et privilegium canonis dummodo binæ sequentes conditiones verifi-

centur: 1°. ut matrimonium contraxerint cum *unica* et *virgine*, secus enim bigami essent et irregulares, omni proinde clericali privilegio destituti cap. un. *De Bigamis* (I. 12) in 6°.; 2°. ut vestes clericales et tonsuram deferant. Hisce conditionibus tertiam addit Conc. *Tridentinum* in c. 6. sess. 23. *De Ref.* pro conservando privilegio fori, ut nempe alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio de mandato Episcopi sint addicti.

In cæteris vero clericus conjugatus habetur uti laicus, idest aliis privilegiis destituitur, quemadmodum legitur in cit. c. un. h. t. in 6°. — Hinc non fruitur beneficio competentiæ ex cap. »*Odoard.*« 3. *De solutionibus* (III. 23).

13. Verum capiti un. h. t. in 6°. adversari videtur dispositio c. 7. h. t. in quo *Innocentius III.* expresse asserit, clericum conjugatum etiam deferentem habitum et tonsuram privilegio clericali non gaudere. Ut concilientur hæc duo capita aliqui dicunt, verba illa *privilegio clericali* sumenda esse pro summa et universitate privilegiorum, quæ clerico conjugato non certe competunt; nam in cap. un. h. t. in 6°. duo tantum tribuuntur privilegia, fori nempe et canonis. At hæc conciliatio capitum admitti nequit. Verba enim *clericali privilegio* non solum cumulum privilegiorum indicant, sed etiam exprimunt ipsa privilegia in particulari. Innocentius ergo ipsa etiam duo denegat privilegia, quæ Bonifacius admittit. — Ad repugnantiam vero horum capitum tollendam, dici potest jure antiquiori clericos conjugatos nec duo privilegia canonis et fori obtinuisse. Hinc Innocentius asserere absolute potuit, clericum conjugatum privilegio clericali non gaudere. At Bonifacius pristinum jus immutans, conjugatis clericis privilegia canonis et fori, binis conditionibus, de quibus supra, exsistentibus, concessit. Quod vero clerici conjugati ante Bonifacium omni privilegio reapse privarentur, et laicis hominibus æquipararentur, patet ex *Honorio III.* in c. 9. h. t. in quo Honorius ait reginam Angliæ a clericis uxoratis posse exigere absque ulla limitatione et absolute *justitias debitas et consueta servitia.* Adeoque implicite fassus est Honorius, nullam esse agnoscendam distinctionem inter clericos minores conjugatos et laicas personas.

De Clericis majoribus.

14. Matrimonium relate ad clericos majores dupliciter considerari potest, vel nempe est contractum *ante* ordines majores, vel

contrahendum *post* susceptos majores ordines. Si in secundo respectu consideretur matrimonium, certum est, in Ecclesia *latina* nec licite nec valide ipsum contrahi posse a clericis majoribus c. 16. D. 28. et cc. 1. et 4. h. t. Sacer enim ordo, quemadmodum etiam solemne votum in approbata religione constituit impedimentum dirimens matrimonium; prouti definitum est in Conc. *Trid.* sess. 24. *De Matr.* can. 9. qui ita se habet: *'Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto . . ., anathema sit.'* Ratio canonica hujus dispositionis reponenda est in perpetua et absoluta mancipatione hominis in eo statu qui per ordines majores assumitur, quique juxta conceptum legislationis Ecclesiæ latinæ distinctus prorsus est, et incompatibilis cum statu conjugali.

15. Si vero sermo sit de 1°. respectu, videlicet an homo Christianus *post* contractum matrimonium, ipsoque perseverante, ad majores ordines promoveri queat; respondemus, in Ecclesia *latina* virum, uxore vivente, excepto tamen casu adulterii ex parte uxoris, non posse licite ad majores ordines ascendere, nisi ex consensu uxoris, quæ ingredi Religionem debet, vel si in ætate sit in qua suspicio de ejus incontinentia oriri non possit, remanere potest in sæculo, sed emittere tenetur votum perpetuæ castitatis cc. 2. h. t. et 5. et 8. *De convers. conjugatorum* (III. 32) . . . Diximus *excepto casu adulterii.* Nam ob adulterium uxoris potest vir mulierem pro tota vita deserere, ac proinde, ea etiam invita, potest statum incompatibilem cum matrimonio assumere, nempe sacros suscipere ordines cc. 4. et 15. *De Divortiis* (IV. 19). Hæc innuisse sufficiat quoad Ecclesiam latinam; de hac enim re iterum sermo erit in cit. tit. *De conversione Conjugatorum.*

16. Si de Ecclesia *græca* sermo sit, pariter distinguendum est inter matrimonium contractum et matrimonium contrahendum. Clerici, qui matrimonium *contraxerunt* in ordinibus minoribus, possunt ad majores ordines, excepto episcopatu, promoveri, constante matrimonio, illoque uti. At ab usu matrimonii abstinere debent clerici hujusmodi quando ministerii proprii munia implere tenentur. Hæc disciplina inducta est ex can. 13. concilii *Trullani*, et toleratur ab *Innocentio III.* in cap. 6. h. t. Diximus *excepto* episcopatu; nam in episcopatu nec Græci admittunt usum matrimonii. Quare qui est uxoratus non promovetur ad episcopatum, nisi consentiente

uxore, quæ vel religionem ingredi, vel votum emittere debet perpetuæ castitatis in sæculo, omni prorsus suspicione et periculo incontinentiæ remoto.

17. Quid vero dicendum de matrimonio in Ecclesia græca *post* susceptos ordines majores contrahendo? Habemus canonem sextum Synodi trullanæ (a. 692) quæ etiam quini-sexta Synodus nuncupatur. Verba canonis hæc sunt: *'Quoniam in apostolicis* etc. . . . *decernimus ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere* (matrimonium) *liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur'.*

18. Verum prohibitio contrahendi matrimonium plene et in universali Græcorum disciplina servata non est quoad *Subdiaconos*: in genere enim græca Ecclesia subdiaconatum in censu majorum ordinum non adscripsit. Attamen si de *Italo-græcis* sermo sit, qui nempe in Italia et in insulis adjacentibus fidelibus ritus latini commixti commorantur, ac Episcopis latinis subsunt, specialis data est constitutio a *Benedicto XIV.* VII. Kalendas Junii ann. 1742, quæ incipit: *'Etsi Pastoralis'* quæque legitur in 1°. tom. Bullarii ejusdem Pontificis sub n. 57. In hac porro constitutione *§. 7. n. 27.* prohibet Pontifex non solum Presbyteris et Diaconis, sed etiam ipsis Subdiaconis matrimonii contractum post ordinationem.

19. At si reapse a majoribus clericis fuerit initum matrimonium inter Græcos, eritne *validum?* Si sermo sit de Italo-græcis in Italia vel in insulis adjacentibus commorantibus, certum est, matrimonium clericorum majorum *nullius* esse valoris; nam Pontifex Benedictus in cit. §. 7. Const. *Etsi Pastoralis* expresse ait: *'Matrimonium post recensitos ordines* (Subdiaconatus et supra) *contractum, nullum irritumque declaramus'.*

20. At si sermo sit de aliis Græcis, non eadem certitudine dici potest, matrimonium contractum a clericis majoribus nullum esse ac irritum. Sane quæstio agitata est et quidem magna contentione inter doctores et pluribus visum est, matrimonium contractum a clericis majoribus in Ecclesia orientali esse quidem illicitum, non vero invalidum. Nam canon Synodi Trullanæ supra relatus loquitur quidem expresse de prohibitione contrahendi matrimonium post susceptos majores ordines, non tamen irritum pronunciat matrimonium illud. Ergo revera pro Ecclesia græca, exceptis Italo-græcis, lex generalis irritans matrimonium clericorum majorum clara et explicita non adest. Hinc matrimonium hujusmodi nec incidit sub

sanctione can. 9. sess. 24. *De Ref. matr.* in *Tridentino;* nam ibi nullitas matrimonii procedere dicitur ex lege ecclesiastica, vel ex voto. Supponit ergo Concilium Tridentinum legem ecclesiasticam vel votum quod matrimonium irritet. Ubi igitur desit hæc lex et desit votum, ibi matrimonium clericorum non deprehenditur esse sub lege irritante tridentina. Verum plures alii Doctores juxta ipsam disciplinam orientalis ecclesiæ ab Imperatore Justiniano in leg. 45. Cod. *de Episc. et cler.* roboratam, tuentur omnimodam invaliditatem matrimonii quod a clericis majoribus in ecclesia orientali contrahatur. *Benedictus XIV.* in Instruct. '*Eo quamvis*' data die 4. Maji 1745. §. 38. horum doctorum sententiam appellat saniorem, et Congregationum Urbis menti magis conformem. Ad rem facit Instructio data de S. P. *Pii IX.* s. m. mandato a S. Congregatione de Propaganda Fide Archiepiscopo *Fogarasiensi et Albæ-Juliensi* ritus *græci-rumeni* die 24. Martii 1858, quæ inter alia continet hæc verba: '*Quod si aliqui (quod Deus avertat) post sacros (ordines), ut præfertur, matrimonium attentare præsumpserint, decernit Sanctitas sua, ut ad tramites sacrorum canonum severe puniantur, ut quos studium servandæ disciplinæ ac amor continentiæ non movet, vel pœnarum timor compescat*'. Præterea cum ageretur de legitimando secundo conjugio inito a quodam sacerdote *græco-rumeno* Diœcesis *Magni-Varadini* inito cum muliere vidua, S. Congregatio Supremæ Inquisitionis die 22. Decembris ann. 1875 sequens dedit responsum: '*Attentis peculiaribus facti adjunctis, supplicandum Sanctissimo pro gratia dispensationis super impedimento ordinis ac bigamia, ut orator Paulus Papp, prævia reductione ejus ad statum laicalem perpetuum, et gravibus ac salutaribus impositis pœnitentiis, matrimonium legitime contrahere valeat.*' Ex audientia autem eadem die a Summo Pontifice habita rescriptum prodiit: '*Sanctissimus benigne annuit pro gratia dispensationis juxta Eminentissimorum Patrum suffragia, quæ confirmat*'.

His duobus documentis probabilitas prioris sententiæ validitatem ejusmodi matrimoniorum asserentis non destruitur. Nam 1°. respiciunt non omnes Græcos, sed solummodo *Græcos-Rumenos;* 2°. licet expressio »matrimonium attentare« indicet regulariter matrimonii *nullitatem,* tamen facile explicari potest de matrimonio *illicite* contrahendo absque respectu valoris; 3°. ipsa verba utriusque S. Congregationis revelant *mentem* Sedis Apostolicæ relin-

quendi in dubio hanc quæstionem. — Theoretico huic quæstionis statui correspondet praxis; nam ad *matrimonium contrahendum* petitur dispensatio quæ vel conceditur vel negatur. »Si vero super matrimonio jam inito dispensatio concedenda videbitur, tunc nullum verbum fit de renovatione consensus«. Cfr. *Benedictum XIV.* in Const. »Anno vertente«, d. 19. Junii 1750. §. 12.

De pœnis contra clericos majores matrimonium attentantes.

21. Juxta veterem disciplinam expressam in cc. 2. et 9. *Dist. 28.* qui canones incipiunt '*Decernimus*' et '*Presbyter*', clerici majores matrimonium contrahentes *deponebantur.*

22. Jure autem Decretalium *Greg. IX.* statuta est pœna suspensionis et excommunicationis ferendæ sententiæ cap. 1. h. t. Accessit inde Const. *Clementis V.* in Conc. *Viennensi* in Gallia celebrato ann. 1311. relata in Clem. un. *De Consanguinitate et affinit.* (IV. 1), in qua decernit Pontifex, Clericos majores matrimonium contrahentes esse ipso facto excommunicatos. Hanc excommunicationis latæ sententiæ pœnam renovavit *Pius IX.* in Const. *Apostolicæ Sedis*, d. 12. Octobris 1869, ejusque solutionem reservavit Episcopis seu Ordinariis.

23. De irregularite ex bigamia similitudinaria, si clerici in majoribus matrimonium attentatum consummare fuerint ausi, conferatur liber I., tit. 21. n. 11. Insuper post can. 9. cit. sess. 24. *de Ref. matrim.* in *Tridentino*, si clerici majores matrimonium attentaverint cum errore formali, scilicet arbitrantes matrimonium attentatum revera validum esse, considerari debent ceu *hæretici*, et pœnis plecti possunt contra hæreticos latis. — Hæc de clericis *latinis.*

24. Contra clericos majores *græcos* matrimonium contrahentes post ordinationem ex lege generali *Trullana* in cit. can. 6^{0}. decernitur pœna *depositionis.* Contra vero *Italo-græcos Benedictus XIV.* in cit. §. 7. Const. '*Etsi Pastoralis*' confirmat pœnam depositionis, simulque statuit *excommunicationem* latæ sententiæ.

Titulus IV.

De clericis non residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

1. Unum ex capitibus honestatis externæ clericorum est ut ministeriis suis rite fungantur. Quare postquam actum est de vitæ

et morum probitate sive relate ad illicitam, sive relate ad honestam cohabitationem clericorum cum mulieribus, merito proponitur tractatio de residentia clericorum in loco beneficii sui; quæ residentia plurimum influit in laudabile exercitium ecclesiastici ministerii.

Residentia definiri solet: *Commoratio assidua seu ferme continua in Ecclesia, seu loco beneficii servitii ecclesiastici personaliter præstandi causa.* — Hinc in sensu canonum revera non residet, qui officia ecclesiastica non præstat, quamvis in regione vel urbe commoretur, ubi beneficium possidet. Immo ut adnotant doctores, residere in sensu canonum nihil aliud est, quam deservire officiis divinis in Ecclesia, in qua quis residere debet. Hinc residentia clericorum dicitur *commoratio laboriosa.*

2. Hæc residentia dicitur *vera et realis;* datur autem etiam residentia *ficta,* quæ locum habet, quoties clericus cum deberet aliquo in loco commorari et Ecclesiæ inservire, ibi ex legitima causa non commoratur; attamen fictione juris censetur residere. Quare licet revera alibi commoretur clericus, nihilominus fructus sui beneficii percipit, proinde ac si officia personaliter adimpleret.

3. *Ecclesiæ* vox, de qua in rubrica tituli proprie, exprimit beneficium, cui adnexa est *cura animarum,* sive proprio nomine possideatur, sive vicario nomine, sive sit beneficium majus ex. gr. Episcopatus, sive sit minus ex. gr. Parœcia. *Præbendæ* autem vocabulum significat quodcumque beneficium cui adnexa *non* est animarum cura.

4. Inspecta beneficiorum primæva institutione, dicendum est, omnia prorsus beneficia secumtulisse personalem clerici residentiam. Nam beneficia instituta sunt ceu totidem tituli, idest ceu definitæ stationes clericorum, in quibus clerici ecclesiastica servitia exhiberent, simulque ab Ecclesia consequerentur unde honeste viverent. Quare in qualibet Ecclesia tot clerici ordinabantur, quot erant tituli. Igitur juxta juridicum conceptum, cuilibet beneficio adnexum est officium et quemadmodum docet cap. ult. *De Rescr.* (I. 3) in 6°.: *Beneficium datur propter officium; Alexander III.* autem in c. 13. *De Præbendis* (III. 5) docet *singula officia exigere assiduitatem personarum.* Nec ex jure communi antiquo exiguitas beneficii ab obligatione residendi eximere poterat. Etenim ipso beneficio privari poterat clericus, qui prætextu exiguitatis officia seu servitium Ecclesiæ non præstabat c. 6. h. t. Verum immu-

tatis rerum adjunctis, desinere incepit pro aliquibus beneficiis ratio obligationis servandi legem residentiæ.

5. Instituta enim sunt a fidelibus beneficia, quæ cum ex una parte non satisfaciebant honestæ clerici sustentationi procurandæ; ex altera autem parte onera adnexa habebant, quæ alibi etiam extra Ecclesiam beneficii persolvi poterant, ex. gr. onus recitationis privatæ horarum canonicarum, aut aliarum precum. Hinc ex rationabili et universali consuetudine inductum est, ut nonnulla beneficia legem residentiæ non secumferrent. Inceperunt inde distingui beneficia residentialia et non residentialia, quæ communi acceptione hodie appellari solent beneficia *simplicia.* De beneficiis igitur residentialibus in titulo nostro agendum est; et primo loco de illis, quæ nomine Ecclesiæ veniunt, quibus scilicet cura animarum adnexa est.

6. Quod jure *ecclesiastico* ad personalem residentiam teneantur clerici, qui possident hæc beneficia, patet ex pluribus locis. Faciunt ad rem cc. 2. et 9. h. t. et aliis omissis, c. 1. sess. 6. et c. 1. sess. 23. *de Ref.* in *Tridentino.* — Quæstio potius a Doctoribus proponitur, utrum hæc personalis residentia a clericis curam animarum exercentibus exigatur etiam jure *divino.* Hæc quæstio agitata fuit in ipso Concilio *Tridentino* sess. 23. et patres in binas sententias divisi sunt. Res autem ita composita est, prout refertur in c. 1. cit. sess. 23.: '*Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, Sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant etc. . . .*' Plures et quidem optimæ notæ inter Theologos et Canonistas, quamvis fateantur, decretum Tridentinum non referre characterem dogmaticæ definitionis, cum non inter canones et articulos fidei a Concilio recenseatur, sed exhibeatur inter decreta reformationis disciplinæ; tamen docent, ex verbis expositis satis superque probari, residentiam personalem pastorum ecclesiasticorum præcipi ab ipso divino jure. Dicunt enim, absque reali residentia

et vera, idest absque personali præsentia personæ præstari non posse ea quæ ex divino præcepto juxta Tridentinum pastores Ecclesiarum exsequi tenentur. Porro qui jure divino tenetur ad finem, tenetur eodem jure etiam ad media.

7. Non videtur tamen undequaque probanda horum doctorum sententia, præsertim cum, ea admissa, non appáreret quomodo ecclesiastica potestas posset ab onere residendi Episcopum dispensare, quemadmodum fecisse quandoque videmus. Potius dicendum esse arbitramur, obligationem personalis residentiæ pastorum ecclesiasticorum esse *de jure ecclesiastico fundato tamen in intentione juris divini,* non esse vero de stricto jure divino. Et sane, ut ostenderent prioris sententiæ patroni personalis residentiæ obligationem proprie esse de stricto jure divino, demonstrare deberent, ea officia, quæ juxta Tridentinum ex præcepto divino pastoribus incumbunt, nullatenus, nec saltem sufficienti convenientique modo etiam in absentia et per alios præstari posse. Verum nemo denegabit, pastoralia officia esse delegabilia c. »Inter cætera« 15. *De Off. Jud. ordin.* (I. 31) et vigilantiam seu vigilantem assistentiam a solerti pastore posse exhiberi, licet absente; quemadmodum de se testatur *Paulus* in 2ª. *ad Cor.* XI. 28.: *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.*

8. Hinc Tridentinum in loco citato præceptum idest jus divinum invocans proprie non condemnat ipsam absentiam corporalem pastorum, sed *desertionem Ecclesiæ;* condemnat scilicet pastores qui ita absunt ab Ecclesia ut more mercenariorum quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, dominicum gregem, *deserant.* Condemnat ergo proprie ex virtute præcepti divini curæ negligentiam et ovium contemptum, non ipsam absentiam pastorum.

9. Ceterum quamvis personalis residentia pastorum non sit de stricto jure divino, tamen *maxime congruit* cum officiorum pastoralium conceptu, quem nobis divina institutio et missio pastorum offert. Quisque enim per se melius pascit gregem suum, quam per alios; hinc dicimus legem personalis residentiæ fundari in intentione juris divini. Igitur concludi potest, residentiam pastorum sive per se, sive per alios præstandam eisdem pastoribus a divina lege juberi, residentiam vero personalem, id est per seipsos præstandam juberi a jure ecclesiastico.

10. Ecclesiastica lex personalis residentiæ præter Episcopos aliosque Prælatos regimen Ecclesiarum habentes, et præter rectores

Ecclesiarum quibus cura animarum adnexa est, obligat etiam *canonicos et beneficiarios Ecclesiarum Cathedralium et collegiatarum*, ob chori et altaris servitium, quod præstare tenentur; potest etiam obligare possessores aliorum beneficiorum in Ecclesiis non collegiatis erectorum, si vel ex constitutionibus earumdem, vel ex lege fundationis, vel ex legitima consuetudine clericus beneficii possessor per se ipsum in Ecclesia sua adsignata sibi officia exsequi teneatur. Si attendamus ad juris ecclesiastici dispositionem, videmus, Ecclesiam constanter adlaborasse, ut clerici in loco beneficii sui residerent; ac pœnam privationis beneficii statuisse contra delinquentes.

11. Verum agnitum simul est, rationalem causam dari posse, quare Clericus excusaretur a personali residentia. Intimant hanc exceptionem ex legitima causa cc. 4. et ult. h. t. nec non c. un. h. t. (III. 3) in 6°., expresse autem rem definit et ipsas causas adsignat Concilium *Tridentinum* in sess. 23. c. 1. *De Refor. Causæ* vero sunt quatuor: scilicet *1°. Christiana charitas, 2°. urgens necessitas, 3°. debita obedientia, 4°. evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas.* Hæ quatuor causæ, quæ ut principaliores, seu potius genera rationabilium causarum, quoties etiam singillatim verificentur, excusant clericum a temporali absentia a loco beneficii sui.

12. Sed pastores et rectores animarum cavere debent ut quantum fieri potuerit, ex ipsorum absentia fideles eorum curæ commissi nullum damnum accipiant. Conc. Trid. in cit. loco. Breviter singulæ enumeratæ causæ explicandæ sunt.

13. Et I°. quidem *christianæ charitatis* nomine intelligitur spirituale bonum proximi nostri procurandi necessitas, quod bonum probabiliter ab alio quam ab ipso clerico sperari æque non posset. Hinc juxta exemplum S. Pauli qui Timotheum aliosque discipulos, particularium Ecclesiarum Episcopos, ad alienas Ecclesias abire jussit pro causa fidei promulgandæ vel confortandæ inter fideles. poterit Episcopus ad alienam Diœcesim transire pro negotio fidei tuendæ, si prædicatione sua possit gliscentibus erroribus resistere, aut schismatis periculum removere. Sic etiam ratio administrandorum sacramentorum in alienam Diœcesim vocare potest Episcopum. Pariter ob christianam charitatem reliqui clerici alio se possunt conferre, ad pacem conciliandam inter dissidentes, vel ut revocent peccatores ad bonam frugem; dummodo vero hæc omnia per alium æque præstari non possint.

14. IIª. causa est *urgens necessitas.* Hæc necessitas vero non ea est, quæ ex publica loci calamitate oritur; sed ex personali ratione ipsius clerici derivat. Hinc sufficiens absentiæ ratio esset infirmitas clerici, aut persecutio directa contra ipsum. Diximus necessitatem excusantem in ratione personali esse constituendam; nam si de ratione communi sermo esset, clerici curam animarum habentes, quemadmodum parochi, vel regimen Ecclesiarum retinentes, uti Episcopi, recedere nequeunt a propria residentia ex. gr. tempore pestis, vel tempore persecutionis contra fidem. Sic statuitur in cc. 46., 47., 48. C. 7. q. 1.

15. IIIª. causa est: *Debita obedientia,* si nempe Summus Pontifex Episcopum sive per mandatum extraordinarium, sive per legem ordinariam visitationis Sacrorum liminum advocet: vel Episcopus clericum sibi subjectum ad tempus alio avocet ad aliquod negotium diœceseos peragendum, ex. gr. ad visitandam Diœcesim, vel partem ejus c. 7. h. t.

16. Animadverti vero debet Episcopum non posse Parochum assumere ad officium quod habitualiter absentiam a loco beneficii exposcit ex. gr. ad officium Secretarii, Vicarii Generalis, Fiscalis, Visitatoris ordinarii Diœceseos etc. . . . quemadmodum ex mente S. C. Concilii probant *Garcia De Beneficiis* part. 3. c. 2. nn. 40. et seqq. aliique canonum Doctores. Sane proposito dubio: *an dignitas, seu canonicus Ecclesiæ cathedralis, cui est adnexa cura animarum, possit exercere munus Vicarii Generalis?* Sacra Congregatio die 3. Februarii 1685 respondit: *Negative.* (Lib. Decret. XI. ss. p. 29.)

17. IVª. causa legitima absentiæ est *Ecclesiæ vel Reipublicæ evidens utilitas.*

Et Ecclesiæ potest esse vel *propriæ* Ecclesiæ, in qua nempe Clericus residere debet, vel Ecclesiæ *universalis.* Et 1°. *Propriæ Ecclesiæ* si ex. gr. alibi commorari ad tempus debeat Episcopus vel Parochus pro tractanda lite, vel et pro remediis parandis, novis casibus emergentibus ejusdem suæ Ecclesiæ. 2°. *Ecclesiæ universalis,* quoties nempe ad Concilium œcumenicum accedendum est vel ecclesiastica legatione fungendum sit ex mandato Pontificis.

Ex dictis sequitur, utilitatem Ecclesiæ non propriæ haudquaquam esse legitimam causam, ob quam Clericus a sua residentia recedat.

18. Etiam *Reipublicæ* evidens utilitas ab onere residendi excusat pro aliquo tempore. Hoc autem verificatur 1°. quando agitur de aliquo implendo *munere reipublicæ civilis,* quod sit Episcopatui adnexum, quale erat munus Electorum in Germania. Simile huic arbitramur hodie esse munus *senatoris* ex lege regni concreditum Episcopis, qui ad dignitatem cardinalatus promoventur; nec non idem munus, quod sit adnexum alicui sedi episcopali in regno. 2°. Quoties publicum magni momenti negotium ab alio quam a Clerico æque utiliter expediri nequeat. Hinc urgente regni causa Episcopus potest esse ad tempus orator, seu legatus Principis sæcularis. Arg. c. 13. D. 18. et c. 19. *De Appellant.* (II. 28).

19. Nequeunt vero Episcopi officia retinere in curiis sæcularibus, quorum intuitu non excusantur ab obligatione residendi in propria Ecclesia. Immo contra Episcopos hujusmodi officia acceptantes, et eorum causa a propria sede recedentes Concilium Tridentinum insurgit, et commemorato prius onere conscientiæ, renovat contra eos pœnas veterum canonum, et alias etiam pœnas de novo decernit, de quibus infra. Ita legitur in c. 1. sess. 6. *De Reform.* incipiendo a verbis *'Quia nonnulli (quod vehementer dolendum est) reperiuntur qui . . . in diversis curiis vagantur'* etc. Præterea contra Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos etc. absentes a Diœcesi graves pœnas statuit *Urbanus VIII.* in Const. *Sancta Synodus* diei 12. Decemb. 1634. et expresse adnotat, eos a pœnis non excusari prætextu et ratione cujuscumque servitii præstandi quibuscumque principibus, vel rebus publicis. Hæc dicta sint in genere de causis quæ a jure agnoscuntur ceu legitimæ ad aliquem clericum, et in specie ad Episcopum eximendum ad tempus ab onere residendi in propria Ecclesia vel in loco Beneficii.

20. Nunc aliquid in specie dicendum est *de singulis classibus* eorum, qui ad personalem residentiam obligantur. Et I°. quidem *de Episcopis* quæritur, an posita exsistentia unius ex prædictis causis, aliquid aliud requiratur ut Episcopus legitime absit pro aliquo tempore a sua Diœcesi. Respondemus duo requiri 1°. ut *per idoneos viros* provideat spirituali bono fidelium sibi commissorum, 2°. juxta *Tridentinum* in cit. c. 1. sess. 23. *De Ref.* requiritur, ut una ex supra expositis absentiæ causis a Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente a Suffraganeo antiquiori residente, in scriptis *probetur,* nisi absentia contingat ob aliquod munus, et reipublicæ officium *Episcopatui* adnexum. Dixi *juxta Tridentinum,*

nam res immutata est ab *Urbano VIII.* in Const. *Sancta Synodus* citata, cui consonat Const. *Benedicti XIV.* »*Ad universæ*« diei 3. Sept. an. 1746. Ex hisce Constitutionibus habemus omnes Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos vetari quominus a propria Diœcesi discedant, nisi obtenta prius *Romani Pontificis* licentia per Breve seu per literas missivas. Ut vero Sancta Sedes in hisce licentiis concedendis prævio maturo examine procederet, Urbanus VIII. specialem Congregationem Cardinalium instituit, de qua loquimur in tit. *De officio Judicis ordin.* (I. 31) in Lib. I. nn. 143.—146.

Verum ipse Pontifex Urbanus VIII. excipit a sua lege casum 'personalis interessentiæ (Episcoporum) Synodis provincialibus vel congregationibus seu assembleis generalibus, in quibus ecclesiastici intervenire solent, vel ratione muneris aut reipublicæ officii episcopatibus, vel ecclesiis minoribus adjuncti, cujus ratione ad *certum* tempus occupari solent'.

21. Ex quibus tum Concilii Tridentini, tum Urbani VIII. verbis descendit, rigore juris non posse Episcopum qui ex voluntate principis laici vel ex voluntate populi electus sit ad officium Senatoris vel Deputati abesse a sua residentia absque licentia Romani Pontificis. Nam hoc officium non est Episcopatui adnexum, sed potius *personæ* quæ ob sua merita ad illud officium assumitur ex Principis beneplacito vel ex populi suffragio. Quare cum hic casus non sit præ oculis habitus sive a Tridentino, sive ab Urbano VIII.; hinc Doctores concludunt, *tutius* esse, licentiam petere a Romano Pontifice. Conf. *Lucidi: De Visit. Sacror. Liminum.* Vol. I. part. I. pag. 120. et 121. in exceptione §. 11. Instructionis S. C. Concilii quæst. I. nn. 4. et 5.

22. At mihi videntur in hac re magni facienda esse, 1°. *honor et bonum* quod *Ecclesiæ* redundare potest ex istis electionibus Episcoporum ad officium Senatoris vel Deputati, si legitime fiant. 2°. *Consuetudo localis* a notabili tempore inducta et constanter observata. 3°. *Silentium* Romanorum Pontificum, qui hujusmodi Episcopos ad legem residentiæ non revocarunt. Ceterum indubium quidem est in exceptione Tridentini et Urbani VIII. comprehendi illos Episcopos, qui ad munus Senatoris in regno deputantur, vel ratione *sedis,* vel ratione *dignitatis* Cardinalatus qua a Romano Pontifice cohonestantur.

23. Quæritur secundo, an etiam absque ulla ex prædictis quatuor causis possit Episcopus abesse a sua Diœcesi? In sæpe cit.

c. 1. sess. 23. *de Reform.* conceditur Episcopo, ut rationabili motivo, et absque gregis detrimento singulis annis per bimestre, aut ad summum per *trimestre* sive continuum sive interruptum possit a Diœcesi abesse. Porro rationabile motivum potest esse ipsa causa recreandi animum qui toto anni tempore curis et negotiis pastoralibus distentus, quiete precaria indigere præsumitur, ut vires reficiantur ad labores majori cum solertia inde suscipiendos. Admonet vero et hortatur sancta Synodus, ne hoc spatio bimestrali vel trimestrali comprehendatur *tempus Adventus et Quadragesimæ*, vel dies *Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes* et *Corporis Christi,* quibus refici maxime et in Domino gaudere pastoris præsentia oves debent, nisi episcopalia munia Diœceseos Episcopum alio vocent; simulque onerat conscientiam Episcopi, ut provideat, ne ex ejus absentia christiana plebs ullum detrimentum patiatur.

24. Porro cum hæc facultas absentiæ bimestralis vel trimestralis a jure ipso concedatur, quisque videt, hanc absentiam non requirere licentiam alicujus superioris.

25. Circa hanc absentiam vero adnotandum est, non posse Episcopum spatium absentiæ unius anni *conjungere* cum absentia alterius anni, ex. gr. non potest Episcopus per quatuor aut sex continuos menses abesse, computando menses conciliares anni qui exspirat, et menses alterius anni qui incipit. Quemadmodum resolvisse S. C. Concilii *Fagnanus* refert *Comm.* in cap. 9. h. t. nn. 40 et seqq. Rationes hujus decisionis præcipue videntur esse, 1°. quia semestrali aut quadrimestrali tempore facile comprehendi possent tempus Adventus et dies Nativitatis Domini, 2°. quia ex mente Tridentini absentia Episcopi debet esse talis ut dici possit *aliquantisper abesse ut statim sit reversurus.* Quod certe asseri nequit de semestrali tempore continuo, quod semestrale tempus ab eodem Concilio in c. 1. sess. 6. *de Ref.* non breve reputatur, imo pœna amissionis quartæ partis fructuum unius anni mulctatur.

26. Præterea prohibitum est Episcopis, ne bimestrale vel trimestrale tempus absentiæ conjungant sive cum eo tempore, quo ipsis permittitur post earum promotionem in urbe Roma commorari, prout infra videbimus, sive cum eo tempore quod eisdem conceditur ad peragendam visitationem Sacrorum liminum, sive etiam cum eo anni tempore, quo propter aëris insalubritatem alicui Episcopo permittitur a Diœcesi abesse. Tandem declaratum est, spatium bimestris vel trimestris absentiæ intra *cujusque anni ter-*

minos coërceri. Unde Episcopus qui uno anno usus non est indulto conciliari absentiæ, non potest insequenti anno ultra tres menses a Diœcesi abesse. Conf. Const. cit. *Benedicti XIV. 'Ad universæ'* n. 6.

De pœnis contra Episcopos non residentes.

27. Jure *decretalium* Episcopus sine legitima causa et propria temeritate recedens et notabiliter absens ab Ecclesia, si admonitus non rediisset, poterat Episcopatu *spoliari* c. 9. h. t. — Verum jus novum in hac materia inductum est a Concilio *Tridentino* in duobus citatis locis. In c. 1. sess. 6. renovat pœnas veterum canonum contra Episcopos absentes a Diœcesi, et deinde hæc statuit: »Si Episcopus, justis ac rationabilibus causis cessantibus, extra suam Diœcesim morando abfuerit sex mensibus continuis ipso jure incurrit pœnam amissionis quartæ partis fructuum unius anni, applicandæ per superiorem ecclesiasticum fabricæ Ecclesiæ vel pauperibus loci. — Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittit. — Crescente vero contumacia Metropolitanus Suffraganeos Episcopos absentes, absentem vero Metropolitanum antiquior suffraganeus Episcopus residens sub pœna interdicti ingressus in Ecclesiam eo ipso incurrenda, intra tres menses per literas seu nuncium Romano Pontifici denunciare tenetur; qui Romanus Pontifex in ipsos absentes pro quantitate contumaciæ animadvertet, ipsasque Ecclesias de utilioribus pastoribus etiam providebit«. — Et quidem tota hæc Concilii Tridentini dispositio seu sanctio omnes complectitur, Patriarchas, Primates, Metropolitanos et Episcopos quacumque dignitate, gradu et præeminentia fulgeant, nec non eos qui ecclesiam vel patriarchalem vel primatialem vel metropoliticam vel cathedralem regunt, quocumque titulo, causa vel nomine, sive jure commissam. Unde Sanctio Concilii etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinales* comprehendit, qui aliquam Diœcesim regunt, prout expresse traditur in sess. 23. c. 1., nec non eos qui aliquam Diœcesim sibi concreditam gubernant titulo *commendæ* vel *administrationis.*

28. At cognitum est, decretum hujusmodi fuisse ab aliquibus saltem ex parte perperam intellectum et applicatum. Ex eo enim inferebant, posse Episcopum impune abesse a sua Ecclesia vel Diœcesi per quinque integros menses. Concilium enim pœnam sta-

tuerat contra absentes ad *sex* menses. Ad hanc corrigendam interpretationem conflatum est decretum in c. 1. sess. 23. *de Ref.* in quo definitur legitima absentia Episcopi spatio annui bimestris, vel ad summum trimestris, quo transacto, præter peccatum lethale quod Episcopi absentes patrant contra eos renovantur pœnæ statutæ in cit. c. 1. sess. 6., et insuper infligitur pœna *amissionis* fructuum *pro rata* temporis absentiæ. Hæc vero amissio procedit *ipso jure,* nec exspectari debet ab Episcopo absente aliqua sententia declaratoria superioris. Hinc Episcopus tenetur in conscientia quotam fructuum temporis absentiæ fabricæ Ecclesiæ aut pauperibus loci erogare. Quod nisi ipse Episcopus præstiterit, superior hanc perficit erogationem et quidem integram. Nam Concilium quamlibet compositionem seu condonationem fructuum etiam partialem interdicit.

29. At dubium exoritur circa modum computandi quantitatem amissionis fructuum. Nam ex dispositione c. 1. sess. 6. Episcopus absens per annum, amittit solum *medietatem* fructuum unius anni; ex dispositione autem c. 1. sess. 23. amittit *omnes* fructus *pro rata* temporis absentiæ. Quomodo ergo Concilium asserit in c. 1. sess. 23. se renovare pœnas c. 1. sess. 6. *de Ref.?*

Aliis omissis responsionibus, conformior menti Tridentinorum Patrum videtur esse responsio *Lessii* lib. 2. *De Just. et Jure* c. 34. dub. 29. n. 157. Concilium videlicet in c. 1. sess. 23. nedum renovavit pœnam statutam contra Episcopos absentes in c. 1. sess. 6. relate ad applicationem fructuum, et relate ad denunciationem eorumdem Romano Pontifici faciendam, auxit vero et aggravavit pœnam quoad quantitatem amissionis ipsorum fructuum. Dum enim ex c. 1. sess. 6. post sex menses illegitimæ absentiæ Episcopus amittere debuisset quartam partem fructuum unius anni, voluit Concilium in c. 1. sess. 23. ut amittat omnes fructus respondentes tempori ejusdem illegitimæ absentiæ, et in hypothesi sex mensium post expletos tres menses designatos voluit ut amittat Episcopus fructus respondentes sex hisce integris mensibus illegitimæ absentiæ.

30. Quæritur utrum sufficiat residentia Episcopi *in aliquo loco Diœceseos* ad evitandas pœnas a Tridentino latas, an necessaria sit residentia in *Cathedrali* Ecclesia.

Consonum est intentioni juris ut Episcopus in sua Cathedrali Ecclesia ordinarie resideat; ea enim ceu sponsa Episcopi censetur. Hinc in c. 21. C. 7. q. 1. ex Conc. *Carthag. V.* c. 5. dicitur *'Placuit ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam*

Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre'. Idemque patet ex c. 4. *De Consecr.* D. 3. Attamen si intra Diœcesim resideat longe etiam ab Ecclesia Cathedrali, non incidit in pœnas tridentinas. Nam Concilium in sess. 23. c. 1. paulo post initium loquitur de obligatione Episcoporum in *Ecclesia vel in Diœcesi.* Unde Concilium ad incurrendas pœnas a se statutas utrumque copulative saltem implicite requirit, ut nempe Episcopus absit ab Ecclesia et a Diœcesi. Quando autem duo copulantur præsertim in pœnalibus, ut applicetur dispositio, utrumque debet verificari l. »Inter omnes« 46. §. »Recte« *ff. De furtis.*

31. Imo dicendum est, Episcopum legi residentiæ satisfacere, si commoretur in qualibet parte suæ Diœceseos, dummodo tempore a Tridentino sess. 23. c. 1. præscripto pergat ad Cathedralem. Ita resolvit S. C. Concilii die 17. Decemb. 1649. Hæc resolutio suum habet fundamentum etiam in cap. 1. sess. 6. *De Ref.* ubi Tridentinum loquens de Episcopo in materia residentiæ delinquente, scribit: *'extra suam Diœcesim commorando'*.

Quid vero dicendum de temporibus Adventus et Quadragesimæ, et de diebus Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ, nec non Pentecostes et Corporis Christi? Porro ex mente Tridentini Episcopus hisce diebus et temporibus residere debet in civitate episcopali, seu in Ecclesia cathedrali, ut officia pastoralia ibi persolvat, nisi episcopalia munia in sua Diœcesi eum alio vocent. At etiam dicendum esse videtur Episcopum absentem non incidere in pœnas non residentibus a Concilio inflictas. Tridentinum enim solummodo admonet et in Domino hortatur Episcopos ut hisce diebus et temporibus a Cathedrali Ecclesia non absint. Conf. *Lucidi: De visitatione ss. Lim.* pag. 122. n. 9. et *Fagnanum Comm.* in c. 9. h. t. n. 39.

32. Quæri insuper potest, utrum Episcopus, qui duabus Diœcesibus æque principaliter unitis præest, legi Tridentinæ satisfaciat, si in una tantum resideat. Hac in re binas resolutiones habemus S. C. Concilii; primam diei 18. Junii 1624 in qua dictum fuisse deprehendimus, Episcopum civitatis *Castellanæ et Hortanæ* residentem in aliquo loco alterutrius Diœceseos legi Tridentinæ satisfacere dummodo temporibus a Tridentino designatis resideat in aliqua ex duabus cathedralibus Ecclesiis. Secundam resolutionem habemus in causa *Viterbiensi et Tuscanensi* diei 11. Jan. ann. 1783 ad 4^{m}. dub. in quo proposita quæstione, *an Episcopus teneatur residere*

in civit. Tuscanensi per aliquod temporis spatium singulis annis in casu? Responsum est: *arbitrio et prudentia Episcopi et ad mentem. Mens est ut scribatur Episcopo, decere ut interdum aliquas functiones Pontificales peragat in eccl. Tuscanen.* Ex quibus resolutionibus patet, proprie dictam legem non adesse, qua obligetur Episcopus duarum Diœcesium æque principaliter unitarum in utraque alternatim residere, maxime autem conveniens esse, ut si in una Diœcesi ordinarie resideat, etiam in altera aliquo tempore in anno commoretur, et in cathedrali Ecclesia aliquas sacras functiones perficiat. Quemadmodum in eadem causa resolvit S. Congr. ad 3m. dubium.

33. Verum aliter sentiendum esset, si ex Pontificia Bulla unionis Ecclesiarum Cathedralium, aut ex constitutionibus earundem approbatis ab auctoritate suprema in Ecclesia resultaret, *definita* esse tempora residentiæ alternativæ in utraque Cathedrali vel Diœcesi. Hac enim in hypothesi, servanda esset ab Episcopo hæc specialis residendi lex. Hæc dicta sint juxta legem Tridentinam.

34. Adjicienda autem sunt, quæ ex posterioribus Constitutionibus Romanorum Pontificum huic legi accesserunt. Accessit 1°. Constit. »*In suprema*« *Pii IV.* edita die 23. Nov. 1564. In hac Const. contra Episcopos non residentes juxta legem Tridentinam, ultra pœnas in ipso Concilio statutas, etiam decernitur ceu pœna ferendæ sententiæ, *privatio* a regimine et administratione suarum Ecclesiarum; nec non privatio facultatis testandi, et eorum bona Cameræ spoliorum addicuntur.

35. Accessit consistoriale decretum *Clementis VIII.* relatum ab *Urbano VIII.* in Const. *Sancta Synodus* in quo constituitur pœna inhabilitatis ad majores dignitates Ecclesiæ obtinendas.

36. Lata insuper est cit. Const. *Sancta Synodus* ab *Urbano VIII.* quæ prodiit die 12. Decembr. 1634. In hac Const. Urbanus statuit, non licere Episcopis ac majoribus Prælatis etiam Cardinalibus, a suis sedibus discedere absque licentia R. Pontificis per Breve, aut per literas missivas obtenta 1°. sub pœna *interdicti ab ingressu in Ecclesiam* ipso facto incurrenda; et 2°. sub pœna *amissionis fructuum pro rata* temporis et facultatis *testandi.* Præterea Urbanus iisdem pœnis latæ sententiæ mulctat Episcopos qui commorantes in Curia Pontificis intra unum mensem a die promotionis, intra duos menses, morantes in Italia, et inter quatuor menses morantes extra Italiam iter non aggrediuntur ut ad residentiam sese conferant. Animadvertimus vero *interdictum* latæ sententiæ, de quo

in Const. *Sancta Synodus* Urbani VIII., a *Pio IX.* renovatum non fuisse in Const. *Apostolicæ Sedis*, adeoque *non valere amplius*. Insuper 3°. Urbanus Cardinalibus Episcopis ad urbem accedentibus, Pontificem eligendi causa, concedit bimestrale spatium commorationis in urbe post coronationem Pontificis. Hoc vero trimestri elapso, subjicit eosdem omnibus supradictis pœnis, nisi ad propriam Diœcesim redeant.

37. Porro *Bened. XIII.* in Concilio *Romano* tit. 17. c. 2. concessit *Cardinali in Urbe Vicario* facultatem prorogandi, causa cognita, ad alios 40 dies, mensem indultum ab Urbano VIII. Episcopis in Curia promotis. Hoc tempus computatur a die promotionis in Consistorio Papæ. Quo elapso Episcopi sese conferre debent ad propriam Diœcesim.

38. Tandem huc referenda est Constit. *Bened. XIV. Ad Universæ* diei 3. Sept. 1746. Renovat in ea Summus Pontifex et confirmat leges et constitutiones circa Episcoporum residentiam latas a suis prædecessoribus, et pœnis statutis in iisdem constitutionibus novas pœnas adjungit, scilicet 1°. privationem ipso facto incurrendam omnium indultorum et privilegiorum, quæ Episcopi forsan tamquam assistentes Pontificio Solio fuerant assecuti, et 2°. amissionem juris conferendi beneficia ecclesiastica in mensibus episcopalibus juxta regulam IX. Cancellariæ Apostolicæ.

39. Quædam coronidis loco dicenda sunt *de S. R. Ecclesiæ Cardinalibus.* Cardinales S. R. E. in ordine ad residentiam in 4 classes sunt dividendi: scilicet Cardinales vel nulli præsunt episcopatui, vel episcopatum regunt suburbicarium, vel Episcopi sunt alicujus Diœcesis non suburbicariæ, vel tandem possunt habere duas sedes, quarum una sit ex sex suburbicariis, alia vero non.

Sit sermo I. de Cardinalibus, qui *nulli præsunt episcopatui.* Uti constat ex historia ecclesiastica, Cardinales instituti sunt, ut in Urbe Roma Summo Pontifici operam suam exhiberent. Hinc exceptis Cardinalibus Episcopis suburbicariis, reliqui omnes Cardinales sive ordinis presbyteralis, sive ordinis diaconalis habuerunt, et adhuc habent Romæ suos titulos, idest Ecclesias, quibus præsunt. Quare Cardinalium ordinaria residentia, inspecta origine hujus dignitatis, Romæ figenda est. Ad rem facit c. 2. h. t. ubi explicite exhibetur obligatio Cardinalium residendi in *Ecclesia proprii tituli.*

40. At Cardinales facti sunt etiam Consiliarii* Romani Pontificis. Unde dicti sunt collaterales ejusdem, assessores, coadjutores; et eorum Collegium constituit senatum illius. Conf. *Benedictum XIV. De Syn.* lib. 13. c. 1. n. 7. Quare Cardinales consilio suo Summum Pontificem in regimine Ecclesiæ universalis coadjuvant cap. »Fundamenta« 17. *De Elect.* (I. 6) in 6°. Ex hac intima relatione Cardinalium cum Summo Pontifice factum est, ut antiqua lex residentiæ Cardinalium in suis titulis in urbe immutaretur in aliam, nempe in legem residentiæ in loco ubi *commoratur* Curia Romani Pontificis. Ita Doctores cit. a *Gonzalez* in *com.* ad cap. 2. h. t. n. 6, et regula hæc deducitur etiam ex Constit. *Leonis X.* quæ incipit *'Sub pœna'*, edita in Concilio *Lateranensi V.* ubi legitur *'Cum Cardinalis officium versetur in frequenti Rom. Pontificis assistentia et sedis Apostolicæ negotiis: propterea statuimus, ut omnes Cardinales in Romana Curia resideant.'* Ita etiam statuitur in decreto consistoriali *Pauli III.* cit. a *Fagnano com.* ad caput 2. h. t. n. 21. Quare Cardinales absque licentia Romani Pontificis non possunt a Curia illius recedere. Ita in cit. Const. Leonis X.

41. Quid vero dicendum si Cardinalis quidam hanc legem residentiæ non observet; id est illegitime absit a Curia Romani Pontificis.

Respondemus ex dispositione cap. 2. h. t. Si Cardinalis illegitime absens, post canonicam monitionem ad residentiam non redeat, Cardinalitia dignitate a Romano Pontifice *privari* potest. Dixi post *monitionem.* Nam scimus Anastasium tituli S. Marcelli, de quo agitur in cap. cit. fuisse a *Leone IV.* pluries revocatum, idest monitum ut rediret, prout constat ex actis Synodis relatis a Baronio ad annum 853. Quod etiam satis confirmatur ex ipso tenore capitis. Dicitur enim Anastasius *canonice depositus*, idest servata forma procedendi sacrorum canonum contra contumaces. Non requiritur vero quinquennium absentiæ. Nam hoc tempus quinquennii in cit. capite 2. solummodo historice refertur; quia nempe Anastasius per hoc tempus abfuerat.

Non desunt auctores, inter quos Gonzalez loco cit., qui tenent Anastasium fuisse depositum eo quia reliquerat parochiam suam et fidelibus sacramenta non administraverat. Posita hac interpretatione, Cardinales, qui in hodierna disciplina curam animarum in suis titulis haudquaquam exercent, si illegitime absint, deponi non

possent ex dispositione c. 2. h. t. idest contra istos Cardinales caput hoc secundum invocari nequiret.

At dico, dispositionem hujusmodi adhuc valere, licet mutata sit disciplina in ordine ad titulos Cardinalium. Sane utique in capite 2. allegata est uti causa desertio parœciæ. At Anastasius depositus non est simpliciter uti Parochus, sed præcipue quia Cardinalis. Et revera ad deponendum Anastasium Summus Pontifex Synodum convocavit 67 Episcoporum, et juxta regulam practicam illius temporis exquisivit judicium Imperatorum Lotharii et Ludovici, qui quatuor Episcopos legatos ad synodum miserunt. Jam vero hæ solemnitates nullo modo necessariæ fuissent ad privationem parœciæ decernendam. Igitur ipsa dignitas Cardinalatus directe considerata fuit, et ab eo Pontifex deposuit Anastasium illegitime absentem. Quoties ergo aliquis Cardinalis legem residentiæ non observat, idest illegitime absit, potest contra ipsum invocari sanctio cap. 2. h. t.

42. Sed regula omni dubitatione major constituta est ab *Innocentio X.* in Bulla *Cum juxta* diei 19. Febr. 1646. Videlicet Cardinales qui, non obtenta Papæ licentia, se transferant extra Statum Ecclesiasticum, primo privantur privilegiis et indultis, et facultate testandi, et interdicuntur ab ingressu in Ecclesiam, ultra alias pœnas arbitrio Papæ infligendas. — Si non redierint infra 6 menses a die recessus a Curia, privantur fructibus beneficiorum, pensionum etc. — Si non redierint infra alios 6 menses privantur omnibus beneficiis et officiis. — Postquam annus integer talis illegitimæ absentiæ transierit, conceduntur alii 3 menses, in quibus monitiones canonicæ fieri debent, quibus finitis, idest post 15 menses absentiæ, deveniri potest ad alias pœnas usque ad *privationem dignitatis Cardinalatus* inclusive.

43. Absolutio ab inflictis pœnis ipsi Romano Pontifici reservatur, privative ad Cardinales etiam sede vacante. Tandem declarat Pontifex a prædictis pœnis Cardinales absentes non excusari prætextu servitii aut jussionis Imperatorum vel Regum.

44. II°. agendum est *de sex Cardinalibus Episcopis suburbicariis.* Ab antiquis temporibus septem Diœceses propinquiores Romæ appellatæ sunt suburbicariæ. Scilicet Ostiensis, Portuensis, Sabinensis, Albanensis, Prænestina, Tusculana, et SS. Rufinæ et Secundæ, seu Sylvæ Candidæ. *Callistus II.* suppressit hanc ultimam sedem, ejusque cathedram Portuensi episcopatui perpetuo

univit. Hinc sex Diœceses suburbicariæ remanserunt. Episcopi harum Diœcesium dicebantur Collaterales Romani Pontificis, eidem per hebdomadam in Lateranensi Basilica sacra peragenti assistentiam præbebant, necnon cessantibus frequentibus Synodis, quæ Romæ præsertim ex Episcopis Italiæ celebrantur, in harum Synodorum locum successere Episcopi Suburbicarii, qui consilio suo et opera Romanum Pontificem adjuvabant in expediendis gravioribus Ecclesiæ universalis negotiis. Conf. *Benedictum XIV.: De Synod.* lib. 7. cap. 1. n. 7°.

45. Quare antiquissima consuetudine inductum est, ut sex Cardinales Episcopi suburbicarii *Romæ* residerent, et eximerentur ab onere personaliter residendi in propria Diœcesi. Post vero legem tridentinam de residentia Episcoporum et Constitutiones apostolicas, ne dubium hac in re moveretur, *Urbanus VIII.* facta declaratione die 28. Nov. 1633 prædictam confirmavit consuetudinem. Cui declarationi adhæsit etiam *Clemens XII.* in Const. *Pastorale Officium* §. 9.

46. At Cardinales Episcopi suburbicarii 1° non eximuntur ab onere visitandi propriam Diœcesim juxta præscriptionem Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini. Hoc sane onus confirmavit *Alexander VII.* in consistoriali decreto. Quam visitationem, si legitime fuerint impediti, complere tenentur per Vicarium in spiritualibus, aut alium idoneum virum; ex cit. §. 9. Const. *Pastorale officium Clem. XII.*

47. 2°. Tenentur onere visitationis liminum apostolorum, et relationis status suarum Ecclesiarum perficiendæ juxta Const. *Sixti V.* quæ incipit *Romanus Pontifex;* quemadmodum declaravit *Clem. XII.* in cit. Const. *Pastorale officium.*

48. Porro III°. si Cardinalis Episcopus Diœcesi *non suburbicariæ* præsit, tenetur legibus *communibus* residentiæ, pœnisque subjicitur, sive a Concilio Tridentino sive a Romanis Pontificibus latis contra Episcopos non residentes in Ecclesia vel Diœcesi. Quemadmodum declarasse *Greg. XIII.* refert *Urbanus VIII.* in cit. Const. *Sancta Synodus.*

49. Quod si IV°. Cardinalis Episcopus *suburbicarius* ex dispensatione Pontificis *aliam Diœcesim* retineat, residere debet in hac altera Diœcesi, non vero in suburbicaria. Ita declaravit *Urbanus VIII.* in decreto speciali edito die 28. Nov. 1633.

De onere residendi Parochorum et aliorum beneficium habentium cui adnexa est cura animarum.

50. De parochis habemus dispositionem tridentinam in c. 1. sess. 23. §. »Eadem omnino« etc. ubi *curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent,* residentiæ legem Patres intimant. Ex mente autem Concilii possunt parochi abesse a propria parœcia si justa et legitima causa verificetur. At duo insuper requiruntur: 1° ut causa absentiæ sit *cognita* et *approbata* per Episcopum, qui licentiam recedendi a parœcia in *scriptis* et *gratis* impertiat. 2° ut constituatur interim idoneus *vicarius* ab Episcopo approbandus, cui parochus debitam mercedem tribuat. Circa licentiam vero Episcopi plura sunt animadvertenda: 1° Eam concedere non potest Episcopus ultra *bimestre,* nisi ex gravi causa. 2°. Non sufficit *postulare* licentiam ab Episcopo, sed *obtineri* etiam antea debet ut licite parochus a parœcia discedat. Nam ubi licentia superioris exquirenda est, videtur eidem superiori reservata cognitio rationabilitatis causæ; videtur enim canonicum jus voluisse providere, ne quis incaute agat. 3°. Non sufficit juramentum parochi, quo generice asserat, se gravi ex causa exposcere facultatem recedendi precario. Nam Episcopus exigere potest ut causa vel causæ absentiæ sibi manifestentur.

51. Verum datur exceptio: Facultas exspectanda non est, imo nec onus inest expetendi licentiam abeundi, quoties occurrat causa gravis, et *periculum sit in mora*, ita ut tempus non suppetat ad expostulandam eamdem licentiam. Idoneum vero vicarium relinquere debet parochus et interim citius quo fieri possit, Episcopum admoneat oportet de sua absentia ut hic cognoscere valeat de causæ veracitate et pondere, concedatque debitam absentiæ licentiam, nisi Parochus sit brevi recessurus ad suam residentiam. S. C. Conc. die 7. Octob. 1604.

52. Quæri potest, an pro absentia quæ sit *bimestrali spatio brevior* requiratur licentia Episcopi.

Ex resolutione S. C. Concilii cit. diei 7. Oct. 1604 quæ legitur in libr. 10. *Decretor.* pag. 100. deprehendimus, parochum absque licentia Episcopi non posse a sua parœcia per *integram hebdomadam* abesse. Igitur parochus poterit abesse a parœcia etiam absque Episcopi licentia diebus paucioribus quam septem, et non ultra

dummodo tamen relinquat idoneum virum loco sui in parœcia. Conferri potest *Fagnanus Com.* in c. 4. h. t. n. 32.

53. Animadvertimus autem posse Episcopum parochis suis facta *diœcesana lege,* interdicere ne absque sua licentia etiam ad pauciores dies recedant. Caveant vero Episcopi ab infligendis severissimis pœnis contra absentiam paucis diebus conclusam. Hinc a S. Congr. reprobata est dispositio Episcopi infligentis excommunicationem latæ sententiæ contra parochos ultra biduum absentes absque sui licentia. Conferatur *Barbosa de Off. Parochi* c. 8. n. 45.

54. Porro ubi vim habet Concilium Romanum, seu Concilium Romanæ Provinciæ celebratum a *Bened. XIII.* an. 1725, coarctata est ad *biduum* absentia parochorum. In cap. enim 6. tituli 17. hujus Concilii pro absentia eorumdem ultra biduum edicitur necessaria licentia Episcopi vel Vicarii generalis in scriptis et gratis danda.

Præteriri hic non debet Encyclica *Clementis XI.,* d. 1. Febr. 1710, »Inter gravissimas«, missa ad Episcopos Italiæ et Insularum Adjacentium, in qua legitur: »Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno exercitiis hujusmodi vacantes a residentia benigne absolvit.« Unde sequitur: Non requiritur licentia Episcopi, quando parochi Italiæ et Insularum Adjacentium semel tantum in anno facientes per 10 dies annua *exercitia spiritualia* in domibus Religiosorum Societatis Jesu seu Presbyterorum Congr. Missionis, si adsint; sin minus in alia pia seu regulari domo ab ipsis Ordinariis ad id designanda et approbanda, ubi diu noctuque permanserint, non observant legem residentiæ. Hæc omnia requisita adesse debent, ut ex causa *exercitiorum* a lege residentiæ absque dicta licentia Episcopi liberentur.

De pœnis contra parochos illegitime absentes.

55. Ex cit. c. 1. sess. 23. *de Ref.* adversus Parochum vel alium Clericum possidentem beneficium, cui adnexa sit cura animarum, si illegitime absint, 1°. præter peccatum lethale quod admittunt, statuta est pœna *privationis fructuum pro rata* temporis absentiæ ita, ut etiam declaratione aliqua non secuta, non possint tuta conscientia sibi eosdem fructus retinere. Hoc enim ipsum statuit Concilium Tridentinum pro Episcopis, quibus æquiparavit Parochos, aliosque habentes beneficium ecclesiasticum, cui adnexa est cura animarum.

56. 2°. Si Parochi et alii Clerici habentes benef. curata, persistant in absentia, nec citati redierint, poterunt ab Episcopo compelli ad residentiam *censuris ecclesiasticis, sequestratione, ac subtractione fructuum,* atque aliis juris remediis, usque ad ipsam pœnam *privationis* beneficii. — Exsecutio harum pœnarum impediri nequit ratione cujuscumque tituli familiaritatis, exemptionis, vel inhibitionis in Romana Curia, vel rigore Constitutionis Eugenianæ, idest Constit. *Eugenii IV.* relatæ in Extr. 3. Inter Comm. in tit. *De Privilegiis* (V. 7). Juxta hanc Eugenianam Const. locorum Ordinarii, commissarii, delegati etc. non possunt contra officiales Curiæ Romanæ, et contra alios quoscumque fideles Romam pro suis causis vel negotiis venientes vel moram habentes Romæ, durante prosecutione causæ, vel ab Urbe recedentes, procedere aut promulgare censuras, aut pœnam privationis officiorum et beneficiorum, vel aliam sententiam. Ratio expeditæ exsecutionis a Tridentino propositæ in compellendis et in exspoliandis etiam suo Beneficio Parochis non residentibus, in speciali conditione et officio eorumdem collocanda est; ubi enim Parochus non residet, censetur periculum esse in mora, eo quod absente Parocho fideles necessariis spiritualibus subsidiis facile carere possunt.

57. **De modo quo proceditur.** Quæri potest, utrum antequam ad privationem beneficii deveniatur, necesse sit præmittere censuras, et alia remedia juris ad frangendam contumaciam; idest utrum servandus sit ordo pœnarum designatus in Tridentino? Adsunt qui docent servandum esse præfatum ordinem pœnarum. At contraria sententia verior videtur, nam Tridentinum *liberum esse* vult Ordinariis experiri censuras et alia remedia.

Verum Tridentinum ait citandos esse Parochos absentes. Hac in re animadvertendum est, in Decretalibus *Gregorii IX.* adesse c. 11. h. t. in quo statuitur, clericum absentem citandum esse personaliter; quod si fraudulenter absit, nec possit citatio ad eum pervenire, publicandum esse edictum citationis trinæ ad valvas Ecclesiæ suæ; quod si clericus citatus non paruerit, et sex menses elabuntur, privari posse beneficio suo. Porro hæc dispositio antiqui juris aliquantisper per *Tridentinum* Concilium immutata est relate ad Parochos. Nam ex dispositione c. 11. h. t. si cognoscatur locus ubi Parochus residet, debet citari *personaliter,* at Tridentinum quoad Parochos absentes abstulit onus citationis personalis; suf-

ficit enim juxta Concilium citatio *per edictum.* Ajunt enim Patres Tridentini sess. 23. c. 1. *De Ref. Quod si per edictum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint* etc. Cum vero præter hanc modificationem nihil aliud immutaverit Tridentinum circa modum procedendi in pœna privationis beneficii infligenda Parocho non residenti; servanda est in reliquis ratio procedendi c. 11. h. t. Tridentinum enim si penitus voluisset juri antiquo derogare, id significasset; e contra vero expresse solummodo quædam decernit. Igitur in reliquis antiqui juris regula præscripta adhuc vigere dicenda est. Et revera hac in re duas resolutiones habemus S. C. Concilii, unam die 26. Apr. 1621 in causa *Gerundensi,* aliam in causa proposita die 8. Junii 1624. In utraque causa respondit S. Congregatio posse Episcopum procedere ad privationem Beneficii curati contra Parochum non residentem, præmissis tamen tribus monitionibus ad eum revocandum, et dummodo lapsi sint *sex menses* juxta Constit. *Innoc. III.* in c. 11. *De Cleric. non resid.* Porro sex menses incipiunt decurrere post *tertiam* admonitionem. Quare modus procedendi contra Parochos non residentes hic est, ut nempe Episcopus possit, si velit procedere per censuras, simul et sequestrationem aut subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, secus potest vel personaliter vel per edictum trinæ citationis clericum revocare, et nisi redierit intra sex menses ab ultima citatione, poterit contra eum ferre sententiam *privationis beneficii.*

De Residentia Canonicorum et aliorum Clericorum, qui Beneficium possident, quod nomine præbendæ venire potest.

58. Qui dignitatem, aut canonicatum, vel etiam beneficium obtinent in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis, ad residentiam obligantur. Conc. Trid. sess. 24. c. 12. *De Ref.* §. »Præterea«. Porro inter beneficia quædam adnumerantur, quæ etiam *vere et proprie simplicia* appellantur, quæque talia onera secumferunt, quæ vel per alium, vel etiam extra Ecclesiam in qua erecta sunt beneficia commode et utiliter compleri possunt. Sic ex. gr. si præcepta sit simpliciter Missæ celebratio in aliqua peculiari Capella, quin præscripta sit celebratio personalis perficienda ab ipso Clerico qui beneficium possidet. Sic etiam si præscripta sit particularis quædam adprecatio, vel horarum divinar. recitatio extra chorum perficienda. Hæc beneficia aut capellaniæ personalem residentiam

non requirunt. Quæ vero sint hæc beneficia mere simplicia, præsertim ex lege fundationis comperitur.

59. Porro lex residentiæ obligat Canonicos aliosque beneficium habentes, tum ut in loco beneficii commorentur, tum etiam ut choro, et divinis officiis deserviant per se et non per substitutos; quemadmodum satis edocet in cit. loco Tridentinum, in quo præcipit ut iidem Deum hymnis et canticis *reverenter, distincte et devote* laudent.

60. Nonnulli Doctores, inter quos *Reiffenstuel* h. t. n. 109. docuerunt contraria consuetudine induci posse, ut meditantibus Canonicis, vel preces, horasve submissa voce recitantibus, psalmorum et hymnorum cantus in toto vel in parte ab adsignatis cantoribus persolvatur; idque fieri posse putant auctores, præsertim ut psalmodia et decantatio solemniori ratione perficiatur. Verum *Benedictus XIV.* in *Inst. Eccl.* 107. §. 3. refert plures decisiones S. C. Concilii huic opinioni contrarias et in Const. *Cum semper* diei 19. Augusti 1744. §. 24. eandem opinionem uti falsam rejicit, et decernit, non posse eam sustineri et legitimam fieri ex inveterata consuetudine, vel statutis peculiaribus, sed solummodo posse retineri ex *privilegio seu indulto Pontificis* adhuc vigenti.

61. Residentia Canonicorum et aliorum beneficium possidentium debet esse *continua;* censentur enim mancipati servitio propriæ Ecclesiæ. Hinc præcipit *Alex. III.* in c. 4. h. t. illis conferenda esse benef. ecclesiastica, qui residere in loco beneficii, et per seipsos officia valeant exhibere. Verum hoc principium valet absolute loquendo, et inspecto conceptu beneficiorum juxta primitivam institutionem Beneficiorum.

62. Nam hodie residentia quoad canonicos dici solet *discontinua.* Dum enim quoad parochos continua residentia exigitur pro singulis nempe momentis et horis, quia emergentibus seu repentinis etiam populi necessitatibus consulere debent; e contra residentia canonicos obligat certis diebus et horis, ita nempe ut residere teneantur ad præstandum servitium in choro. Ita S. Congr. resolvit in *Ferrarien.* diei 4. Febr. 1843. Unde Canonicus potest etiam Capellaniam ruralem retinere, dummodo non impediatur assistentia in choro. Ita S. Congr. in *Tolentina* diei 26. Maji 1739 in dub. 12. Conf. *Lucidi: De Visit. S. Liminum,* edit. 3ª. tom. I. pag. 275—276.

63. Præterea ex jure Tridentino expresso in cit. cap. 12. sess. 24 *De Ref.* conceditur Canonicis et Beneficiatis Cathedralium et Collegiatarum facultas abscedendi quotannis a propria residentia *trimestrali* spatio. Ultra hoc tempus non admittitur absentia nec vigore statuti proprii, nec consuetudinis cujusvis. Insuper cum hæc dispositio sit potius prohibens quam positiva, idest cum lata fuerit ad compescendos potius abusus longioris absentiæ; hinc Tridentinum voluit, servandas esse peculiares constitutiones Ecclesiarum, quæ longius etiam servitium et residentiam requirunt. Scilicet jubet Concilium possessores Canonicatuum et Beneficiorum frui non posse hoc indulto trimestralis absentiæ, quoties a *legibus* proprii *Capituli,* vel absolute prohibentur abesse etiam ad trimestre, vel habent indultum absentiæ minori spatio temporis coarctatum. Hinc teste *Fagnano com.* in cap. 32. *de Præb. et Dign.* (III. 5) n. 58., proposito dubio, an Canonici qui majori servitio Ecclesiæ, quam novem mensium, sint adstricti, subjaceant eisdem pœnis, de quibus in c. 12. sess. 24. *De Ref.* S. Congr. respondet: *subjacere.* Sed magis explicitam resolutionem affert *Benedictus XIV.* in *Inst.* 107. §. 6. n. 31., editam a S. Congr. in causa *Mutinen.* an. 1573 per hæc verba: '*S. Congr. censuit, trium mensium absentiam non concedi Canonicis ex Decreto Concilii sess. 24. c. 12, si in Constitutionibus Ecclesiæ servitium totius anni absque ulla intermissione requiratur*' (Lib. 1. *Decretor.* pag. 168.) Confirmatur hæc regula in alia decisione S. Congregationis, idest in *Farfensi* diei 13. Nov. 1655. At ubi speciales Ecclesiæ et Capituli Constitutiones non requirunt majus seu longius servitium, possunt Canonici et Beneficiarii abesse trium mensium spatio.

64. Qua in re plura sunt animadvertenda; 1°. hanc absentiam trium mensium a jure concedi; hinc *licentia* nec a Superiore, nec ab ipso Capitulo, rigore juris communis inspecto expostulanda est; imo nec absentiæ *causa* specialis requiritur, sed sufficit causa recreandi animum; quemadmodum edocuisse S. C. Concilii refert *Fagnanus* loco cit. n. 52. 2°. Non omnes simul Canonici abesse possunt, sed semper numerus eorum *sufficiens* remanere debet, qui possit Ecclesiæ servitium exhibere. Hinc si abusus obrepere incipiant, ex dispositione cap. 16. h. t., potest Episcopus vigilare et prohibere, ne ex plurium Canonicorum absentia chori servitium et divinus cultus detrimentum patiantur. In hoc sensu affertur a *Fagnano* loco cit. resolutio S. Congregationis. Hinc Episcopus potest legem

ferre, ut nemo ex Canonicis et Beneficiatis residentiam relinquat, et spatio trium mensium conciliarium absit, nisi licentiam ab ipso prius assequatur. Ita resolvit S. Congr. in *Terracin.* 17. Febr. 1628.

65. Ceterum Episcopus non potest hanc facultatem absque rationabili causa *denegare;* quemadmodum infertur ex pluribus resolutionibus S. C. Concilii, inter quas citamus resolutionem in causa *Castrimaris* diei 4. Maji 1737. ad 2um dubium.

66. 3°. S. Congregatio in causa *Auximana* diei 12. Julii 1631. *(lib. Decret.* 14. pag. 467.) 'Censuit, Episcopum facere debere decretum, ut in Collegiatis Ecclesiis suæ Diœcesis, quæ vigore Concilii Trid. gaudent vacatione trium mensium, canonici abesse non possint *ultra tertiam partem uno eodemque tempore*, et hujusmodi vacationes contingere non debeant *tempore Quadragesimæ et Adventus, neque in amplioribus anni festivitatibus*'.

67. Non admittitur vacatio trium mensium in capitulis in quibus vigent *mediariæ* vel *tertiariæ*, idest servitium chori, quod præstatur a media vel a tertia parte Canonicorum alterius hebdomadis. Ita S. Congregatio in causa *Castrimaris* diei 30. Julii 1735, et in *Capuana* diei 3. Decembr. 1739.

68. Quæritur an Capitulares possint sese invicem substituere in chori servitio præstando. *Bened. XIV.* in *Inst. Eccl.* 107. §. 3. n. 17. innixus variis resolutionibus S. Congregationis Concilii sententiam *affirmativam* sequitur, sed sub aliquibus conditionibus; scilicet 1°. 'Ne substitutus ipse ad chorum venire teneatur illis diebus, quibus in locum alterius sufficitur. 2°. Ne id frequenter contingat. Hujus frequentiæ judex est Episcopus; S. C. Concilii in *Alatrin.* d. 24. Maji 1612. 3°. Ut subrogentur solum Canonici vel Mansionarii præsentes in civitate, non vero qui extra illam, vel extra suburbia versantur. 4°. Ne hanc facultatem alterum substituendi obtineant nisi Canonici vel Mansionarii, non autem ipsorum coadjutores, qui nec reipsa Canonici, neque Mansionarii nuncupari possunt.'

Pariter S. Congregatio tenuit, Canonicos honorarios substitui non posse veris Canonicis. Conf. *Inst.* 107. *Benedicti XIV.* §. 6. et *Lucidi* opere cit. tom. I. pag. 284.

69. Quæritur: *utrum et quæ sint in jure causæ, quæ privilegium absentiæ tribuant clericis ita, ut considerentur ceu præsentes et fructus faciant suos?*

Ut claritati consulatur, hic explicandum venit, quid sibi velit *fructus facere suos.* Fructus sive redditus canonicatuum et beneficiorum bifariam dividuntur; alii scilicet sunt fructus *annui* qui adsignantur propter annuam et ordinariam residentiam in loco beneficii, præstitumque servitium beneficio adnexum, alii autem dicuntur *distributiones quotidianæ* quæ rependuntur clerico propter singulas præsentias in choro et divinis officiis. Fructus annui appellantur fructus *præbendæ* vel absolute *præbenda;* distributiones vero appellantur *præsentiæ victualia, et beneficia manualia;* cap. un. h. t. in 6⁰. De hisce distributionibus quotidianis est aliquid addendum. — In materia *de distributionibus* conferatur *Benedictus XIV. Inst. Eccl.* 107. nn. 39. et sqq. et *Giraldi Expos. Jur. Pontif.* P. I. Comm. in c. 17. h. t. sect. 358. necnon *Fagnanus* comm. in c. 32. *De Præbendis* (III. 5).

70. Porro distributiones quotidianæ in aliquibus Cathedralibus Ecclesiis vel Collegiatis ex ipsa fundatione jam fuerant constitutæ, in locis vero ubi vel *nullæ* fuerint distributiones, vel *adeo tenues,* quæ a negligentibus clericis facile despicerentur, statuit Concilium in c. 3. Sess. 21. et in c. 3. Sess. 22. *De Reform.* ut in qualibet Cathedrali et Collegiata Ecclesia *tertia pars* fructuum et quorumcumque proventuum tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum et officiorum separari deberet et in distributiones quotidianas converti, ac inter illos, qui divino officio intersunt, dividi juxta proportionem designandam ab ipso Episcopo, qui hac in re procedere potest etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, ne ejus dispositio impediatur ex prætextu exemptionis vel capituli vel alicujus ex canonicis.

71. Porro indifferens est in praxi, utrum distributiones positivo modo constitutæ sint, scilicet ad instar *retributionis* cujusdam, quæ præsentibus rependatur, vel utrum absentes *punctaturis* seu *amissione* determinata quotæ pecuniæ mulctentur, dummodo complexus punctaturarum in anno quantitatem a Tridentino Concilio designatam attingat.

72. Præter has distributiones, quæ a jure determinantur, dantur plerumque etiam quædam distributiones, quæ pro aliqua functione *speciali* vel a fidelibus solvuntur, vel a piis testatoribus aut fundatoribus relictæ sunt. Porro distributiones istæ quæ pro anniversariis vel aliis servitiis institutæ sunt, aut tribuuntur, in duas

species dividi solent ita scilicet, ut aliæ quidem *simpliciter* pro anniversariis ipsis vel servitiis solvantur, aliæ autem a piis fundatoribus relictæ vel constitutæ sint, aut a fidelibus tradantur sub clausula, et conditione, ut tribuantur solummodo iis qui *actu et personaliter* præsentes sunt in divino servitio, seu in aliqua speciali functione; quæ postremæ distributiones vere et proprie *manuales* appellari possunt; quia quodammodo manibus præsentium traduntur post opus sacrum completum. Appellari etiam solent stricto sensu *distributiones inter præsentes.*

Porro has secundæ speciei distributiones nemo lucratur qui personaliter præsens non sit, nec legitima absentiæ causa jus easdem assequendi secumfert. Obstat enim expressa fundatoris vel dantis voluntas, quæ veram et personalem præsentiam exigit; quam voluntatem Ecclesia violari non sinit.

73. Præmissa nunc explicatione quid sint fructus *annui,* quid *distributiones quotidianæ,* devenimus iterum ad quæstionem in n. 60. propositam et quærimus:

A. Utrum et quæ sint in jure causæ quæ privilegium absentiæ tribuant clericis ita, ut considerentur ceu præsentes et fructus *annuos* faciant suos?

B. Utrum et quæ sint in jure causæ quæ privilegium absentiæ tribuant clericis ita, ut considerentur ceu præsentes et præter fructus annuos etiam *distributiones quotidianas* faciant suas?

R. *Sunt ejusmodi causæ eæque tres in utroque casu: impossibilitas, utilitas, privilegium.* Sed quia causa utilitatis præsertim non pari passu procedit in utroque casu, responsionem prius ad quæstionem A, deinde ad quæstionem B. damus et distincte explicabimus.

74. A. I[a]. causa est impossibilitas sive *physisa* sive *moralis;* ad quam reducitur *infirmitas seu justa et rationabilis corporis necessitas,* c. un. h. t. in 6⁰. — Sit 1⁰. de *infirmitate.* Infirmitas vero talis debet esse, quæ impediat celebrationem divinorum officiorum. Impedire autem dicitur infirmitas celebrationem hanc, sive cum, viribus debilitatis, Ecclesiam adire et choro assistere nequit clericus; sive quando ex accessu ad Ecclesiam et ex assistentia in choro adesset periculum vitæ, vel periculum aggravandi morbum. In dubio autem, judicis arbitrio qualitas infirmitatis determinatur. Hoc vero jus percipiendi fructus juxta auctores non conceditur illis clericis, qui dum bona fruerentur valetudine, non con-

sueverunt interesse choro. Hæc sententia doctorum fulcitur opportunis resolutionibus S. C. Concilii. Sane ita tenuit S. C. in causa *Mantuana* diei 6. Febr. 1627 (libr. *decret.* II. pag. 197). Idem tenuit in *Reatina* 5. Martii 1667 (lib. *Decr.* XXV. p. 345) et in multis aliis.

75. Causæ infirmitatis ex eod. c. un. h. t. in 6°. adjungenda est etiam 2°. *corporis necessitas.* Hæc corporis necessitas consistit in externo aliquo impedimento, quo clericus detineatur quominus in loco beneficii resideat et choro adsistat. Porro necessitas hæc optime æquiparatur infirmitati; absentia enim in casu procedit ex causa quæ induit naturam vis superioris et causæ necessariæ, cui resisti nequit. Hinc absens ex causa metus principis sæcularis vel viri potentis facit fructus suos. Ita tenuit S. Cong. in causis *Fundana* 3. Julii 1734, in *Carpensi* diei 17. Sept. 1616 et in *Caputaquen.* diei 18. Augusti 1723. Idem dictum est de canonicis absentibus ex causa deportationis in *Sublacen.* diei 14. Julii 1817. Sic etiam S. Congregatio Concilii permisit carceribus injuste detento etiam distributiones percipere, ita respondens diei 23. Sept. 1685: 'S. Congregatio sæpius censuit, *indebite* carceribus detento deberi distributiones quotidianas, non secus ac si ipse continuo Ecclesiæ inservisset' (L. 25. *Decret.* pag. 405).

76. II^a. causa est Ecclesiæ utilitas sive Ecclesiæ *propriæ* sive Ecclesiæ *universalis* juxta limites in jure statutos. Ad utilitatem Ecclesiæ propriæ inprimis pertinet 3°. causa *studiorum*; nam non solum personæ quæ studet, sed et totius Ecclesiæ, præsertim propriæ, plurimum interest labia canonici custodire scientiam. De hoc privilegio sermo est in cc. 4. et 12. h. t. et in c. 5. *De Magistris* (V. 5). Privilegium hujusmodi in eo consistit, ut *docentes* in facultate theologica dum in scholis docent, et *studentes* per quinque annos percipiant fructus beneficiorum suorum, licet non resideant in loco beneficii proprii. Quare licet absint, fictione juris doctores isti et studentes reputantur uti præsentes. Hoc privilegium renovavit Concilium Tridentinum in c. 1. sess. 5. *de Ref.* favore lectorum docentium *sacram Scripturam* et eam addiscentium.

Porro ex pluribus declarationibus S. Cong. Concilii ex. gr. in *Perusiana* 7. Maji 1707 prædictum indultum favet etiam Doctoribus et scholaribus juris præsertim canonici. Scholares vero ut hoc indulto frui possint, vacare debent in loco publice probato ex. gr. in Universitate, Academia vel Lyceo. Nullius enim roboris

indultum declaratur illorum qui ad villas vel castella se conferunt, in quibus nullum est, vel minus competens studiorum exercitium c. 12. h. t.

77. Verum hoc indultum est *subordinatum* decenti servitio Ecclesiarum et cultui divino præstando. Hinc in c. ult. *De Rescr.* (I. 3) in 6°. revocantur gratiæ et facultates concessæ etiam ratione studiorum, ut Clerici possint alibi commorantes percipere fructus beneficiorum. Revocatio hujusmodi facta est, quia ob absentiam horum Clericorum cultus divinus imminuitur, et officium propter quod beneficium ecclesiasticum datur, omittitur. Ex hoc Capite regula exsurgit, scilicet absentiæ facultatem a jure non amplius causa studiorum indulgeri, quoties in evidens cultus divini detrimentum vergat. Hinc praxis inducta est, ut indultum absentiæ ob hanc causam expostuletur a S. C. Concilii, quæ illud non elargitur nisi prius informetur ab Episcopo de rerum statu, an absentia clerici noceat nec ne chorali servitio; exemplum habes in causa *Fabrianen.* d. 31. Jan. 1891, ubi S. C. C. post votum ab Episcopo et Capitulo expetitum respondit: 'Pro gratia dispensationis ab residentia *ad triennium*'.

78. Qua in re animadvertimus, jure decretalium expresso in cap. 34. *De Elect.* (I. 6) in 6°. §. »Porro«, *Parochos* abesse potuisse a parœcia ob causam studiorum. At hæc facultas abolita esse dicenda est a Concilio *Tridentino* sess. 23. cap. 1 *de Ref.* Sane S. Congregatio censuit, 'nec etiam causa studiorum licere post Concilium Parochis abesse ab eorum curis, et quoad hoc revocata esse omnia privilegia tum a jure tum etiam specialiter concessa; ideo Episcopum posse contra absentes procedere juxta formam traditam a Concilio Tridentino sess. 23. c. 1.' Hoc responsum dedit S. C. Concilii die 1. Decembris 1594.

79. Utilitati *propriæ* Ecclesiæ consulunt ideoque fructus annuos percipiunt 4°. canonici vel beneficiati negotia propriæ Ecclesiæ gerentes, quoties ad Concilium mittantur a Capitulo, vel quoties alio se conferant ut vel beneficii sui, vel propriæ Ecclesiæ aut Capituli lites et jura prosequantur; cc. un. h. t. in 6°. et 13. h. t. Hoc in ultimo casu in libro punctaturarum adnotari solet: *absens pro Ecclesia.* Ad rem faciunt resolutiones S. Congregationis in causis *Panormitana* ann. 1588 (l. V. *Decr.* pg. 104) et *Segov.* ann. 1589 relatæ a *Bened. XIV.* (l. V. Decr. pg. 287) in *Inst.* 107. n. 54.

80. Reputantur insuper utilitatem Ecclesiæ gerere Canonicus *Theologus* et Canonicus *Pœnitentiarius,* dum officium complent sibi nomine Capituli commissum. Quoad Pœnitentiarium clara est dispositio in c. 8. sess. 24. *De Ref.* in Tridentino. Quoad vero Theologum afferri potest c. 1. sess. 5. *de Ref.* in fine.

Iisdem quoad jus percipiendi fructus annuos accensendus est Canonicus qui præbendæ suæ adnexam habet curam animarum in Ecclesia sui canonicatus. Quoad hos fructus *annuos* nihil interest utrum in *propria* Ecclesia de facto exerceat curam animarum an in *alia.* Ita *S. Pius V.* in sua Const. 63. Cfr. *Fagnanum Comm.* in c. »Licet« *De Præb.* (III. 5) n. 67. et *Benedictum XIV.* cit. *Inst.* n. 56.

81. Utilitati propriæ Ecclesiæ, hic toti Diœcesi, consulunt 5°. *Canonici duo* quos Episcopus assumit ut sibi opem præstent in Ecclesiæ *servitio* quique censentur esse præsentes et ex præscripto sacrorum canonum præbendæ fructus percipiunt cc. 7. et 15. h. t. Huic privilegio derogatum non est in c. 12. sess. 24. *De Ref.*

Quamvis regulariter assumantur *Canonici Cathedr.* Eccl. ut Episcopum coadjuvent in negotiis Diœceseos expediendis, tamen vocari possent ab Episcopo et frui indulto absentiæ etiam duo *Mansionarii* Ecclesiæ Cathedralis vel duo Canonici *Collegiatarum* Ecclesiarum, quemadmodum fuisse resolutum a S. C. Concilii in causa proposita die 9. Sept. 1628 refert *Barbosa: Tract. De Canonicis et Dignit.* c. 25. Idem fuit resolutum ab eadem Congregatione in causa *Cajetana servitii* (lib. Decret. 23. p. 599.) quam refert *Benedictus XIV. Instit. Eccl.* 107. n. 57., nec non in alia *Venusina* diei 30. Julii 1763. At Episcopus non potest uti opera *Dignitatum* vel Canonicorum qui *animarum curam* exercent, prout S. C. Concilii Episcopo *Montis-Flasconen.* intimavit die 26. Aprilis 1659 teste *Benedicto XIV.* in loco cit. §. 9.

82. Præterea in cap. 12. sess. 24. *De Ref.* de Canonicis constitutum est, eosdem debere Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere. Quare etiam assistentia hujusmodi est causa legitimæ absentiæ a choro. *Benedictus XIV.* in cit. *Instit. Eccl.* 107. n. 60. plures resolutiones refert ex quibus deducitur Canonicos teneri ad assistentiam Episcopo præstandam non solum in munere sacerdotis et diaconi, sed etiam in munere *subdiaconi;* S. C. C. in *Mutinen.* 1573 (l. 1. *Decretorum* pag. 14.). In causa

autem *Arianensi* proposita diebus 19. Aprilis et 17. Maji 1704 (rel. IX. p. 107. c. 71). Sacra Congregatio censuit, Canonicos tempore divinorum officiorum Episcopo Missam celebranti in privato sacello *non teneri* assistentiam præstare, licet consuetudo adfuerit.

83. Huic casui immediate præmisso æquiparatur casus Canonici, qui ab Episcopo impedito mittitur ejus loco ad *visitationem* perficiendam *Ss. Liminum,* vel qui Episcopum ipsum visitantem *Ss. Limina concomitatur.* Quo in casu Canonicus censetur uti præsens in Ecclesia ceu decrevit *Sixtus V.* teste *Benedicto XIV.* in sua *Instit. Ecclesiastica* 107. n. 59., ubi refert binas resolutiones S. C. Concilii. Prima est diei 1. Oct. 1672 in causa *Pennen.* hujus tenoris: 'Censuit S. Congregatio deberi (Canonicis) distributiones quotidianas tempore accessus, mansionis et regressus visitationis Ss. Liminum, quod tempus constituit esse trium mensium'. Alia resolutio est in causa *Sulmonensi* die 5. Decemb. 1626 per hæc verba: 'Canonicos suum Episcopum in visitatione Sacrorum liminum comitantes, distributiones quotidianas lucrari debere. Comitantes vero (Episcopum) in visitatione *Diœceseos,* si omnes fructus, ut supponitur, in distributionibus quotidianis consistant, lucrari duas partes, amissa tertia, quæ inservientibus accrescat.'

84. Sicut *propriæ* et *diœcesanæ* Ecclesiæ utilitas est causa, cur canonici vel beneficiati censeantur præsentes in propria Ecclesia ideoque præbenda sua fruantur, sic a fortiori utilitas Ecclesiæ *universalis.* Hinc 6°. percipiunt fructus annuos canonici qui Romano Pontifici tamquam familiares inserviunt, vel qui pontificia legatione funguntur pro expediendis negotiis universalis Ecclesiæ arg. c. 14. h. t.

85. Præter impossibilitatem et utilitatem Ecclesiæ tractanda est III^{a}. causa fictæ commorationis in Ecclesia propria: indultum Apostolicum. Verum hoc indultum vix conceditur absque ulla causa, nam plurimum propter utilitatem Ecclesiæ privilegium datur. — Non loquimur hic de privilegiis *specialibus,* sed tantummodo de *duobus generalibus,* sc. de absentia propter *exercitia spiritualia* et de *jubilatione.* Cum vero hoc *jubilationis* privilegium multa de distributionibus dicenda præsupponat, de jubilatione inferius tractandum censuimus.

Sit ergo 7°. de *exercitiis spiritualibus.* Volens S. P. *Clemens XI.* omnibus viribus promovere exercitia spiritualia, Lit.

Encyclicas dedit d. 1. Febr. 1710 ad omnes Episcopos Italiæ et Insularum Adjacentium, quarum en tenor in puncto nostram quæstionem concernenti: »(Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno Exercitiis hujusmodi vacantes a residentia benigne absolvit); quod ipsum servari præcipit quoad *Canonicos, Beneficiatos*, aliosque personali residentia obstrictos, et Chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, et quotidianas suorum respective Canonicatuum, et Beneficiorum distributiones quascumque, perinde ac si Choro, divinisque Officiis personaliter interessent, dummodo tamen eadem exercitia peragant, obtenta prius ab Ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit Adventus et Quadragesimæ tempore, ac in solemnioribus Festivitatibus, nec unquam omnibus simul Canonicis, aliisque Chori inservientibus, sed eo adhibito modo, ne Chori servitium nequaquam intermittatur.« Cfr. etiam *Benedictum XIV.* in *Inst.* 104. circa finem. Cetera requisita jam vidimus in tractatu de residentia parochorum h. t. n. 54.

86. Responsioni ad quæstionem A. subnectimus responsionem ad quæstionem B., quæ sic sonat: Utrum et quæ sint in jure causæ quæ privilegium absentiæ tribuant clericis ita, ut considerentur ceu præsentes et præter fructus annuos lucrentur *etiam distributiones quotidianas?*

Antequam respondeamus directe huic quæstioni, præmittenda putamus aliqua notanda in genere. Hujusmodi distributiones *absentes* non lucrantur c. un. h. t. in 6⁰., c. 3. sess. 22. *de Ref.* et cap. 12, sess. 24. *de Ref.* Ex quibus locis juris infertur, nec ullam consuetudinem, nec Capitulorum statuta inducere legitime posse praxim, qua absentibus distributiones concedantur. Verba Tridentini Concilii sess. 24. cap. 12. hæc sunt: ‚Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant juxta Bonifacii decretum, quod incipit: *Consuetudinem,* quod S. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus.' Quapropter canonici præsentes non possunt absentibus amissas distributiones remittere seu condonare. Et in cap. 3. Sess. 22. *de Ref.* Concilium decernit 'ut . . . qui . . . servitium . . . quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant'. Præsentes igitur lucrantur distributiones.

87. Qua in re animadvertendum est, in more fuisse positum aliquarum ecclesiarum, ut *omnes* fructus et proventus distributionibus comprehendantur, nulla relicta redituum portione, quæ fructus præbendæ constituat. Hac in hypothesi binæ tertiæ partes fructuum et proventuum censentur repræsentare præbendam, et reliqua tertia pars constituit proprie dictas distributiones.

Quare hoc in casu clerici absentes binas tertias partes harum distributionum percipiunt, amittunt vero reliquam tertiam partem, quemadmodum S. Congr. sæpe resolvit ex. gr. in *Sorana* diei 22. Aprilis 1679 et in *Venusina* 30. Julii 1763.

88. Animadvertendum insuper est, praxim s. Congregationis esse ut, quoties major pars redituum distributionibus adsignetur, non sinat distributiones omnes amitti a clerico qui obtinet indultum absentiæ; sed hoc in casu uniendi sunt fructus cum distributionibus, et facta simul computatione, clericus absens amittit solam tertiam partem ex fructibus et distributionibus simul copulatis.

89. His præmissis directe quæstioni superius propositæ respondemus: Sunt tres causæ fictæ præsentiæ etiam quoad distributiones: impossibilitas, Ecclesiæ utilitas, privilegium. — Quod caput primum (impossibilitatis) et tertium (privilegii) attinet, dicta de *annuis fructibus* (in nn. 74.—75. et 85.) repetenda essent de *distributionibus quotidianis;* respectu autem secundi capitis (utilitatis) distributiones non eodem jure reguntur quo fructus annui; hinc nonnulla de hisce distributionibus explicanda sunt.

90. Non lucrantur distributiones: canonici absentes ex indulto Tridentino ad tres menses, nisi in constitutionibus a S. Sede approbatis concessum fuerit *privilegium* distributiones in præsenti hypothesi percipiendi. *Bened. XIV.* cit. *Instit.* n. 36. ubi refert binas resolutiones S. Congr. Concilii in *Bonon.* et in alia *Pistoriensi* a. 1586. *Neque lucrantur distributiones* licet annuos percipiant fructus: Canonici absentes *causâ studiorum.* Ita resolvit S. Congr. in *Arianen.* diei 18. Aug. 1731 et in *Maceraten.* diei 10. Dec. 1616. Conf. *Bened. XIV. Instit. Eccl.* 107. In casibus vero particularibus standum est tenori Rescripti S. Sedis. Siquidem ob circumstantias *particulares* S. Sedes absentibus ex causa studiorum jus concedere potest distributiones quotidianas percipiendi; sic in *Neapolitana* d. 20. Febr. 1677. (alleg. VI. 212), in *Setina* d. 1. Dec. 1731.

91. Canonici negotia propriæ Ecclesiæ gerentes non solum annuos fructus percipiunt, sicut vidimus in n. 79, sed etiam distri-

butiones quotidianas; S. C. Concilii in *Panormitana* ann. 1588 et *Segovien.* ann. 1589.

92. Hinc *Canonicus Theologus* ea die qua lectiones habet, et *Pœnitentiarius* eo tempore quo confessiones in Ecclesia audit, absentes a choro lucrantur etiam distributiones quotidianas perinde ac si choro interessent. Canonicus Theologus *certe* percipit distributiones quotidianas, *pro horis quibus* aut in Ecclesia Cathedrali S. Scripturam exponit aut in Seminario eandem sacram rem tradit vel theologiam dogmaticam moralemve gratis docet; *Benedictus XIV.*: *De Syn.* l. 13. c. 9. n. 17. — Diximus *pro horis;* nam S. C. Concilii, licet sæpe, uti in *Caurien.* 26. Aug. 1848 et in *Barchinonen.*, 2. Jun. 1860, tamen non semper distributiones concessit pro toto die, sed solum pro horis lectionis; sic in causa *Pampilonen.* d. 16. Dec. 1882 respondit: »In casu de quo agitur, Canonicum theologum choro abesse ac distributiones lucrari posse *pro iis tantum diei horis,* quibus legit in Seminario, onerata conscientia«.

Diximus deinde Theologum debere *gratis* docere; nam si pro lectionibus emolumenta saltem alicujus momenti percipit, distributiones lucrari ipsi non licet; patet hoc ex causa *Carthaginen.* decisa a S. C. Concilii die 11. Aprilis 1891.

93. Canonico *Pœnitentiario* adest jus percipiendi non solum distributiones quotidianas, sed etiam alia emolumenta nullis exceptis nisi iis pro quibus voluntas testatoris postulat præsentiam *veram.* Arguitur hoc ex analogia cum canonico Theologo, cui favet in his decisio S. C. Concilii d. 20. Sept. 1879, necnon ex causâ *Theanen.* d. 6. Jul. 1889, in qua eadem S. C. ad quæstionem: »An Canonicus Pœnitentiarius absens a choro ut confessiones fidelium ex suo munere audiat, præter ordinarias distributiones, lucretur quoque tum fallentias, tum cetera emolumenta, seu distributiones extraordinarias, sive fixas, sive fortuitas in casu«, respondit: *Affirmative et amplius.* Requiritur tamen ut actu audiat confessiones, non sufficit solum sedere in confessionali. S. C. C. 12. Dec. 1896.

94. His duobus — Theologo et Pœnitentiario — accensendus est Canonicus qui præbendæ suæ adnexam habet curam animarum in Ecclesia sui canonicatus. Hic enim si tempore quo divina officia celebrantur, audiat confessiones, vel alia munia ad ipsam curam spectantia exerceat, lucrari debet distributiones quotidianas etiamsi divinis officiis non intersit: quemadmodum in terminis respondit S. Congr. in causa *Mediolanensi* diei 13. Febr. 1639. Censendus enim

est Parochus utilitatem evidenter agere Ecclesiæ suæ: de quo in c. un. h. t. in 6°. fit sermo. Si autem canonicus vel alius beneficiatus curam animarum exerceat in *alia* Ecclesia, distributiones non lucratur dum a choro abest ratione officii sui parochialis, licet fructus præbendæ suæ percipiat. Ita *S. Pius V.* in sua Const. 63. Conf. *Fagnanum Comm.* in Cap. »Licet« *De Præb.* (III. 5) n. 67. et *Benedictum XIV.* cit. *Instit.* n. 56.

95. Canonici qui utilitati Ecclesiæ diœcesanæ inserviunt, censentur præsentes in officiis respectu fructuum annuorum, in casibus supra (nn. 81—83.) explicatis, aliter autem res se habet quoad distributiones. Nam earundem distributionum participes non sunt, nisi: 1°. Canonici episcopo *pontificaliter* celebranti assistentes in Ecclesia Cathedrali ex decisionibus S. C. Concilii in *Amerin.* d. 3. Febr. 1629. (l. 14. *Decret.* p. 17. apud *Benedictum XIV. Inst.* 107.); *Colon.* 9. Maji 1671; *Bosanen.* 16. Febr. 1734. multisque aliis; Canonicis Episcopo pontificaliter celebranti assistentibus æquiparatur *Canonicus cæremoniarum.* — 2°. Canonicus suum episcopum in *visitatione ss. liminum* comitans vel missus ab Episcopo ad visitanda ss. limina distributiones quotidianas lucrari debet, uti S. C. Concilii rescripsit: quoad primam partem in causa *Sulmonen.* 5. Dec. 1626 (l. 13. *Decret.* p. 329), quoad alteram in *Culmen.* 23. Jan. 1627., *Regien.* 18. Dec. 1627., *Monasterien,* 15. Maji 1723, in *Pennen.* 1. Oct. 1672 (l. 27. *Decret.* p. 510 apud *Bened. XIV. Inst.* 107).

Ex dictis sequitur: Non lucrantur distribuentes canonici aliter, licet legitime, occupati: e. gr. *Vicarius Generalis,* S. C. C. in *Bitect.* 17. Dec. 1627 (l. 13. *Decret.* pg. 267), item in *Tanaten.*, 9. Maji 1671 (l. 27. ib. p. 113). — Neque canonicus *examinator synodalis,* S. C. C. in *Brixien.* 19. Jun. 1638 (l. 16. ib. pg. 38); item in *Cremonen.* d. 20. Sept. 1642. (l. 17. ib. p. 95). — Neque canonicus *inquisitor hæreticæ pravitatis* nisi ex speciali privilegio juxta S. C. C. in *Toletan.* d. 4. Junii 1594; in *Mediolan.* 3. Febr. 1635 (l. 15. ib. p. 156, ap. *Benedictum XIV. Inst.* 107). — Neque *canonici operam Episcopo præstantes in regimine diœcesis.* Præstat ad rem melius declarandam referre decisionem ejusdem S. Congregationis in causa *Brixien.* diei 18. Sept. ann. 1626 (Lib. 13. Decret. pag. 346) hisce verbis conceptam: ‘Sacra Congregatio censuit, dandam esse declarationem alias editam tenoris sequentis: Sacra etc.

censuit, unum vel duos Canonicos Episcopo inservientes juxta privilegium ad favorem Episcoporum in cap. »De cætero«. *De Clericis non residentibus* (III. 4), lucrari Præbendam suorum Canonicatuum, non tamen distributiones quotidianas; si vero redditus omnes ipsis distributionibus constent, duas tantum ex illarum tribus partibus lucrari.'

Præterea Canonici absentes, qui actu Episcopo assistunt, sive in visitatione Diœceseos, sive missam privatam celebranti in suo palatio, aut alibi, distributionibus privantur. Ita in *Amerina* diei 3. Febr. 1629 et in *Colonien.* 9. Maji 1671 et cit. *Instit. Bened. XIV. nn. 59. et 61.*

96. Quoad utilitatem Ecclesiæ *universalis* lucrantur distributiones canonici qui Romano Pontifici tanquam familiares inserviunt, vel qui pontificia legatione funguntur pro expediendis negotiis universalis Ecclesiæ arg. c. 14. h. t. At præ oculis habenda est resolutio S. Congregationis Concilii in *Romana* diei 6. Maji 1820, quæ resolutio probata fuit a Sum. Pontifice *Pio VII.* die 10. subsequenti. Videlicet cum ageretur de canonicatibus et beneficiis Ecclesiarum Urbis, proposita sunt sq. dubia. Primum hoc erat. 'An et quomodo sit confirmandum vel concedendum indultum abessendi a choro *addictis S. Sedis servitio* sive in temporali, sive in ecclesiastico munere?' Responsum fuit: *'Affirmative* in omnibus pro diebus et horis, amissis distributionibus inter præsentes tantum.' Igitur clerici isti lucrantur distributiones ordinarias.

Dubium secundum hoc erat. 'An et quomodo sit concedendum indultum iis, qui alicui ex dictis muneribus vacantes extra locum beneficii, *nunquam* possunt, durante munere, suis Ecclesiis deservire et chorali officiaturæ personaliter interesse?' Responsum fuit: *'Negative, exceptis nunciis et internunciis.'*

»Omnia percipiunt emolumenta etiam eventualia beneficiati vel canonici occupati in processibus beatificationis vel canonizationis sive ordinariis sive apostolicis« secundum decisionem S. Rit. C., d. 27. Febr. 1887.

Privilegium Apostolicum quod ad exercitia spiritualia attinet, se extendit ad distributiones quotidianas pariter ac ad fructus præbendæ (supra n. 85. 7°). Tractandum ergo solum remanet privilegium »jubilationis«.

Privilegium Jubilationis.

97. Licet in jure canonico cautum non reperiatur, quod canonicus sive beneficiatus, qui ecclesiæ inservivit spatio *40 annorum*, frui debeat exemptione a servitio et hoc minime obstante sit admittendus ad participationem fructuum et distributionum, uti bene ponderat *Navar.* cons. 12. L. III. *de cleric. non resident.*, ex quo fortasse infirmitas canon corum et beneficiatorum aut gravis eorundem ætas remedium habent coadjutoriæ aut indulti vacandi a choro durante infirmitate, quemadmodum prosequitur Card. *de Luca* discurs. 15. num. 6. et seqq.; in cathedralibus nihilominus et collegiatis ecclesiis, in quibus adsunt statuta vacationum a choro, quæ *jubilatio* dicitur, concedentia canonicis et beneficiatis post servitium annorum 40, jam resolutum est, eadem non esse improbanda, sed toleranda, et S. Congr. resolutio a S. P. *Gregorio XIII.* confirmationem obtinuit juxta plene relata apud *Garciam De beneficiis* P. III. c. 2. §. 1. n. 344.

Et quod notabilius est, etiamsi non adsint statuta, praxis inolevit, ut a S. C. Concilii indulta jubilationis concedantur canonicis et beneficiatis, qui spatio 40 annorum suis ecclesiis inservierunt, ne cœlestis militiæ milites deterioris sint conditionis, quam militiæ sæcularis, quibus a jure civili vacatio a muneribus, dummodo veterani essent, liberaliter concessa est, juxta textum in l. *A muneribus ff. de vacat. et excusat. munerum* (l. 7. D. L. 5.) et in lege 1. Cod. *de veteranis* (l. 1. Cod. XII. 46.), et praxis memorata non absolute et simpliciter sibi vindicat locum, sed in hypothesi, in qua plene doceatur de servitio præstito spatio annorum 40, et quidem cum qualitate *continui et laudabilis*, uti colligitur ex rescriptis S. Congregationis. — Clausula vero quæ apponi solet indultis jubilationis et quæ quodam modo totam materiam in nuce continet, hæc est: »Ut quamvis in posterum non inserviat (canonicus), nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat perinde ac si choro et officiis personaliter interesset«. Claritati rei consulere volentes, totam hanc quæstionem ad 4 capita revocamus: 1°. Quantum temporis requiritur ad privilegium jubilationis; 2°. quale servitium præstare debuit petens ejusmodi privilegium; 3°. Estne status ecclesiæ, cui servit orator, talis, ut permittat ejusmodi vacationes; 4°. Quid importat concessa jubilatio.

98. 1°. Uniformiter S. C. Concilii requisivit *spatium 40 annorum continui et laudabilis servitii* ad concedendam jubilationem. Diximus spatium 40 annorum *continui* servitii. Hoc requisitum certe verificatur in servitio 40 annorum cum *vera* præsentia. Sed *vera* præsentia per 40 annos vix vel ne vix quidem unquam in beneficiato reperietur. Quid ergo de præsentia *ficta* vel *juridica?* Generaliter dici potest: *Quotiescunque vacatio a choro non impedit perceptionem distributionum, toties non impedit privilegium jubilationis.* Sed *neque tres menses absentiæ conciliares* impediunt ejusmodi privilegium.

Ex hac regula deducitur: Non obstat jubilationi absentia ex causâ *infirmitatis* dummodo infirmitas fuerit ab Ordinario approbata et S. C. Concilii accesserit *indultum,* S. C. in *Bergomen,* d. 4. Jul. et 8. Aug. 1716.; — neque absentia *ex corporali necessitate,* uti videri potest ex causa *Urbanien.* 16. Jul. 1836, ubi canonicus per quinquennium quo capitulum a gubernio gallico fuerat suppressum, plerumque a choro abfuit; similiter in *Eugubina* d. 29. Apr. 1837; — neque absentia ex *officio pro Ecclesia universali,* uti definitum est in *Romana,* d. 12. Dec. 1699. quoad scriptorem in bibliotheca Vaticana, vel a S. Rit. C. d. 27. Febr. 1887. circa canonicos occupatos in processibus beatorum vel sanctorum.

Econtra præjudicat jubilationi absentia *studiorum* causâ; S. C. Concilii in *Nepesina* d. 28. Nov. 1711. Item præjudicat absentia ex officio *Vicarii Generalis,* S. C. C. in Bitect. 18. Dec. 1627. —

In computatione annorum 40 necessariorum numerari licet tempus ultra 40 annos officiaturæ *prorogatum,* uti declaravit S. C. C in causa *Pinnen.,* d. 16. Dec. 1893, quæ causa totam nostram quæstionem illustrat.

99. 2°. Servitium 40 annorum non solum continuum, sed etiam *laudabile* esse debet. Hinc requiritur, ut canonici revera alta voce *psallant* in choro; alioquin obligationi suæ non satisfaciunt, S. C. C. d. 12. Jan. 1619. (l. 12. *Decr.* p. 1. rel. a *Benedicto XIV.* in *Inst.* 107.); neque lucrantur distributiones, S. C. C. in *Vicent.* d. 7. Jun. 1626. (l. 15. *Decr.* p. 365 ib.)

Non tamen requiritur, ut canonicus ea officia quibus subeundis fortasse impar est, e. g. missæ per turnum canendæ ob vocis dissonantiam, per se ipsum expleat, S. C. C. in *Camerinen.* 1. Dec. 1725.

Eadem s. C. in *Verulana,* d. 17. Sept. 1842 canonico concessit indultum, licet tam Episcopus quam Capitulum negarent laudabile ejus esse servitium *propter crassam cantus Gregoriani inscitiam.* —

Quæritur: utrum requiratur ad privilegium jubilationis ut servitium 40 annorum quis præstiterit in *eadem ecclesiâ* et in *eadem conditione* an sufficiat tale servitium in pluribus ecclesiis et in diversis conditionibus, v. gr. per 10 annos in conditione beneficiati, per 30 in canonici? S. C. Conc. in causa *Dubiorum Jubilationis* respondit ad II^{um}. d. 24. Sept. et 17. Dec. 1718: *Negative* ad I^{am}. partem, *affirmative* ad II^{am}.; i. e. dummodo servitium quis præstiterit in *eadem* ecclesia, nihil interest, utrum in una an diversis conditionibus.

Sed non desunt casus concessæ jubilationis clerico qui servitium præstiterit in pluribus Ecclesiis ejusdem civitatis. Ita in causa *Verulana* die 17. Septem. 1842. Et hic quidem mos servatur pro Ecclesiis urbis Romæ. Scilicet in concessione indulti jubilationis clericis possidentibus beneficia in Urbe Roma computatur servitium chori præstitum successive in duabus vel pluribus Ecclesiis Urbis.

Quando servitium præstabatur in variis conditionibus, *prioris* temporis decisiones S. Congr. haud uniformes erant, sic in *Romana* d. 12. Dec. 1699 concedebatur jubilatio, in *Tranen.* negabatur d. 16. Dec. 1712 et 13. Jan. 1713. In terminis autem ejus qui inservierat partim tanquam coadjutor, partim tanquam principalis, constans videtur fuisse opinio S. Congr. faciendam esse temporum conjunctionem, uti videre est in *Brixien.* 27. Mart. 1683., in *Novarien.* 4. Aug. 1691., in *Bergomen.* 11. Febr. 1696. et alia *Bergomen.* 4. Jul. et 8. Aug. 1716.

Usque modo vidimus requisita ex parte servitii, nunc 3^{0}. inquiramus qualis debeat esse *status Ecclesiæ,* ut jubilatio concedatur. —

100. Quando indulto jubilationis Ecclesiæ detrimentum servitii patiatur, non definitur generaliter, sed in *casibus particularibus,* S. C. C. in causa *Dubiorum jubilat.* d. 24. Sept. et 17. Dec. 1718 ad III^{um}. Si non evidens est hoc detrimentum, jubilatio benigne concedi solet, licet fortasse obstent statuta Capituli, uti in *Caurien.,* d. 30. Mart. 1805., vel obstet Capitulum, ut in *Fulginaten.* d. 4. Maji 1889.; salvo tamen semper jure Episcopi, revocandi canonicum jubilatum,

si damnum servitii evidens fit; S. C. C. in *Civitatis Castellan.*, d. 17. Sept. 1842.

101. Si indultum jubilationis concessum est, quæritur 4⁰., quænam onera et quænam emolumenta spectent ad can. jubilatum.

I. Quoad *onera*. Constat canonicum jubilatum liberum esse 1⁰. a *servitio chori*. Idquod clare deducitur ex ipsâ formula concessionis »quamvis in posterum non inserviat« etc. Unus casus excipitur sc. quando ob divini cultus detrimentum jubilatus revocatur; S. C. C. in *Montisfalisci*, d. 14. Jan. 1817. —

Exemptus est jubilatus 2⁰. ab onere *residendi* in civitate vel pago beneficii sui ac proinde potest figere domicilium suum etiam alibi; cfr. *Benedictum XIV.* in *Syn.* l. 13. c. 9. n. 15. et decisiones S. C. Concilii in *S. Angeli in Vado*, d. 15. Apr. 1690; in *Patavina*, d. 9. Jun. 1714, tandem in sæpe memorata causa *Dubiorum jubil.* dd. 24. Sept. et 17. Dec. 1718 ad Vum.

Ex hisce patet meliorem esse conditionem jubilati canonici quam coadjuti; nam hic ad residentiam tenetur, licet eximatur a servitio; *Benedictus XIV.* c. l.

3⁰. Quoad onus missarum celebrandarum distinguendum est inter missam *conventualem* et missam *ex speciali obligatione* celebrandam.

In *secundo* casu non eximitur jubilatus ab onere suæ præbendæ inhærendi, uti sæpius declaravit S. C. Concilii uti in *Constantien.*, 4. Maji 1737, et in *Hipporegiensi*, d. 23. Jan. 1892. Hoc non solum valet de speciali obligatione *celebrandi*, sed de *ceteris* specialibus præbendæ obligationibus. —

Quoad celebrationem missæ *conventualis* tamen constans semper erat judicium S. C.: *jubilatum non obligari*; cfr. responsiones S. C. Concilii in *Aquapendii* d. 23. Mart. 1697., in *Senen.* d. 12. Maji 1759., in *Nullius Foropompilii*, d. 18. Jun. 1796, in *Nepesina*, d. 11. Apr. 1818.; in *Signina*, d. 25. Maji 1833., in *Prænestin.*, d. 21. Nov. 1835. —

Ex citatis responsionibus etiam deducitur: adeo liberum esse jubilatum ab oneribus missæ conventualis, ut *omnis* oneris et obligationis exsors nihilominus particeps sit quotæ ex massa communi non secus ac si celebret dictam missam; quare etiam restitutio imponebatur emolumentorum pro præterito subtractorum, non obstante quacunque consuetudine vel statuto. —

Remanent, uti dictum est, specialia jubilato onera et obligationes. —

II. Quoad *emolumenta.* In rescriptis jubilationis additur clausula: »ut fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat«. Percipere ergo jubilatus merito potest non solum omnes fructus et quotidianas distributiones, sed etiam particeps erit distributionum extraordinariarum — sic S. C. Conc. in *Burgi s. Domnini,* d. 17. Apr. 1704 — et quorumque aliorum emolumentorum; in *Aquapendii,* d. 27. Sept. 1659. ad II^um^., *Perusina,* 17. Jul. 1668; *Romana,* d. 29. Jan. et 5. Mart. 1678. Cum quæreretur: 'An ultra distributiones quotidianas admittendus sit canonicus jubilatus ad participationem anniversariorum fixorum, in quibus non adest conditio dividendi inter præsentes tantum'? Sacra Congregatio Concilii in *Patavina* die 9. Junii 1714 respondit *'Affirmative.'* In eodem sensu eadem S. Congregatio respondit in *Novarien.* die 29. Novembris 1681 et in aliis causis. Præstat vero resolutionem exhibere, quæ data est in *Aquapendien.* die 1. Aprilis 1719. Proposito dubio: 'An Canonicus rigore indulti jubilationis participare debeat de emolumentis adventitiis anniversariorum, et associationum cadaverum, si functionibus non intersit?' S. Congregatio respondit *'affirmative* quoad primam partem, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis. Quod vero ad secundam partem *negative'.*

102. Quædam dicenda sunt pro explicatione cap. 30. De *Elect. et Electi pot.* (I. 6) in 6^0^, quod licet eumdem auctorem habeat *Bonifacium* quem habet c. un. h. t. in 6^0^. tamen contrariam prorsus theoriam insinuare videtur. Etenim cum in eo ageretur de Clericis, qui tempore electionis Prælati Diœceseos Romam pergebant, instructuri summum Pontificem de negotio electionis ejusdem, quamvis agnosceret Pontifex, clericos istos reliquisse suam Ecclesiam pro ejus utilitate; tamen iisdem tribuit jus percipiendi solummodo fructus annuos, et excludit distributiones quotidianas, quas idem Pontifex canonicis absentibus ob causam utilitatis Ecclesiæ concedit in c. un. h. t. in 6^0^. Ut hæc duo capita concilientur, plures proponuntur ab auctoribus hypotheses. Omnibus aliis omissis, unam proponimus conciliationem, quæ nobis rationabilior videtur. Præ primis vero animadvertimus c. 30. *de Elect.* constituere non posse regulam in sensu contrario c. un. h. t. in 6^0^. Nam caput hoc unicum in usum revocatum est a Tridentino in c. 12. Sess. 24 *de Refor.* Attingentes vero meritum quæstionis, ne dicamus Bonifacium Bonifacio adversari, arbitramur, verbum *distributiones* in

c. 30. *de Elect.* sumi debere de distributionibus inter actu præsentes in choro, quæ proprie *manuales* appellantur; idest absentes ob Ecclesiæ utilitatem amittere hasce manuales distributiones, quæ ex lege, consuetudine, aut voluntate piorum fundatorum solis personis actu præsentibus reservantur. Quod vero Bonif. in hoc c. 30. non deneget Canonico absenti ob negotium electionis distributiones *ordinarias,* patet ex eo quod dicat, Canonicum absentem lucrari non solum fructus beneficii, sed etiam alios fructus, quos lucratus fuisset, aut potuisset lucrari, si in Ecclesia resedisset: qui fructus posteriores certo sunt distributiones, seu pars fructuum conversa in distributiones quotidianas.

103. Verum animadverti debet, S. C. Concilii in resolutione approbata a *Paulo V.* et relata a *Fagnano com.* in c. 32. *De Præb. et dignit.* (III. 5) n. 159, explicasse dispositionem capitis *30. de Electione* in 6⁰. de casu, in quo consuetudo vigeat in aliqua Ecclesia denegandi distributiones ordinarias absentibus pro evidenti utilitate Ecclesiæ. Sed ubi non probatur hæc consuetudo, censuit S. Congregatio, servandam esse dispositionem c. un. h. t. in 6⁰. ita scilicet ut concedendæ sint quotidianæ distributiones canonicis et beneficiariis absentibus pro utilitate Ecclesiæ suæ.

104. Quæritur *quomodo sint applicandæ distributiones quas absentes Capitulares amittunt?*

Hac in re dispositio Tridentini c. 3. sess. 21. *De Ref.* contraria esse videtur dispositioni c. 3. sess. 22. *De Ref.* Nam in primo loco distributiones hujusmodi dicuntur *inter præsentes* divinis officiis proportionaliter esse dividendæ, in secundo autem loco applicantur *fabricæ Ecclesiæ,* quatenus indigeat, aut alteri pio loco ab Ordinarii arbitrio. Hæc tamen duo loca bene inter se componuntur, ita nempe ut aliis capitularibus præsentibus accrescant quando deductæ sint ex massa *communi* et *indivisa,* applicandæ vero sint fabricæ Ecclesiæ vel alteri pio loco quando deductæ sint ex *singulis* præbendis habentibus distinctam dotem et distinctam administrationem, idest quæ massam communem cum aliis non constituunt.

De pœnis contra Clericos beneficium possidentes, qui non observant legem residentiæ.

105. Concilium Tridentinum in cit. cc. 3. sess. 21. et 3. sess. 22. *de Ref.* in genere statuit præter amissionem distributionum, procedendum esse contra non residentes juxta sacrorum Canonum sta-

tuta. At in c. 12. sess. 24. §. »Præterea« concedit Canonicis et quibuscumque portionariis Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum facultatem absentiæ pro annuis tribus mensibus vacationum, nisi constitutiones Ecclesiæ particularis longius servitium requirant. Quod si diutius a residentia abfuerint sequentibus pœnis eos mulctat Tridentinum Concilium. 'Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur. Distributiones vero qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui quavis collatione aut remissione exclusa, his careant juxta *Bonifacii VIII.* decretum quod incipit: Consuetudinem h. t. in 6⁰. (III. 3), quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus'. Ex quibus omnibus patet Dignitates, Canonicos, et Portionarios Ecclesiarum Cathedralium aut Collegiatarum, cessantibus impedimentis et causis legitimis, non residentes: I⁰. amittere ipso jure *distributiones quotidianas,* et primo anno illegitimæ absentiæ privandos esse *dimidia parte fructuum.*

II⁰. Prosequitur Tridentinum: *si eadem negligentia usus fuerit,* idest si etiam anno insequenti clericus non resideat privandus est *omnibus* fructibus, quos secundo anno lucratus fuerat. III⁰. Crescente vero contumacia, idest si clericus absit etiam *tertio* anno, contra eum proceditur juxta sacrorum Canonum constitutiones, scilicet etiam titulo beneficii *exspoliatur.*

106. Hæc vero privatio fructuum non habet locum ante judicis sententiam; ait enim Concilium *privetur;* sed infligi potest, licet clericus monitus non fuerit, ut ad residentiam rediret. Concilium enim de præcedente monitione non loquitur. Verum posito facto absentiæ longioris ultra tempus utile, Episcopus intimabit Clerico negligenti ut *rationes* reddat absentiæ. In quibus si deficiat, vel si fuerit contumax, pœna privationis a Tridentino statuta Episcopus Clericum mulctabit. Ita resolvit S. Congr. in causa *Vercellensi* ann. 1573 (l. 1. *Decr.* p. 190.) Conf. *Benedict. XIV. Inst.* 107.

107. Unde hodierno jure non amplius servatur dispositio veterum canonum, qua clerici non residentes poterant statim privar beneficio, si intra congruum tempus præfigendum a judice non

rediissent; cc. 28. *De Appellat.* (II. 28) et 10. et ult. h. t. Sed privari non possunt beneficio, nisi post lapsum trium annorum absentiæ, et postquam supra expositæ pœnæ subtractionis fructuum applicatæ inutiliter fuerint, quemadmodum respondit S. Congr. C. in causa *Cathacensi* 14. Nov. 1671 et 21. Maji 1672, et in *Lancianen.* 13. Januarii 1703. Conf. *Fagnan. Comm.* in c. 32. *De Præb.* (III. 5) n. 26. Hæc beneficii privatio etiam procedit, licet Clericus ad ejus titulum fuerit ordinatus, S. C. C. in *Nullius Guastallæ,* dd. 31. Jul. et 28. Aug. 1660. et in *Firmana* d. 30. Maji 1665.

108. At explicanda sunt illa verba Concilii 'Procedatur juxta sacrorum canonum Constitutiones'. Exspectato lapsu trium annorum contra clericum non residentem procedendum est, juxta sacrorum *canonum constitutiones,* ceu ait Tridentinum in cit. c. 12. Sess. 24. *de Ref.* Scilicet procedendum est ad privationem beneficii. Verum servanda est norma sacrorum Canonum, qui hac de re pertractant. Idest si cognoscatur domicilium, seu locus in quo commoratur Clericus absens, *personaliter* citari debet et revocari ad residentiam præfigendo eidem congruum et peremptorium terminum, cc. 8. et 17. h. t. Quod si ignoretur ubi clericus commoretur, vel ad ipsum non possit citatio pervenire; hac in hypothesi, citatione trina *per edictum* ad valvas Ecclesiæ beneficii affigendum, debet revocari ad residentiam, et post tertiam citationem adhuc exspectari debet per alios sex menses, quibus elapsis, proceditur contra eumdem Clericum ad pœnam privationis beneficii. Cap. »Ex tuæ.« 11. h. t. Conf. *Fagn. Comm.* in idem c. 11. h. t. n. 35. et *Reiffenst.* h. t. n. 132.

109. Cum vero in eod. c. 11. §. »Contra«, pœna etiam suspensionis et excommunicationis contra Clericos in absentia contumaces infligenda proponatur; hinc vi canonum potest Episcopus contra Clericum absentem, etiam durante triennio, antequam proferat sententiam privationis, experiri alia remedia juris, seu, comminatis aut etiam inflictis censuris, contumaciam ejus frangere, si in Domino viam hanc censurarum utiliorem viderit. Conf. *Instit. Eccl.* 107. n. 38. *Benedicti XIV.,* ubi refertur celebre decretum S. C. Concilii diei 18. Nov. 1673 in causa *Parentina,* in quo traditur, posse Episcopum etiam post inchoatam viam procedendi a Tridentino præscriptam suspendere clericum contumaciter absentem juxta dispositionem c. 11. h. t.

110. Hæc quæ exposuimus respiciunt Clericos obtinentes dignitates, canonicatus, vel beneficia inferiora, seu portiones in Eccle-

siis *Cathedralibus* vel *Collegiatis.* — Si vero sermo sit de clericis obtinentibus beneficia *non parochialia extra* Cathedrales vel Collegiatas Ecclesias, quæ beneficia (non parochialia) requirant personalem residentiam, contra eos, si residentiæ legem non observent, procedendum est juxta formam et regulam præfinitam in cit. cc. 17. et 11. h. t. Etenim cum relate ad hosce Clericos nihil immutaverit Concilium Tridentinum, adhuc integra perseverat contra ipsos dispositio antiqui juris. Scilicet absentes personaliter admonendi sunt; quod si ignoretur ubi degant, vel ad eos citatio pervenire nequeat, trina citatio per edictum publicanda est ad valvas Ecclesiæ beneficii, et post tertiam citationem adhuc sex menses præterlabi debent; quibus elapsis potest procedi ad privationem beneficii. Vel si placeat, ante hanc privationem potest Episcopus experiri etiam censuras.

111. In materia de pœnis contra clericos non residentes, veluti appendicis loco opportunum ducimus referre sequentem S. C. EE. et RR. decisionem diei 4. Martii 1842, quam nobis exhibet Cardinalis *Bizzari* in sua *Collectanea* pag. 110. 'Cum Episcopus N. N. videret, quod festis diebus Sacerdotes suæ jurisdictioni subditi in vicinam diœcesim transmearent ad Missam inibi celebrandam, ideoque in suæ diœcesis ecclesiis Missarum defectus haberetur, suo decreto sancivit: *ne ullus Sacerdos, præsertim diebus festis sese conferret ad celebrandam Missam in quacumque Ecclesia extra diœcesim posita sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ.* Re ad S. Congregationem delata, concinnatum est dubium '*An et quomodo sustineri debeat decretum editum ab Episcopo diœcesis N. N.?*' In Congregatione generali prædictæ diei rescriptum fuit: '*Quoad censuras, negative in omnibus, in reliquis ad mentem: mens est: exceptis Sacerdotibus, qui onus habent celebrandi intra fines diœcesis, quoad alios Presbyteros decretum Episcopi sustineri non posse.*' Quare dicendum est: 1. Episcopum decreto suo *non posse* prohibere, quominus Sacerdotes nulla alia obligatione beneficii aut capellaniæ devincti die festo a diœcesi recedant, et *alio se conferant* ad Missam celebrandam. 2. Episcopum posse quidem obligare Sacerdotes, qui Missam ex speciali titulo celebrare debent in diœcesi, ne diebus festis a diœcesi recedant Missam alibi celebrandi causa, attamen decreto suo non posse Episcopum contra istos *censuram latæ sententiæ* infligere, si recedant.

TITULUS V.

De Præbendis et Dignitatibus.

1. In genere vocabulum *præbenda* exprimit quamcumque perceptionem fructuum bonorum ecclesiasticorum, in specie vero significat beneficium ecclesiasticum, et *in sensu rubricæ* exhibet illam classem beneficiorum, quæ a dignitatibus distinguuntur; ea scilicet quibus nec præeminentia honoris nec jurisdictio, nec administratio quædam seu custodia rerum ecclesiasticarum adnexa est.

2. Quoniam vero præbenda sumitur etiam ad exprimendum beneficium ecclesiasticum in genere, sub qua significatione tum præbenda, tum dignitas comprehenduntur; hinc primo loco agimus de beneficiis ecclesiasticis *in genere*,

Si vis vocis spectetur, Beneficii *nomen* originem *civilem* sortitum fuisse videtur. Nam ab historia edocemur, morem inolevisse temporibus imperii romani concedendi prædia quædam et possessiones militibus, qui in bello nobile aliquod factum et gloria dignum gesserant. Id ab ipso Alexandro Severo factum fuisse narrant. Hæc prædia et eorum concessiones appellabantur Beneficia, et qui prædia illa possidebant ex Principis elargitione beneficiarii dicebantur.

3. Hunc morem imitata est Ecclesia et prædia vel possessiones concessit clericis deservientibus in sacra militia, eademque prædia vel possessiones propter servitium ecclesiasticum concessas appellavit beneficia. Si quis cupiat cognoscere historiam bonorum temporalium Ecclesiæ, et quinam fuerit vetus status eorumdem, et administratio, et distributio fructuum bonorum ipsorum, adeat *Berardi: Jus Eccl. Univ.* in Dissert. præliminar. ad Tract. *de Beneficiis.*

4. Beneficium Ecclesiasticum definitur '*Jus perpetuum auctoritate ecclesiastica constitutum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium sacrum.*' Hæc definitio communior est; at non desunt, qui diversam ab ea definitionem exhibent, scilicet ut sit '*Officium sacrum ab auctoritate ecclesiastica constitutum, cui adnexum est jus percipiendi reditus de bonis ecclesiasticis*'. Utraque hæc definitio refert quidem duo essentialia beneficii elementa, jus nempe percipiendi fructus bonorum ecclesiasticorum, et officium sacrum; at prima definitio melius respondet

notioni *historicæ* beneficiorum. Nam quamvis officia sacra semper adfuerint in Ecclesia, non semper verò exstitere beneficia; quæ tunc locum habere cœperunt, cum prædia et possessiones in usum fructuum Clericis in Ecclesia ministrantibus dari cœperunt. Quæ concessiones cum referrent indolem beneficiorum militiæ civilis, etiam idem nomen sortitæ sunt. Quare *Bonifacius* c. ult. *De Rescr.* (I. 3) in 6⁰. docet: *Beneficium dari propter officium.* Scilicet beneficium est jus percipiendi fructus, quod jus propter officium sacrum impertitur. Unde notio Beneficii directe secumfert jus fructuum percipiendorum, et indirecte, seu tamquam causam supponit officium sacrum: ob quod officium sacrum ipsum jus temporale percipiendi fructus redditur sacrum. Est enim jus adnexum rei sacræ. Unde Beneficium inspectum, prout in concreto exsistit, unum ens juridicum constituit ex duobus elementis unitis resultans, quorum unum ab altero separari nequit, quin Beneficii notio destituatur. Quare nec legitime desiderari et obtineri potest beneficium, nisi ab eo, qui munere ecclesiastico obeundo dignus est, et capax. Primam ergo definitionem sequimur, et *requisita* ad Beneficium constituendum ab ea deducimus.

5. Primum requisitum est, ut sit *jus percipiendi fructus.* Nam Beneficium non consistit proprie in actuali et materiali perceptione fructuum, sed in jure perceptionis habendæ. Hinc qui legitime assecutus est beneficium, conservat titulum illius, et censetur esse verus beneficiarius, licet a possessione bonorum injuste fuerit exturbatus. Ex hoc requisito Beneficium distinguitur a *Canonia,* quæ est jus habendi sedem in choro et vocem in Capitulo, caret tamen præbenda.

6. Secundum requisitum beneficii est *perpetuitas* juris. Hæc vero perpetuitas, si *ipsum Beneficium* respiciat, perennem Beneficii durationem significat et hæc perpetuitas dicitur *essentialis.* Vera enim Beneficia non ad tempus fundantur; sed instituuntur ceu totidem perpetuæ stationes pro Clericis munia ecclesiastica sibi propria obeuntibus. Hinc fundatio temporanea ex. gr. pium relictum Missarum in determinato altari ad quinquennium celebrandarum, vel sacrum officium præstandum ad tempus cum congrua retributione, constituere nequeunt beneficium. — Si vero perpetuitas respiciat *Clericum possidentem* beneficium, ipsum jus est etiam perpetuum, quatenus Beneficium conferatur, ita ut collatio regulariter ad *totam vitam* beneficiati perduret. Hinc collatio Beneficii dicitur intitu-

latio, et Clericus dicitur investitus in Beneficio. At collatio beneficii in titulum non impedit, quominus beneficium, vivente adhuc Clerico, vacet. Quare perpetuitas beneficii in ordine ad Clericum possessorem non dicitur essentialis, sed dicitur perpetuitas *ordinaria* vel *normalis.*

7. Diximus *regulariter,* nam adsunt quædam beneficia, quæ ad nutum conferentis revocari et auferri possunt, quæque dicuntur *manualia* vel *beneficia ad nutum.*

8. Præterea animadvertendum est nonnullas dari Ecclesias, quæ *receptitiæ* seu non *numeratæ* dicuntur. In istis Ecclesiis distinctæ Præbendæ et distincta beneficia non adsunt, sed tot admittuntur Canonici vel beneficiati aut mansionarii quot possunt ex reditibus massæ communis sustentari. Quare in istis Ecclesiis perpetuitas essentialis competit ipsi massæ communi, de qua Clerici instituti in beneficio participant. De hisce Ecclesiis agunt cc. 9. *De Const.* (I. 2), 25. h. t. et 8. *De concess. Præb.* (III. 7) in 6°.

9. Tertium requisitum est, ut sit *erectum et constitutum auctoritate ecclesiastica*, cap. 4. *de religiosis domibus* (III. 36). Requiritur scilicet formalis approbatio Curiæ episcopalis per decretum erectionis in titulum. Beneficii enim erectio importat institutionem sacræ positionis clerici in Ecclesia quæ sacra positio sua habet jura, suaque adnexa munia obeunda. Scilicet erectio beneficii exhibet institutionem officii sacri, quod institui potest a sola auctoritate, cui commissum est regimen Ecclesiæ.

10. Hinc in praxi S. C. Concilii ad dignoscendum beneficium ecclesiasticum, illudque distinguendum a Capellania laicali seu pio Missarum legato, piave donatione, plurimum attendit, utrum *decretum* Episcopi vel ejus officialis emissum fuerit in *erectione* beneficii ipsius. Legata enim Missarum seu Capellaniæ mere laicales solummodo *acceptantur* ab auctoritate ecclesiastica, non autem eriguntur in titulum per decretum, seu institutionem canonicam.

11. Quartum requisitum est, ut juri percipiendorum fructuum *adnexum sit munus proprie dictum sacrum,* quæmadmodum est recitatio canonicarum horarum, celebratio Missarum, cura animarum, administratio sacramentorum etc. Hinc officia civilia et pensiones, quæ pro ipsis in Ecclesia statuta sunt, beneficia non dicuntur. Ex. gr. portiones fructuum designatæ pro æditno, procuratore, et aliæ pro cantoribus, non sunt beneficia. Censentur enim adsignata ceu merces civilis pro labore.

12. Ex hoc requisito descendit etiam quintum, ut nempe beneficium conferatur *personæ ecclesiasticæ*, quæ scilicet ecclesiasticæ militiæ adscripta sit. Munia enim sacra cum reservata sint cœtui personarum ecclesiasticarum, per exclusionem laicarum, solis ecclesiasticis personis conferri possunt.

13. Tandem ex *bonis ecclesiasticis* Beneficium resultat, sub qua appellatione venire etiam arbitramur pensiones, quæ a Gubernio civili in aliquibus regionibus sacris ministris ex assumpta obligatione cum Ecclesia solvuntur ob munia ecclesiastica, quæ exercent. Nam 1°. generatim pensiones istæ repræsentant, licet plerumque minus adæquate, fructus bonorum, quæ Ecclesiæ Gubernia civilia subripuerunt. Et 2°. sunt certæ et determinatæ solutiones pecuniæ, quæque ex lege perpetuæ sunt et rependuntur Clericis ob officia sacra. Hinc Ecclesia in illis locis, ubi loco bonorum temporalium pro Clericis præsto sunt istæ pensiones, considerat adhuc exsistere beneficia ecclesiastica. In hoc sensu a Doctoribus refertur responsum S. Pœnitentiariæ diei 19. Januarii 1819 hisce verbis expressum: 'A Sacra Pœnitentiaria quæsitum fuit, an salaria, quæ in Belgio solvuntur Pastoribus et Canonicis, induant naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum, et adnexam habeant obligationem expendendi superflua pauperibus seu piis causis, et residendi sub pœna non faciendi fructus suos. S. Pœnitentiaria respondit: jam alias a S. Sede rescriptum fuisse *affirmative*'. Conf. Clar. *De Angelis* h. t. n. 17. pag. 22.

De Divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

14. Prima divisio est ut alia sint *duplicia* et alia *simplicia*. Simplicia in sensu juris ea dicuntur, quæ communia habent officia adnexa, assistentiam nempe in choro et altaris servitium, quin aliqua speciali qualitate *honoris* vel *jurisdictionis* decorentur, aut aliud officium secumferant. Hæc notio beneficiorum simplicium tradita est ad rigorem juris; nam juxta communem loquendi modum et praxim hodiernam, sub appellatione beneficiorum simplicium veniunt illa beneficia, quæ important ea officia, quæ ubique impleri possunt ex. gr. recitationem *privatam* horarum canonicarum, onus missarum *ubicumque* celebrandarum etc. Hinc beneficia simplicia dici solent ea, quæ personalem residentiam Clerici in loco determinato ratione officii proprii non exigunt. Duplicia in sensu juris

ea sunt, quibus adnexa est jurisdictio, præeminentia, cura animarum, vel etiam administratio, seu aliquod officium.

15. Duplicia alia sunt *majora*, alia *minora*. Duplicia majora dignitate episcopali et hac superioribus continentur; quæ beneficia cum proprium nomen habeant ac supereminentem excellentiam in Ecclesia, non comprehenduntur in *odiosis* sub nomine generico beneficiorum. Quemadmodum etiam *dispensatio* ad omnia beneficia non censetur concessa etiam ad obtinendum episcopatum, archiepiscopatum etc. Dispensatio enim consideratur ceu vulnus legis, ac proinde est res odiosa. Hisce beneficiis majoribus accedunt *Abbatiæ* et *Prioratus*, quibus inest jurisdictio quasi-episcopalis.

16. Duplicia minora ea sunt, quæ habent aliquam ex supra expressis qualitatibus, attamen sunt episcopali, vel quasi-episcopali dignitate inferiora; quæque appellantur vel simpliciter Dignitates, vel Personatus, vel Officia, necnon beneficia curata. *Dignitates* sunt beneficia, quibus adnexa est aliqua *jurisdictio, et præeminentia honoris.* Talia erant jure decretalium beneficia Archidiaconatus et Archipresbyteratus. — *Personatus* est illud beneficium, cui inhæret *præcedentia*, seu locus præ aliis canonicis honorificus in choro, in capitulo et in processionibus, sed omni jurisdictione in alios caret. Talis est Primicerius seu Cantor. — Officium significat beneficium, cui adnexa est *administratio* rerum ecclesiasticarum sine jurisdictione et præcedentia. Officium habebant jure Decretalium Sacrista, Custos et Thesaurarius. — *Hodiernis* vero moribus, exstincta jurisdictione ordinaria Archidiaconi et Archipresbyteri, regulariter loquendo, quæ in Capitulis Dignitates appellantur, non sunt nisi totidem personatus; in usu autem veterum vocabulorum dignitatis et personatus plurimum attendenda est locorum consuetudo et peculiares Capitulorum Constitutiones. Jure Tridentino officium habent *Canonicus Theologus*, et *Canonicus Pœnitentiarius.* — Tandem beneficium duplex minus est illud, cui adnexa est cura animarum.

17. Quæstio est, *utrum Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis debeant adnumerari inter duplicia beneficia.* Quamvis proprie dicta duplicia dici nequeant, carent enim omnibus quatuor qualitatibus quæ duplex beneficium constituunt; tamen Canonicatus isti nec simplicibus beneficiis accenseri possunt. Nam cum Canonici Cathedralis Ecclesiæ lateri adhæreant Episcopi, majorem aliquam excellentiam honoris præ aliis clericis diœceseos sibi vindicant, et digni-

tatibus æquiparantur in exsecutione Literarum Apostolicarum c. 11. *de Rescr.* (I. 3) in 6°. Hinc plerumque non veniunt nomine beneficiorum simplicium, arg. c. 4. h. t. in 6°.

18. Secunda divisio est, ut alia beneficia sint *sæcularia*, alia *regularia:* Sæcularia quæ sive ex *fundatione,* sive ex *præscriptione* saltem *40 annorum* conferuntur clericis extra familiam religiosam; — regularia vero dicuntur quæ a regularibus sive ex *ipsa natura,* prout sunt abbatiæ, prioratus et canonicatus regulares, sive ex *præscriptione 40 annorum,* aut etiam ex *aliquo facto* ex. gr. unione vel concessione in forma juris valida, a regularibus retineri et administrari debent et solent, cc. 5. et 32. h. t. in 6°. Nisi vero probetur beneficium aliquod esse regulare, *in dubio* præsumptio est, ipsum esse *sæculare.* Unde qui asserit beneficium aliquod esse regulare, probare debet. Exceptio tamen facienda est in beneficiis natura sua regularibus. Nam quoad ista præsumptio militat pro qualitate regulari.

19. Tertia divisio deducitur *ex modo collationis.* Alia videlicet dicuntur *collativa* seu *liberæ collationis*, alia *patronata*, alia *electiva. Liberæ collationis* ea sunt quæ ab Episcopo seu alio superiore ordinario conferuntur *motu proprio* nec prærequiritur electio aut præsentatio. — *Patronata* sunt ea, quæ prærequirunt *nominationem* seu *præsentationem* alterius. — *Electiva* appellantur ea, quæ conferuntur, prævia legitima *electione* facta ab iis qui jure eligendi pollent. Quo in casu superior qui complet actum collationis, revera non confert beneficium, sed confirmat electionem. Hinc ejus actus non appellatur collatio, sed confirmatio. Quare falsa est theoria moderni scriptoris *(Minghetti 'Stato e chiesa';* Ulrico Hœpli editore, Milano 1878. pag. 118.), qui asserit, unam ex conditionibus beneficii esse exsistentiam alicujus patroni fundatoris, et ad eum aut ad ejus descendentes spectare jus præsentandi clericum ad beneficium. Falsa est, dico, hæc theoria; nam in facto constat, non omnia beneficia fuisse a privatis personis erecta et jus nominandi ad privatas personas pertinere.

20. Quarto loco beneficia alia dicuntur *patrimonialia,* alia vero *non patrimonialia.* Hæc altera sunt, quæ conferuntur indifferenter clericis absque relatione ad locum vel ad familiam aliquam. Primi generis sunt beneficia, quæ sive per liberam collationem sive ad nominationem patroni conferri debent clerico idoneo qui pertinet

vel ad aliquam *familiam* vel ad aliquam *parochiam*, vel *civitatem*, vel *castrum*.

21. 5°. Beneficia alia sunt *manualia*, alia non manualia idest *perpetua*. Manualia sunt ea, quæ conferuntur quidem in titulum, sed ad nutum superioris vel patroni conferuntur, ideoque revocari possunt. Non manualia sunt ea beneficia, quæ conferuntur in perpetuum titulum et irrevocabiliter. Unde revocari non possunt nisi ex aliqua causa expressa in jure. Regulariter loquendo beneficia *sæcularia* sunt *non manualia*, *regularia* vero regulariter loquendo sunt *manualia*, quia religiosi pendent a voluntate superioris. Dixi regulariter. Nam beneficia regularia, quæ non a solo superiore, sed a capitulo per electionem conferuntur, non possunt conferri a solo superiore, nisi ex gravi causa tantum c. 2. §. »Priores« *De statu Monach.* (III. 35). Adeoque non sunt beneficia manualia. Expositæ divisiones respiciunt beneficia ecclesiastica, quæ nempe conferri possunt solummodo clericis et officium sacrum adnexum habent.

22. Sed præterea solent esse beneficia *mere laicalia*, quæ solummodo improprie loquendo dicuntur beneficia. Sunt vero ea beneficia, quæ etiam a laicis possunt retineri, et reducuntur ad naturam meri legati pii, idest ad piam institutionem acceptatam ab Ecclesia, quæ secumfert aliquod onus religiosum, ex gr. celebrationem Missarum exsequendum a possessore bonorum, in quibus legatum pium fundatum est.

23. Ad majorem vero rei claritatem quæritur, quid sit Canonia, quid Vicaria, Commenda, Capellania, Præstimonium et Pensio, et an dici possint species beneficii Ecclesiastici. — *Canonia* definitur, *'Jus spirituale, quod clerico provenit ex ejus electione vel receptione in fratrem.'* Per Canoniam aliquis adscribitur inter Canonicos, quin tamen concedatur eidem præbenda, seu jus percipiendi fructus bonorum Ecclesiasticorum. Ex quo patet, canoniam non esse verum beneficium, ac proinde non posse constituere titulum sacræ ordinationis. Jus ergo quod in canonia conceditur est ut electus vel receptus in canonicum habeat sedem in choro et vocem in capitulo. Insuper provident sacri canones, ut huic Canonico, quamprimum fieri possit, conferatur præbenda vel portio fructuum canonicalium cc. 3. et 19. h. t.

24. Animadvertimus vero hodie in usu parum esse canoniam in sensu exposito, sed potius in capitulis solere nominari canonicos

honorarios, qui habent quidem sedem in choro, sed carent voce in capitulo et jure assequendi præbendam vacaturam. De hisce aliquid dicemus inferius in tit. VIII. nn. 14. et seqq.

25. *De Vicaria*. Vicarius est, qui vices alterius gerit. In jure dantur vicarius jurisdictionis et vicarius in divinis. Primus est, qui constituitur ut directe et præsertim in foro externo vice alterius justitiam administret, et correctionem exerceat. Officium hujusmodi hodie amplius ordinarium undequaque non est, idest non adnectitur alicui beneficio. Vicarius in divinis est qui in iis, quæ ad forum internum seu conscientiæ pertinent, alterius vices gerit, scilicet vicaria hujusmodi curam animarum secumfert. Cum vicaria jurisdictionis hodierno jure non amplius beneficio alicui uniatur, de ea non loquimur, sed loquimur solum de vicaria *in divinis*.

26. Vicaria hæc alia est *temporalis*, alia *perpetua*. Vicarius *temporalis* destinatur ad regendam parœciam vel ad certum tempus, ex. gr. ceu vidimus in 1. libro, cum parœcia est vacans rectore suo principali, aut rector hic minus idoneus factus est, vel constituitur vicarius ad nutum alterius. Hæc porro vicaria temporalis verum beneficium non est; vicarius enim titulum beneficii non habet et ejus positio non respondet positioni veri beneficiati. Nam vicarius hic bonorum beneficii administrationem non exercet; sed solum stipendium recipit laboris præstiti in exercitio curæ animarum. Immo quando parœcia est perpetuo unita officio Superioris alicujus monasterii et a superiore constituitur vicarius temporaneus ad nutum, verum beneficium censetur possideri a superiore, et incorporatio facta monasterio tenet locum collationis perpetuæ, illi vero qui a Superiore designantur ad curæ animarum exercitium, ejus vicarii sunt, et censentur habere beneficium manuale. *Cf.* Clem. un. *De Suppl. negl. Prælat.* (I. 5).

27. Non idem vero dicendum de *vicaria perpetua*. Ea enim constituit verum et proprie dictum beneficium ecclesiasticum. Nam 1°. Vicarius perpetuus constituitur ita, ut ab officio *removeri* nequeat nisi una ex causis canonicis verificetur, et nisi serventur modi in jure expressi ad parochos ab officio removendos. 2°. in Clem. un. *De potest. Vicarii* (I. 7) vicarius perpetuus æquiparatur veris et titularibus parochis tum quoad *incompatibilitatem* alterius vicariæ, tum quoad *ætatem* et *ordinem* requisitum. Hinc etiam vicaria perpetua confertur per concursum juxta legem Tridentinam. Merito igitur in c. 27. *De Rescript.* (I. 3) appellatur beneficium.

28. *De Commenda.* — In genere Commenda dicitur custodia Ecclesiæ vel beneficii alicui commissa et commendatarius dicitur clericus, qui Ecclesiam vel beneficium in commendam recipit. At diversa est Commenda antiqua, seu quæ obtinebat jure antiquo a Commenda nostrorum temporum. Commenda *antiquitus* nihil aliud erat nisi custodia Ecclesiæ vel beneficii vacantis alicui clerico commissa ut bona administraret, et fructus erogaret pro ministrorum mercede, pro Ecclesiæ conservatione et pro augmento bonorum ipsorum seu dotis beneficii vel Ecclesiæ. Quare instituta non erat commenda in commodum Clerici commendatarii, sed in utilitatem Ecclesiæ ipsius vel beneficii. Hinc duo sequebantur, 1°. ipso jure unum eundemque clericum potuisse retinere Commendam etiam simul cum alio beneficio in titulum c. 54. §. 5. *De Elect.* (I. 6); 2°. commendas *non* fuisse *perpetuas,* sed perdurasse quoadusque id exegisset utilitas Ecclesiæ vel beneficii. Immo antiquitus Commendæ concedebantur non ultra *sex menses,* c. 15. *de Elect.* (I. 6) in 6°. Ex qua notione sequitur, antiquas Commendas non fuisse vera beneficia.

29. At tractu temporis inductum est, ut Commendæ essent perpetuæ et conferrentur ita, ut Commendatarius perciperet fructus seu reditus Ecclesiæ aut beneficii commendati, et Commendam reciperet ad instar tituli. Commenda igitur *nostris temporibus* est verum beneficium. Quare Concilium Tridentinum cc. 2. et 4. sess. 7. et c. 17. sess. 24. *de Ref.* prohibet, ne quis plura possideat simul beneficia etiam commendata. Quæ prohibitio extenditur etiam ad casum, in quo unum beneficium retineretur in titulum, et aliud in Commendam. Hinc hodierno jure commendæ nonnisi *a Romano Pontifice* concedi possunt et duplici in casu concedi solent 1°. quando alicui personæ qualificatæ, quæ jam beneficium possideat in titulum, ut commodius *sustentari* possit, aliud beneficium conceditur in Commendam, ne videatur duplici titulo investiri. 2°. Concedi solent in Commendam *abbatiæ* seu beneficia *regularia.* Conceduntur vero beneficia ista in Commendam Clericis *sæcularibus,* ne videatur mutata indoles beneficii. Nam, cessante concessione in Commendam, beneficium redit pleno jure in pristinam conditionem beneficii regularis.

30. *De Capellania.* Capellania est institutio quædam Ecclesiastica qua Clericus tenetur Missam celebrare juxta intentionem pii fundatoris, et jus habet percipiendi fructus bonorum designato-

rum ab eodem pio fundatore. Hinc inspecta juridica institutione Capellaniarum, Capellano *non* adsignantur *determinata* stipendia pro singulis missis quas celebrat, sed conceduntur fructus quorundam bonorum, quibus onus adnexum est missam vel quotidie, vel determinatis in anno vicibus celebrandi. Ceterum potest etiam pro singulis missis quantitas eleemosynæ designari quemadmodum non raro fieri solet ex voluntate fundatorum. Generatim Capellaniæ fundantur in *determinatis* Capellis vel Ecclesiis. Porro si Capellania auctoritatis ecclesiasticæ idest Episcopi vel alterius superioris ecclesiastici decreto ea lege fundetur, ut conferatur personæ clerici in perpetuum, induit naturam beneficii ecclesiastici, et constituere potest titulum sacræ ordinationis.

31. Quæ requisita si desint Capellania dicitur *laicalis* vel legatum pium Missarum.

32. De Capellania loquitur c. 11. h. t. Ex hoc capite inferunt doctores Capellanum, qui ex lege fundationis tenetur *per seipsum* missam quotidianam celebrare, posse licite prætermittere aliquando celebrationem Missæ, tum ob causam *infirmitatis,* tum ob causam *honestatis* et *debitæ devotionis,* et nihilominus percipere posse fructus capellaniæ. Diximus »*per seipsum*«; nam si onus capellano non incumbit *per seipsum* quotidie Missam celebrare, nunquam vacare poterit a celebrando, quin per alium celebrare faciat; S. C. Conc. d. 18. Sept. 1683. ad VI^um^. in *Collen.* apud *Benedictum XIV.* in opere *De ss. Missæ Sacrificio* l. 3. cp. 3. n. 6. et in causa *Applicationis Missarum*, d. 24. Febr. 1872. — Nunc loquimur solum de casu quo Capellanus tenetur celebrare per *seipsum.* Certum est ex dispositione c. 11. h. t. nec non ex decisione S. C. C. in *Collen.* d. 18. Sept. 1683. ad I^um^. et II^um^., posse sacerdotes obligatos ratione beneficii, capellaniæ, legati aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, vacare a celebratione *concurrente aliqua legitima causa.* Hæ legitimæ causæ sunt secundum c. 11. h. t.: infirmitas, honestas, devotio. —

At si vacant ejusmodi capellani, *debentne per alios celebrare facere* missas fundatas an *liberantur omnino* ab onere missarum vacationis diebus? Cum a S. C. Concilii in eadem causa *Collen.* ad V^um^. similiter quæreretur, eadem S. Congr. distulit resolutionem et postea, sc. d. 13. Nov. 1683 respondit, quod *dabitur resolutio in casibus particularibus.* Ex hac resolutione eruitur, non constare de obligatione celebrare faciendi missam fundatam per alium,

sed utrum hæc obligatio adsit annon, *non generaliter,* sed in singulis casibus decretum iri. —

Revera S. C. Concilii dedit duas resolutiones respicientes causam *infirmitatis.* In causa *Romana,* dd. 4. Jun. 1689 et 17. Nov. 1695 rescripsit capellanum infirmum ad *15 dies* non teneri neque per se neque alios missas celebrare. — Si vero sacerdos esset *ordinatus* ad *titulum* capellaniæ, et ob infirmitatem redderetur impotens ad Missam celebrandam, simulque non aliunde haberet unde viveret, *durante impotentia* non teneretur nec per alium ad Missæ celebrationem. S. C. Conc. in *Pistorien.* 5. Febr. 1650 et in *Patavina* 24. April 1655.

33. Auctores quidem contendunt capellanos non solum posse vacare a celebratione missæ, sed etiam applicare interdum (quinquies sexiesve) pro se ipsis vel pro suis, excluso tamen semper Missæ stipendio. S. C. Concilii vero in sæpe dicta causa *Collen.* quæstioni III^{ae}.: »An diebus licitæ vacationis possint Missam pro se ipsis vel aliis, præterquam pro Fundatoribus celebrare«; respondit: *Negative,* d. 18. Sept. 1683. Et ne falso intelligeretur hæc responsio, sc. quasi tantum perceptio stipendii excluderetur, addidit IV^{um}. dubium, cujus solutio expresse etiam stipendium omnino excludit. — Ex quibus apparet applicationem pro *se* vel *aliis,* sive *cum* sive *sine* stipendio, etiam diebus *licitæ* vacationis a S. C. Conc. omnino vetari. —

34. *Præstimonium* seu portio præstimonialis est stipendium determinatum ex reditibus ecclesiasticis deductum, alicui clerico concessum in subsidium vitæ præcipue cum studiis vacat. Præstimonia solent concedi ad tempus, durante scilicet ratione concessionis. Hinc vera beneficia non sunt; præsertim quia præstimonia secumferre non solent aliquod servitium Ecclesiæ.

Verum quandoque præstimonia conceduntur in *perpetuum* seu in titulum proprium et ipsis adnectitur onus recitandi horas canonicas. Qua in specie præstimonia induunt indolem propriedicti beneficii ecclesiastici, et hoc in sensu accepta a *Bonifacio VIII.* appellantur Beneficia in c. 8. *de Concess. Præb.* (III. 7) in 6°.

35. *Pensio* est *'certa portio fructuum ab aliquo beneficio aut mensa episcopali vel abbatiali ab auctoritate legitima ad tempus et non in perpetuum separata'.* Quæritur, utrum pensio sit beneficium? Nullum dubium est si agatur de pensionibus quæ laicis

dantur ob civile officium vel laicalem laborem uti est ex. gr. pensio adsignata procuratori, pensio adsignata æditno etc., quæ pensiones dicuntur laicales. Hæ videlicet pensiones nullo modo qualitatem et nomen beneficii sibi vindicant.

36. Quod si sermo sit de pensionibus, quæ clericis conferuntur in titulum vel ad vitam clerici, pensiones hujusmodi in *favorabilibus*, non vero in odiosis æquiparantur beneficiis et veniunt sub nomine beneficii, quemadmodum declaravit *Greg. XIII.* die 18. Decemb. 1576 et die 8. Aug. 1577. Ex qua declaratione patet, pensionem non esse revera proprie dictum beneficium ecclesiasticum, nec incidere sub dispositionem Tridentini in sess. 23. c. 6. *de Ref.* quæ cavet ne beneficium ecclesiasticum concedatur clerico ante annum decimum quartum ætatis.

37. Hac vero in re notandum est, clerico pensionem percipienti inesse onus recitationis officii parvi B. Mariæ Virg.; quod nisi fecerit, subjicitur eisdem pœnis, quibus subest clericus beneficiatus non recitans breviarium. Id patet ex Const. 135. *S. Pii V.* quæ incipit *In proximo.* Ad hanc vero recitationem officii parvi non tenetur clericus pensionis possessor si ex alio titulo teneatur ad recitationem breviarii ex. gr. eo quod jam fuerit in sacris ordinibus constitutus.

De erectione Beneficiorum ecclesiasticorum.

38. Eriguntur beneficia ecclesiastica cum formaliter acceptatur a *Curia ecclesiastica,* et erigitur in titulum canonicum pia voluntas institutoris designantis conditiones servandas in beneficio, et bona seu reditus in dotem beneficii ipsius. Porro formalis hæc acceptatio et erectio perficitur *per decretum* quo auctoritate ordinaria episcopus constituit aliquod determinatum officium sacrum servatis conditionibus a pio institutore designatis, eique in perpetuum adjungit titulo dotationis bona designata ab eodem pio institutore. Formulæ autem pro variis fundationibus legi possunt penes *Monacelli* in opere *Formularium legale practicum fori Eccl.* t. 2.

39. Potest autem institutor *in limine fundationis* adjicere quascumque conditiones, seu leges, dummodo *possibiles* fuerint et *honestæ,* et dummodo ab auctoritate Ecclesiastica *acceptentur.* Id deducitur ex c. 11. h. t., expressius docent cc. 23. *De Jure patr.* (III. 38) et 16. *De censibus* (III. 39). Servandæ vero sunt conditiones hujusmodi adjectæ, ita ut si collatio fiat, neglectis con-

ditionibus in fundatione appositis, *nulla* censeatur. Ita constituit Concilium Tridentinum in sess. 25. c. 5. *de Ref.* Hæc dispositio Tridentina ex interpretatione S. C. Concilii ab auctoribus relata constituit legem canonicam universalem. Hinc conditiones adjectæ in limine fundationis pertinent ad ipsam idoneitatem clerici promovendi ad beneficium, ita ut idoneus non sit ad beneficium assequendum quicumque qualitates ab institutore adsignatas non præseferat.

40. Hinc etiam qualitates seu conditiones appositas in fundatione immutare nequeunt sive patronus, sive successor, aut hæres fundatoris etiam cum consensu Episcopi, ceu etiam S. C. Concilii pluries tenuit, prout patet ex relationibus relatis a *Pyrro Corrado Praxis Beneficior.* l. 1. c. 10. n. 145. et a *Fagnano comm.* ad c. 6. *de Clericis non resid.* (III. 4) n. 22. Ratio est; quia posita fundatione beneficii, intrat lex tridentina de obligatione observandi dispositiones in limine fundationis positas. Nec iisdem conditionibus censetur derogari per clausulas derogatorias descriptas in Literis Apostolicis, nisi expressa mentio de illis conditionibus fiat. — Porro conditiones hujusmodi valent et servandæ sunt non solum si sint *præter* jus ex. gr. si beneficio simplici assequendo adjicitur qualitas ut clericus sit sacerdos, doctor etc. sed etiam si sint *contra* jus, ex. gr. si collatio, aut institutio reservetur clericis alicujus familiæ. Conditiones vero debent esse *possibiles* et *honestæ.* Honestas vero excludit non solum quidquid bonis moribus et virtutibus moralibus adversatur, sed etiam quidquid redderet cultum et officium ecclesiasticum minus utile vel minus honorabile. Quare inhonestæ in sensu canonico sunt etiam conditiones, quæ ad ordinum ecclesiasticorum officia vocarent irregulares.

De Collatione Beneficiorum.

41. De divisione beneficiorum ex modo provisionis agentes, vidimus, alia esse beneficia *electiva*, alia *patronata*, alia vero *collativa.* Priorum beneficiorum provisio efficitur, prævia electione vel postulatione, de quibus agitur in titulis 5°. et 6°. lib. I.

42. Secundi generis beneficiorum provisio fit per præsentationem factam a patrono et consequentem institutionem dandam a Superiore, de quibus sermo erit in titulis 7. et 38. hujus libri. Remanet ergo in titulo nostro agendum de provisione beneficiorum

collativorum, quæ proprie dicta *collatio* nuncupatur. Collatio definiri potest:

43. *Provisio beneficii vacantis favore clerici idonei facta pleno et proprio jure a Superiore ecclesiastico habente potestatem.* Differentia specifica hujus provisionis ab aliis modis provisionis in eo consistit, ut fiat a superiore seu a prælato ex *proprio et solo jure* prælati seu absque electione vel præsentatione per alios facta. Ex definitione sequitur, solummodo personam *ecclesiasticam* posse conferre beneficia. Hinc laici beneficia conferre nequeunt. Et quidem hoc jus conferendi neque acquirere possunt laici ex *consuetudine* aut *præscriptione* cc. 51. *De Elect.* (I. 6) et 5. *de Jure patr.* (III. 38). At laici aliquod beneficium conferre possunt ex *privilegio apostolico.*

44. His positis, quæritur: *Quinam est legitimus beneficiorum collator?* 1°. Confert beneficia in universa Ecclesia *Romanus Pontifex.* 2°. Ordinarius collator pro sua diœcesi est *Episcopus.* 3°. Ex particulari titulo beneficia conferunt etiam *alii clerici.* — Primo loco *Romanus Pontifex potest conferre beneficia in universa Ecclesia.* Nam quemadmodum ipse potestatem habet in omnes fideles, ita etiam disponere potest de bonis et juribus ecclesiasticis c. 2. *de præb.* (III. 4) in 6°. et Clem. 1ª. circa finem *Ut lite pendente* (II. 5).

45. Distinguuntur vero a Canonistis quatuor modi, quibus Romanus Pontifex in aliis diœcesibus extra romanam diœcesim confert beneficia: 1°. jure *præventionis,* 2°. jure *concursus,* 3°. jure *devolutionis,* 4°. jure *reservationis* et 5°. *affectionis.* — Et 1°. quidem jure præventionis confert beneficia R. Pontifex, cum collatorem ordinarium prævenit disponens de aliquo beneficio pro tempore quo vacabit. Hoc jus exercet R. Pontifex 1°. cum alicui concedit gratiam *exspectativam* ad assequendum beneficium proxime vacaturum; ex cap. 2. *de præb.* (III. 4) in 6°. 2°. Alicui concedens coadjutoriam *cum futura successione* in aliquo peculiari beneficio. Merito autem hoc jus dicitur præventionis; quia revera prævenit auctoritatem ordinarii collatoris. Etenim in jure canonico regula generalis est, ut ab ordinariis locorum beneficia solummodo vacantia conferantur. Hinc in c. 19. sess. 24. *de Ref.* in Tridentino interdicuntur gratiæ seu literæ exspectativæ et c. 7. sess. 25. *de Ref.* prohibentur coadjutoriæ. Solus ergo R. Pontifex, qui est supra jus commune, concedere potest jus ad beneficium nondum vacans, quemadmodum videri potest in c. 14. h. t. in 6°.

46. 2°. Jure *concursus* confert R. Pontifex beneficium, cum concurrit cum alio ordinario collatore; scilicet cum confert beneficium vacans, quod proprio jure possit ab alio conferri. Hoc in casu juxta c. 31. *de Præb.* (III. 4) in 6°. datur locus præventioni, ut scilicet juxta *regulam juris* 54. in 6°.: *Qui prior est tempore, potior est jure*, ille clericus prævaleat in jure, cui prius fuit collatum beneficium. Quod si definiri nequeat an prior R. Pontifex, vel inferior collator beneficium contulerit, quia eadem die utraque collatio facta est, præferendus est *qui possidet;* quod si neuter possideat præfertur ille, qui beneficium a R. Pontifice accepit; ita in cit. c. 31. *de præb.* in 6°.

47. 3°. Jure *Devolutionis* confert Romanus Pontifex beneficium ecclesiasticum 1°. si inferiores collatores negligentes fuerint in collatione, seu beneficium vacans non contulerint intra tempus statutum a jure c. 8. *de Const.* (I. 2). Recolendum enim est, sacros canones designasse tempus ad collationem beneficiorum utile. Pro beneficiis majoribus statutum est in decretalibus et præcise in c. 41. *de Elect.* (I. 6) ea non debere vacare ultra *trimestre.* Pro inferioribus beneficiis vero *semestre* utile ad conferendum adsignatum est c. 2. et c. 5. *de Concessione Præb.* (III. 8). Negligentibus primis et ordinariis collatoribus, jus conferendi ad superiorem immediatum devolvitur, ac tandem ad R. Pontificem. 2° jure devolutionis majorum beneficiorum collatio transibat ad R. Pontificem immediate, si in electione spreta fuisset *forma canonica*, vel a majori parte Capituli electus fuisset scienter *indignus*, aliis Canonicis non contradicentibus c. 18. *de Elect.* (I. 6) in 6°. Hæc vero quoad beneficia majora fere omnia immutata sunt postquam eadem reservata fuerunt Romano Pontifici.

48. 4°. Jure *reservationis* confert Romanus Pontifex beneficia. Reservatio definitur '*Avocatio beneficii vacaturi a collatore ordinario ad superiorem, qui potestatem habet ad id jure agendum*'. Hodie jus hoc sibi reservandi collationem alicujus beneficii est proprium solius Romani Pontificis, dum jure decretalium etiam Legatus a latere in provincia suæ delegationis poterat sibi reservare collationem aliquorum beneficiorum c. 3. *De Officio Legati* (I. 15) in 6°.

49. Ratio vero cur in praxi introductum fuerit et servetur jus reservationis aliquorum beneficiorum Romano Pontifici, multiplex est. Supposito enim quod Romanus Pontifex censetur in jure ceu supremus administrator et distributor bonorum ecclesiasticorum cit.

Cl. 1. *ut lite pendente* (II. 3), congruum visum est reservari Romano Pontifici provisionem aliquorum beneficiorum 1°. ut ea conferat Clericis de Ecclesia universali *optime meritis* Gloss. in Extrav. *Joannis XXII.* un. h. t. v. »reservamus«, 2°. ut major conservetur unio et dependentia personarum ecclesiasticarum a *centro unitatis* catholicæ seu a R. Sede c. 21. C. 9. q. 3. Reservare autem potest sibi Pontifex beneficia reservatione *generali*, vel *speciali*; reservatione generali quidem, cum sibi reservat in communi plura beneficia, speciali autem cum certum aliquod beneficium sibi reservat. Sub generali reservatione non veniunt quædam beneficia, nisi de ipsis specialis mentio fiat. Sunt vero hæc beneficia præsertim 1°. ea quæ perpetua non sunt relate ad possessorem, sed revocabilia sunt, et ad nutum conferuntur, idest beneficia *manualia*, 2°. Beneficia quæ a reservationibus excluduntur in particularibus regnorum *concordatis* cum Sede Apostolica.

50. Alia distinctio est inter reservationem, quæ *per bullas* seu constitutiones perpetua efficitur, et eam, quæ *in regulis Cancellariæ Apostolicæ* describitur. Prior reservatio perpetuo durat, seu quoadusque non fuerit per aliam constitutionem Pontificis abrogata. Secunda viget solummodo vivente Pontifice, scilicet sede plena. Nam moriente Pontifice, Regulæ Cancellariæ amittunt vim suam et eam recipiunt iterum quando a novo Pontifice confirmantur. Quare ordinarius collator Sede Apostolica vacante potest conferre beneficia reservata in Regulis Cancellariæ Apostolicæ. Qua in re animadvertendum est, nonnullas reservationes haberi in Regulis et *simul* in constitutionibus generalibus et bullis. Hæ reservationes non suspenduntur, sed vigent etiam tempore sedis vacantis.

51. Prioris generis plures dantur reservationes: 1°. reservantur beneficia, quæ vacant in Curia Pontificis c. 2. h. t. in 6°. Censentur autem vacare in Curia a) beneficia *Officialium Romanæ Curiæ* idest officialium familiarium Papæ et Cardinalium; b) beneficia clericorum, qui ratione ecclesiasticorum negotiorum venientes ad Curiam Romani Pontificis vel in loco ubi residet Curia *moriuntur*, vel in locis vicinis. Loca autem vicina sunt, quæ a Curia non distant ultra duas dietas legales, idest non 40 milliaria italica, c. 34. h. t. in 6°. Dieta legalis complectitur spatium seu distantiam, quam quis una die percurrere commode posse præsumitur, idest 20 milliaria, scilicet circiter 7 leucas. L. »Si quis« et L. »Vicena millia« ff. *de Verbor. Signif.* Hæc vero reservatio per-

petua non est, sed post mensem computandum a die vacationis, non autem a die notitiæ vacationis, potest beneficium adhuc vacans conferri ab ordinario collatore; c. 3. h. t. in 6⁰. — 2⁰. Reservatur S. Sedi beneficium collatum per *simoniam confidentialem,* Const. 85. *Pii IV. 'Romanum Pontificem'.* Quam constitutionem confirmans *S. Pius V.* in Const. »*Intolerabilis*« extendit ad omnia beneficia, quæ *possidebat* confidentiarius. 3⁰. Reservantur beneficia, quæ fuerint collata non servata forma Tridentini. Const. 33. *S. Pii V.* »*In conferendis.*« 4⁰. Beneficia vacantia propter crimen hæresis. Ita in Const. 29. *S. Pii V.* »*Cum ex apostolatus.*« Dantur præterea reservationes, quæ in Regulis Cancellariæ Apostolicæ continentur. Porro Regulæ istæ a Cancellaria Apostolica appellantur, non quia solos officiales illius Cancellariæ obligant, sed quia respiciunt præsertim expeditiones Literarum Apostolicarum per ipsam Cancellariam in conferendis beneficiis faciendas. Regulæ autem hujusmodi nihil aliud sunt quam quædam constitutiones quas singuli Pontifices a principio sui Pontificatus facere consueverunt post *Joannem XXII.,* qui prior fuisse videtur (a. 1331.) earundem auctor. Hæ regulæ solent esse 72. Regulas Cancellariæ interpretatur præsertim *Riganti Joannes Baptista,* cujus opus (sc. *Commentaria in regulas Cancellariæ,* 4 tom. Rom. 1744.) in re canonica est maxime utile.

52. Inter alias speciali declaratione indiget *Regula I.* quæ de *mensibus papalibus,* et de *mensibus episcopalibus* est. Vi regulæ hujusmodi reservantur R. Pontifici beneficia aliunde etiam non reservata, quæ extra Curiam non quidem per renunciationem, sed aliis modis vacaverint in mensibus Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris et Novembris. Possunt vero Episcopi exposcere in scriptis et assequi a Dataria Apostolica alternos menses, ita scilicet ut Pontifex conferat beneficia vacantia mense Januario, Episcopus vero conferre possit beneficia aliunde non reservata, quæ vacent mense Februario ac sic deinceps quoad alios menses. Menses in quibus confert Papa, appellantur menses papales, menses autem reliqui dicuntur episcopales. Hæc regula observatur in Dataria Apostolica pro locis in quibus conventiones, vulgo *concordata,* cum civili auctoritate inita non fuerint. Ubi enim adsit concordatum normæ concordati ipsius observantur.

53. Notandum autem est S. R. E. Cardinalibus in eorum creationi concedi solere per Literas Apostolicas in forma *Brevis* in-

dultum conferendi Beneficia ad eos pertinentia quocunque mense vacaverint dummodo non sint aliunde reservata. Unde Cardinales non Episcopi Romæ in suis Titulis et Cardinales Episcopi in suis diœcesibus non tenentur observare legem Regulæ 9. Cancellariæ Apostolicæ de mensibus papalibus. At si beneficium vacet in mense papali et ejus reditus excedant annua 24 ducata auri de Camera, illud quidem confert Cardinalis, sed provisio expediri debet per Literas Apostolicas in Cancellaria R. Pontificis. *Riganti* ad Reg. 9. Canc. Apost. §. 3. n. 153.

54. 5°. *De affectione beneficiorum.* Si Romanus Pontifex *manus apposuerit* in aliquo beneficio cum intentione de eodem disponendi, beneficium illud dicitur affectum, et ob reverentiam Sedi Apostolicæ debitam, collator ordinarius censetur impeditus quominus pro ea vice beneficium conferat. Affectio igitur relationem dicit ad reservationem quia pro ea vice collatio beneficii reservatur Romano Pontifici.

55. *Differt* vero affectio a *reservatione,* tum quia reservatio procedit ex bulla, vel ex Regula Cancellariæ, affectio autem procedit seu inducitur ex facto appositionis manus Pontificis, tum quia reservatio in genere respicit beneficium in *omnibus* collationibus, affectio autem *pro ea tantum vice* in qua manus apposita est. — Ut autem verificetur affectio, debet Pontifex apponere manus *in ordine ad collationem;* scilicet debet manifestare intentionem disponendi de Beneficii collatione. Casus affectionis esset si beneficium vacans Pontifex conferret in *Commendam,* vel in *administrationem.* Cessante commenda vel administratione, collatio spectat ad Romanum Pontificem. Pariter affectum redditur beneficium *ex mandato de providendo,* quod concedatur pro aliquo speciali beneficio nondum vacante. Sic etiam si Pontifex exquirat ab alio *renunciationem* beneficii in *proprias* manus, aut aliquem *privet* beneficio quod possidet. Hinc ex. gr. affectum non redditur beneficium si Pontifex tantummodo pensionem imponat; sic pariter si disponat de beneficio per errorem, reputans illud esse sibi reservatum.

De aliis Collatoribus.

56. In diœcesi *ordinarius* collator beneficiorum est Episcopus, qui habet hac in re fundatam intentionem in jure, ita videlicet ut nemo alius possit sibi vindicare collationem, nisi probaverit titulum specialem ex quo sibi competat hæc collatio. Tituli autem

speciales sunt: 1°. *privilegium Pontificis,* 2°. *lex in tabulis fundationis expressa,* 3°. *præscriptio* seu *consuetudo* vel *centenaria* vel *immemorialis.* Quid vero dicendum de potestate *capituli* Cathedralis Ecclesiæ *sede vacante?*

57. Capitulum et ejus Vicarius non potest sede vacante conferre beneficia liberæ collationis, quorum collatio spectat *exclusive* ad Episcopum c. 2. *Ne Sede vacante* (III. 9). Nam collatio hujusmodi non est actus necessariæ administrationis, quæ capitulo ejusque vicario competit, sed liberalitatis c. 9. h. t. In genere autem actus liberalitatis reservantur tantum Episcopo cc. 4. *de Off. ord.* (I. 31) et 40. *de Elect.* (I. 6) in 6°. Dicitur vero quorum collatio pertinet ad solum Episcopum.

58. Nam si collatio beneficii communiter pertineret ad Episcopum *simul* et ad Capitulum, hoc in casu, sede vacante ex jure *non decrescendi,* conferre illud posset Capitulum c. un. *Ne sede vacante* (III. 8) in 6°. Hæc vero regula locum non habet quando Episcopus est qui confert, sed exquirere debet *consilium* vel etiam *assensum* capituli; quemadmodum docet idem c. un. *Ne Sede vacante* §. »Cum vero« in 6°. Item capitulum non potest conferre beneficia, quæ ex negligentia inferioris collatoris devolvuntur ad Episcopum. Hæc enim beneficia incidunt sub regulam expressam in cc. 3. *Ne sede vacante* (III. 9) et *un.* ejusd. tit. in 6°., videlicet capitulum non posse conferre beneficia quorum collatio pertinet ad Episcopum. Potest autem capitulum sede vacante vel confirmare electionem in beneficiis electivis diœceseos vel instituere in beneficium clericum idoneum præsentatum a patrono. Collationes enim hujusmodi non censentur esse actus liberalitatis, sed necessitatis. Nam confirmatio et institutio sunt actus debiti erga determinatas personas, si personæ hujusmodi necnon electio vel præsentatio qualitatibus canonicis munitæ sint. Conf. c. 14. *de Majoritate et Ob.* (I. 33) et c. 3. *de Elect. et Elect. pot.* (I. 6).

De regulis collationis.

59. 1ª. Regula est, ut quævis collatio fiat, nullo intercedente pretio seu mercede temporali pro jure beneficii quod conceditur; secus enim collatio tamquam *simoniaca* nulla est. Extr. comm. 2. »Cum detestabile« *De simonia* (V. 1). — Huic regulæ similis est 2ª. ut nempe non adjiciatur *privata* auctoritate *pactum* seu *conditio* in ordine ad aliquod onus spirituale alienum a beneficio, et noviter

inducendum: ex. gr. ut Missa celebretur a novo Beneficiario quadam hora determinata; sed pure conferri beneficium debet. *Pactio enim,* ut docet c. 5. *De Rer. permut.* (III. 19), *circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem semper continet Simoniæ.* — Collatio insuper 3°. veri et proprie dicti beneficii debet fieri *in perpetuum,* seu ut duret ad vitam Clerici, nec *simul duobus* clericis fieri potest vel ut *eodem* tempore uterque possideat beneficium, vel ut *successive* unus possideat post alium c. 20. h. t. — 4ª Regula est, ut collatio fiat intra *tempus utile* statutum a jure. Pro beneficiis majoribus, uti vidimus, tempus utile est *trimestre.* Pro aliis et communibus beneficiis, etiam dignitatibus concessum est a jure *semestre* ab habita notitia vacationis. Tempus enim ignoranti non currit cc. 41. *de Elect.* (I. 6) et 2. et 5. *de Concess. Præb.* (III. 8). — 5ª. Regula est, ut servetur in collatione *forma* in jure *communi* vel in statutis Ecclesiæ *particularis* ubi erectum est beneficium, vel in lege *fundationis* præscripta, vel etiam a legitima *consuetudine* inducta.

60. De forma a jure communi præscripta agentes, loqui præsertim debemus de forma concursus quam servandam esse præcipit Trid. Concilium in collatione beneficiorum, quibus cura animarum adnexa est. De hac re loquitur Tridentinum in c. 18. sess. 24. *de Ref.* Statuit nempe Concilium, ut statim ac Episcopus habuerit notitiam vacationis Ecclesiæ, constituat in Ecclesia vacante seu in Parœcia idoneum Vicarium, cui ex præbenda parochiali adsignet portionem fructuum pro congrua vitæ sustentatione, et deinde, intimato per edictum concursu, deveniatur ad examen. Cum vero Tridentinum formam examinis non determinaverit, eam præfiniverunt Literæ Encyclicæ *Clementis XI.* diei 10. Januarii 1721 et Constitutio *Benedicti XIV. Cum illud* diei 14. Dec. 1742. in qua Pontifex inserit easdem literas Clementis XI. Ex quibus locis juris deducimus, provisionem parœciarum ita procedere debere ut 1°. intimetur concursus et præfigatur terminus intra quem Cancellario Episcopi vel alteri ad hoc determinato a singulis concurrentibus exhibeantur *propria requisita.* Horum requisitorum rationem habere debent examinatores ita ut non solum de scientia, sed etiam de *vita* et *moribus* et de *personalibus qualitatibus* judicium ferre debeant. 2°. Concurrentes clausi omnes in eodem conclavi tempore congruo et determinato, latino idiomate utentes respondere debent in scriptis *quæstionibus aliquibus moralibus* pro-

positis sub forma casuum seu specierum concretarum et conscribere etiam in lingua vernacula debent *brevem orationem* in themate quod proponitur. Quæ omnia scripta, ad authenticitatem probandam in casu litis, subscribuntur ab Episcopo vel ejus Vicario et ab examinatoribus et Cancellario concursus. 3°. Debent examinatores æquo judicio *librare* responsiones a concurrentibus scripto datas ad quæstiones propositas, nec non brevem orationem in lingua vernacula conscriptam. Tandem *perscrutari* debent et expendere requisita, et qualitates singulorum concurrentium. Hisce omnibus conjunctim rite perpensis; idoneos clericos Episcopo designare debent, Episcopus vero Parœciam conferat clerico, qui sibi visus fuerit *magis idoneus* magisque dignus inter approbatos ab examinatoribus.

61. Concursus etiam est intimandus ab Episcopo quando collatio Parœciæ reservata est *Romano Pontifici.* — Quod si collatio pertineat ad Romanum Pontificem eo quod vacaverit in *mensibus reservatis,* Episcopus eligere debet magis idoneum et eum præsentare Datariæ apostolicæ, quin mittat acta concursus, nisi requirantur. Quod si reservatio ex *alio capite* procedat, hoc in casu Episcopus transmittere debet simpliciter acta concursus ad Datariam quæ per seipsam videbit cuinam conferendum sit beneficium curatum.

62. Quædam quæstiones modo proponendæ sunt. Examinatores saltem esse debent *tres,* secus collatio *nulla* censetur ex tridentina dispositione. Debent vero ferre suffragium *antequam* a loco examinis recedant. Quæritur vero 1°. *an Episcopus, vel ejus Vicarius possint ferre votum decisivum simul cum examinatoribus.* Et placuit in genere nullam partem esse Episcopo aut ejus Vicario, si examini assistant, et solummodo ferre posse suffragium decisivum *quando vota examinatorum sunt vel paria* hinc inde divisa, *vel* sint *singularia,* ita scilicet ut quisque examinator non conveniat cum aliis. Hoc nempe duplici in casu antequam recedunt a loco examinis, potest Episcopus vel ejus Vicarius suffragio suo accedere alicui vel aliquibus examinatoribus. Ita respondisse S. C. Concilii anno 1573 refertur in libro 1. *decretor.* p. 158; cfr. *Benedictum XIV.* in *Syn.* l. 4. cp. 8. n. 5.

63. 2ª. Quæstio. Examinatoribus competit onus examinis non solum scientiæ, sed etiam *morum, prudentiæ, ætatis, laborum* pro Ecclesia præstitorum et in genere judicare debent circa qualitates et dotes requisitas pro Parochis ad curam animarum rite geren-

dam. Ita S. Congregatio in *Urbinat.* ann. 1601 et al. 23. Jun. 1605 et *Hydruntina* 19. Junii 1638. Quæ omnia nisi examinatores præstiterint, *nullus* est concursus et *nulla* est collatio beneficii parochialis, quemadmodum resolvit S. C. Concilii die 2. Augusti 1607.

64. Quibus positis quæritur an ad eosdem examinatores pertineat designare *quinam sit magis idoneus* inter concurrentes cui juxta Tridentinum conferatur Parœcia vacans? Dicendum est judicio *Episcopi* reservari electionem dignioris inter eos, quos examinatores, omnibus perpensis, idoneos judicaverint. Verba satis clara sunt Concilii in cit. c. 18.: 'Ex hisque', ajunt Patres Tridentini, 'idest ex approbatis, Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit'. Et interrogata hac super re S. Congregatio ab Episcopo *Patavino* anno 1573 (l. I. *Decr.* pg. 110.) expresse respondit, judicium ad determinandum magis idoneum proprium non esse examinatorum, sed *Episcopi ipsius.* Quam sententiam secutus est *Benedictus XIV.* in citata constitutione »*Cum illud*« §. »Absoluto examine«. Poterit ergo Episcopus, si velit, exquirere consilium examinatorum ad magis idoneum determinandum, at non tenebitur illud amplecti.

65. 3ª. Quæstio. Quid dicendum, si emisso ab Episcopo decreto, quo digniorem designavit, enascatur quæstio, et quidam ex concurrentibus, ratus se spretum fuisse, et postpositum electo minus digno, proponat appellationem, vel a mala relatione examinatorum vel ab irrationabili judicio Episcopi? *Appellatio* hæc servatur in *devolutivo, non in suspensivo.* Appellatio vero intra 10 dies a die collationis beneficii numerandos proponi potest vel coram Metropolitano, vel si eligens fuerit ipse Metropolitanus aut exemptus, coram viciniore Ordinario tamquam Sedis Apostolicæ delegato, vel alias directe coram ipsa S. Sede.

66. In Const. 33. *S. Pii V.* statutum erat ut coram judice appellationis novum examen seu concursus fieret. At hæc dispositio correcta est a *Benedicto XIV.* in cit. Const. *Cum illud* in qua Pontifex decernit coram judice appellationis producenda esse acta integra concursus jam habiti, ita ut judicium in gradu appellationis ferendum sit super iisdem actis, nec concurrentibus liceat alia documenta seu requisita producere. Hæc autem mutatio facta est ad præcavendos abusus, qui irrepserant. Namque non semel contigit, ut qui in primo concursu rejecti fuerant, vel minora suf-

fragia retulerant, se melius ad novum examen subeundum disponerent et præpararent simulque nova documenta expiscarent, atque ita meliorem in secundo examine exitum obtinentes eluderent malum exitum prioris concursus.

67. Porro si ab examine actorum sequatur sententia *conformis* in gradu appellationis judicio episcopali, hoc in casu judicium hujusmodi transit in rem judicatam, et redditur legitima collatio parœciæ facta ab Episcopo. Quod si *difformis* sententia fuerit in gradu appellationis, judex tertiæ instantiæ videbit causam, et ex ejus sententia habebitur res judicata vel quoad decretum episcopale vel quoad sententiam in primo gradu appellationis, prout sententia tertii gradus alterutri fuerit conformis. Ille proinde obtinebit parœciam qui *binas* habuerit sententias *conformes.* Si autem appellatio immediate fiat ad S. Sedem hujus judicio standum erit. —

68. Quæritur *an et qua forma conferatur beneficium curatum non liberæ collationis.*

Si Beneficium curatum sit juris patronatus *ecclesiastici,* hoc in casu intimandus et conficiendus est concursus eademque ratione complendus qua conficitur pro beneficiis parochialibus liberæ collationis, et in eo differentia est, ut completo examine non Episcopus, sed patronus eligat digniorem inter approbatos et illum præsentet Episcopo ut concedat eidem institutionem canonicam in beneficio. Quod vero electio dignioris non ad examinatores, sed ad patronum pertineat, præter verba Tridentini in cit. c. 18. sess. 24. *de Ref.* quæ satis clara sunt, habemus resolutiones S. C. Concilii hoc ipsum declarantis. Sic in causa *Barchinonensi* an. 1573.

69. At si Beneficium curatum sit juris patronatus ecclesiastici et ejus institutio non ad Episcopum, sed vel ad ipsum *Romanum Pontificem* pertineat vel ad *alium:* in utroque casu ex dispositione Concilii Tridentini electio dignioris præ aliis perficienda erit ab *Episcopo* et Patronus præsentabit illum, quem Episcopus elegit. cit. sess. 24. c. 18. *de Ref.*

70. Quod si vero jus patronatus sit *laicale,* ex hoc cap. 18. nec concursus, nec electio dignioris locum habet, sed patronus præsentat Episcopo personam quæ ab examinatoribus synodalibus specimini subjicietur, ut ejus capacitas et idoneitas appareat. Potest vero aliquando locum habere examen per concursum in collatione parœciæ jurispatronatus laicalis. Id autem contingit, cum *plures et distincti* sint patroni, et *distinctas personas* præsentent.

71. Quid vero dicendum de collatione Beneficii curati jurispatronatus *mixti?* Quæstio erat, sed S. Congr. die 5. Febr. 1620 (*Benedictus XIV.* in *Syn.* l. 4. cp. 8. n. 9.) decrevit, collationem hanc *non* subjici legi examinis per concursum, sed sufficere examen idoneitatis personæ, quæ a patrono vel patronis fuerit præsentata. —

72. Præter beneficia patronata laicalia et mixta adsunt etiam et alia beneficia curata quæ *eximuntur* a lege examinis per concursum. Plures adnumerantur casus ab auctoribus et videri possunt penes *Barbosam* in tract. *de officio et potest. Episcopi* alleg. 6. partis III. nn. 18. et seqq. Præcipui vero sunt 1°. Cum cura animarum adnexa est *monasterio regularium*, quo in casu monasterium præsentat Episcopo religiosum virum, quem idoneum in examine repertum, Episcopus instituit. Const. 47. *S. Pii V. Ad exequendum* §§. 4. et 5. 2°. Sine concursu conferri poterit parochialis Ecclesia, si ita Episcopus, audito prius examinatorum consilio, judicaverit, a) quando adeo sint *exigui reditus* parœciæ, ut totius hujus examinationis operam non ferant, unde prævideat Episcopus nullum fore qui examini per concursum sese subjiciat. Ita Conc. Tridentinum in citato cap. 18. sess. 24. Talem esse parœciam, cujus reditus minores sunt 24 ducatis annuis de Camera, docet *Barbosa* in *Comm.* ad cap. 18. sess. 24. *de Ref.* in Trid. b) Cum prævideantur rixæ et *contentiones* in concursu: ita Trid. loco cit. c) Quando de facto nullus *comparuit* qui subire voluerit examen per concursum. Hoc in casu vero, ceu resolutum a S. C. Concilii fuisse refert *Garcias de Beneficiis* p. 4. c. 2. n. 218., novum experimentum faciendum est, et Episcopus novum edictum publicare debet, definiendo tempus utile et peremtorium ad subeundum examen. Quod si nemo hac secunda vice comparuerit, poterit Episcopus parœciam conferre absque concursu. In hisce tribus posterioribus casibus juxta Tridentinum in citato loco Episcopus pro sua conscientia et de examinatorum consilio, omisso concursu, poterit adhibere privatum examen personæ quam intendit parœciæ præficere.

73. Adnotanda vero sunt verba Tridentini in hoc eod. cap. 18. ubi post latam legem concursus et exceptiones decernit, 'alias provisiones seu institutiones præter supradictam formam factas subreptitias censeri, non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, præventionibus . . . et aliis impedimentis quibuscumque'. Plura sunt in decreto explicanda: 1°. Decernit Concilium

provisiones alias præter exceptas, si fiant absque concursu, habendas esse ceu subreptitias. In hac dispositione respicit præsertim concessiones beneficiorum curatorum factas a Sede Apostolica. Qua in specie hic est sensus verborum Tridentini, ut videlicet, si in rescripto et in Bulla provisionis beneficii mentio non fiat derogationis et dispensationis a lege examinis per concursum, rescriptum et provisio non valeat, quia præsumitur Romanum Pontificem ignorasse beneficium a se concessum exigere examen per concursum. — In Const. »*In conferendis*« *S. Pii V.* nullus et irritus declaratur concursus, in quo non est observata forma substantialis i. e. Tridentina (c. 18. sess. 24. *De Ref.).* Sed ex declaratione *Gregorii XIII.* Constitutio Piana ibi vim non exserit, ubi synodi diœcesanæ celebrari non solent.

74. 2⁰. 'Non obstantibus indultis et privilegiis'. Quibus verbis Tridentinum abrogavit omnia privilegia et indulta præcedentia. Hinc ad excludendam legem examinis per concursum afferri nequeunt privilegia, et indulta concessa *ante* Tridentinum Concilium. At hoc ipso non prohibuit Concilium, quominus Romanus Pontifex privilegia concedat exemptionis a lege concursus, ceu fecit *S. Pius V.* quoad parœcias unitas monasteriis et præsertim mendicantium in citata Const. *Ad exequendum* §. 5.

75. 3⁰. 'Non obstantibus impedimentis quibuscumque'. Quibus verbis Concilium abolevit quascumque consuetudines præcedentes. At non ideo excluditur, posse introduci novas consuetudines decreto conciliari contrarias. Nam contra leges generales Conciliorum legitima exsurgere potest consuetudo. Jam vero quod possit dari consuetudo legitima contra dictum decretum eruitur ex modo loquendi ipsius Concilii. Nam licet intentionem propriam Patres manifestent, et inculcent, ut servetur forma concursus, rejiciantque provisiones aliter factas nec privilegia et quodcumque impedimentum non attendant; tamen contrariam consuetudinem neque vocant corruptelam, nec expresse prohibent, quominus introducatur. Alterutrum vero facere debuissent, ut in sensu canonum futuram interdicerent consuetudinem. Dicimus ergo contra decretum Tridentinum posse constitui consuetudinem saltem immemorialem vel centenariam, dummodo ex circumstantiis peculiaribus loci abusum non secumferat.

Instructio S. C. de Propaganda Fide de concursibus ad parœcias, d. 10. Oct. 1884.

Tridentinum Concilium decrevit (Sess. 24. Cap. 18 *de Reform.)* »Episcopum statim habita notitia vacationis parochialis ecclesiæ (si opus fuerit) idoneum in ea vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur.«

Pertinet deinde ad *Episcopum* indicere per publica edicta concursum. — Terminus in edictis constituendus ex eodem Concilio Tridentino est dierum *decem*, sed concedit *S. Pii V.* Const. *In conferendis* §. 6., ut hic terminus ad alios decem dies prorogari queat et non ultra. Exacto termino in edictis præstituto, fit concursus. Cum vero neque in Conciliari decreto neque in Piana Constitutione examinis in concursu peragendi forma seu methodus ulla certa ac peculiaris servanda proposita fuisset, idcirco ad vitanda incommoda quæ ex eo oriebantur, S. Congregatio Concilii in literis jussu s. mem. *Clementis XI.*, die 10. Julii 1721 editis, certam methodum habendi ad parochiales ecclesias concursum in posterum servandam præstituit. Posteriori tempore s. m. *Benedictus XIV.* in Constitutione quæ incipit *Cum illud* 14. Decembris 1742 præfatas literas (quæ per integrum ibidem referuntur) confirmans, nonnulla præterea addenda vel immutanda, nonnulla breviter in iisdem tradita clarius explicanda censuit.

Juxta præscriptum Concilii Tridentini ac Benedictinæ Constitutionis, examen per concursum tam super doctrina, quam super ceteris concurrentium requisitis qualitatibus, habendum est, cum vacatio Ecclesiæ parœcialis contigerit. Viget nihilominus in aliquibus diœcesibus consuetudo examen de *doctrina* separandi ab examine de reliquis canonicis requisitis, et hoc ad ipsum pro vacante parœcia concursum remisso, examen de scientia alio magis opportuno tempore instituendi. Quamobrem generatim bis in anno examen habetur de scientia, in quo qui adprobati fuerint, ad quodcumque parochiale Beneficium intra *sex proximos sequentes annos* vacaturum concurrendi jus habent, sed exeunte sexennio examini se denuo sistere tenentur si Beneficium parochiale obtinere velint. A lege autem subeundi hoc novum, exacto sexennio, examen ab Episcopo, audita Examinatorum sententia, *dispensari* possunt qui inter synodales vel pro-synodales *Examinatores* sunt assumpti, aut

qui propter muneris vel Beneficii quo fruuntur *dignitatem*, vel propter diuturnam operam qua Ecclesiæ cum laude servierunt, *scientiæ testimonium* abunde præstant. Ceterum, parœcia aliqua vacante, concursus habetur, Examinatoribus, adhibita ea quæ in usu est cautione, judicantibus quinam ex competitoribus ad regendam parœciam vacantem apti sint, salvo semper Episcopi jure eligendi inter approbatos, quem ipse digniorem aptioremque judicaverit. Hæc porro praxis ab Apostolica Sede *approbari* solet *ad tempus*.

De pluralitate et incompatibilitate Beneficiorum.

76. *Antiquitus* omnia beneficia erant incompatibilia, idest quisque Clericus unum solummodo beneficium ecclesiasticum possidere poterat. Beneficium enim personale officium requirebat in Ecclesia proprii tituli et a qua clericus sustentabatur honeste, nec poterat aliquis in pluribus Ecclesiis beneficia possidere; in eadem vero Ecclesia absonum erat bis eundem clericum adscribi, seu bis intitulari.

77. Pluralitas ergo beneficiorum inducta est cum primum cœperunt institui beneficia *insufficientia* ad honestam vitæ sustentationem clerico comparandam. Et processu temporis divisa sunt beneficia in compatibilia et incompatibilia. Incompatibilia ratione *officii* ea habita sunt, quæ *personalem residentiam* requirunt; ratione vero *redituum* incompatibilia dicta sunt ea beneficia, quorum singula *honestam* exhibent unicuique clerico *sustentationem*.

78. Licet vero canones prohiberent pluralitatem beneficiorum, tamen agnoverunt adesse posse *causas* ob quas idem clericus plura beneficia adipisceretur. Hinc in cap. 5. h. t. interdicitur solum possessio simultanea plurium Ecclesiarum, et in c. 28. h. t. traditur, vacare primum beneficium curatum aut personatum per assumptionem alterius similis beneficii, et si clericus præsumpserit utrumque retinere, privandum esse etiam secundo. Nihil ergo de beneficiis inferioribus. Hinc in c. 7. *de Rescr.* (I. 3) in 6°. exhibetur hæc conditio: *Si talia sint beneficia quæ nequeant simul de jure retineri.* Ex quibus verbis patet, *esse posse* beneficia quorum plura possint simul retineri. Idem etiam legitur in Tridentino sess. 7. c. 4. *de Ref.* ubi Concilium ait: 'Plura curata vel alias incompatibilia beneficia'. Supponit ergo dari beneficia, quæ non sunt incompatibilia. — Si quæratur autem quænam in specie fuerint, et sint beneficia incompatibilia, respondemus: Jure *vetere* videntur

fuisse incompatibiles duas simul dignitates, duos personatus, duo officia aut duo simul beneficia curata; cc. 13. et 28. h. t. Hinc in Extrav. »Exsecrabilis« 4. inter comm. h. t. dum absolute prohibentur plures personatus, dignitates etc., clerico conceditur facultas possidendi unum beneficium duplex et aliud simplex.

79. Jure autem Tridentino habemus duplicem dispositionem, scilicet unam in c. 2. sess. 7. *de Ref.* et aliam in c. 17. sess. 24. *de Ref.* In 1° loco decernit Concilium incompatibilitatem duarum Ecclesiarum *Cathedralium*. In 2° vero legem constituit ut quisque clericus unum tantum beneficium possideat *sufficiens* ad *honestam* vitæ *sustentationem*. Quodsi beneficium, quod possidet Clericus, huic scopo non satisfaciat, concedit Concilium facultatem et aliud beneficium quod sit simplex adjungendi dummodo vero utrumque non requirat personalem residentiam. Ex quibus inferimus incompatibilitatem post Tridentinum Concilium exsurgere ex onere residentiæ, ex sufficientia beneficii et ex numero beneficiorum. Hinc sunt incompatibilia in eadem persona 1°. duo beneficia quando utrumque est *residentiale*. 2°. Quando licet non utrumque sit residentiale, tamen unum ex iis *sufficiat* pro *honesta* clerici *sustentatione*. Hæc vero incompatibilitas locum habet, quamvis unum beneficium detur clerico in titulum, aliud in commendam. Commenda enim hodierno jure, ut vidimus, titulo æquiparatur: quia commendatarius hodie ceu verus beneficiarius fructus beneficii commendati percipit. 3°. Si duo possideantur a Clerico beneficia quæ simul juncta non tribuant eidem necessaria ad honeste vivendum, *tertium* beneficium eidem non potest conferri. Nam Tridentinum concessit solummodo ut beneficio insufficienti aliud adderetur. Nec proficit Clerico conditio quod nempe tria beneficia possideat non sub eodem tecto, idest in eadem Ecclesia, nec alia conditio proficit, quod nempe beneficia sint jurispatronatus laicalis. Proposito enim dubio 'An ab Episcopo absque dispensatione apostolica possit permitti retentio trium beneficiorum simplicium de jure patronatus laicorum sub eodem tecto non exsistentium et quorum reditus non sufficiant ad congruam sustentationem', S. C. Concilii in causa *Curzolensi* 13. Maji 1651 respondit 'Episcopum permittere non posse'. Ita etiam respondit in *Alexana* 14. Nov. 1654 et in *Aquilana* 14. Augusti 1632. Conf. *Bened. XIV. Inst. Eccl.* 91.

80. Quod vero de beneficiis ecclesiasticis dictum est non potest applicari *legatis* piis et *capellaniis* de jure patronatus *laicorum*.

Ita tenuit S. Congr. Concilii in causa *Bitectensi* 6. Dec. 1721, quæ resolutio refertur a *Benedicto XIV.* in cit. *Inst.* 91. n. 8. Ratio est: quia lex tridentina in casu est odiosa, ac proinde non comprehendit capellanias, quæ cum habeant nomen proprium, stricto sensu non veniunt sub appellatione beneficiorum ecclesiasticorum.

81. Quandonam autem beneficium debeat censeri sufficiens, in jure non determinatur. Hinc *arbitrio* prudenti *judicis* definiendum est, qui in hac re decernenda respicere præsertim debet ad qualitates et conditiones peculiares temporum, locorum et personarum. Variæ enim exigentiæ exsurgunt pro harum conditionum varietate.

82. Quæritur *quodnam sit remedium juris contra clericum habentem plura beneficia incompatibilia.* In Decretalibus triplicem dispositionem habemus. Binæ dispositiones sunt *Alexandri III.;* prima quidem relata in cc. 7. et 14. h. t., altera refertur in c. 3. *de Clericis non resid.* (III. 4). Tertia vero est *Innoc. III.* in c. 28. h. t. — Prima dispositio *Alexandri III.* refertur ad tempus anterius Conc. *Lateranensi III.* a. 1179 et in eo consistit, ut Clerico possidenti duo beneficia incompatibilia daretur *optio eligendi* quod voluisset, altero relicto. Hæc dispositio cessasse videtur per aliam dispositionem quæ secundo loco lata fuit. Attamen DD. retinent præfatam optionem hodie etiam absolute loquendo locum habere posse, videlicet in casu quo eidem Clerico duo *simul conferantur* beneficia incompatibilia, et quorum simul *possessionem* capiat. Ratio est; quia canones loquentes de vacatione vel primi beneficii vel posterioris, loquuntur semper de *successiva* collatione et possessione beneficiorum, non autem de simultanea: unde hic casus simultaneæ collationis et possessionis est a sanctione canonica extraneus. Ita *Fagnanus comm.* ad c. 7. h. t. *Pirhing et Reiffenstuel* h. t.

83. Secunda dispositio Alexandri III. in Conc. Lateranensi *III.* refertur in c. 3. *De clericis non residentibus* (III. 4). Juxta hanc dispositionem, si clerico possidenti beneficium aliud beneficium incompatibile conferatur, collatio hujus secundi beneficii nulla est, et collator pro ea vice privatur jure collationis ejusdem beneficii.

84. Hæc dispositio cessasse dicenda est virtute novæ dispositionis Innocentii III. in Concilio *Later. IV.* quæ refertur in c. 28. h. t. quæ in eo consistit, ut, posito quod Clericus beneficium possidens aliud acceptet beneficium incompatibile, teneatur *primum* di-

mittere. Quod si contenderit in utriusque possessione remanere, *utroque* sit privandus. Ratio quam decreti sui affert Innocentius est, quia dispositio Conc. Later. III. ad praxim non deducebatur. Verum etiam alia ratio canonica adduci potest. In Ecclesia receptum est, ut quando Clericus optime fuerit versatus in aliquo officio, possit *optare ascensum* ad officium superius: unde in regimine ecclesiastico juxta sensum canonum locum habet gradualis ascensio. Jam vero dispositio Conc. Later. III. obviabat huic graduali ascensioni, nam statuebat nullius valoris esse collationem *secundi* beneficii incompatibilis. Porro juxta ordinarium agendi modum beneficium quod posterius conceditur et acceptatur, solet esse gradus superioris. Innocentius autem III. c. 28. h. t. statuit dimittendum esse anterius beneficium, quod nempe solet esse gradus inferioris et per consequens hæc dispositio magis respondet graduali ascensioni clericorum, quæ a canonibus intenditur.

85. Accedit dispositio tridentina in cc. 2. et 4. sess. 7. *de Ref.* ex qua deprehendimus vacare ipso jure prius beneficium per collationem et pacificam possessionem alterius beneficii incompatibilis. Dixi *pacificam possessionem.* Nam non sufficit simplex collatio alterius beneficii. Canones enim prohibentes pluralitatem beneficiorum, loquuntur de detentione beneficiorum. Non detinetur autem beneficium ante pacificam possessionem. Facit ad rem c. 26. h. t. in 6°. Hæc autem dispositio tridentina non solum sese refert ad duas Ecclesias sive parochiales sive Cathedrales, ad duas dignitates, personatus, aut officia, sed etiam *ad omnia beneficia incompatibilia* juxta sensum ab iisdem patribus tridentinis in aliis locis expositum. Unde ex variis resolutionibus S. Congregationis Concilii relatis a *Fagnano* in cap. 28. h. t. nn. 3. et 4. vacatio beneficii prioris nedum in casu duorum beneficiorum parochialium etc. verificatur, sed etiam in casu beneficiorum simplicium sive quæ residentiam importent, sive quæ sint singula per se sufficientia.

86. Quid vero dicendum si clerico possidenti beneficium *sufficiens* conferatur aliud beneficium *non sufficiens?* Dicendum est, vacare primum beneficium, et *Fagnanus comm.* in c. 18. h. t. nn. 43. et 49. refert S. Congr. Conc. pluries resolvisse in præfato sensu quæstiones. Conf. *Pirhing.* h. t. n. 186. Quid vero si clerico habenti non sufficiens beneficium conferatur sufficiens? Fagnanus loco citato refert hanc quæstionem fuisse propositam in S. C. Conc. sed non fuisse resolutam, suffragiis Cardinalium in diversa ver-

gentibus; ipse vero n. 57. et *Reiffenstuel* h. t. n. 298. tenent, non verificari in casu sanctionem tridentinam.

87. Quid si clerico possidenti *duo beneficia simplicia et insufficientia, tertium* beneficium conferatur? S. C. Conc. cujus resolutio refertur a *Garcia De benef.* p. 13. c. 5. n. 310. tenuit, collationem tertii beneficii esse validam, sed si hoc tertium beneficium fuerit sufficiens vacare duo priora, sin minus, clericum provisum teneri unum ex illis dimittere, et si continuaverit possessionem amborum, utrumque beneficium uti vacans censendum esse.

88. Concedi vero potest dispensatio a Summo Pontifice super pluralitate beneficiorum et causæ dispensationis præcipue exhibentur in c. 28. h. t. et in Extr. »Exsecrabilis« inter Comm. h. t. Sunt vero 1°. *necessitas;* cum nempe *ex defectu ministrorum* uni eidem clerico duo administranda et retinenda beneficia conceduntur; 2°. *evidens utilitas,* cum scilicet clericus *prudentia sua et auctoritate prævideatur* profuturus melius fore reipublicæ christianæ, si plurium beneficiorum reditibus instruatur, et 3°. prærogativa *honoris,* et *dignitatis* et *scientiæ* c. 28. h. t. circa finem. In Extr. 4. h. t. inter comm. hæc prærogativa honoris et dignitatis pro assequendis pluribus beneficiis speciatim agnoscitur in S. R. E. Cardinalibus et in filiis Regum.

De unione, divisione et dismembratione Beneficiorum.

89. Unio definitur: *Duorum vel plurium beneficiorum aut Ecclesiarum a legitimo superiore facta adnexio.* Alia est *perpetua,* alia vero *temporalis.* Prior locum habet cum beneficium adnectitur beneficio *absque* respectu ad personam clerici possidentis utrumque beneficium.

90. Temporalis est unio, quando conjunguntur beneficia *in persona clerici* ita ut unio ad vitam ejusdem solummodo perseveret. Quamvis unio beneficiorum sit odiosa, quia mutat statum beneficiorum ac proinde in dubio præsumenda esse videretur temporanea; tamen revera *in dubio præsumitur perpetua.* Nam unio temporalis quæ ad pluralitatem beneficiorum in eadem persona reducitur non solum est odiosa, sed etiam aliquando est contra jus, uti vidimus. Insuper quoniam unio hujusmodi in clerici commodum fiat, inducit suspicionem avaritiæ vel mali ambitus. E contra vero unio perpetua juri contraria non est, et fieri censetur *in utilitatem ecclesiastici servitii* c. 3. h. t.

91. Unio beneficiorum perpetua triplex est: 1°. *tituli exstinctiva*, 2°. *minus principalis*, 3°. *æque principalis*. — Prima species unionis locum obtinet cum ex duobus beneficiis fit unum ita, ut utriusque natura quodammodo pereat et in unum coalescat *tertiumque novum beneficium ex unione resultet.* Tertium hoc beneficium exsurgens obtinet reditus et dotem utriusque exstincti beneficii. Quoad vero *jura* privilegiorum et honorum assumet omnia quæ adhærebant exstinctis beneficiis. Quod si jura hæc omnia simul componi non possint, novum beneficium obtinebit quod *optimum* est; idest jura *meliora* et *favorabiliora;* c. 14. C. 32. q. 1.

92. Altera species unionis, quæ *minus principaliter* fieri dicitur, obtinet cum beneficium *inferius* vel Ecclesia inferior *superiori accessorie* unitur. Quo in casu Ecclesia superior appellatur Ecclesia *matrix*, inferior vero dicitur Ecclesia *filialis* vel *filia.* Per hanc unionem cessat titulus beneficii seu Ecclesiæ inferioris et habetur ceu pars alterius cui accessorie unitur. Hinc titulus servatur beneficii seu Ecclesiæ principalis, et beneficium seu Ecclesia unita sequitur naturam et vices beneficii seu Ecclesiæ principalis. At *onera* servanda sunt etiam beneficii minoris præstandumque est consuetum servitium. Si unio facta est duarum ecclesiarum parœcialium, rector Ecclesiæ matricis si per seipsum non possit, tenetur per idoneum vicarium regere Ecclesiam filialem cui non omnes hujus Ecclesiæ reditus, sed congruam portionem adsignabit. Privilegia autem et jura Ecclesiæ vel beneficii adnexi servantur in iis, in quibus non detur oppositio cum juribus et privilegiis principalis Ecclesiæ. In casu enim oppositionis prævalent jura et privilegia Ecclesiæ *majoris.*

93. Tertia species unionis, quæ *æque principaliter* facta dicitur, locum obtinet inter duo beneficia *ejusdem ordinis* et per eam *nullo modo* immutatur natura et status alterutrius beneficii. Hinc unio hæc dicitur *subjectiva:* quia beneficia perpetua simul conjunguntur solummodo ratione *subjecti* seu *personæ* ejusdem, quæ possidet et administrat utrumque beneficium. Hinc neutra Ecclesia unita principaliter alteri servit, aut subjicitur, sed titulum proprium utraque conservat et jura omnia et gradum honoris retinet perinde ac si unio effecta non fuisset. Exemplum commune hujus unionis in *Episcopatibus* habemus. Etenim binæ vel etiam tres Diœceses et Ecclesiæ Cathedrales solent ita uniri, ut unus idemque Episcopus præsit utrique vel tribus diœcesibus et Ecclesiis

sed singulæ conservant ad invicem propriam *autonomiam*. — Harum trium unionum *minus odiosa* hæc *tertia* censetur. Etenim per eam non immutatur in substantia seu objective natura et conditio beneficiorum. Quare si in decreto unionis vel in rescripto Pontificis dubium exoriatur, et clare non exprimatur species peractæ unionis, *præsumenda* semper est facta unio beneficiorum æque principaliter.

94. *Quisnam potest efficere unionem beneficiorum?* Cum unio induat indolem erectionis beneficiorum, ad minus enim nova inducitur in eis subjectiva conditio, sequitur ab *auctoritate ecclesiastica* solum et non a laica potestate fieri posse uniones beneficiorum. In specie autem si sermo sit de *Episcopatibus*, eos unire potest solummodo *R. Pontifex;* c. 8. *De excessibus prælatorum* (V. 31). Hæc enim unio inter causas majores Ecclesiæ recensetur et proinde reservatur Romano Pontifici. Potest autem R. Pontifex uniones beneficiorum perficere in *universa* Ecclesia c. 2. *de Præbend.* (III. 4) in 6⁰. et Clem. 1. §. fin. *Ut lite pendente* (II. 5). Quibus locis juris consonat Tridentinum c. 13. sess. 24. *de Ref.*

95. Episcopus vero uniones perficere potest beneficiorum *propriæ* diœceseos cit. c. 8. *de excessibus prælatorum* (V. 31), *justa* tamen et *legitima* obveniente *causa* et dummodo jus canonicum *non resistat.* Hinc profecto ex superius dictis non potest unionem *temporaneam* perficere Episcopus in casu *incompatibilitatis* beneficiorum. Quoad vero unionem perpetuam, eam pluribus in casibus efficere nequit 1⁰. in beneficiis quæ *episcopali administrationi* non subsunt. Hinc unire non potest beneficia exempta, nec beneficia Rom. Pontifici reservata aut affecta quoadusque perseverat reservatio, aut affectio. 2⁰. Beneficia *suæ* diœceseos cum beneficiis *alterius* diœceseos Episcopus unire nequit. Ita Concilium Tridentinum sess. 14. c. 9. *de Ref.* 3⁰. Ex c. 9. sess. 25. *de Ref.* post medium, non potest Episcopus unire beneficia *liberæ collationis* cum beneficiis *jurispatronatus,* ita ut efficiantur *ejusdem* naturæ; idest non potest beneficia libera per unionem vinculo necessariæ collationis subjicere. Ex quo sequitur, non esse interdictam hanc unionem, si ex consensu patroni beneficium jurispatronatus efficiatur cum alio, cui unitur, liberæ collationis. 4⁰. In c. 13. sess. 24. *de Ref.* prohibet Conc. Tridentinum, quominus *Ecclesiæ parochiales* uniantur cum præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, cum Monasteriis aut Abbatiis, sive hospitalibus, ac militiis, sive etiam cum bene-

ficiis simplicibus. Non prohibet vero Tridentinum, imo concedit Episcopo ut parochiali Ecclesiæ inopi possit unire *beneficia simplicia,* dummodo non sint regularia. Insuper notandum est, Concilii decretum non prohibere unionem Ecclesiæ *parochialis* cum alia *parochiali,* quando utraque Ecclesia unienda est propter earundem *paupertatem.* De qua agit in sess. 21. cap. 5. *de Reform.* — 5⁰. Interdicitur Episcopo, ne præbendis Ecclesiæ Cathedralis vel collegiatæ uniat beneficia *regularia* c. 15. sess. 24. *de Ref.* In eodem autem loco Trid. Conc. concedit Episcopo facultatem ut cum consensu capituli possit aliquot beneficia simplicia non tamen regularia unire Cathedrali Ecclesiæ vel collegiatis insignibus, quoties præbendæ adeo tenues sint quæ sustinendo decenti canonicorum gradui quo qualitatibus loci et personarum impares sint. Hinc in parte derogatum est Clem. 2. *de Rebus Eccles. non alien.* (III. 4) juxta quam non potest Episcopus etiam cum consensu capituli mensæ suæ aut mensæ capituli unire beneficia, ne videatur in proprium commodum interponere suam auctoritatem.

96. Inter casus, in quibus Episcopus potest unionem beneficiorum perficere, recensenda est creatio, vel dotatio *Seminarii diœcesani,* de qua sermo est in sess. 23. c. 18. *de Ref.* circa medium. Hoc in loco Concilium non solum concedit Episcopo facultatem exigendi aliquam partem fructuum ab omnibus præbendis et beneficiis sive sæcularibus sive regularibus sive liberæ sive necessariæ collationis, sed etiam tribuit eidem Episcopo potestatem uniendi seu applicandi Seminario beneficia simplicia etiam non vacantia sine tamen præjudicio cultus divini aut eorum qui actu hæc beneficia possident; scilicet decretum unionis seu applicationis fieri potest cum beneficium nondum vacat, sed ita ut incipiat vires exercere post ejus vacationem. Quoniam vero Concilium antea inculcat, ut ex reditibus mensæ episcopalis et capituli et quorumcumque beneficiorum diœceseos certa summa Seminario solvenda sit et deinde proponit unionem beneficiorum simplicium, sequitur Episcopum devenire non posse ad unionem hanc perficiendam, nisi, *non obstante taxæ convenientis impositione,* videat necessitatem applicationis beneficiorum simplicium.

Notentur etiam decisiones S. C. Concilii super nostra quæstione: In unionibus beneficiorum faciendis seminario *satis esse* et *requiri* formam Tridentinam (c. 18. sess. 23. *de Ref.)* ita ut *non Capituli,* attamen *4 deputatorum* sc. duorum ex capitulo et totidem ex clero

civitatis consensus ad valorem unionis necessarius sit. Prius apparet ex causa *Ferrarien.*, d. 3. Mart. 1594., alterum ex *Giennen.* 14. Febr. 1594.

Si Seminarium nondum est erectum, unio facta seminario erigendo prorsus nulla est, S. C. C. in causa *Nullius*, d. 8. Jun. 1595., item *Nullius*, d. 3. Mart. 1597., et in *Paderbornen.*, d. 19. Dec. 1772. —

Si beneficia Sedi Apostolicæ sunt reservata, juxta superius dicta (in n. 95.) neque Seminario possunt uniri, at si unio facta est ante reservationem, sustinetur. S. C. enim censuit »Seminario posse uniri beneficia simplicia quæ vacarunt in mense Pontificis, modo unirentur ante vacationem« in *Caputaquen.* Aug. 1586. (l. 4. *Decr.* p. 169), in *Palentina,* Jun. 1588, in *Elboren.*, d. 31. Aug. 1600. —

97. *De conditionibus quæ requiruntur ut legitima sit unio beneficiorum.*

I^a^. conditio legitimæ unionis est, ut fiat *ex rationabili causa.* Agitur enim de re in jure odiosa quæ proinde legitima fieri potest solummodo ex causa rationabili c. 33. h. t. Clem. 2. *de Reb. Eccl. non alien.* (III. 4) et c. 6. sess. 7. *de Ref.* in *Tridentino* ubi Patres decernunt, uniones perpetuas subreptitias præsumi, quoties non fiant ex legitimis aut rationabilibus causis coram ordinario probandis. Causæ autem hujusmodi traduntur in c. 33. *de Præb.* (III. 5) per hæc verba: 'Si evidens necessitas, vel utilitas exigat, Præbendas Ecclesiæ tuæ poteris de capellis in perpetuum annectendis eisdem augmentare'. Quare actus unionis consideratur potius ceu actus *necessitatis* quam voluntatis. Unde exigente necessitate vel evidente utilitate, si Episcopus negligat unionem beneficiorum exsequi, potest adiri superior, qui Episcopi negligentiam suppleat. Quæ causæ nisi adsint, unio facta nulla est, etsi a Sede Apostolica facta fuerit, et unio præsumitur obtenta per obreptionem vel subreptionem ac proinde viribus caret, nisi aliter eadem Sedes Apostolica disposuerit. Trid. cit. c. 6. sess. 7. *de Ref.*

98. Secunda conditio unionis est, *ut intimetur, et consensus exquiratur ab omnibus qui dicuntur interesse habere.* Quod enim omnes tangit, debet ab omnibus probari. Et in specie id verificatur quando unio afficit beneficium *jurispatronatus* ceu statuit c. 7. *de donationibus* (III. 24), et Concilium Tridentinum Sess. 24 c. 15. *de Ref.* Per unionem enim immutari possunt jura, et si beneficium simplex jurispatronatus uniatur alteri quod est liberæ

collationis vel uniatur Seminario aut fabricæ Ecclesiæ, aut alteri loco pio, patronus amittit jus præsentandi. Consensus patroni Ecclesiastici non requiritur in hypothesi qua juxta cap. 15. cit. sess. 24. Episcopus Ecclesiæ Cathedrali vel collegiatæ insigni unit aliquod beneficium simplex jurispatronatus ecclesiastici. Tridentinum enim de hac unione agens patronos solummodo laicos nominat, quos audiendos esse dicit. Hinc valet regula 'inclusio unius, exclusio alterius'. Notandum est tandem interesse habentes absque legitima causa dissentire non posse, quando unio *necessaria* est, et proinde a superiore *compelli* posse ad consentiendum, immo in casu necessitatis evidentis unionem fieri posse etiam, patrono invito.

99. Tertia conditio est ut in genere requiratur *consensus Capituli Cathedralis Ecclesiæ.* Pertinet enim beneficiorum unio ad illam classem negotiorum quæ a prælatis fieri nequeunt ex jure absque consensu capituli. Quod jus exprimitur in c. 7. *de Donationibus* (III. 24) et Clem. 2. *de Reb. Eccl. non alien.* (III. 4). Ex qua postrema Constitutione insuper patet non requiri consensum actualis rectoris beneficii; quia ejus juribus præjudicium nullum infertur. Incipit enim unio vires habere cum vacaverit beneficium. Præterea non requiritur in unione perficienda ut defensor juris beneficii vel Ecclesiæ constituatur; quia non agitur de vera alienatione jurium. Tandem ad unionem perficiendam requiritur aliqua *forma judicii* seu debet præcedere cognitio quædam causæ fierique aliquis processus ad causæ legitimitatem ostendendam, quem deinde subsequatur unionis decretum.

De Divisione Beneficiorum.

100. Divisio beneficii tunc fieri dicitur *cum ex uno beneficio fiunt duo vel plura.* Ex qua notione patet, divisionem seu sectionem beneficii non solum exhibere divisionem *redituum* seu *fructuum,* sed etiam divisionem *tituli et officii.* Hinc vi divisionis ex uno duo vel plura constituuntur officia vel ministeria. Hæc notio traditur in c. 3. *de Ecclesiis ædificandis vel repar.* (III. 48). Divisio beneficiorum in genere est odiosa et prohibita a jure; c. 8. h. t.; immutat enim statum Ecclesiæ.

101. Hinc nonnisi ex justa causa divisio facienda est. Causa autem hæc dici potest esse *unica,* si videlicet obligationibus beneficio adnexis ab una persona satisfieri nequeat. Præter vero cau-

sam, requiruntur eædem *conditiones* et *solemnitates*, quæ ad unionem perficiendam requiruntur. Conf. potest c. 26. h. t.

102. Peculiaris mentio facienda est de divisione *Ecclesiæ Parochialis*, de qua sermo est in c. 4. sess. 21. *de Ref.* in Tridentino. In hoc capite duo statuuntur et in utroque conceditur facultas Episcopo procedendi cum potestate etiam Apostolicæ Sedis Delegati. Statuitur 1°. dispositio pro casu *populi nimium numerosi;* 2°. pro casu *nimiæ distantiæ fidelium ab Ecclesia Parochiali.* — Quoad primum casum Episcopus cogere debet Parochum ut secum tot assumat sacerdotes, quot necessarii sunt pro utili spirituali regimine parœciæ et pro cultu divino rite exercendo. Quoad vero 2um. casum renovat Tridentinum dispositionem c. 3. *De Ecclesiis æd.* (III. 48). Videlicet si talis sit locorum distantia, ut fideles præsertim hiemali tempore sine magno incommodo et difficultate non possint ad Ecclesiam accedere et percipere Sacramenta et adesse divinis officiis, potest Episcopus novam parœciam instituere, etiam invito rectore seu actuali Parocho. — Quare antequam nova parœcia instituatur, debet Episcopus exquirere *consensum antiqui Parochi,* qui si irrationabiliter renuerit consensum præstare, eo invito, Episcopus potest ultra procedere. Idem dicatur de aliis interesse habentibus. — Sufficiens vero *dos* pro nova parœcia adsignanda érit *ex fructibus Ecclesiæ antiquioris,* quæ retinet et conservat locum Ecclesiæ principalis seu matricis. Quod si reditus Ecclesiæ matricis non sufficiant huic scopo, potest Episcopus compellere populum novæ parœciæ ad subministrandam pastori suo congruam sustentationem vel per decimarum solutionem, vel alio modo. Tandem vero animadvertendum est, ut præsentatio novi sacerdotis reservetur illis quibus de jure competebat facultas nominandi rectorem antiquioris parœciæ. Cfr. *Fagnanum* C. in c. 3. *de Eccl. æd.* (III. 48).

De Dismembratione Beneficiorum.

103. Dismembratio fit cum, remanente titulo beneficii et ministerio eidem proprio, pars fructuum a beneficio secernitur, et applicatur alteri beneficio vel Ecclesiæ quæ tenues reditus habet. In genere dismembratio est odiosa et a jure prohibita; cc. 20. 26. et 30. h. t. et Rubrica tituli XII. '*Ut beneficia eccl. sine diminutione conferantur*'. At accedente justa causa, posse dismembrationem

ab Episcopo perfici tenent DD. juxta cap. 10. h. t. Eædem vero solemnitates requiruntur, quæ necessariæ sunt pro unionibus beneficiorum perficiendis.

Titulus VI.

De Clerico ægrotante vel debilitato.

1. Clericus ægrotans vel debilitatus in sensu tituli ille est, *qui vel ob senium, vel ob infirmitatem habitualem aut permanentem defectum exsequi non amplius potest munia sui beneficii, in quo canonice est institutus.* Quare clericus ægrotans distinguitur a clerico ægroto qui nempe aliquo morbo temporaneo afflictus, officium proprium in Ecclesia exsequi non potest. De clerico ægroto vidimus supra in titulo *De Clericis non residentibus* (III. 4).

2. Clericus ægrotans vel debilitatus procul dubio *non* potest beneficio suo *privari* c. 1. h. t. Nam indecorum esset, et æquitati repugnans, ob ægritudinem exspoliare mediis propriæ sustentationis clericum, qui Ecclesiæ præstitit servitium. *Afflictis enim non est addenda afflictio* c. 5. h. t. Cæterum Ecclesia consuevit clerico legitime impedito ex qualibet infirmitate fructus beneficii concedere, prout vidimus supra in titulo *De Clericis non resid.* (III. 4).

3. Doctores autem tradunt clerico impedito fructus beneficii competere etiamsi *ex propria culpa* infirmitatem contraxerit. Nam in cap. un. *de Cler. non resid.* (III. 3) in 6°. traditur, ipsam indistincte infirmitatem excusare a servitio chori. Concordat c. 2. C. 7. q. 1. *Fagnanus* autem ad c. 32. *De præb.* n. 147. refert resolutionem S. C. Conc. a *Gregorio XIII.* probatam, quæ expositam sententiam doctorum confirmat.

4. Ut vero consulatur honori cultus divini, lex canonica in c. 3. h. t. insinuat *designationem* alterius clerici *coadjutoris,* qui ingrediatur locum clerici inhabilis in persolvendis divinis officiis. Caput hoc tertium refertur ad clericum, qui curam habet animarum, et statuit coadjutori dandam esse ex facultatibus Ecclesiæ congruam sustentationem. Verum parochus ægrotans non potest compelli ad tribuendum stipendium coadjutori, quoties salva eidem non maneant alimenta *necessaria.* Ita respondit S. C. Concilii in causa *Albinganensi* Parochial. 1. Sept. 1663. (lib. Decret. 25. p. 594.) Hoc in casu Episcopus cogere poterit *parochianos* ut consulant susten-

tationi clerici coadjutoris, ceu tenuit S. Congr. in *Novariensi* et *Cremonensi* (lib. 3. Decret. pag. 35. et 40.).

5. Coadjutoriæ aliæ sunt *temporaneæ*, aliæ *perpetuæ cum futura successione*. Coadjutoriæ temporaneæ, quæ etiam revocabiles appellantur, illæ sunt quæ dantur intuitu solius personæ quæ beneficium possidet, et onera beneficii exsequi non potest. Unde coadjutor nullum titulum habet in beneficio, et per consequens a munere suo cessat, sive quoties a superiore revocetur, sive quoties et quandocumque coadjutus beneficium amittat.

6. Coadjutoriæ autem perpetuæ, quæ etiam irrevocabiles dicuntur, sunt eæ, quæ dantur quidem ob ægritudinem vel debilitatem Clerici beneficiati, sed directe respiciunt *ipsum beneficium*. Scilicet coadjutoria perpetua est vera collatio beneficii, quæ tamen plenum effectum sortitur quando actualis possessor a beneficio quomodocumque cessat, sive nempe per mortem, sive per privationem, sive per ejus promotionem ad aliud beneficium incompatibile. Quare coadjutor perpetuus statim obtinet titulum beneficii cujus onera statim suscipit, et adimplere tenetur, tamen non fit proprietarius beneficii ipsius antequam illud vacet. Adveniente autem vacatione beneficii, non requiritur nova collatio, sed coadjutor eo ipso et vi primitivæ concessionis fit beneficii proprietarius.

7. Coadjutoriæ temporaneæ in *Episcopatibus* et reliquis *Prælaturis superioribus* dantur ab Apostolica Sede vel vi auctoritatis ab eadem delegatæ. Unde inter causas majores recensentur. Ita in cap. un. h. t. in 6°. Porro licet in hac decretali pro aliquibus casibus ipsi Episcopo cum Capitulo delegetur potestas unum vel plures constituendi coadjutores temporaneos eidem Episcopo impedito; tamen hodie in praxi inductum est, ut ipsa S. Sedes directe et motu proprio regimini diœceseos consulat, quando Episcopus impar factus sit sui muneris adimplendi.

8. Si sermo sit de beneficiis minoribus, licet absolute loquendo coadjutoriæ temporaneæ possent ab ordinariis collatoribus in omnibus beneficiis constitui, quoties clericus beneficii possessor ob senium, ægritudinem, vel ob aliud impedimentum nequeat onera sustinere, tamen in facto est, coadjutores temporaneos solummodo dari in beneficiis *parochialibus*, non autem in reliquis beneficiis quibus cura animarum adnexa non est.

9. Coadjutoriæ perpetuæ juxta conceptum supra expositum constituunt concessiones beneficiorum *nondum vacantium*. Qua-

propter, quoniam a jure communi vetantur ordinarii collatores de beneficiis non vacantibus disponere cap. 2. *de concess. Præb.* (III. 8); hinc nullus prælatus summo Pontifice inferior concedere potest coadjutorias cum futura successione. In specie autem habemus tridentinam legem in sess. 25. cap. 7. *De Ref.* quæ coadjutorias hujusmodi expresse prohibet. Unde solus Romanus Pontifex, cujus potestas est supra jus commune, easdem potest conferre.

10. Porro coadjutoriæ perpetuæ in beneficiis minoribus non curatis ita solent a S. Sede concedi, ut coadjutor teneatur loco coadjuti onera sustinere quin tamen jus habeat, durante coadjutoria, fructus beneficii percipiendi. Fructus autem omnes, et distributiones quotidianæ reservantur clerico possessori idest *coadjuto*, ut etiam resolvit S. C. Concilii in causa *Romana* diei 19. Augusti 1730. Ratio hæc esse videtur: quia coadjutus præsumitur fructibus indigere ad honestam suam sustentationem, nec æquum videtur, Clerico media sustentationis etiam ex parte subtrahenda esse eo præcipue tempore quo ob infirmitatem vel ob senectutem majori defectu laborat et potioribus premitur necessitatibus.

11. Si autem sermo sit de coadjutoribus sive temporaneis sive perpetuis in beneficiis parochialibus, juxta sensum cap. 3. h. t. et cap. 6. sess. 20. *de Ref. in Tridentino*, Episcopus debet vel de *fructibus beneficii* vel *aliunde* eisdem consulere, ut habeant congruam sustentationem.

12. Relate vero ad coadjutores perpetuos canonicorum, hæc sunt in specie animadvertenda: 1⁰. Coadjutum canonicum *non eximi* a residentiæ lege, immo ipsum coadjutum respondere debere coram Capitulo de servitio chori, et punctaturas solvere ob negligentiam coadjutoris. Ratio est, quia titulus beneficii quoad præsens tempus totus et integer in suis juribus et oneribus perseverat in coadjuto, cujus persona in sacris officiis repræsentatur a coadjutore. Conf. *Benedictus XIV. De Syn.* lib. 13. c. 9. n. 15. — 2⁰. Coadjutorem vero teneri ad præstandum servitium chorale, ita ut si ex ejus negligentia damnum patiatur coadjutus, ipse coadjutor teneatur hoc damnum compensare. Ita S. C. Concilii in causa *Romana* diei 22. Febr. 1862. et 12. Augusti 1871. — 3⁰. Quoad jus sedis regulam receptam esse, ut coadjutor *sedeat* in *ultimo* loco inter illos qui sunt in *eodem* gradu cum persona coadjuti, præcedat vero reliquos, qui sunt gradus inferioris. Unde si in capitulo adsint plures dignitates, coadjutor datus uni ex dignitatibus sedem

obtinet post ultimam dignitatem et ante reliquos canonicos. Sic etiam coadjutor canonici sedet post omnes canonicos et ante beneficiatos. Coadjutor jus habet præcinendi unam ex antiphonis vesperarum deficientibus 4 canonicis, etiam si coadjutus in choro et ipse præsens antiphonam intonaverit, S. Rit. C. in *Auximana,* d. 7. Aug. 1880. n. 5813. — 4⁰. Quoad *jus vocis activæ et passivæ* canonici coadjutoris in capitulo, præstat referre resolutionem S. C. Concilii in *Novariensi* diei 20. Maji 1649 hisce verbis conceptam: S. Congregatio censuit, canonicos coadjutores, etiam coadjutis absentibus non posse capitulis interesse, nec in illis vocem dare nec officium, nuncupatum *auriano della chiesa* exercere, nisi ista in Literis Apostolicis coadjutoriæ explicite exprimantur, et expresse concessa ibidem legantur. (Rel. LII. 109.) Hæc resolutio informatur principio quod regit relationes inter coadjutum et coadjutorem, videlicet coadjutus *continuat* esse *verus* beneficiatus, unde sua jura conservat et potest per seipsum suas obligationes supplere; coadjutor vero tenet locum et supplet defectum coadjuti. Unde coadjutor rigore juris nec vocem habet in capitulo, nec officia quæ canonicis adsignantur, competere possunt coadjutoribus. Talia sunt officia Camerarii, Secretarii etc.

13. At hæc omnia competere possunt coadjutoribus, si de iis in Literis Apostolicis coadjutoriæ expresse caveatur, ceu traditur in cit. resolutione, necnon si constitutiones capitulares id permittant, vel etiam si laudabilis consuetudo legitime præscripta coadjutoribus assistat. Notamus vero ab uno saltem ex hisce capitibus usum in aliquibus capitulis procedere, ut in praxi canonicus coadjutor, absente coadjuto, facile admittatur ad suffragium edendum in capitulo.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

1. Institutio si in genere et *lato sensu* sumatur, quemcumque modum provisionis beneficiorum exprimit. Semper enim in beneficio institutus clericus dicitur, quocumque modo legitimo beneficium assecutus est. Hinc in reg. 1. *Jur.* in 6⁰. dicitur: 'Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri'.

2. *Stricto* autem *sensu* sumpta institutio sumitur ad differentiam sive liberæ collationis, sive etiam confirmationis, quæ electioni

conceditur. Hoc in sensu institutio definitur '*Concessio Ecclesiæ vel Beneficii vacantis auctoritate legitimi superioris facta ad nominationem seu præsentationem patroni*'.

3. Institutio dividitur trifariam ut alia sit *tituli collativa,* alia sit *auctorizabilis,* alia vero *realis* seu *corporalis.* — Prima institutio nihil aliud est nisi actus seu decretum superioris, quo *titulus beneficii confertur clerico idoneo a patrono præsentato.* Huic institutioni undequaque competit data definitio.

4. *Auctorizabilis institutio,* quæ etiam dicitur approbatio, locum habet cum Superior clericum præsentatum instituit in beneficio curam animarum habente, et concedit simul eidem jurisdictionem in populum. Rigore juris in beneficiis curatis potest institutio auctorizabilis distingui ab institutione tituli collativa. Nam fieri potest, ut institutio beneficii parochialis collativa tituli pertineat ad Capitulum, et deinde opus sit, ut ab ordinario loci concedatur institutio auctoritativa seu jurisdictio ad curam animarum exercendam necessaria.

5. Tertia institutio nihil aliud est, quam immissio in *actualem* possessionem beneficii, scilicet manuductio seu investitura per quam clerico, qui habet titulum beneficii, seu jus in re tribuitur corporalis idest realis possessio beneficii et jurium ejus.

De institutione tituli collativa.

6. Præmittimus hanc institutionem a *laicis* dari non posse. Sane juxta c. 8. *de Renun.* (I. 9) clericus, qui beneficium resignavit in manibus laici et ab eodem inde illud recepit, *spoliatur* ab eodem beneficio. Cui capiti consonat c. 4. *de jure patronat.* (III. 38) in quo statuitur, clericos suscipientes beneficium a laicis, si persistiterint in beneficio, ceu intrusos esse *deponendos* a ministerio ecclesiastico et ab ordine. Ratio dispositionis desumitur ex natura institutionis tituli collativæ, quæ cum conferat jus spirituale nempe jus officii sacri obeundi, est proprie potestas spiritualis, quæ proinde laicis competere nequit cc. 2. *de Judiciis* (II. 1) et 7. *de Præscript.* (II. 26). Hinc in cit. c. 4. *de Jurepatr.* laici qui præsumunt vel destituere clericos in Ecclesiis etiam patronatis, subjiciuntur pœnæ excommunicationis ferendæ sententiæ. Quæ cum ita sint, nec facultatem institutionis concedendæ in beneficiis ecclesiasticis consuetudine vel præmissione acquirere possunt laici, sed ad eam acquirendam opus esset privilegio Pontificio quod est supra jus ecclesiasti-

cum, nec facile concedi solet. Igitur ex jure communi clerici solummodo concedere possunt institutionem tituli collativam.

7. Porro in diœcesi *ordinaria potestate* institutionem concedit: *1*⁰. *Episcopus* qui habet *fundatam* intentionem in jure c. 10. C. 16. q. 7. cui consonat c. 3. h. t. Quare prælatis inferioribus et aliis clericis in diœcesi de jure communi institutionis concedendæ facultas non competit. Unde ut isti hac facultate utantur, debent ostendere *titulum specialem* proprii juris.

8. Præterea quum nullus clericus in diœcesi officium sacrum assequi possit, et exercere sine dependentia ab ordinario; hinc tradunt doctores, clericum qui instituendus est a prælato inferiori vel ab alio clerico, præsentandum esse Ordinario, ut cognita idoneitate approbet nominatum. Ad rem facit dispositio tridentina in sess. 7. c. 13. *De Ref.* ubi hæc leguntur: 'Præsentati a quibusvis ecclesiasticis personis . . . ad quævis ecclesiastica beneficia, non instituantur . . . cum prætextu cujusvis privilegii seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorum ordinariis *examinati* et *idonei reperti*, . . . præsentatis tamen vel electis, seu nominatis ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum (quoad examen) exceptis'. Et quidem hoc jus examinandi clericos præsentatos a patronis competit Episcopo, quamvis institutio tituli collativa pertineat ad *prælatum inferiorem* vel ad *capitulum* aut ad *regulares,* quemadmodum tenuit S. C. Concilii in *Tervisina* et *Cremonensi*, et in *Penensi* seu *Cremonensi*, quarum resolutiones in terminis referuntur a *Pignatelli* tom. 8. Consult. 8. nn. 81. 82.

9. Immo in Concilio Tridentino c. 12. sess. 14. *de Ref.* statutum est, in fundationibus vel dotationibus in posterum faciendis *non posse* patronos aliis reservare institutionem, quam Episcopo loci. Inferiores ergo prælati, qui nempe jurisdictione ordinaria quasi-episcopali careant, ex lege fundationis posterioris Concilio jus instituendi assequi nequeunt. Poterunt vero hoc jus habere vel ex fundatione aut dotatione *antiquiore* ipso Concilio Tridentino vel ex *privilegio* vel ex *consuetudine* aut *præscriptione legitima.*

10. Et quidem Episcopus potest institutionem tituli collativam concedere etiamsi *nondum* fuerit *consecratus.* Institutio enim est actus jurisdictionis quam novus Episcopus obtinet statim ac Literas Apostolicas promotionis suæ Capitulo sive per se, sive per procuratorem præsentaverit juxta ea quæ exposuimus in tit. *De elect.* (I. 6).

11. 2⁰. Virtute mandati generalis potest instituere *Vicarius generalis* c. 3. h. t. — 3⁰. *Vicarius capitularis* sede vacante c. un. h. t. in 6⁰. Institutio enim est actus necessarius.

12. *Quinam possunt institui?* — Ex regula in c. 2. h. t. proposita, *laici* non possunt institui in beneficiis ecclesiasticis. Nec ratam faceret et legitimam institutionem *prima tonsura* quæ *postea* susciperetur arg. c. 6. *De transact.* (I. 36). Itaque solummodo possunt institui qui *actu clerici* sunt. Exceptio ex speciali dispositione juris statuta est pro diœcesi *Melevitana*, ubi ex motu proprio *Pii VI.* »Ea semper«, d. 25. Jun. 1777 titulus *beneficii* vel patrimonii requiritur ad recipiendam primam tonsuram; datur ergo beneficium ibi hypothetice i. e. *nunc pro tunc;* cfr. resolutionem S. C. C. d. 9. Aug. 1890.

Ut vero præsentatus a patrono instituatur, debet esse *idoneus.* Hinc, uti vidimus ex cit. c. 13. sess. 7. *de Ref.*, 'præsentatus ad quodcumque beneficium non debet in beneficio institui antequam ab ordinario examinetur et idoneus reperiatur, exceptis illis tantum qui præsentantur ab universitatibus et collegiis generalium studiorum. Hi enim *præsumuntur* idonei. Porro idoneitas resultare debet non solum ex qualitatibus generalibus ad beneficia obtinenda requisitis de quibus in tit. *De ætate, qualit. et ord. præfic.* (I. 14), sed etiam ex *specialibus* qualitatibus in lege *fundationis* descriptis. Animadvertenda vero duo sunt: 1⁰. Si beneficio adnexus simpliciter sit ordo aliquis ex. gr. presbyteratus, valet institutio clerici præsentati, quamvis actu non habeat ordinem illum, dummodo tamen intra tempus a jure statutum possit ordinem hujusmodi suscipere c. 2. h. t. in 6⁰. De hoc tempore a jure statuto sermo fit in cit. tit. (I. 14). Dixi tamen *simpliciter,* idest ratione habitus ex. gr. si fundator voluerit beneficium esse presbyterale. Si enim ordo esset adnexus ratione *actus,* idest si fundator edixerit, ut beneficium non conferatur nisi clerico, qui jam sit sacerdos, institui non potest diaconus, sed requiritur in clerico qualitas sacerdotii jam suscepti. 2⁰. Posita idoneitate, non potest Episcopus instituere clericos *exclusive alicujus nationis,* nisi in lege fundationis id cautum fuerit. Hinc in c. 5. h. t. redarguitur Patriarcha Constantinopolitanus, eo quod instituebat in beneficiis solummodo clericos reipublicæ Venetiarum subditos.

13. Quæritur *quot possint institui in Ecclesia.* Si Ecclesia est *numerata,* idest si habeat numerum determinatum præbendarum,

licet præbendæ hujusmodi unum corpus et unam causam constituant, non possunt recipi et institui clerici ultra designatum numerum præbendarum. Quare vacantibus singulis præbendis, novi institui debent clerici in singulis beneficiis. Quod si sermo sit de Ecclesiis *non numeratis,* tot poterunt institui clerici quot ex reditibus ordinariis Ecclesiæ possunt *honeste sustentari* c. 1. h. t. Hinc ex c. 4. h. t. si Episcopus ultra vires Ecclesiæ velit canonicos constituere, possunt reliqui canonici eidem resistere. — De Ecclesiis non numeratis, seu receptitiis fuse agit *Pitonius: De Disceptationibus ecclesiasticis.* Part. 1ª. Discept. 17.

14. Quoniam *monasteria* regularium subsistunt ad modum Ecclesiarum non numeratarum, hinc Tridentinum de ipsis in sess. 25. c. 3. *De Regul.* statuit: 'In monasteriis tam virorum quam mulierum bona immobilia possidentibus vel non possidentibus is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari'. Hoc idem jam fuerat statutum in genere in c. 1. h. t.

15. Quoad vero *Italiam* et *Insulas Adjacentes* habemus decretum *Urbani VIII.* in Const. *'Cum sæpe contingat'* diei 21. Jan. 1625. confirmatum ab *Innoc. XII.* in Const. *'Nuper'* diei 23. Novembris 1697. In hoc decreto statutum fuit, ut si numerus religiosorum cujuscumque ordinis fuerit designatus et approbatus a S. C. EE. et RR. non possit a Superioribus sine licentia ejusdem Congregationis augeri sub pœna privationis vocis activæ et passivæ ipso facto incurrenda. Hoc decretum applicatum fuit regnis *Hispaniæ* ab *Innoc. XIII.* in Const. *'Apostolici Ministerii'* diei 13. Martii 1723.

16. Quoad vero moniales sequens regula servatur. Videlicet si moniales immediate subsint jurisdictioni episcopali. Episcopus est qui prudentia sua determinare debet numerum sufficientem earundem quæ in monasterio recipiantur. Quod si monasterium fuerit exemptum, ex Constit. *Greg. XIII.* quæ incipit *'Deo sacris'* diei 30. Decembris 1572 determinatio numeri monialium recipiendarum pertinet ad Episcopum simul et superiorem regularem, videlicet pertinet ad Episcopum cum interventu Superioris regularis. Doctores hoc in sensu referunt resolutionem S. C. Concilii. Conf. *Reiffenstuel.* h. t. n. 67.

17. Quæritur *intra quod tempus institutio danda sit ab eo qui instituendi jure pollet.* — In jure non est præfinitum tempus intra quod præsentatus a patrono, et repertus idoneus debeat institui in beneficio. At si nimium protrahatur institutio, adiri poterit superior qui præfinire potest tempus utile ad concedendam institutionem, quo inutiliter elapso, ipse superior instituet. — Si in specie vero sermo sit de beneficiis *curam animarum adnexam* habentibus ex Const. *S. Pii V. 'In Conferendis'* constituitur, ceu tempus utile ad institutionem concedendam, *bimestre* a die factæ præsentationis. Quo elapso patroni poterunt recursum interponere vel penes Metropolitanum aut penes viciniorem ordinarium vel ad S. Sedem. Institutio autem fieri potest *qualibet die* etiam feriato et *extra* territorium instituentis. Est enim actus voluntariæ jurisdictionis, qui completur absque extrinseca et publica solemnitate.

18. Tandem ut rite procedat institutio tradunt Doctores arg. c. ult. *de Elect.* (I. 6) in 6°. intimationem per edictum ad valvas Ecclesiæ faciendam esse qua invitentur omnes interesse habentes ad propria jura deducenda intra præfixum terminum. Quo elapso, expenduntur si adsint rationes concurrentium et solutis difficultatibus, etiam si opus fuerit per judicialem sententiam, emittitur decretum institutionis quo confertur clerico præsentato titulus beneficii seu jus in re perfectum relate ad beneficium.

De Institutione auctorizabili.

19. Institutio *auctorizabilis* qua nempe præsentato a patrono conceditur beneficium parochiale id est cura animarum de jure communi pertinet ad *Episcopum*, qui non aliter admittere debet clericum præsentatum quam probatum per examen circa idoneitatem ad munus parochiale obeundum. Tridentinum sess. 7. c. 13. et sess. 24. c. 18. *de Ref.* Et quidem concessio jurisdictionis parochialis competit Episcopo etiam quando institutio tituli collativa pertinet ad prælatum inferiorem vel ad capitulum vel ad alios clericos. Potestas enim Parochi est participatio jurisdictionis Episcopi.

20. Adeo autem reservatur Episcopo auctoritativa institutio ut eam concedere nequierit Archidiaconus absque Episcopi consensu et mandato arg. c. 4. *de Offic. Archid.* neque ratione consuetudinis. Non tamen requiritur speciale mandatum, ut 1°. *Vicarius Generalis* possit institutionem, etiam auctorizabilem, dare ex c. 3. h. t.; cfr.

Leurenii »*Forum beneficiale*« p. II. qq. 7., 171., 682. et tit. *De officio Vicarii* (I. 28) n. 32. 3⁰.

21. Potest autem concedi institutio 2⁰. a *Vicario Capitulari* sede vacante. Agitur enim de actu non liberalitatis, sed *necessitatis,* qui ad ordinariam administrationem diœcesanæ jurisdictionis pertinet.

22. 3⁰. Jus concedendi approbationem seu institutionem auctorizabilem spectat ad prælatos Episcopo inferiores, qui habent jurisdictionem *quasi episcopalem* in clerum et populum sibi commissum. Prælati enim hujusmodi veniunt in jure sub nomine *ordinariorum.*

23. 4⁰. Aliis prælatis inferioribus competere potest hujusmodi institutio *ex privilegio Apostolico,* non vero ex consuetudine. Conclusio hæc infertur ex cit. c. 4. *de offic. Archid.* in quo cum ageretur de Archidiacono qui, tamquam prælatus inferior, ordinaria gaudebat jurisdictione in diœcesi præsertim in territorio sui archidiaconatus, ait Pontifex, eundem sibi non posse arrogare prætextu alicujus consuetudinis facultatem concedendi institutionem auctoritativam.

De reali institutione seu investitura.

24. Jus ecclesiasticum non solum determinat modum quo clerici designentur legitime ad beneficium ecclesiasticum assequendum; sed etiam comitatur personam clerici usque ad locum officii sui et ad realem illius susceptionem. Hæc disciplina inducta esse videtur, ut confusio evitaretur aut dubitatio circa ipsam personam suscipientem officium. Hinc juridice ipsum officium per actus *symbolicos* sensibili quadam forma traditur clerico designato, qui ut ajunt in *corporalem* beneficii aut Ecclesiæ possessionem immittitur.

25. Ex qua notione patet prohibitum esse clerico, quominus auctoritate *propria* possessionem suscipiat beneficii sibi collati c. 7. h. t. et si id attentaverit, tamquam temerarius puniri potest superioris arbitrio. Quod si adhibita violentia clericus possessionem aggressus sit proprii beneficii, *privatur* omni jure quod illi ex collatione, aut ex institutione tituli collativa vel auctorizabili advenerat c. 18. §. »Insuper« *De Præb.* (III. 4) in 6⁰.

26. Ex eadem notione sequitur nec *laicos* posse realem possessionem seu investituram concedere in beneficiis ecclesiasticis. Ea enim in cap. 1. *de offic. Archid.* (I. 23) recensetur inter res spiri-

tuales. Contra Episcopos vel Abbates suscipientes *investituram* a laicis in c. 12. C. 16. q. 7. *Gregorius VII.* præter nullitatem concessionis dignitatis statuit pœnam privationis gratiæ S. Petri et interdicti ingressus in Ecclesiam. Insuper contra clericos investituram recipientes a laicis in ecclesia, vel ecclesiastica dignitate in c. 17. C. 16. q. 7. *Paschalis II.* statuit pœnam excommunicationis. Quam pœnam excommunicationis decernit pariter Pontifex contra laicum investituram conferentem. Notandum vero est in Const. *Apostolicæ Sedis Pii IX.* silentium servari de supradictis pœnis interdicti *Gregorii VII.* et excommunicationis *Paschalis II.*, adeoque eas cessasse.

27. *Quisnam igitur confert investituram in beneficiis?* Jure decretalium in beneficiis clericos investiebat Archidiaconus c. 7. *de off. Arch.* (I. 23). At exstincta Archidiaconi ordinaria jurisdictione, Episcopus est qui per se, vel per suum vicarium generalem vel per alium clericum delegatum concedit investituram seu corporalem possessionem illorum beneficiorum, quæ ab ipso Episcopo conferuntur vel in quibus ab eo datur clericis præsentatis institutio canonica. Si autem sermo sit de beneficiis quæ conferuntur *a S. Sede,* juxta stilum curiæ munus immittendi in realem possessionem clericum provisum committi solet alicui prælato signaturæ papalis Referendario, vel vicario generali Episcopi, et Canonico antiquiori, vel duobus antiquioribus canonicis capituli, ita ut vel duo vel saltem unus ex eis realem possessionem concedant. Ritus vero quo conceditur investitura seu manuductio in beneficium definitus non est. Hinc servanda est cujuscumque loci consuetudo.

28. Immitti autem quis potest in possessionem vel per *seipsum* vel per *procuratorem suum.* Hic vero procurator debet constitui cum *speciali* mandato arg. c. 17. *De præb.* (III. 4) in 6°. in quo statuitur nullum jus acquiri ad beneficium ab absente clerico, nisi ipse absens *ratam habuerit* beneficii collationem sibi factam. Unde in beneficiis recipiendis non sufficit consensus generalis, ac proinde mandatum generale provisi, sed speciale requiritur. Et revera in praxi servatur regula, ut procurator per mandatum speciale constituatur. Animadverti insuper debet, in beneficiis, in quibus a noviter proviso requiritur *professio fidei,* non sufficere professionem emissam a procuratore, sed ipsum clericum provisum cum accedit, eam emittere debere. Conf. exposita in *tit. 1. libri I.* nn. 14—16.

De effectibus institutionis realis.

29. Primus est ut ex eo die Clericus incipiat *facere fructus suos* in beneficio quos percipere non poterat ante captam possessionem.

30. 2⁰. Secundus effectus traditur in regula 35. Cancellariæ Apostolicæ quæ est *de annuali possessione.* Videlicet si quis impetrat beneficium ecclesiasticum, quod per annum præcedentem ab alio clerico pacifice possessum fuerit et certo modo vacare, et injuste ab actuali possessore retineri prætenditur, debet indicare in ipsa impetratione *nomen, gradum* et *nobilitatem* possessoris actualis, *annos* quos hic beneficium possedit et *causam* specificam ex qua clare constet, nullum jus competere eidem actuali possessori. Quem actualem possessorem insuper debet intra *menses sex* ad judicium compellere per citationem, causamque inde *infra annum* usque ad sententiam definitivam inclusive prosequi tenetur; alioquin impetratio et quæcumque inde acta sequuntur nullius firmitatis exsistunt, et impetrans tenetur reficere damna omnia et expensas ipsi possessori quem conatus est possessione exspoliare.

31. 3⁰. Tertius effectus datur per *regulam Cancell. 36^{am}*. Videlicet 'si quis per triennium pacifice possederit quodcumque beneficium ecclesiasticum ex quovis titulo, apostolica vel ordinaria collatione aut electionis confirmatione, vel institutione post factam præsentationem, dummodo sese non *intruserit* in beneficium, quod sit dispositioni S. Sedis reservatum ex *reservatione generali clausa in corpore juris,* et dummodo ejus ingressus in beneficium non fuerit *simoniacus,* non poterit molestari super beneficio taliter possesso'. Scilicet titulus coloratus quo beneficium possedit, convalidatur triennali pacifica possessione, ita ut non solum in possessorio, sed etiam in petitorio quamlibet exceptionem repellat. Hinc in eadem regula decernitur nulla, et irrita impetratio ab alio facta beneficii taliter possessi ad exstinguendas lites quascumque super hujusmodi beneficio. — Porro quæ sint *reservationes generales* de quibus Regula præsens agit jam vidimus supra in titulo *De Præbendis* (III. 5) nn. 50—51. Censetur vero pacifice possedisse non solum ille, contra quem nemo infra triennium egit, sed etiam ille qui licet passus sit oppositionem, tamen victor in judicio exstitit ac *favorabilem* pro sua possessione retulit sententiam.

32. 4us. effectus est ut per possessionem realem susceptam novi beneficii *vacet* ipso jure *beneficium incompatibile* quod Cle-

ricus noviter provisus possidebat. Hæc quidem regula ex ipso jure communi deducitur juxta ea quæ superius dicta sunt de incompatibilitate beneficiorum. Et merito. Nam proprie quis habere beneficium non dicitur, nisi illud pacifice possideat. At stylus in Dataria Apostolica introductus fuit a jure communi recedens, qui etiam hodie servatur. Stylus hic in eo consistit, ut ipsis literis apostolicis concessionis novi beneficii non semel apponatur decretum vacationis prioris beneficii. Unde hoc beneficium vacare dicitur *per decretum,* et alteri illico confertur, quia exspectetur immissio clerici noviter provisi in possessionem secundi beneficii. Conf. *Pitonium De Disceptat. ecclesiasticis* part. 4. discept. 134. nn. 9. et seqq.

Verum notandum est, ob actualem conditionem beneficiorum in Italia quorum bona a gubernio civili occupata fuere in praxi Datariæ Apostolicæ inductum fuisse, ut Clericus provisus de beneficio incompatibili cum priore jam possesso possit continuare in possessione prioris beneficii quoadusque non fuerit assequutus civilem possessionem secundi per *regium* quod appellant *Exsequatur.*

Titulus VIII.

De Concessione Præbendæ et Ecclesiæ non vacantis.

1. Ut collatio aut institutio in beneficio de jure communi fiat, beneficium debet esse *vacans.* Hinc ad evitandos abusus, qui in collationibus liberis aut institutionibus obrepere possunt, positus est titulus præsens. Beneficia vacare possunt triplici modo; scilicet vel *de jure tantum,* vel 2°. *de facto tantum,* vel 3°. *de jure et facto.* — *De jure tantum* vacat beneficium quando *nemo* illud possidet legitime; unde qui illud retinet, injuste possidet, ex. gr. quia collator jus non habebat collationis.

2. *De facto tantum* vacat beneficium quando revera nullus adsit qui actu illud detineat quamvis adsit clericus qui jus seu titulum habet ad illud possidendum. Ex. gr. si clericus rite institutus ob vim vel metum impediatur quominus possessionem adipiscatur beneficii vel etiam post captam possessionem ab eodem abjiciatur.

3. Vacat vero *de jure et de facto* beneficium quando nemo adsit ad quem spectat ex concessione canonica titulus et jus beneficii, nec simul aliquis exstet qui possessionem actualem ejus habeat. Ex. gr. si is qui legitime possidebat beneficium demoriatur

aut renunciet juri suo, beneficium illico vacat de facto et de jure. Hæc tertia species vacationis constituit veram et propriedictam vacationem beneficii ut de eo disponi possit.

4. Porro vacatio contingere potest ex 4 causis: 1⁰. *morte naturali;* 2⁰. *renuntiatione;* 3⁰. *translatione;* 4⁰. *privatione.* — Quia mors omnia solvit, vinculum quoque solvit beneficii a possidente, dummodo beneficium revera etiam post mortem exsistere pergat. Nam si vivente adhuc possessore beneficium fuerit suppressum vel unitum (cfr. tit. *De Præbendis* (III. 5) nn. 89—99.), beneficium, quia non jam exsistit per se, vacare nequit. Similiter res se habet in ecclesiis non numeratis; cfr. tit. præc. (III. 7) n. 13. — *Renuntiatione* vacare potest beneficium modis, quos exposuimus in tit. *De Renuntiatione* (I. 9) nn. 2. et seqq. — Quomodo *translatione* vacare possit beneficium item vidimus in tit. *De Translatione* (I. 7) n. 10. Remanet tractanda 4ᵃ. causa vacationis: privatio. Privari beneficio quis potest aut *ipso jure* aut per *condemnationem judicis.* In utroque autem casu requiritur *sententia* judicis ut ad exsecutionem procedi possit: *Declaratoria* in priori casu, in altero *condemnatoria.* Porro crimina quæ privationem ipso jure inducunt, sunt 5: 1⁰. crimen *hæresis,* saltem probabilius, c. 12. *De hæret.* (V. 2) in 6⁰. et Const. 29. *S. Pii V.* »*Cum ex Apostolica*«, d. 27. Jan. 1567. in 6⁰., 2⁰. crimen *falsificationis literarum apostolicarum;* 3⁰. crimen *percussionis aut capturæ S. R. E. Cardinalium*, c. 5. *De pœnis* (V. 9) in 6⁰., aut *Episcopi* quoad beneficium in illius Ecclesia erectum. Clem. 1. *de pœnis* (V. 8); 4⁰. crimen *assassinii* c. 1. *de Homicidio* (V. 4) in 6⁰.; 5⁰. crimen *Sodomiæ* Const. *Horrendum* 72. *S. Pii V.* §. 3.

5. Ex titulo regula principalis eruitur sequens: *Beneficium nequit conferri antequam vacet* c. 2. h. t. Collatio autem beneficii facta ante vacationem est ipso jure *irrita;* quamvis vacet *de facto tantum.* Nam adhuc exstat qui habet jure titulum beneficii. Qui vero passus est se immitti in locum sacerdotis viventis idest in locum legitimi possessoris beneficii adhuc viventis, habetur uti intrusus et excommunicationis pœnæ subjiciendus est c. 1. h. t. et absque dispensatione apostolica nec potest legitime obtinere idem beneficium, si deinceps revera vacaverit c. 7. h. t.

6. Huc referri potest regula 21. Cancellariæ Apostolicæ 'Si clericus postulat, et impetret a Romano Pontifice beneficium quod dicit vacare per mortem ultimi possessoris, qui tamen possessor ad-

huc vivit, hæc impetratio *nulla* est'. Quid vero si deinde revera vacet beneficium, et idem clericus illud impetret, nulla facta mentione prioris impetrationis per fraudem obtentæ? Hæc etiam nova impetratio *nullius* est valoris.

7. Quæritur an saltem possit promitti beneficium nondum vacans, et hæc promissio vim habeat. *Promitti nequit* de jure communi beneficium nondum vacans ex cit. c. 2. h. t., ubi additur ratio, ne scilicet quis videatur desiderare mortem alterius, in cujus locum vel beneficium se credat successurum. At quid si facta sit promissio? Respondent cc. 3. et 13. h. t. ipsam non valere. At obstat c. 14. h. t. in quo adstringitur Episcopus providere clericum de beneficio ob factam promissionem. Ut hæc capita concilientur, sciendum est, duplicis generis esse promissiones vel *determinatam* scilicet, vel *genericam*. Promissio determinata locum habet cum superior spondet Clerico se illi concessurum fore vel beneficium primo vacaturum vel determinatum beneficium cum vacaverit. Altera promissio quæ indeterminata est et vaga locum habet cum Superior dicat Clerico 'Conferam tibi beneficium'. Porro in hac generica formula promissionis semper subintelligitur conditio *cum potero* . . Prior promissio odiosa est et ingreditur rationem prohibitionis Conc. Lateran. relatam in c. 2. h. t. Hinc reprobatur a jure in cc. 2. et 13. h. t.

8. Altera vero promissio desiderium mortis alicujus non secumfert. Nam qui promissionem obtinuit certus non est de assecutione beneficii quod vacet, superior enim potuit facile sese eximere a petitióne clerici postulantis collationem alicujus beneficii quod vacat. In promissione enim superior non determinavit beneficium clerico conferendum. Hinc hæc promissio non comprehenditur sub prohibitione Concilii Lateran. et alioquin potest esse justa; quia superior potest subdito suo sive ex titulo remunerationis, sive ex motivo consulendi ejus sustentationi promittere canonicum positionem in Ecclesia. De hac promissione generica loquitur cap. 14. oppositum, et statuit, eam servandam esse.

9. At huic 14. cap. derogatum est per constitutionem *Bonifacii VIII.* in c. 2. h. t. in 6^{0}. quod incipit: '*Detestanda*'. Quo in capite reprobantur et nullius valoris esse dicuntur promissiones beneficiorum nondum vacantium *quæcumque*, et sub *quovis* modo, aut forma verborum de cætero faciendæ, etiam sub clausula *cum potero* vel *si facultas sese obtulerit.* Uno verbo prohibet Bonifacius

quascumque promissiones beneficiorum, per quas vel directe vel indirecte aperiri via valeat ad beneficia vacatura. Ratio hujus rigidæ legis fundatur in experientia ex qua patet istas promissiones ut plurimum per nimiam importunitatem vel mali ambitus sensum extorqueri solere, et exinde multoties concedi beneficia illis clericis, quibus concedenda non forent. Bonifacio consentit Tridentinum in c. 19. sess. 24. *de Ref.*

10. Quare de jure communi abrogatæ fuerunt *gratiæ exspectativæ* et *mentales reservationes* quæ locum habebant cum Romanus Pontifex per Bullam sibi reservabat aliquod beneficium, vel in genere vel in specie conferendum alicui Clerico quem non nominabat. Ceterum in c. 21. sess. 25. *de Ref.* Tridentinum Concilium declaravit S. Sedis auctoritatem in omnibus salvam esse debere. Ex rebus expositis sequitur nullum Prælatum summo Pontifice inferiorem conferre aut promittere posse sive in genere sive in specie beneficium nondum vacans.

11. Sequitur etiam non valere promissionem *patroni* de nominatione conceda ad beneficium vacaturum.

12. Quæritur an de jure communi possit a Canonicis et ab Episcopo clericus admitti in fratrem eidem *conferendo veram canoniam?* Si quis admitteretur in fratrem in capitulo, seu *canoniam* reciperet, præter sedem in choro et vocem in capitulo si assiduis servitiis satisfecerit obligationibus capitularibus, in jure decretalium inductum erat ut quamprimum fieri posset, de præbenda provideretur. Id decernitur in cc. 8. h. t. et in *9. de Præb.* (III. 5). Concordant cc. 19. eod. et 9. *de Constit.* (I. 2). Quibus positis, concessio canoniæ implicat promissionem concessionis præbendæ vacaturæ. Quare concessio canoniæ videtur adversari dispositioni Conc. Lateranensis in cc. 2. h. t. necnon in 2. h. t. in 6°. et c. 19. sess. 24. Tridentini *de Ref.* in quo gratiæ omnes exspectativæ *nullius roboris* esse dicuntur. Profecto si jus antiquum consideremus, dicendum est canonias non fuisse abolitas a Conc. Lateran. III. Nam canonici sine præbenda quibus tamen conferatur præbenda quando facultas sese obtulerit, admissi sunt ab *Innoc. III.* in c. 19. *de Præb.* (III. 5). Ratio enim est, quia in concessione canoniæ nulla revera efficitur promissio expressa conferendi præbendam proxime vacaturam, sed solummodo clericus per canoniam inter canonicos adnumeratur, ut onera sustineat et quædam jura habeat. Quodsi jus disponit ut recepto in fratrem clerico præbenda con-

cedi debeat a Superiore ecclesiastico, id procedit ex æquitate quæ non sinit clericum diu in Ecclesia adlaborare et nullum emolumentum percipere ex reditibus Ecclesiæ ad vitæ suæ sustentationem. Quare concessio præbendæ non procedit vi promissionis factæ canonico supranumerario, sed consequitur ex titulo æquitatis, quæ innititur et supponit laudabile clerici servitium in Ecclesia c. 9. *de Præb.* (III. 5). Hinc si in ipso actu, idest dum quis in Canonicum supranumerarium recipitur vel distincto actu eidem promittatur præbenda vacatura, adnotant doctores post glos. in c. 2. h. t. in 6^{0}. v. »indirecta« concessionem canoniæ utique valere, nullius autem esse roboris factam promissionem vacaturæ præbendæ. Cessat ergo ratio cc. 2. h. t. et 2. h. t. in 6^{0}. necnon dispositionis Tridentinæ in c. 19. sess. 24. *de Ref.* In istis enim locis juris interdicitur promissio beneficii vacaturi. Hæc dicta sint summo jure inspecto.

13. At inspecta praxi Sacræ Congregationis Concilii binas habemus resolutiones quæ videntur a conceptu veteris canoniæ excludere jus obtinendi præbendam proxime vacaturam. In causa *Veliterna* 23. Aug. 1727, cum ob imminutum divinum cultum expostularetur facultas conferendi canonicatum sine participatione fructuum et distributionem *cum conditione* tamen *quod taliter provisus obtinere deberet præbendam primo vacaturam;* S. Congregatio censuit, tribuendam esse Ordinario facultatem concedendi canonicatum sine fructibus et distributionibus, *non esse vero adjiciendam conditionem.* In causa autem *Eystetten.* d. Decemb. 1731 ead. S. Congregatio respondit, Episcopum successorem *non teneri* obligatione ulla conferendi præbendam vacantem clerico illi, qui ab antecessore habuerat canonicatum sine fructibus: scilicet adnumeratus fuerat inter canonicos supranumerarios. Quare hodiernis moribus, nisi specialis detur consuetudo loci, non videtur amplius locum habere proprie dicta vetus canonia, qua electus vel receptus in fratrem jus acquirebat obtinendi quam primum fieri posset præbendam in sua Ecclesia. Hinc qui inter canonicos supranumerarios adjicitur, non potest de jure *communi* compellere ordinarium collatorem ut sibi conferat præbendam quæ vacet.

De Canonicis honorariis.

14. Jure decretalium honor, et dignitas intime connexa erat alicui officio fixo et determinato in Ecclesia idest alicui stabili et

canonicæ positioni clericorum cui propria jura unita erant. Quare etiam canonia licet actu præbenda careret, tamen certam spem assequendi illam includebat, et simul secum ferebat onus præstandi servitium chori et altaris, et jus conferebat habendi sedem in choro et vocem activam, et passivam in Capitulo. Siquidem per canoniam clericus a canonicis recipiebatur in fratrem, et quamprimum clericus provideri debebat etiam de præbenda; cc. 9. et 19. *De Præb.* (III. 5). Quapropter jure Decretalium canonici causa tantum honoris non agnoscebantur, et cum aliquod canonicatus honorifici exemplum apparuit, doctores illum appellarunt *nomen vacuum, dignitatem ventosam.* Ita *Fagnanus com.* in cit. cap. 19. *De Præb.* n. 10. Verum mutatis circumstantiis et præsertim ob diminutas præbendas canonicales, factum est, ut ad augendum divinum cultum, et ad decorandum Episcopi senatum in multis capitulis instituerentur Canonici honorarii. Ex quo sequitur, in electione Canonici honorarii habenda esse præ oculis particularia personæ merita ob quæ honorabili collegio Canonicorum et sedi episcopali decus accedat.

Verum quoad nonnulla capita novum jus introductum est circa nominationem et jura Canonicorum honorariorum, per Instructionem S. C. Concilii d. 16. Sept. 1884. et per Breve S. P. *Leonis XIII.* quod incipit »*Illud est proprium*«, d. 21. Jan. 1894. Postquam Sum. Pontifex originalem canonicorum institutionem eorumque obligationes commemoravit, vehementer conquestus est malam sacerdotum, præsertim juniorum, circa titulos honoresque æmulationem. Ad compescendos ejusmodi abusus *Leo XIII.* suprema sua auctoritate et clausulis irritantibus amplissimis statuit et decrevit:

I. »Episcopus seu Ordinarius ecclesiasticum quempiam virum alienæ diœceseos Canonicum ad honorem nominaturus præter *Capituli* sui *consensum,* Ordinarii, cui nominandus subjicitur, notitiam et votum obtineat; — eumdemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia, quorum usus nominando tribueretur.

II. Canonici ad honorem extra diœcesim in qua nominati sunt, degentes, numero sint tertia parte minores cunctis Canonicis a Pontificiis Constitutionibus respectivæ Basilicæ, sive Ecclesiæ Metropolitanæ aut Cathedrali, vel Collegiatæ adsignatis.

III. Canonici ad honorem alicujus minoris Basilicæ, vel Ecclesiæ Collegiatæ almæ Urbis nominati, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra respectivæ Basilicæ vel Collegiatæ, ejus-

que Filialium Ecclesiarum ambitum, ubi Canonici de numero iisdem fruuntur. Qui vero alicujus Metropolitanæ vel Cathedralis aut Collegiatæ Ecclesiæ, seu Basilicæ minoris extra Urbem Canonici sunt ad honorem, privilegiis et insignibus tantum utantur in diœcesi ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium.

IV. Hæc omnia serventur quoque a Canonicis ad honorem usque ad hanc diem nominatis.«

15. Hisce præmissis ponimus aliquas quæstiones:

1°. Cuinam competit jus elegendi Canonicum honorarium? Regula generalis est hoc jus competere *Episcopo* seu Ordinario, sed ita ut *consensus Capituli* prærequiratur. Ita tenuit S. C. Concilii in causa d. 6. Julii 1867. et Breve »*Illud*« d. 21. Jan. 1894. I. Qui consensus requiritur *ad valorem,* S. C. C. in *Oritana* d. 18. Apr. 1885, d. 27. Febr. 1886, in alia d. 6. Jul. 1889 et *Marsorum* d. 12. Dec. 1891.

Licet Sum. Pont. in cit. Brevi quasvis consuetudines contrarias etiam immemorabiles abrogaverit, nihilominus jus *Patroni* nominandi Canonicos honorarios a S. C. Concilii saltem quoad substantiam agnitum est in *Brunen.* d. 27. April 1895. adjuncta tamen restrictione, ut nominatio non inconsulto Episcopo facta acceptetur a loci Ordinario. — Quia S. Congregatio in cit. causa *Brunen.* de consensu *Capituli* nihil posuerit, concludi forsitan possit dictum consensum Capituli non requiri, quoties agitur de nominatione Canonicorum honorariorum non libera, sed *patronata,* at magis amplectenda est *contraria* sententia ex Brevi Apostolico, quod non distinguit, et ex *reg. juris* 29. in 6°.: »Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari«. —

Si nominandus pertinet ad *alienam* diœcesim, requiritur notitia et votum Episcopi cui nominandus est subjectus.

De facultate *Vicarii Capitularis* nominandi Canonicos multum disputabant canonistæ. Ex analogia hujus casus cum collatione præbendæ (cfr. tit. 5. h. l. nn. 57—58.) dicendum est: Vic. Capit. potest *acceptare* nominationem Canonici honorarii a Patrono factam, minime vero *libere* nominare Con. honorarios cum consensu Capituli, arguitur ex dictis cit. loco n. 58.

Facultas nominandi Canonicos honorarios *extra* diœcesim commorantes quoad numerum restricta est; nam juxta Breve »*Illud*« duas tertias partes omnium Canonicorum Pontificiis Constitutioni-

bus assignatorum excedere nequeunt. Si e. gr. in aliqua ecclesia cathedrali inveniuntur 12 canonici *jure pontificio constituti;* præterea fortasse 6 *alii* sive titulares, sive honorarii, numerus Canonicorum honorariorum *extra diœcesim commorantium* ad summum pertingere potest usque 9.

16. 2°. *Quæ jura competunt Canonicis honorariis?* Inprimis notandum est, Canonicos honorarios privilegiis et insignibus uti non posse nisi intra ambitum ecclesiæ vel territorium diœcesis, in qua nominati sunt Canonici.

Secundum jus *commune* ejusmodi privilegia et insignia sunt mere *honorifica,* scilicet induendi vestes, insignia et honores canonicales; sedendi in choro, si velint interesse, post ultimum canonicum titularem ante ceteros idque in habitu ultimi canonici, S. C. Concilii d. 6. Julii 1867 ad II^um^. et III^um^. dubium. — Si vero Canonicus honorarius in eadem Ecclesia habeat Beneficium, quod servitium chori exigat, illud præstare nequit in habitu canonicali, et si id faciat, punctaturis subjicitur. S. C. Concilii in causa d. 19. Aug. 1868. — Quare nullum jus habet Can. honorarius ad præbendam vacaturam obtinendam, nec pariter vocem activam aut passivam in Capitulo; infertur ex decisione S. C. Concilii d. 11. Jan. 1868.

Diximus *secundum jus commune,* nam jure particulari alia privilegia possunt Can. honorariis competere. Sic in regno *Borussiæ* (sc. in ejus extensione ante annum 1866.) Canonici honorarii ex bulla »*De salute animarum*« (anno 1821.) in electionibus Episcoporum jus suffragii habent necnon pensionem quandam a gubernio percipiunt.

17. Sicut absque consensu Capituli Episcopus nequit nominare Canonicos honorarios, sic nec privilegia vel insignia (non consueta) potest eis concedere absque eodem consensu; S. C. Conc. d. 17. Dec. 1836.

Si alienæ diœcesis clericus eligitur in Can. honorarium, Episcopus nominans Ordinarium, cui clericus ille subjectus est, insignia et privilegia concessa edocere tenetur: cfr. Breve »*Illud*« n. I.

18. Tandem animadverti debet juxta resolutionem S. R. Congregationis ann. *1847* relatam a *De-Angelis* h. t. n. 3. circa finem, non posse Canonicum honorarium suo munere *privari* nisi ejus indigna conversatio exigat ut contra illum de more procedendum sit ad majora scandala præcavenda.

19. Quæritur *intra quod tempus beneficium vacans sit conferendum.* Si beneficium vacans sit *liberæ collationis,* conferendum est intra *semestre* cc. 2. h. t. §. »*cum vero*« et 5. h. t. §. *fin.* Si vero collatio facta fuerit post semestre, ea de rigore juris *potest irritari* quia facta est postquam collator ex sua negligentia potestate conferendi intra tempus juridicum usus non est. At ipso jure nulla non est. Nam Concilium Lateranense in c. 2. h. t. non intendit directe inferre pœnam negligenti collatori sed potius voluit ut quam cito beneficium vacans provideretur de rectore. Facit ad rem cap. 4. *De supplenda neglig. Prælat.* (I. 10).

20. Ex exposita vero regula excipienda sunt beneficia Ecclesiæ *non numeratæ.* Nam cum certus numerus Canonicorum seu præbendarum non habeatur neque dari potest proprie dicta vacatio. Hinc juxta c. 25. *De præb.* (III. 5) in assumptione seu electione novi Canonici Ecclesiæ non numeratæ, jus novum quodammodo creatur, quod nascitur cum electione novi Canonici, et desinit cum Canonicus demoritur. Hinc transacto semestri jus designandi novum canonicum non devolvitur ad Superiorem c. 10. h. t. Verum negligente nimium collatore ordinario, si Ecclesia facultates habeat canonicum sustentandi; ex intentione juris expressa in c. 1. *De inst.* (III. 7) ubi decernitur, tot esse destinandos canonicos quot Ecclesia alere possit, potest superior præfinire terminum eidem collatori ordinario, ut ipse secundum Ecclesiæ consuetudinem provideat eam de novo Canonico; quo elapso ipse superior supplebit negligentiam collatoris ordinarii.

21. Huc referri potest Const. *Greg. XIII. 'Humano vix judicio'* ex qua habemus Episcopum posse conferre beneficia quæcumque *liberæ collationis* quæ vacaverint per *renunciationem* coram se factam etiam in mensibus papalibus. Collatio autem hæc facienda est *intra mensem* et provisus intra *tres menses* debet eam *publicare*, et possessionem accipere. Quod si hæc duo tempora non serventur, provisio beneficii Papæ reservati nulla est, et beneficium a Summo Pontifice confertur.

22. Si beneficium sit *electivum* distinguendum est. Si est *prælatura* regularis vel prælatura principalis Ecclesiæ Cathedralis scilicet si eligendus sit Episcopus vel Abbas ordinariam habens jurisdictionem, tempus utile electionis perficiendæ est *trimestre* cc. 41. et 42. *De elect.* (I. 6). Si vero est beneficium *minus*, tempus utile ad eligendam personam est *semestre* c. 12. h. t.

23. Si beneficium est *patronatum,* Patronus ecclesiasticus habet *semestre* ad præsentandum, laicus vero *quadrimestre.* Ita in tit. *De jurepatr.* (III. 38).

24. Adnotanda vero sunt. 1°. Hoc tempus quod conceditur pro conferendo beneficio vacante non decurrere *ignorantibus;* scilicet sive trimestre sive quadrimestre, sive semestre incipit decurrere a die habitæ notitiæ vacationis: nec corruit *legitime impedito* cc. 5. h. t. et c. 3. *De suppl. negl. Prælat.* (I. 10). 2°. Hoc autem tempus ex quo decurrere incipit, est *continuum,* scilicet currit etiam diebus feriatis, et de die ad diem computatur. Hæc dicta sint de concessione præbendæ vacantis de jure et de facto.

25. Quid si vacaverit *de jure solum* præbenda, idest de facto ab aliquo detineatur? Ex dispositione c. 6. h. t. inspiciendum est, utrum possessio sit *colorata;* idest ex titulo colorato habita, vel non. Si primum, fieri potest ut ex ea enatum sit jus seu titulus beneficii, quemadmodum si possessio fuerit *triennalis.* Regul. 36. *Canc. Apostolicæ.* At si jus hoc non fuerit enatum, poterit beneficium conferri, quemadmodum etiam beneficium conferri poterit quando notum sit, possessionem esse prorsus illegitimam seu neque coloratam. At citari debet semper possessor ut rationes suas deducat. Quod si possessor vel defecerit in illis exhibendis, vel non comparuerit tempore utili, a possessione ejicitur et beneficium alteri confertur.

Titulus IX.

Ne sede vacante aliquid innovetur.

1. Nomine *sedis* præcipue intelligitur Ecclesia *Cathedralis,* seu Episcopalis; ea enim proprie appellatur sedes; idque docet c. 1. h. t. At ob similitudinem juridicam, nomine sedis veniunt etiam abbatia, præpositura, aliæque dignitates quæ reguntur a prælatis ecclesiasticis *jurisdictione præditis* c. 41. *De elect.* (I. 6). Immo ex glos. in c. 1. *De reb. Eccl. non alienand.* (III. 9) in 6°. in sensu tituli nostri vocabulum *sedes* ad beneficia etiam *minora* extenditur.

2. Sedes autem vacare dicitur cum Cathedralis Ecclesia vel beneficium careant proprio rectore sive titulari sive commendatario. Dicimus *sive commendatario;* nam hodiernis moribus concessio beneficii in commendam æquiparatur concessioni in titulum. Si quæratur quoadusque vacare Ecclesia vel beneficium censeatur, distinguendum

est. Si sermo sit de sede episcopali, censetur vacans quoadusque Literæ Apostolicæ de novo Episcopo promoto vel confirmato in curia Romani Pontificis non fuerint *præsentatæ* Capitulo Cathedralis Ecclesiæ. Idemque dicendum de sedibus abbatialibus, de prioratibus etiam regularibus, quorum provisio pertineat ad Sedem Apostolicam. Utramque dispositionem habemus in Extr. 1ª. *De elect.* (I. 3) inter comm. §. »Præsenti«, in qua decernitur, Episcopos aut alios prælatos electos aut confirmatos in curia Pontificis non posse absque Literis Apostolicis accedere ad suas Ecclesias, et administrationem bonorum suscipere, nec ab aliquo recipi posse, et obedientiam exigere ante ostensionem Literarum ipsarum. Hanc dispositionem renovavit et explicavit *Pius IX.* in Const. *Rom. Pontifex* edita V. kal. Sept. 1873, cujus summam exhibuimus in tit. *De elect.*, cum ageremus de juribus electi ad prælaturam vacantem.

3. Quod si agatur de aliis beneficiis quorum collatio aut confirmatio non perficitur in curia Pontificis, vacare censentur quoadusque eorum titulus et possessio non fuerint a Prælato *jurisdictionis* collata.

4. Sede autem vacante nihil est innovandum. Ecclesia enim æquiparatur minori c. 3. *De in integrum restit.* (I. 41), quæ proinde curatore suo indiget seu legitimo defensore, qui alius non est, quam rector illius. Quare sedes vacans censetur carere defensore suo c. 1. h. t. Cum vero iniquum censeatur, pupillum vel minorem præjudicium tolerare debere ob tutoris vel curatoris deficientiam; hinc a jure ecclesiastico, sede vacante interdicitur innovatio ex qua sequi possit præjudicium Ecclesiæ: scilicet interdicitur innovatio per quam status Ecclesiæ innovatur aut jura ejusdem lædantur. Quare ex. gr. in c. 1. h. t. sede vacante prohibitum est, quominus monasterium unitum Ecclesiæ cathedrali ab ea separetur atque iterum sub regimen abbatis sui restituatur.

5. Pariter statutum est, ut sede vacante tempus inceptum *præscriptionis* contra Ecclesiam non decurrat cc. 4. et 15. *De præscr.* (II. 26). Sub vero eadem prohibitione ne aliquid innovetur, comprehenditur etiam quidquid *præjudicium* affert *successori.* At cum hæ dispositiones a sacris canonibus inductæ sint in similitudinem juris civilis, hinc concludunt doctores, ob paritatem conditionis Ecclesiæ et pupilli, valere illas innovationes quæ in evidens emolumentum redundant Ecclesiæ vacantis. Scilicet Ecclesiæ va-

cantis conditio *melior* reddi potest non vero deterior. §. 1. Inst. *de auctoritate Tutorum.*

6. Quæritur *a quo et quomodo sedes vacans regatur.* Cum in titulo nomine sedis vacantis veniat præcipue sedes episcopalis: hinc quæstio hæc reducitur ad administrationem diœceseos. Quæ administratio devolvitur ad Capitulum et hodierno jure juxta Tridentinum ad Vicarium Capitularem, de quo sermo est in l. I. tit. 28. nn. 42—67.

7. In specie vero aliquid dicendum est de judiciis circa negotia, vel jura Ecclesiæ vacantis. Cum Ecclesia vacans carere censeatur proprio et legitimo defensore; hinc sede vacante non solum non potest inchoari novum judicium, sed nec fieri potest prosecutio judicii jam incepti, sive Ecclesia partes habeat actoris sive rei conventi c. ult. h. t. Hinc sententia lata contra Ecclesiam vacantem non sustineretur arg. l. »Acta« 45. §. *ult.* ff. *De re judicata,* quæ id statuit in causa minorum. Prosecutio vero judicii fieri potest *quoties periculum sit in mora.* Sic audiri possunt testes quando sunt senes, vel in periculo versantur mortis non remotæ. Sic etiam judicium institui aut continuari potest cum Ecclesia prævideatur esse diu vacatura. At semper in casu litis debet constitui Ecclesiæ curator seu *legitimus defensor,* qui rationes et jura Ecclesiæ sustineat. Defensor autem hujusmodi pro Ecclesiis cathedralibus a Romano Pontifice constituendus erit juxta probatissimos doctores, pro minoribus vero beneficiis ab Ordinario debet constitui.

Titulus X.

De his quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli.

1. A primis Ecclesiæ temporibus licet agnosceretur potestas episcopalis super presbyteris quibus poterant Episcopi imponere leges, tamen mos invaluit, ut Episcopi præsertim in rebus gravioris momenti presbyterorum sententiam exquirerent. Sic ex. gr. cum ageretur de assumendis ad ordines. Hinc cœtus presbyterorum appellabatur Senatus Ecclesiæ. Ita *Origenes* in *Matth.* Ita *S. Hieronymus* lib. 2. in c. 3. *Isaiæ.*

2. Antea omnes clerici diœceseos constituebant hunc senatum, at processu temporis aucto numero clericorum necnon diœcesis protractis limitibus, non poterant frequenter adire ad Episcopum clerici omnes Diœcesis. Hinc cœtus Episcopo assistens conflabatur

ex clericis civitatis episcopalis. Deinde senatus Episcopi constitutus est ex solis *canonicis Ecclesiæ cathedralis,* qui cum peragerent cum Episcopo majora negotia totius diœceseos majori cœperunt dignitate pollere præ aliis clericis diœcesis, et constituere visi sunt unum corpus, cujus caput erat Episcopus. Ex quo patet cur inducta sit regula juris communis, ut sede vacante, jurisdictio episcopalis Capitulo committeretur.

3. Pro tituli intelligentia animadvertenda sunt duo. 1°. Nomine prælati præcipue venit *Episcopus,* et nomine capituli venit capitulum *Cathedralis* Ecclesiæ. Verum quæ simul de Episcopo et ejus Capitulo dicuntur applicanda sunt etiam Abbatibus, et eorum Monasteriis, necnon Collegiatis Ecclesiis, et eorum præpositis.

4. 2°. Animadvertimus *consensum* tunc revera locum habere, quando capitulares per suffragium de negotio cum Prælato deliberant, ita ut prælatus sub pœna *nullitatis* actorum teneatur sequi sententiam collegii, cujus ipse caput, et præses exsistit, idest majoris partis collegii. Hoc in casu Canonici dicuntur habere suffragium *deliberativum.*

5. Hinc consensus differt a *consilio.* Nam licet prælatus aliquando debeat pro expediendo facilius, et tutius aliquo negotio, exquirere mentem, et animadversiones capitularium, tamen non tenetur consilium datum amplecti et sequi. Hoc in casu Capitulares habere dicuntur votum *consultivum.* Huc referuntur cc. 7. *De arbitris* (I. 43) et 1. *De capell. Monach.* (III. 37).

6. Quæritur *quæ fiant a prælatis sine consensu capituli?*

Generica responsio est, ut dicamus Episcopum absque capituli consensu, jure decretalium inspecto, ea negotia peragere potuisse quæ *ordinaria* sunt, idest pertinent ad quotidianam diœceseos administrationem vel a jure gravissima non reputantur. A jure enim constitutum est, ut Capitulum Episcopum efficaci assistentia, et opere coadjuvet in regimine totius diœceseos. Episcopus namque et canonici censentur unum corpus constituere cujus caput est Episcopus, membra vero canonici, c. 4. h. t. Hinc ex sensu contrario Episcopus non poterit in negotiis, quæ in jure gravissima reputantur absque capituli sui consensu procedere.

7. Inter vero hæc negotia gravissima ea adnumeranda non sunt in quibus Episcopus procedit potestate non ordinaria, sed *delegata.* Nam in delegatione censetur electa industria personæ Episcopi cui commissum est negotium expediendum. Hinc pariter ex-

cipi debent negotia quæ licet in se inspecta sint gravissima tamen ob periculum in mora differri ad ulteriora tempora nequeunt, et interim Capitulum convocari nequeat ob particulares temporis circumstantias. Ex. gr. si capitulares grassante peste in civitate non commorentur.

8. At *quæ negotia in specie requirunt Capituli consensum?* 1[um]. est *alienatio* rerum immobilium vel mobilium pretiosarum pertinentium ad Ecclesiam, vel Capitulum c. 1. h. t. 2°. Requiritur consensus Capituli quando contrahenda est *obligatio* ab Ecclesia ex. gr. ex deposito, fidejussione, aut mutuo cc. 1. *De deposito* (III. 16) et 4. *De fidejuss.* (III. 22). Verum quoad duo exposita capita res immutata est per Const. »*Ambitiosæ*« *Pauli II.* de qua sermo erit in tit. *De rebus Ecclesiæ alienandis vel non.* 3°. Cum agitur de collatione, vel præsentatione ad beneficium quod conferre, aut ad illud præsentare ex *speciali* lege beneficii Episcopus nequeat absque capituli consensu c. 6. h. t. — Item in nominandis Canonicis honorariis, uti vidimus supra in tit. 8. h. l. nn. 14. et sqq. 4°. Cum sermo sit de suppressione Canonicatuum aut unione beneficiorum perficienda propter tenuitatem præbendarum in Ecclesia Cathedrali, vel in Collegiatis insignibus sess. 24. c. 16. *de Ref.* Cui concordant cc. 8. *De const.* (I. 2) et 33. *De præb.* (III. 4) in 6°. 5°. Si extra sacram visitationem procedendum sit ad applicandam pœnam contra clericum pertinentem ad Capitulum *exemptum* sive Ecclesiæ Cathedralis, sive Ecclesiæ collegiatæ, quo in casu Episcopus procedere debet cum duobus membris Capituli ab eodem capitulo designatis. Ita in c. 6. sess. 25. *de Ref.* Conf. *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* lib. 13. c. 9. n. 6. ubi refert plures resolutiones S. C. Conc.

9. Quæsitum insuper est pluries a S. Concilii utrum sine consensu capituli Episcopus possit *indicere Synodum Diœcesanam,* vel edere in Synodo posset constitutiones pro sua diœcesi sine consensu Capituli, et responsum est posse utique indicere Synodum diœcesanam absque consensu et consilio Capituli. Relate vero ad *constitutiones* in Synodo edendas respondit S. C. Conc. Episcopum requirere debere *consilium* Capituli, non teneri autem obligatione, illud amplecti et exsequi. Referuntur hæ resolutiones a *Benedicto XIV. De Syn. l.* 13. c. 1. n. 9. Concordat c. 5. h. t. Tenetur insuper exquirere consilium Capituli Episcopus in *destitutione* et *institutione* clericorum in Ecclesia sua c. 4. h. t. necnon in *corrigendis* et *puniendis* clericorum defectibus c. 5. h. t.

10. Hac vero in re animadvertendum est, hæc de jure *communi* vera esse; at plurimum attendendam esse locorum consuetudinem qua fieri potest ut Episcopus contra capitulum præscribat jura liberæ administrationis qua non teneatur exquirere sive consensum sive consilium Capituli. Hæc theoria ex c. 6. h. t. in quo consuetudo hæc dicitur præscriptiva jurium liberæ administrationis, et valida dicitur. Concordat cc. 3. *De consuet.* (I. 4) in 6°. et 31. in fin. *De elect.* (I. 6). Quare in praxi regula servari potest quæ ex loci consuetudine inducta est. Conf. *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* lib. 13. c. 1. nn. 8. et seq.

11. Adnotant autem auctores, titulum præsentem ferme recessisse a moribus hodiernis cum Episcopi fere omnia negotia soleant expedire *sine* consensu capituli. Conf. *Giraldi Jus Pontif.* part. 1. Sect. 432. Verum haud facile admitterem consuetudinem contra ea, quæ in materia tituli præsentis decernit Conc. Tridentinum, præsertim de necessitate adhibendi 2 canonicos *consiliarios* in iis quæ ad alumnorum seminarii admissionem educationemque spectant, itemque 4 deputatos in quæstionibus œconomicam seminarii administrationem tangentibus, Tridentinum in sess. 23. cp. 18. de Ref. Nam S. Sedes præsertim per organum S. C. Concilii Episcopis jugiter inculcat observantiam legum tridentinarum; cfr. Lit. Encyclicas S. C. Concilii ad Episcopos *Americæ Meridionalis* d. 15. Mart. 1897.

Titulus XI.

De his quæ fiunt a majore parte Capituli.

1. Nomine capituli venit aliquando *associatio omnium clericorum* qui ad aliquam Ecclesiam pertinent, aliquando vero nomine capituli veniunt solummodo *Canonici.* Si capituli vocabulum ad *sæculares* clericos referatur illud sumimus in secundo sensu. Quod si vocabulum hujusmodi ad *Regulares* referatur, illos comprehendit, qui vocem habent, seu partem habent in exercendis juribus communibus familiæ religiosæ. Nomine igitur Capituli in sensu tituli si de Ecclesiis *Cathedralibus* et *Collegiatis* sermo sit, veniunt solummodo Canonici, nisi consuetudo, aut peculiares Ecclesiæ constitutiones aliter postulent. Ita auctores communiter innixi c. 4. *De his quæ fiunt a prælatis* (III. 10), in quo traditur, Canonicos solummodo, qui fratres Episcopi appellantur, constituere unum corpus cum Episcopo. Hinc quoad suffragium edendum generaliter ad

Capitulum non pertinent beneficiati, mansionarii, aliique inferiores clerici servitio Ecclesiæ addicti. Dixi *generaliter*. Nam ex lege *peculiari* alicujus Ecclesiæ aut ex *consuetudine* Beneficiati, aliique clerici possunt jus habere interveniendi capitularibus congregationibus, præsertim si massam communem habeant cum canonicis, et agatur de negotiis ad eandem massam spectantibus; quemadmodum censuit S. C. Conc. in *Astensi* d. 12. Julii 1682. At ex ipsis canonicis in cathedralibus et collegiatis Ecclesiis et ex religiosis in regularibus Ecclesiis, illi quoad suffragium edendum capitulum solummodo constituunt, qui vocem habent in capitulo. Hinc qui in sacris ordinibus constituti non sunt, cum vocem non habeant in capitulo ex Clem. 2. *De Act. et Qual.* (I. 6) cui consonat *Tridentinum* in c. 4. sess. 22. *de Ref.* sub nomine capituli in sensu tituli non veniunt. Ex qua dispositione patet clericum saltem non subdiaconum neque ex aliorum concessione admitti posse ad suffragium edendum in capitulo.

2. Hisce præmissis, *actus dicitur capitularis* quando est positus ex deliberatione capituli legitime congregati. Quoad vero congregationem Capituli animadvertendum est, quædam capitula seu capitularium congregationes celebrari lege *ordinaria*, et solitis anni temporibus, pro negotiis ordinariis et quæ nimis ardua non sunt. Alia vero *extraordinaria* esse, quæ celebrantur pro extraordinariis negotiis. Pro capitulis prioris generis specialis convocatio non requiritur, pro secundis vero *convocatio* necessaria est.

3. Convocare potest Capitulum *Episcopus*, et præter Episcopum convocat capitulum *Decanus*, aut is ad quem ex vi constitutionum capitularium vel consuetudine spectat. Hisce vero non exstantibus, Capitulum convocat *antiquior* inter Canonicos. Vocari autem debent omnes Capitulares, qui in loco *præsentes* sunt et *possunt* ad capitulum accedere.

4. Aliquando citandi sunt etiam *absentes*. Doctores cum glossa in c. 2. *De testibus* (II. 10) in 6⁰. v. »Ipsorum« tres casus adsignant nempe 1⁰. cum electio *prælati* facienda est cap. 42. *De elect. et electi potest.* (I. 6). 2⁰. In electione novi *Canonici* et præbendarum *collatione* c. 33. *De præb.* (III. 4) in 6⁰. 3⁰. In decernenda *cessatione a divinis* c. 8. *De off. ordin.* (I. 16) in 6⁰. Quod si qui vocari debebat præteritus est, agere potest *de spreto,* ut quæ acta a capitulo sunt eo absente, *rescindantur;* c. 36. *De elect.* (I. 16)

§. »*electionem*«. Hinc per se hujusmodi acta capitularia valent c. 28. §. 1. *De elect.* (I. 6).

5. Ut vero ad celebrationem capituli procedatur, Canonistæ cum *Abbate* in c. 6. n. 13. *De const.* (I. 2) et *Fagnano* in c. 2. *De nori operis nun.* (V. 32) distinguunt duos casus. I^{us}. est, quando Capitulum convocatum est *ab eo qui jus habet convocandi.* Hoc in casu vocatis omnibus qui debent vocari, illi qui conveniunt, poterunt negotium expedire et absentes censentur uti contumaces, adeoque privantur pro illa vice jure suffragii edendi cc. 19. *De elect.* (I. 6) et 21. §. 1. *officio Deleg.* (I. 29).

6. II^{us}. casus est quando nemo adsit, qui jus habet convocandi capitulum, et hoc in casu necesse est ut saltem conveniant ad capitulum *binæ tertiæ* partes Capitularium præsentium in loco capituli. Nam universitas non censetur sufficienter repræsentari nisi saltem binæ tertiæ partes membrorum simul concurrant. L. »nulli ex lege plane« ff. *Quod cujusque Universitatis nomine.* At exceptio facienda est, nisi complementum negotii urgeat, et periculum sit in mora. Quo in casu minor pars debet vocare alios, qui si non accedant, præsentes possunt decernere de negotio. Nequeunt enim præsentes jure suo privari ob aliorum negligentiam. — Convocatis autem, et præsentibus Capitularibus negotium discutitur, et ex communi seu capitulari deliberatione finitur. Porro ut valor deliberationis capitularis rite determinetur, duplex est distinguendus casus. I^{o}. Quando negotium quod discutitur tangit *omnes ut singulos.* II°. Quando capitulares respicit *in communi.* Jam vero negotium tangit omnes uti singulos 1°. quoties agitur de remissione juris proprii et individualis quemadmodum verificatur quando designantur *compromissarii* ad eligendum prælatum quo in casu cum singuli habeant jus suffragii cedit quisque hoc jus alicui vel aliquibus personis. 2°. Quoties agitur de suscipienda obligatione prorsus *voluntaria et indebita;* sive obligatio hæc omnibus imponi velit, sive imponi velit uni aut aliquibus capitularibus ex. gr. contribuendi in aliquo pio opere libero. Hinc si agitur de negotio quod incidit jam sub dispositionem legis saltem in genere, non censetur tangere singulos uti singulos, sed ipsum capitulum. Exemplum habemus in cap. 4. h. t. in quo agitur de portione fructuum a canonicis cedenda ad reparandam Ecclesiam Cathedralem et regula traditur ut negotium expediatur quemadmodum expediuntur negotia quæ omnes *in communi* canonicos tangunt. Et

ratio est, quia ex lege canonica capitulum ligatur obligatione reparandi Ecclesiam Cathedralem fatiscentem. Cf. *Pirrhing* h. t. n. 8.

7. Si sermo sit de prioris generis negotiis, idest de negotiis, quæ tangunt canonicos *uti singulos,* ut resolutio capitularis valeat, debet ab omnibus et singulis probari 'nam quod omnes tangit, ab omnibus probari debet'. *Reg. 29. juris* in 6°. Hæc theoria certa est apud DD. qui citant etiam c. 6. *De const.* (I. 2). Conferri possunt *Pirrhing* h. t. not. 4. circa c. 4. h. t.; *Fagnanus comm.* ad c. 1. h. t. n. 12. et *Pignatelli* tom. 10. Consult. 82. nn. 5. et 6. Quare si major pars capituli alicui capitulario ex. gr. Decano vel Archidiacono onus aliquod imponere intendat quod non habebat, puta servitium altaris per turnum, decisio capituli non valet nisi ipsa persona onere gravanda consensum præbeat. Et quidem si consensum præbeat, ipsa persona onus implere tenebitur, non autem *successor* ejus. Ratio est quia actualis possessor beneficii facto proprio non potest reddere pejorem conditionem successorum. Ex exposita theoria sequitur etiam, decisionem capituli infirmari ex unius tantum capitularis dissensione, quando negotium omnes uti singulos tangit, quemadmodum notat *Pignatelli* loc. cit.

8. Quod si negotium respiciat omnes in communi seu ipsum Capitulum, sufficit consensus *majoris, et sanioris partis* capituli; cc. 1. et 4. h. t. At quoadusque non probatur, majorem partem insano ductam esse consilio, semper præsumptio stat pro eadem parte majore, ut scilicet sit simul sanior. At in hoc etiam videnda est praxis singularum Ecclesiarum. Potest enim locum habere regula specialis ut numerus determinatus suffragiorum capitularium præsentium necessarius sit pro negotio expediendo, quemadmodum ex. gr. verificatur de electione Rom. Pontificis, ad quem eligendum requiruntur binæ tertiæ partes suffragiorum Cardinalium in conclavi præsentium c. 6. *De elect.* (I. 6).

9. Inter ea, quæ a Capitulo constitui solent, quæque speciali mentione digna sunt, recensentur *constitutiones capitulares,* nec non decreta servitium chori et altaris respicientia. Capitulum condere potest Constitutiones suas, quæ si fuerint ab Episcopo probatæ, veram legem efformant; ac proinde ligant etiam successores, et perdurant quoadusque non fuerint revocatæ vel reformatæ. Revocatio autem seu reformatio fieri debet a Capitulo cum consensu *Episcopi*, si fuerint ab Episcopo confirmatæ. Quemadmodum enim fert *Reg.* 1. *Juris*: 'Omnis res per quascumque causas

nascitur, per easdem dissolvitur'. Ob eandem rationem si Constitutiones capitulares fuerint a *S. Sede* in forma *specifica* confirmatæ, revocari aut corrigi nequeunt inconsulta eadem Apostolica Sede. Qua in re animadvertimus in Synodo Romana ann. 1725. tit. 2. cc. 4. et 5. legem latam fuisse, qua cavetur, Capitula sive Cathedralium sive Collegiatarum Ecclesiarum suas Constitutiones intra sex menses condere debere, easque proprio Episcopo exhibendas esse confirmationis obtinendæ causa. Hæc autem dispositio extenditur ad omnia Capitula etiam extra Provinciam romanam exsistentia. Quare S. C. Concilii sive in generalibus conciliis, sive in responsionibus ad relationes Episcoporum super statu Diœcesium, quoties occasio verificatur, solet inculcare ut præfatæ dispositioni pareant ea Capitula, quæ propriis constitutionibus carent. Potest insuper, uti diximus, Capitulum decreta condere, quæ internum regimen respiciunt, vel quæ moderantur servitium chori et altaris; at in his condendis non potest Capitulum lædere jus tertii quæsitum, uti supra demonstravimus, nec obviare potest juri communi, aut Constitutionibus suis a Superiore confirmatis.

10. Ultimo loco quæritur an Canonici in electionibus sive ad aliquod officium in Capitulo sive ad aliquam præbendam seu Cappellaniam cujus collatio ad Capitulum pertinet, suffragium dare possint alicui *consanguineo*.

Responsio datur in ll. »Illud« et »Item« Dig. *Quod cujusque Universitatis* ubi Juris consultus hæc habet: 'Prodest suffragium patris filio, et filii patri, item eorum, qui in ejusdem patris potestate sunt: quasi Decurio enim illud dedit suffragium, non quasi domestica persona: in iis quippe, quæ juris publici sunt, præsumitur, quod magis ad bonum publicum moveatur, quam ex alia causa particulari affectionis'. Huic legi adhæsit S. C. Concilii in quæstionibus sibi propositis: in *Pisana* d. 19. Sept. 1813, sc., Canonicum non esse rejiciendum in electione alicujus consanguinei a ferendo suffragio. Item in causa decisa d. 28. Julii 1865 (A. S. S. vol. I. pag. 162.). In *Ferentina* idem fuit responsum adjecta tamen clausula: *per vota secreta* (Acta S. S. vol. I. pg. 158).

At hæc theoria valet vi juris *communis*, quod non prohibet quominus ex Constitutionibus particularibus vel ex consuetudine legitime præscripta Canonici arceantur a suffragio edendo, quoties agitur de electione vel de negotio aliquo personæ vinculo sanguinis vel affinitatis sibi conjunctæ.

TITULUS XII.

Ut ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

1. Rubrica tituli cum sensum habeat absolutum et præceptivum, veram *legem* constituit. Consonat dispositio tridentina in c. 5. sess. 25. *de Ref.* ubi hæc statuit Concilium: 'Ratio postulat ut illis, quæ bene constituta sunt contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa onera illis sunt injuncta, in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur'. Hæc in genere præmittenda erant.

2. Pluribus autem modis beneficia diminutionem possunt pati. De aliquibus jam sumus locuti in tit. 5°. nunc de *tribus* pertractandum remanet. 1us. modus est, si manentibus pro Clerico iisdem juribus, et reditibus beneficii, *nova quædam onera* imponantur, ex. gr. si beneficii possessori instituendo obligatio imponatur legendi scripturam in Ecclesia, vel Missam celebrandi diebus et horis statutis. Inspecto jure communi et ordinaria œconomia, Episcopus, aut alius inferior quilibet collator non possunt nova onera imponere beneficio vacanti et futuro ejus successori. Hæc dispositio juris insinuatur in intentione canonum, et præsertim in c. un. h. t. Traditur autem in cc. 8. *De consuet.* (I. 4) et in 7. *De Censibus* (III. 39), in quo Conc. Lateran. III. decernit 'ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis prælatis novi census imponantur Ecclesiis nec veteres augeantur, sed libertatem quam sibi majores conservare desiderant, minoribus suis bona voluntate conservent. Si quis vero aliter fecerit, irritum quod gerit habeatur'. *Faganus* autem *com.* ad c. 11. *De præb.* (III. 5) n. 3. refert S. C. Concilii respondisse, non posse Episcopum novum onus beneficiis imponere in eorum collatione.

3. In specie autem habemus plures resolutiones ejusdem S. Congregationis in ordine ad onus *celebrationis Missarum.* Et primo quidem in *Pisaurensi* d. 6. Aprilis 1647 (lib. *Decret.* 18. pag. 231.) S. Congregatio respondit: 'Oppidensem oratorem obtinentem beneficium simplex in Ecclesia cathedrali pisaurensi cum onere celebrandi Missas duobus diebus cujuslibet hebdomadæ, et aliquibus diebus festis non posse cogi ab Episcopo pisaurensi ibidem cele-

brare vel celebrare facere certis diebus, et horis per eundem Episcopum pisaurensem præscriptis; sed tantummodo posse illum *hortari* ut celebret vel celebrare faciat'. Consonat resolutio in alia *Pisaurensi* d. 17. Maji 1653 (*Decret.* lib. 19. pag. 243.) ubi S. Congregatio respondit 'Episcopum non posse cogere hujusmodi Capellanos ut missas celebrent, vel celebrare faciant certis diebus, et horis'. In *Florentina* d. 18. Aprilis 1863. eandem dedit S. Congregatio responsionem, quam dederat in 1ª. Pisaurensi. — Eadem est resolutio in causa proposita d. 9. Decembris 1865. Cfr. Acta S. S. vol. II. pg. 298—299. Concludi ergo potest ex lege generali, si in aliqua fundatione beneficii, vel Capellaniæ non determinentur dies, et horæ quibus missa celebrari debeat, dum confertur beneficium, vel capellania, non posse novo possessori imponi onus celebrationis perficiendæ certis diebus et horis, idest onus, quod in fundatione statutum non fuerat.

4. Attamen obstare videtur c. 11. *De præb.* (III. 5) in quo cum ageretur de onere Missæ quotidianæ imposito a canonicis Clerico cum eidem conferrent præbendam, Pontifex in genere approbat collationem hujusmodi cum onere adjecto. Ut hanc difficultatem solvant, nonnulli dicunt, *ideo* validam fuisse hanc oneris impositionem, quia eam probavit Summus Pontifex. At hæc responsio non arridet, quia Pontifex in casu agebat partes judicis, qui decernere debebat utrum agendi ratio Capituli legitima fuisset an non. Potius cum aliis DD. dicendum est, regulam generalem esse, collatorem non posse novum onus imponere; at, *necessitate cogente,* onus hujusmodi imponere posse. Cum vero c. 11. citatum novis dispositionibus non fuerit abrogatum; hinc doctores et interpretes ajunt, ob necessitatem urgentem posse Episcopum beneficio vacanti honestum onus imponere, et a fortiori posse modificationem inducere in oneribus jam exsistentibus ut eorumdem implementum utilius Ecclesiæ resultet. Conf. *Pasqual. De Sacrif. Missæ* q. 844. n. 11. et *Pitonius de Controv. Patron.* alleg. 100 n. 29.

5. 2ᵘˢ. modus quo beneficia pati possunt diminutionem est, si in collatione *solutio* aliqua seu *præstatio* exigatur pro una vice vel ad aliquod tempus. Hæc pariter diminutio a canonibus prohibita est, ceu patet ex cc. 9. *De Off. Ord.* (I. 16) in 6º. et 40. *De elect.* (I. 6) in 6º. Interdicitur etiam a Trid. in c. 14. sess. 24. *De Ref.* Ex qua dispositione Concilii patet prohiberi reservationes nec non promissiones, et compensationes in ipsa collatione, institu-

tione, præsentatione etc., quæ juxta statuta capitularia vel consuetudinem fiunt favore capituli in quo novus canonicus vel beneficiatus recipitur. Verba Conc. hæc sunt 'In pluribus Ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, et parochialibus, ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis Ecclesiæ vel beneficii, canonicatuum, aut præbendarum, vel partem proventuum seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus ecclesiis dicuntur »turnorum lucra« interponantur. Hæc cum S. Synodus detestetur mandat Episcopis, ut, quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur aut ingressos eos qui simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant'. Concordat Const. *S. Pii V. Durum nimis* d. 31. Maji 1570.

6. At ex concordantiis jurium præsertim in cit. loco Tridentini et c. un. h. t. §. ult. inferunt auctores, posse Episcopum exigere partem fructuum beneficii vacantis in actu collationis, interveniente tamen necessitate, et ita, ut reservatio duret solummodo quoadusque necessitas perseveret. Causa autem legitima haberetur, si solvenda essent debita contracta nomine Ecclesiæ, vel si reparanda esset fabrica Ecclesiæ Cathedralis vel ejus Ecclesiæ in qua erectum est beneficium.

7. Conditiones vero sunt 1°. ut *congrua portio* ad honestam vitæ sustentationem relinquatur Clerico instituendo in beneficium. 2°. Ut *consensus* accedat eorum qui in beneficium *interesse habent;* quemadmodum essent electores, vel patroni. 3°. Ut reservatio fructuum fiat in collatione, sed *nullo* interveniente *pacto* vel *conventione* cum clerico cui beneficium confertur. Scilicet reservatio facienda est absolute absque ullo respectu ad personam clerici cui beneficium confertur; secus enim periculum esse potest simoniæ.

8. Quæritur quid dicendum sit de *annatis* vel *mediis annatis,* quæ exigi solent ab Apostolica Sede in collatione beneficiorum? Viderentur et hæ comprehendi sub lege explicata qua interdictum est ne aliquid recipiatur in collatione beneficiorum. Ipsæ enim solvuntur Cameræ Apostolicæ in ipsa expeditione bullarum, ita ut non expediantur Literæ Apostolicæ collationis et per consequens collatio vires non obtineat nisi fiat earundem annatarum solutio.

Quare cum solutio annatarum induat indolem conditionis sine qua non, potest suspicionem gignere intentionis simoniacæ. At annatarum solutio optime defenditur ab omni contraria animadversione. Nam nomine annatarum veniunt fructus primi anni quos ex beneficiis Sedis Apostolicæ reservatis percipit Camera Apostolica in expeditione Bullæ collationis beneficii. Antiquus est annatarum usus, et earum origo refertur ad Concilium *Viennense* anni 1311. De hisce sermo est in Extrav. 2. *Joannis XXII. De elect.* et in Concilio *Constant.* sess. 40. d. 30. Octobris 1417.

Quod vero annatarum solutio non comprehendatur sub exposita prohibitione et quod ab omni labe simoniaca immunis est, innotescit si pauca considerentur. Sciendum est prohibitionem ut nihil exigatur in collatione beneficiorum inductam non fuisse præcise et absolute quia aliquid recipere in collatione beneficiorum sit simoniacum: nam si nullo interveniente pacto et ex legitima causa hoc aliquid exigatur, exactio prorsus licita esset ex disp. cap. un. h. t. circa finem. Jamvero hæc est sincera notio annatarum ut nempe ex legitima causa absque pacto aliquid exigatur. Nam revera primitus inductum fuit ut clerici beneficium adepti, vel per biennium vel per annum partem fructuum beneficii sui Romanæ Sedi impenderent ut ope horum fructuum Romanus Pontifex *suæ honestæ sustentationi* nec non S. R. E. Cardinalium *decori* consuleret, et ex hisce fructibus erueret unde *necessitatibus Ecclesiarum* et emergentibus eventibus præsertim bellorum cruciatorum provideret. In hac re Rom. Pontificem usum fuisse jure suo nemo est, qui non videat: si quidem per hanc dispositionem determinata fuit ratio qua clerici ex bonis ecclesiasticis concurrerent ut satisfacerent exigentiis universalis Ecclesiæ. Designati hinc fuerunt in variis regionibus Apostolici Commissarii qui a Clericis noviter de beneficio provisis annatas exigerent. Sed cum abusus frequenter in hac exactione obrepsissent tum ex parte Clericorum qui assecuti beneficia onus solutionis Sedi Apostolicæ non adimplebant, tum ex parte quorundam Commissariorum qui nimium forsan clericos vexabant, suumque potius quam Sedis Apostolicæ negotium curabant, *Bonifacius IX.* statuit legem ut annatæ anticipata solutione solverentur scilicet computatione facta fructuum beneficii in ipsa collatione, æqua portio fructuum Cameræ Apostolicæ solveretur. Ex qua notione patet annatas non haberi loco pretii concessionis beneficii, sed esse tributum quoddam ex justo titulo quod solvitur

primæ Sedi, solvi autem in ipsa collatione beneficii ad evitandos abusus qui verificarentur si alius esset modus solutionis.

9. Animadvertimus hodie in collationibus beneficiorum exiguam esse prorsus quantitatem pecuniæ quæ titulo annatæ solvitur S. Sedi. — Tandem *Benedictus XIII.* in Const. *Pius et Misericors* 4. idus Maji 1725 quæque refertur in appendice Synodi Romanæ ejusdem anni, præcipit, ut Episcopi in collationibus beneficiorum imponant clericis provisis annatas applicandas fabricæ Ecclesiæ cathedralis.

10. 3um. modus quo beneficium vacans diminutionem patitur locum habet cum portio fructuum separatur dispositione non precaria sed stabili, et constanti ita ut, manentibus integris privilegiis, et obligationibus, beneficium quoad fructus in plura dividi videatur. Separatio autem hujusmodi portionis fructuum vel efficitur per dismembrationem beneficii vel per pensionem alicui concessam supra beneficium ab altero possessum. De dismembratione locuti sumus in tit. 5. Nunc aliquid dicendum superest de Pensione.

11. *Pensio* est '*jus percipiendi certam portionem fructuum ex alieno beneficio auctoritate legitima, et justa interveniente causa alicui concessum*'.

12. Cum sit jus percipiendi fructus de bonis Ecclesiasticis sequitur id posse lege communi concedi *clericis* solummodo, et laicos id assequi ex dispositione juris communis non posse. Quoad *ætatem* requisitam in clerico ut pensionem assequi possit nihil est determinatum in jure. Quare non requiritur ætas annorum 14 de qua in Tridentino pro assequendis beneficiis. Beneficium enim non est, sed requiritur ætas septennio major. *Monacelli* tom. 2. tit. 14. Form. 7. n. 3. cum aliis, et refert decr. S. C. Conc. in *Nullius* d. 24. Martii 1627.

13. Ex beneficio alieno constituitur, hinc revera titulum beneficii non constituit, scilicet beneficium non est. Attamen quia pensio est delibatio ecclesiasticæ substantiæ seu fructuum bonorum ecclesiasticorum in aliquibus æquiparatur beneficio. Nempe pensionarius 1°. tenetur quotidie recitare *officium parvum B. M. V.* nisi ex alio titulo teneatur ad recitandum *divinum* officium. Constit. 135. *S. Pii V.* »*In Proximo*«. 2°. Tenetur *habitum, et tonsuram deferre* si pensiones simul sumptæ excedant 60 ducata auri de Camera et actu eam summam percipiat, vel saltem per eum steterit quo-

minus eam percipiat. Quod si hic pensionarius habitum clericalem dimiserit tanto tempore, quo ab omnibus reputetur uti laicus, eo ipso absque ulla monitione, citatione, aut judicis decreto, vel ministerio pensionem amittit idest pensio ipsa exstinguitur. Const. »*Pastoralis*« *Sixti V.* Conf. *De Luca De Pensionibus* disc. 48. n. 7.

14. Pensio dicitur separatio fructuum ad tempus, quia non separantur fructus a beneficio irrevocabiliter, sed ad certum tempus. Nihilominus pensio alia dicitur *temporanea*, alia *perpetua*. Temporanea est quæ imponitur potius *personæ* beneficium possidenti quam ipsi beneficio. Hinc pensio hujusmodi non gravat successores in beneficio.

15. Perpetua vero pensio ea est, quæ *beneficio* imponitur ita ut donec vivat pensionarius eidem semper sit solvenda pensio sive beneficium semper ab uno possideatur, sive alteri conferatur. Hinc pensio perpetua est quæ datur ad vitam pensionarii.

16. *Quinam possit pensiones in beneficiis constituere?* Legitima obveniente causa, Romanus Pontifex imponere potest pensiones tum temporaneas tum perpetuas, quippe qui in jure censetur habere plenariam de beneficiis ecclesiasticis dispositionem c. 2. *de Præb.* (III. 4) in 6⁰. et Clem. 1. §. ult. *Ut lite pendente* (II. 5).

17. Si vero sermo sit de *aliis ordinariis collatoribus* certum est apud omnes *non* posse ab iis imponi pensiones *perpetuas;* nam cum pensio perpetua ipsum afficiat beneficium penes quemcumque possessorem ea considerari potest ceu onus reale beneficii, seu diminutio beneficii ipsius, ac proinde pensio perpetua comprehenditur sub prohibitione ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur. Conf. c. 21. *de Præb.* (III. 5).

18. Quod si sermo sit de *temporanea* pensione seu ad vitam clerici possidentis beneficium, quamvis in genere dici posset concessionem hujus pensionis subjici prohibitioni tituli præsentis, tamen communior Doctorum sententia est, ut Episcopus et alius collator ordinarius Papa inferior possint in favorem alterius ex justa causa pensionem temporaneam constituere super fructibus beneficii alicujus. Insinuatur hæc dispositio in cit. c. 21. *de Præb.* in quo reprobatur expresse solum pensio perpetua et toleratur temporanea collata ab ordinario. Solent vero, si ex commendatione Episcopi fiat postulatio, pensiones temporaneæ confirmari a Sede Apostolica, ut perpetuæ fiant. Postulatio hæc exhibetur Datariæ Apostolicæ.

19. Ex hisce explicatis sequitur non posse auctoritate Episcopi aut alterius collatoris Pontifice inferioris admitti resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis in favorem resignantis supra beneficium, cui renunciat. Justa tamen obveniente causa, potest Episcopus in favorem Clerici resignantis constituere pensiones temporaneas seu duraturas ad vitam clerici, cui resignatum beneficium confert, c. 21. *De præb.*

20. Si quæratur *quibusnam beneficiis possint imponi pensiones*, respondemus jure Tridentino in sess. 24. c. 13. *de Ref.* ab onere pensionis eximi Cathedrales Ecclesias idest Episcopatus quorum reditus summam ducatorum mille, et beneficia curata, quorum reditus annui summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt. At accessit decretum *Innoc. XII.* 11. Nov. 1692. publicatum per organum Datariæ, confirmatum deinde in Const. *Bened. XIII. Quanta, 6. Sept. 1724* quo prohibitum fuit ne ordinarii aut alii collatores Ecclesiarum Parochialium etiam jurispatronatus laicalis nullo modo prædictis Ecclesiis pensiones imponerent, et ne earundem resignationes admitterent cum reservatione pensionis favore cujuscumque et quovis titulo etiam alimentorum; cfr. *Lucii Ferraris: »Prompta Bibl.«:* v. »pensio« n. 28.

De translatione pensionum.

21. Translatio pensionis nihil aliud est nisi concessio pensionis vel in toto, vel in parte facta a clerico pensionario favore alterius clerici. Facultas transferendi pensiones tribui potest a solo *Romano Pontifice* ad exclusionem inferiorum collatorum, ceu tenet communis Doctorum sententia. Ratio est, quia nemo potest disponere de jure percipiendi fructus bonorum Ecclesiasticorum, qui ipsi concessi fuerint ad honestam sustentationem quoadusque vixerit. Unde pensionis assecutio de sui natura constituit jus personale, quod personam ipsam clerici pensionarii non egreditur.

22. Antiquitus commune erat collegiis, et officialibus Romanæ Curiæ privilegium transferendi pensiones. At *Urbanus VIII.* in Const. *Cum. S. R. E. Cardinales,* kal. Aprilis 1631 abolevit privilegium hujusmodi quoad omnes pensiones, exceptis solummodo S. R. E. Cardinalibus pro quibus illud sartum, tectumque servari voluit. Per Constitutionem vero *'Inter gravissimas'* 8. Sept. 1636. idem Pontifex etiam Cardinalibus illud privilegium abstulit. Verum *Innocentius XI.* in Const. *'Circumspecta'*, 7. Febr. 1678 revocavit

Const. *Inter gravissimas* Urbani VIII., et concessit S. R. E. Cardinalibus facultatem transferendi solummodo medietatem pensionis vel pensionum quas possident.

Præterea ex speciali concessione Summi Pontificis solet competere etiam aliis, et præsertim Conclavistis facultas transferendi pensiones. At regula jugiter servatur Constitutionis '*Circumspecta*' ut nempe non ultra mediam partem pensionum translatio fiat. Et quidem si translatio facta fuerit ultra terminos in citata constitutione, vel in concessione indulti definitos, valet solummodo pro quantitate a Pontifice constituta. Conf. Card. *De Luca De Pensionibus* Disc. 66. et *Ferrari Biblioth. Canon.* v. »Pensio« n. 82.

23. Fieri autem potest translatio pensionis etiam in articulo mortis, ceu patet ex indultis quæ solent concedi. Quare relate ad pensiones non militat Regula Cancellariæ Apostolicæ *De infirmis intra 20 dies morientibus.*

24. Forma servanda in translatione est, ut fiat per actum Notarii coram persona aliqua in dignitate constituta, vel saltem coram canonico Cathedralis Ecclesiæ et testibus, et quidem pensionarius debet Notario exhibere indultum Pontificis, ex quo resultet facultas translationis faciendæ. Cardinales vero ab hac obligatione eximuntur, et valet translatio pensionis ab iisdem facta coram solo Notario et testibus. *Monacelli* in suo *formulario* tom. *2.* tit. 14. form. 7. exhibet formulam translationis. Cum vero tempore pestis difficile possit haberi copia personæ in dignitate constitutæ et Notarii, hinc *Alexander VII.* in Const. '*In supremo*' 18. Sept. 1656. decrevit ut, grassante peste, quilibet sacerdos sæcularis vel regularis in translatione pensionis supplere possit vices Notarii et sufficiant duo testes. Voluit vero ut testes tres esse debeant; si sacerdos, qui supplet vices Notarii sit ille idem, in quem pensio transfertur.

25. Quæritur: *Quomodo pensiones sunt solvendæ?*

Resp. Servanda est lex constituta in Literis seu Bullis collationis pensionis. Hinc 1°. solutio fieri debet *statis temporibus* in Bulla designatis; 2°. *integre* est solvenda pensio absque compensatione onerum, quæ imponantur a publica auctoritate sive ecclesiastica sive civili. Edicitur enim in bulla, ut integra solvatur pensio. Regula hæc legitima est: nam ex una parte pensionarius non possidet beneficium; hinc oneribus beneficii nequit gravari, ex altera autem parte cum conceditur pensio, Superiori notæ sunt

beneficii vires, et detractio pensionis a beneficii fructibus ita fit ut consideratis etiam futuris probabilibus eventibus congrua, et sufficiens portio beneficiato remaneat.

26. Attamen, in pejus mutatis conditionibus Ecclesiæ in Italia præsertim quoad beneficia, alia regula adoptari cœpit. Postquam scilicet ob nova vectigalia valde imminuti sunt reditus beneficiorum, S. Sedes, rebus perpensis, decretum edidit die 28. Jan. 1871. per S. C. EE. et RR. quod incipit *Cum nuperrimis* in quo pro *Italia* statuitur: ut amissio vel minutio redituum *in communi* beneficiarios, et pensionarios afficiat, nullo facto discrimine inter ipsa beneficia et pensiones, ita ut minutis reditibus vel amissis, imminuantur pro rata, vel cessent pensiones. Pro Ecclesiis tamen *Cathedralibus* (seu episcopalibus mensis) et *parochialibus* pensionum oneri subjectis, integra semper servetur congrua ad formam Tridentini. Præterea declaratur 1°. ut quodvis dubium vel quæstio inter beneficiarios et pensionarios unice sit cognoscenda a S. C. EE. et RR. nec non de bono et æquo dirimenda. — 2°. Ut si clericus aliquis ordinatus titulo pensionis remaneat privatus partim, vel omnino sacro patrimonio ob exsecutionem normæ in Decreto expressæ, nullam suspensionem incurrat nec pœnis ecclesiasticis sit obnoxius. 3°. Ut si *ante* hujus decreti emanationem aliquæ pensiones vel in toto vel in parte solutæ fuerint in majori quantitate, quam ea quæ in Decreto constituitur, nullum jus ex eo oriatur ad easdem pensiones veluti indebitas repetendas, aut in ratas futuras supputandas.

27. Quoad hoc decretum adverto I°. rationem ejus fundamentalem in eo esse positam ut verificetur *notabilis seu gravis* diminutio redituum beneficii. Porro ut hæc rite computetur, attendendus est status beneficii cum pensio collata fuit. Hinc si ob quascumque rationes vel circumstantias beneficium aliquod non fuerit passum hanc diminutionem, norma decreti nequit a beneficiario contra pensionarium invocari, sed beneficiarius tenetur onera, seu taxas solvere. In facto habemus resolutionem S. C. EE. et RR. dd. 20. Sept. et 28. Oct. 1878. cum Capitulares Vaticanæ Basilicæ pensionariis in pensionibus solvendis vellent detrahere onera civilia proportionaliter. Quæstio proposita, et agitata fuit in Congregatione, rationibus utriusque partis expensis. Cumque Em. Archipresbyter retulisset beneficia Ecclesiæ ab anno 1871 ad 1874 magnam passa fuisse imminutionem ob taxas civiles et

hanc pro annis subsequentibus disparuisse, S. Congregatio ad dubium 'an pensionarii reintegrari debeant quoad damna hactenus sibi illata signanter per taxam *di ricchezza mobile del 13 e* 1/2 % a Titularibus retentam in casu', respondit: quoad annos a 1871 ad 1874 inclusive, *negative:* quoad posteriores *affirmative.*

28. II°. Adverto: quando pensionarii recurrunt ad Congregationem si agatur de pensionibus impositis Ecclesiis parochialibus S. Congregatio committere solet Curiis episcopalibus respectivis officium expendendi et æstimandi annuos reditus parœciæ, ut salva maneat, et incolumis congrua parochialis juxta Tridentinam regulam. Hoc posito quomodo hæc congrua computanda est? Principium traditum a Doctoribus, et a tribunalibus Ecclesiæ receptum exhibet hanc regulam 'ut illa sit *certa, et determinata*'; inservire enim debet honestæ Rectoris sustentationi: hinc adagium: venter pendere non debet ab incerto, venter enim dilationem non patitur.

29. Hoc posito certum est congruam ex reditibus certis parœciæ resultare debere. Quoad incerta emolumenta, alia habent fundamentum *fixum* quæque *certa* dici possunt generice seu quoad *genericam* perceptionem in singulis annis, quamvis *incertum* sit quid *reapse* percipiatur. Unde certa dicuntur quoad qualitatem non quoad quantitatem ex. gr. decimæ præstatio prædialis in quarta vel quinta parte fructuum fundi. Ista emolumenta absque dubio sunt computanda. — Alia *non* habent fundamentum fixum, et reale sed pendent vel ab eventibus possibilibus ex. gr. funera, benedictiones etc. vel ab omnimoda fidelium liberalitate.

30. In genere autem a DD. ista emolumenta dicuntur incerta tum quoad qualitatem tum quoad quantitatem. Attamen agentes de congrua debita Vicario Curato qui actualem curam gerat vice et nomine corporis moralis juxta regulam traditam a *S. Pio V.* in Const. '*Ad exsequendum*' distinguunt DD. emolumenta quæ ab absoluta fidelium liberalitate pendent, et quæ pendent a perceptione Sacramentorum et ex funeribus; prima nullimode computari possunt in congrua, altera vero aliquam certitudinem habent, nam ut notat *De Luca De Parochis* Disc. 18. n. 12. nequit populus non nasci, non mori, non baptizari, matrimonia non contrahere; hinc ista emolumenta, inspecta media quadam proportione annorum præcedentium, approximative determinari possunt, et in congrua sunt computanda. V. *Giraldi* p. 1. *De potestate Parochi* c. 2. n. 154.

De Luca De Beneficiis Disc. 90. n. 72. Hanc regulam in præsenti nostra materia sequitur S. C. EE. et RR.

31. Quæritur *quomodo cessent pensiones.*

I°. Quoad *temporaneas*, eo ipso quo persona provisa cessat a jure possessionis beneficii, cessat jus pensionarii. II°. Quoad *perpetuas* hæ durant quoadusque pensionarius moriatur vel renuntiet tacite vel expresse juri suo, aut indignus habeatur a jure privilegio pensionis. Cessant ergo 1°. *morte* pensionarii; 2°. ejus *renunciatione expressa;* 3°. ejus *renunciatione tacita,* sc. a) per ejusdem *matrimonium*, b) per ingressum *status militaris;* c) per ejusdem *solemnem professionem* in aliqua religione c. 4. De Reg. (III. 14) in 6°.; cfr. tit. *De renuntiatione* (I. 9) n. 3. — Vota simplicia tantum non impediunt pensiones, uti probat Card. *De Luca De Regul.* disc. 62. n. 12. et *Adnot. ad Conc. Trid.* disc. 13. n. 6.; 4°. *privatione* sive ipso jure sive sententia judicis inflicta. Ipso jure privatur clericus pensione ob crimina, quæ supra notavimus in tit. *De Concessione Præbendæ* (III. 8) n. 4.; 5°. si clericus pensionarius obtineat beneficium pensione propria gravatum, et illud possideat; quia tunc omnes fructus percipit beneficii; 6°. si clericus promoveatur, et possideat *Episcopatum residentialem* nisi ex indulto speciali Rom. Pontificis facultatem obtineat retinendi pensiones. Hoc indultum si petatur, concedi solet. Excipiendi sunt Episcopi *Suburbicarii;* ita S. Congr. particularis deputata ab *Alexandro VII.* apud *De Luca De Pension.* disc. 56. n. 10. et Episcopi *titulares* ibidem disc. 43. 58. et 75.

32. Tandem animadvertimus pensionem nec *vendi* posse nec *locari ad longum tempus.* Ratio est, quia pensiones nihil aliud sunt quam portiones fructuum bonorum ecclesiasticorum quorum venditio et locatio ultra triennium absque beneplacito Apostolico vetita est a *Paulo II.* in Const. '*Ambitiosæ*' inter Extrav. comm. in tit. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis.* Præterea præstat referre dispositionem *Benedicti XIV.* in Const. '*In sublimi*' 4. Kal. Sept. 1741. Scilicet cum aliqui clerici beneficium possidentes ea resignabant cum reservatione pensionis approbante Summo Pontifice, sed eodem tempore pactum privatum inibant exstinguendi pensionem, mediantibus quibusdam anticipatis solutionibus; Benedictus hæc pacta tamquam injuriosa S. Sedi, et injusta, et vilia condamnat, et irritat; necnon irritat exstinctiones pensionum annuarum per unam tantum simul anticipatam solutionem, jubetque hanc

solutionem restitui, simulque tam resignantes quam resignatarios ad beneficium possidendum, et ad accipiendam pensionem inhabiles reddit.

Titulus XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis vel non.

1. Alienatio, si *stricto* sensu sumatur, secumfert ideam *transitus rei de uno in alium dominum.* In sensu tituli nomine alienationis *lata* significatione accipitur ut scilicet exprimat *actum, quo in alium transfertur dominium sive plenum, sive solummodo directum aut utile, aut etiam ususfructus, aut jus quoddam rerum Ecclesiæ, etiam jus hypothecæ,* c. 5. h. t. Hinc nomine alienationis prohibitæ veniunt: contractus ex quibus fieri pejor conditio posset Ecclesiæ, et induci posset amissio alicujus juris. Proinde sub hoc nomine veniunt donatio, venditio, permutatio, constitutio pignoris et hypothecæ concessio in feudum vel emphyteusim, transactio vel cautio super rebus Ecclesiæ.

2. *Ecclesiæ* nomen pariter in sensu lato accipitur ita ut significet non solum locum, in quo cultus Deo præstatur, sed *quodcumque religiosum institutum, auctoritate ecclesiastica erectum, ad opera religionis vel charitatis destinatum.* Hinc nomine Ecclesiæ in sensu tituli veniunt hospitalia, xenodochia auctoritate Ecclesiæ erecta, Monasteria, Congregationes, et collegia ecclesiasticarum personarum.

3. Nomine *rerum* quæ sub rubrica tituli cadere possunt, veniunt *res pretio æstimabiles.* Excluduntur igitur res *mere spirituales,* prout sunt jura sacra, aut res, quæ ob religiosam indolem et naturam extra commercium positæ sunt et pretio non æstimabiles, quemadmodum sunt reliquiæ Sanctorum.

4. Quæ vero pretio æstimari possunt, et corporales seu temporales dicuntur, aliæ sunt *immobiles,* aliæ *mobiles* vel *se moventes.* — Nomine rerum *immobilium* veniunt: prædia, fundi et jura vel servitutes reales, quæ fundis adhærent. Res *mobiles* aliæ sunt quæ *servando servari possunt,* aliæ quæ servando servari *non* possunt, quæque scilicet ad modicum tempus, idest non ultra triennium solummodo possunt servari, et inde corrumpuntur ex. gr. fruges, et arborum fructus, aut res mobiles quæ usu consumuntur et non fructificant. Conf. *Fagnan.* in c. 5. h. t. n. 23. — Insuper

res mobiles aliæ sunt *pretiosæ,* aliæ vero *non.* Pretiosæ sunt quæ vel thesaurum Ecclesiæ constituunt, vel singularis splendoris, et ornamenti causa sunt pro eadem. Hinc quædam res dicuntur pretiosæ ob *quantitatem vel qualitatem materiæ,* ex qua constant ex. gr. lapides qui pretiosi dicuntur, notabilis quantitas seu pondus argenti vel auri. Quædam vero res dicuntur pretiosæ ob *celebritatem operis* et *artificis famam* ex. gr. elaborata incisio, pictura perillustris auctoris. — *Se moventes* etiam possunt in pretiosas dividi et non pretiosas. Pretiosæ habentur quæ vel ex quantitate vel ex fructu quem ordinarie referunt, divitias Ecclesiæ constituunt. Sic ex. gr. dum ovis non est res pretiosa, tamen grex totus est res pretiosa et magnum valorem præ se fert, et ex eo diuturnum emolumentum fructusque annuos percipere solet Ecclesia.

5. Si quæratur utrum *pecuniæ* quantitas ceu res pretiosa haberi debeat vel non, respondendum est regulariter pecuniam non comprehendi sub censu rerum pretiosarum quia reposita nullum affert fructum. At si pecunia numerata sit in magna quantitate ac proinde considerari possit ceu thesauri pars notabilis designata pro rebus immobilibus comparandis, vel Ecclesia ædificanda aut reparanda, etiam ipsa pecunia inter res mobiles pretiosas adnumeratur arg. l. 3. ff. *de contraria tutelæ, et utili actione.*

6. Res pariter *immobiles* in duas classes dividuntur: aliæ *exigui,* aliæ *magni* valoris. *Exigui* valoris sunt quæ comprehenduntur in celebri c. »Terrulas« 53. C. 12. q. 2. quæque alienari poterant ex vetere jure a Prælatis sine consensu Capituli. Ex practica interpretatione, res hujusmodi illæ dicuntur quarum valor 25 scutata aurea de camera non excedit, scilicet scutata antiquæ monetæ Romanæ 41, idest francos 220,37. Communiter vero harum rerum valor protenditur ad 50 scutata antiquæ monetæ romanæ, idest fr. 268,75. ita scilicet ut prædia et aliæ res immobiles dicantur exigui valoris, quæ hunc pecuniæ valorem non excedunt. Quæ vero excedunt appellantur magni valoris.

7. Quæritur, *quænam regula servanda sit in alienatione rerum Ecclesiæ?*

Intentio juris nostri est ut res Ecclesiæ *conserventur* ne divinus cultus, et decus Ecclesiæ imminuatur, ne ministri sacri careant necessaria et honesta sustentatione, et ne desint media pro pauperibus sublevandis. Hanc conservationem tueri volens canonicum jus in genere prohibet alienationem bonorum Ecclesiæ c. 5. h. t.

cujus prohibitionis ratio desumitur etiam ex periculo ne aliqui administratores quærentes magis quæ sua sunt quam quæ sunt Ecclesiæ, patrimonio ejus præjudicium inferrent.

8. Verum ab ipso jure alienatio bonorum Ecclesiæ aliquando permittitur. In genere autem in hac alienatione a jure duo requiruntur: I⁰. *Causa legitima;* II⁰. *solemnitas quædam.*

Causa autem esse potest: 1⁰. *Necessitas,* 2⁰. *Ecclesiæ utilitas* c. »Terrulas« C. 12. q. 2. et c. 8. h. t. §. »*Possessiones*«. Ex canone autem 70. C. 12. q. 2. deprehendimus pro rebus mobilibus Ecclesiæ immo etiam pro vasis sacris alienandis causam esse posse 3⁰. ipsam *pietatem*, seu *caritatem* pro redimendis captivis et pro sublevandis pauperibus fame pereuntibus.

9. Solemnitas est *modus procedendi a jure statutus, et servandus in alienatione.* Quando requiritur solemnitas?

1⁰. Si sermo sit de rebus *mobilibus*, quæ *servando servari non possunt, absque ulla solemnitate* juris possunt alienari, et ordinarie nisi Episcopus aliter disposuerit, eas res alienat ipse *rector* vel administrator Ecclesiæ. 2⁰. Rerum *mobilium non pretiosarum, et immobilium exigui valoris* dispositio penes Ordinarios locorum residet. Hinc absque alia solemnitate juris alienatio harum rerum ab *Episcopo* ex justa causa fieri potest. C. »Terrulas« C. 12. q. 2. cujus hic est tenor: 'Terrulas aut vineolas exiguas et Ecclesiæ minus utiles aut longe positas et parvas, Episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem'. 3⁰. Si sermo sit de rebus *immobilibus non exigui valoris*, vel de mobilibus aut se moventibus *pretiosis*, non solum causa requiritur aliqua ex dictis, sed et solemnitas juris ut alienatio viribus consistat.

10. Ex antiquo jure decretalium expresso in cc. 8. h. t. §. ult. et 1. *De his quæ fiunt a prælatis* (III. 10), et c. 52. C. 12. q. 2. solemnitas hujusmodi erat ut in alienationibus harum rerum Episcopus exquirere deberet *consensum Capituli,* qui consensus daretur a majori, et saniori parte. Hinc nec Episcopus sine consensu Canonicorum nec Abbas sine consensu Monasterii poterat alienare res immobiles non exiguas aut mobiles pretiosas. Porro consensus hujusmodi jure decretalium exquirendus erat a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, quando agebatur de rebus, quæ ad *capitulum ipsum,* vel ad *mensam Episcopi,* licet a bonis capitularibus separatam, pertinebant, vel quando ipse Episcopus volebat disponere de rebus Ecclesiarum *inferiorum* arg. c. 1. h. t. Ratio est quia

jus antiquum Episcopo diœcesim administranti adjutorem constituebat Capitulum Cathedralis Ecclesiæ. — Verum si agatur de alienatione rei pertinentis ad Ecclesiam inferiorem, quam alienationem peragebat *Prælatus inferior* cum Capitulo suo vel Rector Ecclesiæ quæ carebat Capitulo, non requirebatur consensus Capituli Cathedralis Ecclesiæ, sed requirebatur, et sufficiebat auctoritas Episcopi approbantis alienationem arg. c. 41. C. 12. q. 2. et Clem. 1. h. t.

11. Quidquid sit de hac solemnitate, quæ ex dictis in tit. 10. h. l. præscribi potest ab Episcopo contra Capitulum, introducta est a *Bonifacio VIII.* in c. 2. h. t. in 6⁰. nova solemnitas et confirmata a *Paulo II.* in Extrav. ‚*Ambitiosæ*' un. h. t. inter Comm. ut scilicet pro alienandis rebus *immobilibus non exigui valoris,* et rebus *mobilibus aut se moventibus pretiosis* requiratur venia Romanæ Sedis, idest *beneplacitum Apostolicum.* Hæc dispositio communis est non solum pro bonis Ecclesiarum sæcularium, sed etiam respicit bona Ecclesiarum regularium. Animadvertendum autem est, aliquas familias religiosas privilegia obtinuisse pro necessitate vel utilitate Monasterii alienandi etiam bona immobilia absque venia Romanæ Sedis et Ordinarii localis; sed ob abusus deinde hæc privilegia revocata fuisse ita ut intra Europam religiosæ familiæ non amplius possint immobilia alienare absque licentia S. Sedis, ceu patet ex decreto *Urbani VIII.* edito per organum S. C. Concilii die 7. Sept. 1624. Specialibus facultatibus pollent Episcopi Austriaci a *Pio IX.* d. 3. April. 1860 ad decennium concessis et postea renovatis.

12. Animadvertendum insuper est solemnitatem hanc non solum requiri cum alienatio conficitur ab Ecclesia in favorem laicorum, sed insuper quando alienatio fit ab una *alteri Ecclesiæ.* Nam in c. 1. h. t. in 6⁰. requiruntur debitæ solemnitates in alienatione decimarum inter duas Ecclesias.

13. Exceptiones. Ex sensu c. 5. h. t. diximus nomine alienationis comprehendi contractus omnes quibus deterior fieri potest conditio Ecclesiæ. Hinc in genere etiam concessio in *emphyteusim, et locatio* prohibetur. Quadruplex vero exceptio datur: 1⁰. si *evidens* Ecclesiæ utilitas apparet, necessaria non est licentia Romanæ Sedis, quoties sermo sit de rebus et bonis *in emphyteusim concedi solitis;* 2⁰. si locatio non fiat ultra *triennium.* De utraque exceptione cavet dicta constitutio *Pauli II. Ambitiosæ.* Porro juxta

communem sententiam prohibitio locationis ultra triennium verificatur quoties res fructificat quolibet anno, non vero, quando ex re locanda fructus percipiuntur quolibet biennio solummodo, aut quolibet triennio. Hoc enim in casu locatio fieri potest vel ad sexennium vel ad novennium. Nam in Const. *Ambitiosæ* dum prohibetur locatio ultra triennium respicitur *fructus* triennalis idest triennium fructuum, non vero spatium ipsum temporis triennii. At non facile admitteretur locatio ultra novennium.

3°. Exceptio a lege Pauli II. in cit. const. datur quoad *res immobiles exigui valoris.* Nam ceu refert *Fagnanus* in 5. h. t. n. 25. S. C. Conc. declaravit die 11. Jan. 1596, canonem *Terrulas* non fuisse abrogatum tum a *Paulo II.* in Const. *Ambitiosæ* tum etiam a Conc. Trid. in c. 11. sess. 25. *de Ref.* — Hac vero in re duo sunt animadvertenda: 1°. Privilegium concessum *Episcopis* in can. *Terrulas* extendi etiam ad *Abbates vere nullius,* non autem competere aliis superioribus regularibus etiam majoribus. Decr. S. Congr. diei 17. Novem. 1703 relat. a Card. *Petra Com.* in Const. *Pauli II.* 2°. Nec admitti potest abusum Episcopi qui res magni valoris per plures alienationes modicas diversis vicibus distrahat: censentur enim alienationes istæ partiales factæ *in fraudem legis.* Ita declarasse S. C. Conc. refert idem *Petra* cit. loco n. 65.

4°. Locum non habet *Pauli II.* Const. quando sermo est de alienatione quæ fiat *ex necessitate juris.* Ex. gr. si legata sit res ut vendatur, et pretium in pios usus convertatur.

De pœnis contra male alienantes.

14. Inter veteres canones habemus cc. 13. et 22. C. 12. q. 2. ex quibus deprehendimus olim constitutam fuisse pœnam excommunicationis, et depositionis contra alienantem absque necessitate bona Ecclesiæ. Porro depositionis pœna statuta etiam erat contra Episcopos et Abbates alienantes bona Ecclesiæ c. 19. C. 12. q. 2. In c. 5. h. t. canonica virtus tribuitur constitutioni *Leonis Imp.* l. »Jubemus«. C. *de sacr. Eccl.* in qua decernitur, nullius valoris esse alienationem rerum immobilium Ecclesiæ. Hanc sanctionem nullitatis alienationis confirmavit *Paulus II.* in Const. *Ambitiosæ,* eamque extendit ad res mobiles pretiosas.

15. Præterea si alienatio rerum ecclesiasticarum fiat contra canonicas leges, tam alienator, quam ille cui alienatio fiat, excommunicationi subjiciuntur c. 5. h. t. et extr. *Ambitiosæ. Pauli II.*

Porro juxta citatam constitutionem ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur temeraria præsumptio. Hinc excusat ignorantia tum juris, tum facti, nisi ea fuerit crassa, et supina, quæ dolo comparatur. Notandum autem est: pœnam *excommunicationis* statutam in extr. *Ambitiosæ.* renovatam fuisse in Const. *Pii IX. Apostolicæ Sedis* d. 12. Oct. 1869 eamque recenseri inter excommunicationes *nemini* reservatas. — Præterea si alienantes bona Ecclesiæ contra regulam Const. *Ambitiosæ* præfulgeant dignitate pontificali, vel abbatiali, subjiciuntur pœnæ *interdicti ingressus in Ecclesiam.* Quod si in interdicto, et in obstinata voluntate alienans perseveraverit per sex menses, hisce elapsis, a regimine, et ab administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterii in spiritualibus et temporalibus suspenditur ipso facto. De hoc autem interdicto tacet cit. Const. *Apostolicæ Sedis* adeoque *non amplius viget.* Inferiores autem prælati vel Clerici habentes dignitatem, personatum, officium, beneficium, præbendam vel administrationem, si alienent bona proprii beneficii, vel dignitatis etc., ipso facto decidunt a jure beneficii, ita ut de ipso tamquam de beneficio vacante collator ordinarius providere possit. Animadvertendum vero est Const. Paulianam *Ambitiosæ* non ubique fuisse receptam teste *Bened. XIV. De Syn.* l. 12. c. 8. n. 9. qui etiam animadvertit juxta plurium auctorum sententiam in locis, ubi non est recepta, non valere quidem quoad pœnas incurrendas, vigere tamen pro actuum nullitate: quia Apostolicum beneplacitum in Const. *Ambitiosæ* videtur locum tenere solemnitatis, quæ formam et valorem afficit actus. Attamen pœna excommunicationis quæ fuit renovata in Const. *Apostolicæ Sedis,* vim suam exserere censenda est.

16. Ut vero hujusmodi pœnæ incurrantur, alienatio debet esse *completa.* Hinc si revocetur alienatio ante traditionem, excommunicatio non incurritur c. 6. h. t. nam res alienata proprie non dicitur nisi fuerit tradita.

17. Quæstio non inutilis proponenda est *utrum scilicet Prælatus vel alius administrator Ecclesiæ repudians sine causa legatum oblatum Ecclesiæ præsertim in rebus immobilibus, censeatur incurrere pœnas constitutas contra male alienantes bona Ecclesiæ?*

Quamvis hæc repudiatio legati videretur esse alienatio rei Ecclesiæ, quia ex lege civili res legata dicitur recta via transire ab eo qui legavit ad legatarium, tamen intimius alienationis inspecta indole, dicendum est hanc repudiationem non esse proprie dictam

alienationem. Nam alienatio vera locum non habet quando repudiatur res quæ non pertinet ad Ecclesiæ dominium quemadmodum in l. 2. ff. *De Verb. sign.* exprimitur: 'Qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare'. Atqui res legata non censetur fuisse Ecclesiæ, si fuerit repudiatum legatum, ex principio posito in l. »Si tibi homo« 86. §. 2. ff. *De legatis.* Igitur repudiatio legati cum non sit vera alienatio, nec secumfert pœnas alienationis, scilicet non incidit sub sanctionem legum prohibentium Prælatis, et aliis administratoribus Ecclesiarum alienationes rerum ad eas pertinentium, præsertim cum aliud sit alienare quod suum est aliud non acquirere quod est alienum: et in casu repudiati legati Prælatis videtur potius non acquirere quod est alienum quam imminuere patrimonium, quod habet Ecclesia. Hinc repudiatio hæc absque causa, et solemnitate juris facta a Prælato vel alio administratore valet.

18. At cum repudiatio hujusmodi Ecclesiæ damnum certe inferat, duplex remedium conceditur a jure ad idem damnum sarciendum. Primum remedium est *actio personalis* contra prælatum recusantem vel ejus hæredes ad præstandam quanti interest non fuisse acceptatum legatum. Secundum remedium est *beneficium restitutionis in integrum* exemplo minorum l. 7. §. 6. et seq. ff. *De Minoribus* et c. 1. *De in Integr. Restit.* (I. 41). Quod de repudiato legato dictum est, applicari merito potest repudiationi hæreditatis.

De revocatione alienationis.

19. Revocari bona Ecclesiastica male alienata possunt et debent: 1°. ab ipso *rectore, seu prælato,* qui alienaverit c. 6. h. t. Nec obstat principium juris expressum in l. »Cum a Matre« C. *De Rei vindicat.* 'neminem posse venire contra factum proprium'; nam principium hujusmodi tunc revera locum habet, quando quis nomine proprio, et pro sua particulari utilitate velit insurgere in factum proprium non vero quando procedit nomine tertiæ personæ, et in casu nostro nomine Ecclesiæ et pro ejusdem commodo. 2°. *A successore* prælati vel clerici alienantis c. 2. *De precariis* (III. 14). 3°. Negligente rectore vel prælato Ecclesiæ agere possunt, et debent ad revocandam alienationem clerici omnes addicti servitio Ecclesiæ cujus bona alienata sunt c. 6. h. t. Immo clerici hujusmodi puniri possunt si scientes res propriæ Ecclesiæ fuisse absque

solemnitatibus alienatas contra alienationem non insurgunt c. 6. h. t. in 6°.

20. Revocatio autem duplicem respicere potest casum: casum nempe *validæ* alienationis ob servatam formam juris, et casum *invalidæ* alienationis ob non servatam eandem formam. In 1°. casu si graviter læsa est Ecclesia, eo quod quamvis videretur adfuisse justa et legitima causa, tamen hæc revera non aderat, competit Ecclesiæ *beneficium restitutionis in integrum* quo resolvitur contractus, et res in eum statum restituitur in quo fuerat ante contractum. Idest Ecclesia recuperat bona sua alienata, et simul restituit alteri id, quod ex alienatione receperat c. 11. h. t. Ditior enim fieri non debet Ecclesia ex bonis alienis.

21. In 2°. casu habet Ecclesia tum actionem *personalem* contra prælatum vel alium administratorem beneficii, et ejus hæredes, ut servetur indemnis c. 35. C. 12. q. 2. tum actionem *realem* ad persequendam rem penes quemcumque possessorem, ut res ipsa restituatur cum omnibus suis fructibus, et accessionibus c. 6. h. t. Nam per alienationem ipso jure nullam dominium translatum non est, sed in ipsa Ecclesia permansit, et per consequens Ecclesia persequitur res suas.

Titulus XIV.

De precariis.

1. Precarium ab Ulpiano in l. 1. ff. *De precario* definitur: '*Precarium est quod precibus petenti utendum conceditur (tamdiu), quamdiu is qui concessit patitur*'. Precarium igitur est contractus civilis juris.

2. Jus vero Canonicum novum hac in specie introduxit contractum quem precariam, vel precarias dixit, quique definiri potest '*Contractus a jure canonico introductus quo alicui ad preces conceditur res ecclesiastica frugifera, et immobilis ad usum, vel usumfructum pro certo tempore, vel ad dies vitæ ita tamen ut singulis quinquenniis renovatio hujus concessionis peti debeat;* ita c. 1. h. t.

Contractus hujusmodi est species liberalitatis Ecclesiæ, qua solita fuit de re christiana optime meritis remunerationis, et grati animi erga se bona sua utenda, fruenda concedere. Hinc nil mirum si pro suo modo, et prudentia normas contractui huic dederit Ec-

clesia, formamque novam induxerit distinctam a contractu precario qui juris civilis est.

3. *Precariæ* vero differunt a *precario* 1°. quia *precariarum* objectum est *res immobilis,* cum *precarium* civile tum *immobiles* tum *mobiles* res comprehendere potest. 2°. Precarium juris civilis est ad *tempus indeterminatum,* et perseverat rei usus quoadusque dominus eam ad se non revocaverit, precariarum vero concessio tempus habet *determinatum*, vel saltem pendet a vita illius cui facta concessio est. Hinc in c. 3. h. t. et circa finem *Greg. IX.* ait: 'Precariæ quæ quandoque de Ecclesiarum possessionibus fieri solent, non sunt pro voluntate concedentium revocandæ' scilicet quoad durationem ususfructus servanda est lex concessionis.

4. 3°. Speciale est hujus contractus ut quolibet *quinquennio* debeat renovari, ne memoria beneficii pereat, et processu temporis fingatur forte titulus vel ad perpetuandum usumfructum, vel ad ipsam proprietatem rei sibi adscribendam. Animadvertimus etiam res Ecclesiæ posse dari ad preces alicujus, ut retineantur quoadusque placuerit concedenti.

5. Qua in re tamen duo notanda sunt: 1°. Res Ecclesiæ *sacras* non posse concedi nisi ad usus sacros. 2°. Res quæ precario conceduntur, quamvis possint, quando placuerit, *revocari*, tamen non posse revocari præcipiti intimatione cum gravi damno illius qui eas possidet ex concessione. Nam concessio hæc beneficium exhibere debet non vero damnum inferre, et injuriam. Hinc merito jus Romanum in l. 17. »In commodato« §. 3. ff. *Commodati vel contra* statuit principium 'adjuvari quippe nos, non decipi, beneficio oportet'. Cum contractus precariæ speciem liberalitatis exhibeat, has conditiones excludit quæ damnum Ecclesiæ inferrent. Hinc ex c. 2. h. t. irrationabiles precariæ concessiones non valent et successor in Ecclesia non obligatur pœnis quas antecessor apposuit pro securitate contractus seu pro observantia concessionis irrationalis.

Pariter cum contractus hujusmodi contineat alienationis speciem, perfici nequit nisi ex gravi causa, et adhibitis solemnitatibus juris quæ in alienationibus rerum ecclesiasticarum requiruntur.

6. *Exspirat* vero precariarum contractus: 1°. *morte* illius cui concessum fuit jus utendi, fruendi: etenim est beneficium personale in gratiam meritorum personalium; 2°. *finito tempore designato*

in concessione, si præfinitum illud fuerit; 3°. si possessor rem *alienaverit* aut *graviter læserit;* 4°. si elapso quinquennio non postulaverit contractus *renovationem.*

TITULUS XV.

De Commodato.

1. Prosequitur tractatio de contractibus quos institutos a jure civili suos fecit jus nostrum.

Commodatum definitur '*rei alicujus non fungibilis ad aliquem specialem usum gratuito facta concessio*'. Dicitur concessio *gratuita,* si enim pro usu merces rependeretur, aut aliquid loco mercedis, haberetur potius contractus locationis, et conductionis. Hinc commodatum quod utilitatem parit uni solum ex contrahentibus nempe commodatario non vero commodanti, pertinet ad contractuum unilateralium classem. — Res conceditur ad aliquem *specialem* usum.

2. Ex hac qualitate contractus commodati plura consectaria descendunt. 1°. Si rei usus concedatur, non vero dominium, sequitur materiam hujus contractus esse solummodo res, quæ *usu non consumuntur:* hinc res fungibiles commodari non possunt. Possunt vero commodari etiam res *sacræ* dummodo usibus profanis non destinentur. 'Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum'. Ex principio superius posito sequitur 2°. commodatarium non posse rem adhibere ad *alium* usum, nisi ad quem commodata fuit. Quæ conditio adeo servanda est, ut si commodatarius ad alium usum rem commodatam transferat juxta leges civiles teneatur de furto l. »Si ut certo« 5. §. 2. ff. h. t. Commodans autem non potest impedire usum concessum, quod si fecerit, commodatarius habet actionem quæ dicitur *actio commodati contraria,* contra commodantem, ut ei usum rei commodatæ restituat, et damna sarciat. Immo ne usus in hoc contractu frustretur, leges dederunt eandem actionem commodatario, quoties commodans scienter commodaverit rem *vitiosam.* Sequitur 3°. exspirante tempore usus præfiniti, aut cessante ipso usu rei commodatæ, *cessare* ipsum commodatum, et commodatarium restituere debere rem commodatam in sua specie. Hinc restituendus est equus commodatus, non vero alius pro eo. In hoc enim commodatum differt a mutuo:

ut in mutuo genus restituatur, in commodato autem ipsa res in sua specie restituenda sit.

3. Quid vero *si res immutata est et passa est damnum?*

Si damnum hujusmodi sit consectarium usus rei, reficere illud commodatarius non obligatur, immo ad nihil tenetur commodatarius si absque sua culpa in usu res pereat l. ult. ff. h. t. At cum sit contractus gratuitus, et proinde unilateralis, commodatarius in cujus utilitatem penitus vertitur contractus, tenetur rem commodatam *exactissima diligentia* custodire. Hinc non solum tenetur præstare dolum, sed etiam culpam levem, et levissimam, illam scilicet, quæ opponitur vigilantiæ diligentissimi patrisfamilias. Ita c. un. h. t. post leges civiles in cit. l. »Si ut certo« §. Nunc videndum ff. h. t. et in l. »In rebus« §. 1. ff. h. t.

4. Casum vero *fortuitum* non præstabit commodatarius, nisi 1°. se obligaverit *ex pacto* ad illum præstandum; 2°. nisi ex ejus culpa factum sit ut res in *ea conditione* reperiretur, in qua casum fortuitum seu infortunium subiret; 3°. nisi commodatarius *in mora* fuerit restitutionis, et interim res commodata passa est casum fortuitum c. un. h. t.

5. Expleto usu, vel elapso tempore præfinito commodans habet *actionem directam* contra commodatarium, ut sibi restituat rem, et damna, si res ex ejus culpa facta sit deterior. Commodatarius autem habet *actionem commodati contrariam* contra commodantem ut sibi reficiantur majores expensæ factæ pro conversatione rei commodatæ: dixi majores, nam ordinariæ, et minores expensæ gravant commodatarium.

Titulus XVI.

De Deposito.

1. Depositum aliquando sumitur pro *re,* quæ alicujus fidei custodienda traditur, aliquando pro *contractu,* quo rei custodia committitur. Depositum sub hoc respectu definitur: '*Contractus quo res alicui gratis custodienda traditur*'. Qui rem custodiæ causa tradit, dicitur *deponens,* qui eam recipit, *depositarius.*

2. Ex definitione plura sequuntur: 1°. In hoc contractu *custodiam rei* concedi ut integra restituatur, non vero concedi usum rei:

ex qua conditione depositum distinguitur a precario et a commodato. Quod si depositarius utatur re deposita sine consensu vel expresso vel tacito deponentis juxta leges civiles reus furti perhibetur l. »Si sacculum« ff. h. t. Cum in hoc contractu solum custodia tradatur, contractus hic perficitur in commodum deponentis. Hinc sequitur 2°. rem esse *restituendam* quoties deponens eam requisierit c. 2. h. t. Nec obstat tempus fuisse præfinitum custodiæ, nam tempus præfinitur contra depositarium ad determinandam ejus obligationem, quatenus nempe non possit cogere deponentem ad rem suam recipiendam, sed teneatur rem depositam custodire per integrum tempus in contractu designatum. Verum si novum quid emergit quod restitutionem reddat noxiam vel privato deponentis bono, vel bono societatis, restitutio poscenti facienda non est. 3°. Custodia hæc est *gratuita:* hinc regulariter nulla intercedere debet merces.

3. Quæritur *an clerici possint onus suscipere depositarii?*

Responsio affirmativa datur ab *Alex. III.* in c. 1. h. t. Ratio ex eo deducitur quod contractus hujusmodi rejicit indolem contractus mercenarii, qui clericum non decet, sed potius induit naturam obligationis fiduciæ inter amicos exsistentis. Potest vero depositum tradi *Ecclesiæ,* vel *loco pio,* cujus clericus sit rector, vel administrator, aut fieri potest clerico uti *personæ singulari.* In primo casu si res pereat vel deterior fiat ex dolo vel culpa pulsari potest ipsa Ecclesia vel locus pius, quia principaliter obligantur erga depositorem qui Ecclesiæ fidei rem suam credidit. In secundo casu cum censeatur electa industria personæ, clericus ipse pulsandus est, et Ecclesia nullo modo tenetur nisi rei depositæ pretium in utilitatem Ecclesiæ fuerit conversum: scilicet Ecclesia tenetur non actione depositi, quia depositaria non fuit, sed actione *de in rem verso* quia ditior facta est rebus alienis. Ita c. 1. h. t. et glos. ibi.

4. Quæri potest *quandonam depositarius de re amissa, vel imminuta respondere teneatur?*

Ex legibus civilibus ll. 1. C. et 1. ff. h. t. §. ult. nec non ex c. 2. h. t. depositarius pulsari potest quando res perierit, vel deterior effecta est *ex ejus malitia.* Hinc principium invaluit depositarium præstare debere dolum, et culpam latam: culpa enim lata dolo æquiparatur. Non tenetur vero ultra malitiam, quia cum

nullam percipiat utilitatem, tenetur solummodo uti *ordinaria* diligentia ad rem conservandam.. Nullius autem esset valoris pactum quo depositario remitteretur obligatio præstandi dolum futurum. Pactum enim hujusmodi esset contra bonam fidem l. 1. ff. h. t.

Præsumitur vero malitia seu mala fides depositarii quando, rebus *suis* salvis, amiserit res depositas cum potuisset eadem diligentia vel etiam minori simul servare alienas c. 2. h. t. et l. »Quod novum« ff. h. t. Hæc porro regula non valet quoties in casu fortuito ex. gr. in incendio depositarius nequeat simul servare res suas et alienas suæ custodiæ concreditas; quisque enim prius suas, quam alienas fortunas curat honeste.

5. Aliquando autem depositarius tenetur etiam de culpa levi aliquando etiam de levissima, immo et de casu fortuito. De culpa *levi* tenetur quoties aliquid loco mercedis recipiat, tunc enim contractus unilateralis redditur utrinque onerosus. — De culpa autem etiam *levissima* tenetur depositarius si sese obtulerit ad depositum recipiendum. Hoc enim in casu veluti in gratiam depositarii censetur creatum depositum. Hinc in legibus civilibus traditur in hac hypothesi periculum rei esse apud depositarium. — De culpa levi, levissima, aut etiam de *casu fortuito* tenetur depositarius, quoties in contractu specialis conditio posita fuerit et hæc omnia depositarius in se susceperit, vel cum in mora fuerit restitutionis rei, depositore exposcente c. 2. h. t.

6. Ex deposito oritur *actio directa* depositi, quæ competit depositori, et ejus hæredibus adversus depositarium ejusque hæredes, ut sibi restituatur res integra, vel ejus æstimatio, quoties res perierit vel deterior effecta fuerit, ex dolo vel culpa depositarii in sensu superius explicato. Oritur insuper *actio depositi contraria*, qua depositarius repetere potest impensas factas ad rem sibi concreditam conservandam. Non potest vero depositarius compensatione uti, aut deductione alterius crediti quod habeat contra depositorem, ne videatur recepisse rem depositam in hunc finem, ut scilicet ex deposito deducat vel compenset suum creditum, ac proinde contractus depositi, qui est contractus fiduciæ inter amicos ad perfidiam referretur ceu docet c. 2. h. t. §. »Sane«.

TITULUS XVII.

De emptione et venditione.

1. Quoniam legislatio ecclesiastica imitata est jus civile Romanorum, illudque in pluribus capitibus Ecclesiarum bonis applicavit, ad intelligentiam præsertim eorum discipulorum qui soli juri canonico addiscendo dant operam quædam notiones in præsenti materia utiles ex jure civili depromptæ hic explicandæ sunt. Contractus est species conventionis. Conventio definitur ab *Ulpiano* ut sit 'duorum, pluriumve in idem placitum consensus' l. 1. §. 2. ff. *De pactis.*

2. Cum innumeræ possint celebrari conventiones inter cives quumque voluntas suscipiendi obligationem vel per consensum expressum pandi possit, vel merito præsumi possit ex facto; hinc romana legislatio aliquas frequentiores conventiones elegit, et probavit in quibus admisit causam obligationis sive in expresso consensu sive in facto aliquo, quod præsumere facit consensum. Scilicet quasdam recognovit conventiones, ita ut concederet iisdem viam, et medium quo civiliter seu in judicio unaquæque ex personis convenientibus urgere posset observantiam conventionis contra aliam, vel alias personas contrahentes. Istas conventiones appellavit *contractus*, medium quo judicialiter obtineretur observantia contractus appellavit *actionem.* Insuper quibusdam contractibus usitatioribus eadem legislatio romana dedit *proprium nomen,* alios autem *innominatos* dixit.

3. Ceterarum conventionum, quas *pacta* nuncupavit, observantiam in genere jus civile remisit bonæ fidei civium, et eisdem solummodo dedit *exceptionem.* Videlicet qui pactum iniit, licet non possit agere, idest petere in judicio observantiam conventionis, tamen si ab alia parte in judicio actione pulsetur contra fidem ipsius conventionis, potest adversus actorem exceptionem proponere ex pacto inito. De pactis plura non dicimus nam de iis titulus specialis adest in libro primo. Contractus definiri potest 'Conventio habens proprium nomen, et causam civilem obligandi aut, nomine deficiente, habens saltem civilem obligandi causam' l. 7. §§. 1. et 2. *De pactis.*

4. Omissis aliis divisionibus duas dabimus divisiones. 1°. Contractus dividuntur in *reales*, et *consensuales. Consensuales* illi

sunt qui *solo consensu* partium perficiuntur nec aliquid aliud requirunt ad obligationem gignendam. Ex. gr. emptio, venditio. *Reales* illi sunt qui *re* perficiuntur, idest qui ad gignendam obligationem præter consensum postulant etiam vel positionem facti alicujus vel traditionem rei ex. gr. contractus innominati: do ut facias, do ut des etc. et inter nominatos contractus depositi, mutui, commodati, pignoris.

2°. Contractus dividuntur in *unilaterales*, et in *bilaterales*. Primi contractus ii sunt in quibus *unus* solummodo contrahens *directe* obligatur. Secundi generis contractus ii sunt ex quibus directa obligatio *utrinque* nascitur. Primi generis contractus dicti sunt *stricti juris* eo quod in judicio circa ipsos contractus standum est strictæ interpretationi verborum conventionis. Unde ex virtute horum contractuum nihil est præstandum ultra id de quo expresse convenit inter partes l. 99. ff. *De verb. oblig.* Secundi generis contractus dicuntur *bonæ fidei* eo quod ex voto communi contrahentium non tantum spectatur quod lingua nuncupatum est, sed etiam quod ratio boni, et æqui utrinque postulat. Hisce præmissis agendum est in titulo de contractu emptionis, et venditionis.

5. *Emptio venditio* est '*Contractus bonæ fidei solo consensu initus, quo de re pro certo pretio, deque certo pretio pro re tradenda convenitur*'. Dicitur 1°. *bonæ fidei* contractus quia utrinque obligatio nascitur. Venditor enim suscipit obligationem tradendi rem, emptor vero obligatur ad pretium solvendum. Quare juxta ea quæ diximus, in quæstione, quæ proponatur circa hunc contractum, judex potest juxta boni et æqui rationem arbitrari. 2. *Solo consensu* initus, quia obligatio mutua plene consistit ex solo consensu, nec requiritur traditio rei vel pretii. Quare posito solummodo consensu habetur perfectus contractus idest nascitur hinc inde obligatio quamvis consummatio seu implementum contractus ipsius habeatur per traditionem rei, et pretii. 3°. *De re pro certo pretio tradenda*, et vicissim *de pretio tradendo pro re*, quia ideo institutus est contractus hujusmodi ut qui rem suam alienat, ejus valorem in pecunia numerata recipiat. Quare tria sunt elementa contractus hujusmodi scilicet res, pretium, consensus.

6. Quoad rem quæri potest: *quænam res vendi, et emi potest?* Omnis res vendi et emi potest quæ sit pretio æstimabilis nec extra commercium sit posita. Hinc vendi possunt et emi res mo-

biles, et immobiles, corporales et incorporales, idest jura ex. gr. nomina debitorum, actiones. At nec vendi nec emi possunt *res mere spirituales* aut *spiritualibus adnexæ* ex. gr. concessio præbendæ quæ datur propter officium sacrum cc. 14. et 15. C. 1. q. 3. Ratio est quia *simoniæ* vitium verificatur, quum pretium pro re spirituali funderetur. Pariter res *sacræ* qua tales nec vendi nec emi possunt quia extra commercium positæ sunt. Possunt vero vendi, qua pretio æstimabiles ad usus sacros. Res vero temporales ad Ecclesias pertinentes vendi, et emi possunt, servatis tamen conditionibus, et juris solemnitatibus supra expositis in titulo *De reb. Eccl. alien. vel non* (III. 13).

Proponi solent et aliæ quæstiones circa res quæ hujus contractus possunt esse vel non esse objectum. Ita ex. gr. an res *aliena* vendi possit, et emi, an pariter res *furtiva*. At quum hæ quæstiones potius ad civile jus pertineant, hinc innuisse sufficiat validam esse venditionem scilicet utrinque nasci obligationem in favorem emptoris, quoties ipse bona fide arbitretur rem esse venditoris l. 34. §. 3. ff. *De Contrah. Empt.*

7. Relate ad pretium dicendum est pretium emptionis, et venditionis esse debere *verum, certum et justum*. *Verum,* nempe fingi non potest, sed revera intercedere debet ut contractus perficiatur. — Debet esse *certum* idest determinatum, debet enim repræsentare valorem rei determinatæ. Id vero non impedit quominus determinatio pretii possit remitti arbitrio hominis periti, vel arbitrio judicis aut etiam vendi possit res quanti vendatur die vel loco præfinito. Porro determinatio pretii secumfert etiam, ut in pecunia enumerata computetur. Hinc licet loco pecuniæ præstetur alia res, tamen res computari debet tamquam repræsentans certam pecuniæ quantitatem, secus enim non emptio venditio, sed alius contractus fieret ex. gr. permutatio. — Pretium debet esse *justum* scilicet debet respondere valori, et communi æstimationi rei, nec augeri potest *extraneis,* et *peregrinis,* sed pro istis etiam, ex jure canonico, servanda est norma ordinaria loci venditionis c. 1. h. t. Cavet insuper jus nostrum ut *pondera* justa sint c. 2. h. t.

8. Quod si pretium justum non fuerit, verificatur læsio. — Læsio potest esse vel *levis* vel *gravis,* idest *enormis,* vel *enormissima*. *Levis* quæ etiam communis dicitur locum habet quando pretium solutum non fuerit *minus medietate* veri pretii rei emptæ. Hinc læsio hæc toleratur a legibus: scilicet contractus emptionis

et venditionis sustinetur etiamsi læsio hæc contigerit: nam secus nulla forsan salva, et tuta foret venditio cum in contractu hujusmodi, ob valorem rei non semper undequaque determinatum, facile aliqua læsio locum potest habere. Præterea ex natura contractus bonæ fidei præsumitur utrinque tacita condonatio læsionis communis. At excipitur casus *doli:* si videlicet ex dolo notabilis læsio facta fuerit, poterit emptor ex dolo agere ad damni reparationem obtinendam cap. 16. *De Rescriptis* (I. 3).

9. 2°. Læsio *gravis* idest *enormis*, seu ultra normas, verificatur, cum nec dimidia pars justi pretii fuerit soluta, scilicet cum læsio fuerit *ultra medietatem* justi pretii ex. gr. si res valeat 100 scutatis et empta fuit pro scutatis 49 vel infra. Hoc in casu contractus valet: at venditor potest compellere emptorem ut vel pretium compleat vel recepto pretio soluto rem restituat. Hinc optio vel supplendi pretium, vel rescindendi contractum datur emptori. l. 2. C. *De rescind. vend.* In qua dicitur: ‚si emptor elegerit' et cc. 3. et 6. h. t.

10. 3°. Læsio *enormissima* locum habet cum nec *tertia pars* justi pretii fuerit soluta ab emptore: scilicet cum læsio fuerit ultra bessem, seu ultra binas tertias partes justi pretii. In casu hujus læsionis non transit in emptorem nec dominium rei nec legitima possessio quia videtur defuisse unum ex elementis venditionis ac proinde venditio non videtur celebrata in favorem emptoris qui, ut est auctor læsionis, censetur esse in mala fide. Quare eidem aufertur optio l. 2. C. *De rescr. vend.* et c. 3. h. t. restituendi nempe rem, vel supplendi pretium. Sed venditor est qui eligit vel restitutionem rei vel pretii complementum.

11. Animadvertendum vero est, quantitatem læsionis æstimari non quidem inspecta re tempore querelæ institutæ, sed *tempore initi contractus* venditionis, inspectis etiam quidusdam extrinsecis circumstantiis ex. gr. copia mercium, et paucitate emptorum, lucro cessante, vel damno emergente utriusque contrahentis, inspecto labore, impensis, uno verbo inspectis conditionibus ex quibus res majoris vel minoris æstimationis sit capax.

12. Regula I[a]. vero in hoc contractu servanda est, ut non liceat rem vendere supra *summum* pretium vel emere infra *minimum*. Animadvertendum II°. est venditorem requirentem justum pretium non teneri ad pandendum emptori vitium *occultum* rei venditæ, nisi duobus in casibus: 1°. quando emptor *expresse* venditorem

interrogat de vitio rei; 2°. quando emptor rem expostulat ad *certum* usum, ad quem venditor cognoscit rem esse inutilem vel etiam damnosam. Quibus in casibus leges civiles non solum adstringunt venditorem ad excessum pretii solvendum, si plus datum fuit, sed etiam ad sarcienda damna ex. gr. si ex empto ligno vitioso domus dilabatur, vel per ovem morbidam grex lue inficiatur l. 13. ff. *De act. empti* et l. 1. ff. *De ædilitio edicto.* Vitium *externum* et *visibile* indicare non tenetur venditor.

13. Tertium elementum contractus emptionis et venditionis est *consensus.* Consensus potest esse *purus* vel *conditionatus.* Hinc contractus potest esse vel absolutus, vel a conditione pendere.

14. 2°. Potest esse *simplex,* vel potest secumferre *pacta adjecta.* Ex. gr. ut res determinato in *loco* tradatur, ut pretium in *tali* pecunia solvatur, potest adjectum habere pactum *legis commissoriæ,* quo cavetur inter partes ut nisi intra certum tempus solutum fuerit pretium ab emptore, contractus nullus censeatur, seu res non censeatur empta l. 2. ff. *De lege commissoria.* Vi hujus pacti, elapso tempore præfinito, quin fuerit pactum solutum, est in potestate venditoris vel uti privilegio legis commissoriæ et rem repetere, vel urgere implementum contractus seu pretii solutionem l. 4. cit. loc. Quare si vel partem pretii accepit, vel petat pretium, censetur renunciare juri suo de lege commissoria l. 4. C. *De pactis inter empt.*

15. Pariter contractui adjici potest pactum *addictionis in diem:* pactum scilicet quo venditor sibi reservat jus ut, si intra certum tempus alius emptor rem petat, offerens meliores conditiones, possit venditor huic alteri rem vendere, et tradere l. 1. ff. *De in diem addictione.* Conditio autem præsertim vel pretii quantitatem, vel securitatem solutionis vel etiam locum solutionis respiciat l. 4. ff. *De in diem addictione.*

16. Quæritur *utrum venditioni possit adjici pactum retrovenditionis:* scilicet pactum ut emptor vel possit, vel etiam debeat retrovendere rem emptam venditori vel intra certum vel intra tempus indefinitum. De hac re agit c. 5. h. t. in quo excluditur hujusmodi pactum tamquam usurarium. Tamen non solum in lege civili ceu in l. 2. C. *De pact. inter empt.* et in l. 68. ff. *De rei vindicat.,* sed etiam in jure canonico admittitur pactum retroven-

ditionis quemadmodum in Extrav. 1ª. et 2ª. h. t. inter comm. et insinuatur etiam in c. 10. *De fide instrum.* (II. 22).

17. Ut vero concilientur hæc loca juris animadvertendum est, in c. 5. h. t. ideo fuisse reprobatum pactum retrovenditionis, quia ceu notat Pontifex *palliatam* usuram continebat, et ideo fuerat celebrata venditio ut emptor effugeret pœnas Lateranensis Concilii contra usurarios, cujus dispositio refertur in c. 3. *De usuris* (V. 19). Igitur non in genere fuit reprobatum pactum retrovenditionis de quo loquuntur alia loca juris, sed fuit illud pactum in specie reprobatum quod animum usurarium revelat. Hanc vero malam intentionem manifestabat modicitas pretii quod vix medietatem justi pretii attingebat. Sciendum enim est rem minoris utique esse æstimandam sub conditione pacti retrovenditionis eo quod emptor possit urgeri ad eam restituendam, nec definitive eandem faciebat suam: at si pretium nimis imminuatur, potest ingerere dubium circa intentionem contrahentium qui noluerint serio contractum emptionis et venditionis perficere, sed finxerint hunc contractum ad tegendam usurarum perceptionem ex mutua pecunia quæ tenet locum pretii. Scilicet usurarius videns ratione mutui nullum posse exigere fructum pecuniæ, simulat emptionem bonorum mutuatarii ac exiguum constituit pretium, restituendum intra certum tempus per retrovenditionem. Mutuatarius certe ne bona penitus amittat, pecuniam restituit, ac interim mutuans seu emptor percipit fructus bonorum qui pro eo constituunt vere, et proprie fructus pecuniæ. Pactum igitur retrovenditionis in casu exhibet palliatam usuram. Hinc inferunt doctores pactum retrovenditionis adjectum in contractu in quo pretium nimium inferius est isto pretio, præsumptionem inducere animi usurarii.

De periculo rei venditæ.

18. Si res non solum vendita fuerit, sed etiam tradita, totum periculum est penes emptorem qui dominus factus est ita ut rem ceu suam possideat. Quare merito invocatur principium '*Res, quæ perit, domino perit*'. Hæc conclusio valet etiam quando adhuc pretium emptor venditori non solverit, ad quod solvendum ex ipso contractu tenebatur l. 14. ff. *De peric. et com. rei vend.* Nam venditor nondum recepto pretio est solummodo creditor non autem amplius dominus rei venditæ.

19. Quid vero *si res nondum tradita vel pereat, vel deterior fiat?*

Distingui debet inter *genus,* et *speciem.* Genus in jure idem est quod pro philosophis est species. Hinc emptio et venditio generis locum habet quando ex pluribus individuis ejusdem speciei, et æstimationis unum vel plura comprehendantur, quin determinate designentur. Species pro juristis idem exprimit ac individuum pro philosophis. Hinc emitur, aut venditur species cum unum, vel plura individua determinata non solum in numero, sed etiam in corpore designentur, idest designentur cum qualitatibus individuantibus. Pariter si sermo sit de rebus, quæ mensuræ vel ponderis sunt capaces. — Distinguendum est, utrum venditio facta sit ad *corpus,* vel ad *mensuram.* Ad corpus perficitur venditio, quoties plures species venduntur ad modum unius absque ulla consideratione ponderis aut mensuræ. Ex. gr. si vendatur totum frumentum quod in horreo continetur. Huic venditioni aliquando adjici potest quantitas ponderis, vel mensuræ; at hæc adjectio non fit taxative, sed solummodo *demonstrative.* Ex. gr. si dictum fuerit: vendo tibi totum frumentum quod in meo horreo conservatur, cujus quantitas centum modiis comprehenditur. Venditio ad mensuram perficitur quando quantitas rei, seu pondus exprimitur *taxative;* idest quando venditur determinata quantitas rei ex. gr. si ex acervo tritici 10 modiorum quantitas vendatur.

20. Si emptio venditio perficiatur in genere, aut in pondere vel mensura, res quæ perit ante traditionem, vel mensuram, perit *venditori:* scilicet periculum rei quemadmodum et commodum proprium est venditoris. — Si autem venditio facta est in specie vel ad corpus, periculum rei etiam ante traditionem est penes *emptorem.* Hinc emptori vel in ejus damnum deterior fit nisi id contigerit ex mora, vel culpa venditoris. Ratio prioris partis ex eo deducitur quod cum res vendita non sit plene determinata in individuo, definiri non potest in facto, an perierit res quam contrahentes intelligebant vel alia res creditoris. Verum quando res fuerit determinata, sive quia vendita est species, sive quia venditio facta est ad corpus, res per contractum perfectum incipit esse emptoris, qui habet actionem ad rem illam determinatam obtinendam, et juxta *regulam* 15. *juris* ff. 'is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur'. Unde cum ex contractu venditor teneatur tradere emptori rem determinatam si ea ex infortunio

pereat venditor non amplius rei traditionem exsequi potest. Porro ad impossibile nemo tenetur, et proinde eo ipso venditor eximitur ab onere traditionis.

21. Quod si venditio fuerit *conditionalis* hoc in casu si pereat vel deterior fiat post eventum conditionis si vendita sit species vel res ad corpus, damnum est penes emptorem, si nondum sit verificatus eventus, venditor subit periculum rei. In contractu autem generis vel rei ad mensuram, aut pondus non attenditur eventus conditionis, sed traditio qua res determinatur.

22. Quid vero *si res fuerit evicta?* Principium a jure statuitur, venditorem præstare debere evictionem. Evictio definiri potest *'recuperatio rei propriæ per legitimum judicium obtenta'*. Hinc evicta res dicitur quoties dominus eam ab alio possessam iterum assequitur per judicis sententiam. Jamvero venditor cum rem alienat, duas suscipit obligationes 1°. ut rem *tradat;* 2°. ut concedat emptori *jus pacifice possidendi* eandem rem. Quapropter si res evincatur ob vitium antecedens ipsum contractum, tenetur venditor præstare evictionem scilicet in judicio rem suam fuisse tueri, et si fuerit evicta reddat indemnem ipsum emptorem. Quare venditor non solum restituere debet pretium acceptum in venditione, sed etiam debet præstare quanti interest rem non fuisse evictam idest emptori damna reficere debet.

23. At tribus in casibus non est præstanda evictio a venditore juxta c. ult. h. t. 1°. Quando emptor in judicium vocatus *non denunciaverit* motam litem venditori tempore utili pro necessaria defensione instituenda. 2°. Si emptor *contumaciter abfuerit* tempore sententiæ promulgatæ. Quo in casu ait *Ulpianus* in l. 55. ff. *De evict.* 'Magis emptor propter absentiam victus videtur quam quod malam causam habuit'. Ratio etiam est quia cum judicium institutum sit contra emptorem ceu rei possessorem, sententia eidem intimatur, et ob ejus absentiam contumacem seu culpabilem potest causa detrimentum pati præsertim quoad amissionem juris appellandi. 3°. Si sententia *per injuriam* fuerit lata. Scilicet tum quando judex processerit spretis formis juris quo in casu judicium dicitur injustum, tum quando sententia manifeste adversatur principiis justitiæ. Quo in casu dicitur sententia iniqua. Dixi manifeste. Nam si probabiliter tantum fuerit contra jus data sententia, præstanda est a venditore evictio. In duobus autem aliis casibus

judicii injusti, vel sententiæ iniquæ non præstat evictionem venditor quia non tenetur respondere de abusivo et illegitimo facto personali judicis.

Appendix.

24. *De bonis ecclesiasticis quæ alienantur ab invasoribus et præsertim a variis guberniis civilibus quæ eadem bona illegitime occupaverunt.*

In c. 18. *De restit. spoliat.* (II. 12) sequens regula traditur: Quamvis jus civile romanum remedium recuperandæ possessionis spoliato tribuat directe contra eum qui spolium commisit, et ejus hæredes universales, quin respectum habeat ad tertium possessorem, l. 7. ff. *De vi, et vi arm.;* tamen Pontifex in cit. c. 18. statuit beneficium restitutionis rei ablatæ urgeri posse etiam contra tertium possessorem, qui scienter rem acquisivit ab invasore, et rationem adducit: eo quod non multum intersit quoad periculum animæ: injuste detinere et invadere alienum. Quare ex hoc capite infertur illegitimam esse acquisitionem bonorum ecclesiasticorum, quæ fiat ab invasore alienante, necnon sequitur acquirentem participare de vitio invasoris, bonaque acquisita restituere debere.

25. Eadem vero quæstio pertractatur a *Benedicto XIV.* in Epistola ad S. C. de Propaganda Fide quæ incipit *Urbem Antibarum* d. 19. Martii 1752 occasione capta aliquarum quæstionum quas proposuerat Archiepiscopus Antibarensis circa bona Ecclesiarum occupata ab infidelibus, et deinde empta a Christianis. In §. 22. tradit Pontifex ex sententia theologorum bona *mobilia* taliter empta posse tuta conscientia a fidelibus emptoribus retineri, dummodo eadem acquisiverint animo illa restituendi quotiescumque a domino cui fuerunt ablata, oblata fuerit pecunia soluta in emptione. Contrarium tamen docet Pontifex de bonis *immobilibus,* scilicet ea restituenda esse cum fructibus Ecclesiæ absque ulla compensatione pretii soluti.

26. Accedit dispositio Concilii Tridentini in sess. 22. c. 11. *De Ref.* in qua decernitur *pœna excommunicationis Romano Pontifici reservatæ contra usurpatores quorumcumque bonorum ecclesiasticorum.* Porro, cum emptores acquirendo scienter bona usurpata actione sua concurrant cum ipsis usurpatoribus saltem quatenus perpetuent usurpationem, dici optimo jure potest ipsos *etiam*

emptores eadem censura ligari, præsertim cum verba Concilii amplissima sint ut sanctio sese extendat etiam ad eos qui impediant quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, quominus bonorum usurpatorum fructus ab iis percipiantur ad quos jure pertinent. Hæc autem conclusio confirmatur ex responsione S. C. R. U. Inquisitionis quam inferius referemus.

27. Præ oculis etiam haberi debet Const. *Pii IX. Apostolicæ Sedis* d. 12. Octobris 1869. In hac constitutione inter excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatas sub n. 11. decernitur *contra usurpantes, aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.* Præterea inter excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatas sub n. 3. decernitur excommunicatio contra *alienantes, et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico ad formam extravagantis* »Ambitiosæ« *De Reb. Eccles. alienand.*

Hæc sanctio, uti patet, directe respicit alienationes bonorum quæ fiant absque licentia Sedis Apostolicæ ab ipsis *administratoribus,* seu a *rectoribus Ecclesiarum vel Beneficiorum.* Solemnitas enim Beneplaciti Apostolici juxta jus canonicum antiquum constituta fuit ad procurandam tutelam, et utilitatem Ecclesiarum in alienationibus quæ antea fiebant a Prælatis cum consensu capituli.

28. Insuper præstat referre responsionem S. C. S. Officii datam die 23. Aprilis 1873. Siquidem interroganti Episcopo *Augustano:* 'An excommunicationem incurrant illi qui sine debita licentia acquirunt per contractum bona ecclesiastica a primis emptoribus qui illa a gubernio usurpatore acceperunt'. S. Congregatio respondit '*Affirmative et ad mentem*'. Mens autem hæc fuit. Præscindendo etiam a quæstione, utrum isti incidant sub dispositionem art. 11. Const. *Apostolicæ Sedis,* tamen dubitari nequit istos emptores comprehendi sub censura Concilii Tridentini sess. 22. c. 11. *de Ref.* quæ juxta eandem Constitutionem manet cum aliis censuris ab eodem Concilio latis.

29. Ut autem conscientiis fidelium consuleretur, pro temporum circumstantiis adoptata fuerunt ab Ecclesia opportuna remedia. Et quidem post rerum publicarum eversionem quæ sub finem elapsi sæculi et sub initium præsentis in variis Europæ regionibus contigit, S. Sedes per concordata cum Guberniis civilibus, et per sub-

sequentes declarationes providit fidelibus qui bona usurpata a civili potestate acquisiverunt.

Quare praxis inducta est ut si recurrerent emptores illorum bonorum quæ comprehensa sunt in Concordato vel in authentica declaratione S. Sedis, provideretur per *declaratoriam* et *hortatoriam*. Per hanc formulam S. Sedes declarat bona empta retineri posse a possessoribus ceu propria, de iisque libere disponere posse, hortatur vero eosdem possessores, ut onera, si quæ sint adnexa bonis, adimpleant.

30. Quod si ageretur de ecclesiasticis bonis non comprehensis in concordatis et declarationibus S. Sedis servata regula est ut oratoribus recurrentibus concederetur absolutio a censuris, simulque daretur facultas bona acquisita retinendi sub conditionibus 1°. *standi mandatis S. Sedis* desuper ferendis; 2°. *adimplendi pia onera* bonis adnexa, et 3°. *certiorandi* hæredes et successores de hujusmodi obligationibus susceptis.

Quoniam vero conditio bonorum ecclesiasticorum, quæ a civilibus guberniis usurpata, et alienata fuerunt sub finem elapsi, aut sub initium labentis sæculi, diu suspensa manere non poterat, cumque observantia prædictarum obligationum non paucas conscientiarum angustias gignere poterat, hinc factum est ut fideles recurrentes ad S. Sedem regulariter admitterentur ad compositionem. Porro *compositio* in eo consistit ut soluta aliqua discreta summa pecuniæ omnibus inspectis circumstantiis taxanda, concedatur possessoribus facultas retinendi bona acquisita in pleno dominio cum jure de iis libere disponendi.

31. Nunc in specie agendum est de acquisitione bonorum ecclesiasticorum, quæ a gubernio civili *nostra ætate* occupata fuerunt, et alienata. — Quoad acquisitionem istorum bonorum præter generales dispositiones canonicas superius allatas, habemus etiam publicas protestationes pluries emissas a Summo Pontifice *Pio IX*. s. mem. quibus declaratum solemniter est, S. Sedem reprobare usurpationes bonorum Ecclesiæ a civili gubernio in Italia peractas et eorundem bonorum alienationes.

32. Verum ut tranquillitati conscientiæ fidelium consuleretur, factum est, ut regula designaretur tum quoad acquisitiones *faciendas* cum venia S. Sedis tum quoad acquisitiones *jam peractas* sine eadem venia. Regula hujusmodi, approbante Summo Pontifice, constituta fuit a S. Pœnitentiaria Apostolica cui a Summo Pontifice

de hac materia tractandi munus præcipue commissum est. Et I°. quidem quoad acquisitiones *faciendas* legitima causa interveniente, concedi a S. Pœnitentiaria solet facultas acquirendi bona a gubernio civili occupata sub quinque conditionibus. Porro hæc facultas conceditur per rescriptum in forma commissaria ab ordinario loci, ubi bona acquirenda exsistunt, exsequendum. Et quidem regulariter exigitur prævia ipsius ordinarii informatio, et votum. Dixi regulariter: nam si tempus urgeat, nec possit ordinarius audiri, facultas conceditur ordinario permittendi contractum emptionis quatenus ita in Domino expedire judicaverit.

33. Conditiones autem sunt: 1°. *Retinendi* bona *ad nutum* Ecclesiæ, ejusque mandatis subinde parendi. 2°. *Conservandi* eadem bona, ac in eis rem utilem gerendi. 3°. *Satisfaciendi* piis oneribus, si quæ dictis bonis adnexa sint, et erogandi reditus eorundem bonorum, qui, facta proportione, excedant solutum pretium, vel in favorem personarum, aut locorum piorum ad quæ dicta bona de jure pertinent, vel in satisfactionem pretii in emptione soluti, quatenus emptor illud repetere velit, prout ordinarius judicaverit. 4°. *Solvendi* pretium emptionis annuis ratis juxta privilegium a lege civili concessum. 5°. *Certiorandi* hæredes, et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham subscriptam ad hoc, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

34. Ut autem istæ conditiones intelligantur quædam animadversiones faciendæ sunt. Et 1°. quidem emptor suscipit onus *conservandi* bona. Quare sine venia Sedis Apostolicæ non potest emptor hæc bona alienare. 2°. In tertia conditione agitur de *adimplendis piis oneribus*. Jamvero circa hanc conditionem duo sunt animadvertenda: a) Mens S. Pœnitentiariæ est, ut possessor bonorum teneatur onera pia adnexa adimplere solummodo quando aliunde non adimpleantur. Quare possessor pia onera adimplere debet in subsidium aliorum, et per consequens ab omni obligatione eximitur quoties vel gubernium satisfactioni onerum sufficienter providerit, vel rectores Ecclesiarum aut beneficiorum ad quæ bona pertinent, præsertim in casu conversionis eorumdem bonorum in reditus publici ærarii, teneantur oneribus satisfacere. b) Si *omnes* reditus bonorum vel eorum *major pars* ex lege fundationis eroganda sit in satisfactionem onerum ex. gr. in Missarum celebrationem, salvi semper esse debent possessori eorumdem bonorum annui fructus pecuniæ solutæ in emptione ad rationem *quinque pro*

quolibet centenario, et residua pars redituum eroganda est in satisfactionem piorum onerum.

35. Præterea sciendum est S. Pœnitentiariam ex expressa Apostolica auctoritate ordinariis petentibus *ad annum* duraturas sequentes facultates concedere, quibus sive per se, sive per aliam idoneam personam ecclesiasticam ab iis ad hoc specialiter deputandam licite, et libere uti valeant: 1°. Indulgendi christifidelibus, ut res annonarias, fructus terræ, res mobiles, vel inter mobiles adnumerandas ad Ecclesias, aut loca pia spectantes, et a *Gubernio* usurpatas *acquirere* licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata aliqua eleemosyna favore præsertim Ecclesiarum seu personarum, ad quas res ipsæ spectabant, ab ordinario, sive a confessario taxanda, quatenus emerint pretio quod judicio ipsius ordinarii, aut confessarii fuerit minus justo: ita tamen ut, si agatur de rebus quæ non sunt usu consumptibiles, sive quæ servando servari possunt, earum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur, et parati sint eas quandocumque Ecclesiis, seu locis piis, recepto soluto pretio, restituere, et curando pro viribus, ut suppellectiles, vasa, ac utensilia sacra in usum aliarum Ecclesiarum seu oratoriorum transferantur nec in usus profanos assumantur.

2°. Providendi sub iisdem conditionibus, et prævia eorum absolutione cum congrua pœnitentia salutari iis, qui easdem res *jam emerint,* excepto tamen casu in quo res emptæ superent valorem 500 scutatorum.

36. 3°. Similiter facultatem ad annum duraturam concedit indulgendi iisdem christifidelibus, ut bona ecclesiastica a Gubernio usurpata *conducere,* seu *jam conducta retinere* valeant, imposita illis aliqua eleemosyna favore personarum seu Ecclesiarum ad quas eadem bona de jure pertinent, quatenus conduxerint pretio, quod judicio ordinarii seu confessarii fuerit minus justo, et obligatione faciendi quantum poterunt sub ordinarii directione pro conservatione præsertim sacrarum ædium ac templorum, quæ iisdem bonis fuerint adnexa, ac prævia absolutione cum pœnitentia salutari, quatenus illicite conduxerint, necnon remoto, et reparato scandalo.

Quamvis autem optandum maxime sit ut hujusmodi conductiones ad breve tempus fiant tamen S. Pœnitentiaria declarat, non obstare, quod, sic jubente Gubernio, conductio fiat *ultra triennium,* cum hujusmodi conductionis contractus sit ipso jure nullus,

et indultum Apostolicum concedatur conductori tantum pro suæ conscientiæ tranquillitate, et sit ad nutum S. Sedis omnino revocabile.

37. Quoad vero facultatem *recipiendi in emphyteusim* bona ecclesiastica a Gubernio usurpata, nec non redimendi canones emphyteuticos, vel census aut alias præstationes quæ impositæ sunt bonis ad familias privatas pertinentibus juxta praxim nuperrime inductam, recurrendum est ad S. C. EE. et RR.

38. Modo aliquid dicendum *de acquisitionibus bonorum ecclesiasticorum immobilium, et redemptionibus canonum, censuum et aliarum præstationum jam peractis absque venia S. Sedis.*

Ut consuleretur conscientiis fidelium, datæ sunt locorum ordinariis literæ a S. Pœnitentiaria die 1. Junii 1869 in quibus peculiares facultates concessæ fuerunt sub quibusdam conditionibus ut perdurarent tempore Jubilæi indicti per Literas Apostolicas diei 11. Aprilis ejusdem anni. Quare, cessante Jubilæo, hujusmodi etiam facultates illæ cessarunt. Attamen S. Pœnitentiaria christifidelibus recurrentibus post acquisitionem bonorum ecclesiasticorum immobilium, aut post redemptionem canonum etc. initam cum Gubernio absque venia S. Sedis, solet ordinariis concedere facultatem in singulis casibus absolvendi oratores qui ad eandem S. Pœnitentiariam recurrunt, et iisdem indulgendi ut bona vel acquisita vel redempta retineant sub conditionibus designatis in iisdem literis diei 1. Junii 1869.

39. Videlicet emptores sine venia juxta præscriptionem ipsarum literarum sub *n. 4.* debent per syngrapham subscriptam vel coram testibus subsignatam in curia episcopali custodiendam, acceptare sequentes conditiones:

1°. Retinendi bona ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis subinde parendi.

2°. Conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi.

3°. Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa.

4°. Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis seu locis piis ad quæ de jure pertinent.

5°. Monendi hæredes, et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

40. Circa istas conditiones juxta praxim S. Pœnitentiariæ animadvertendum est 1°. etiam istos emptores teneri ad onera pia adimplenda *solummodo* quando aliunde non adimpleantur; 2°. quan-

titatem subventionis, de qua in quarta conditione, determinandam esse *judicio prudentium* personarum, et præsertim Ordinarii, vel Confessarii, omnibus inspectis circumstantiis; 3°. ne causæ piæ ditiores fiant aliena jactura in casu restitutionis bonorum salvam esse posse possessori compensationem utilium meliorationum in bonis peractarum judicio peritorum virorum taxandam habita præ oculis regula forensi 'quod minus est inter impensum et melioratum'. Videlicet causa pia solvere debebit pecuniæ summam respondentem expensis factis a possessore, si expensæ hujusmodi minores sint meliorationum valore, et viceversa.

Quod si possessor bonorum acquisitorum a Gubernio eadem absque venia S. Sedis alienaverit, S. Pœnitentiaria facultatem concedit in singulis casibus absolvendi oratores a censuris sub sequente conditione expressa in citatis literis sub *n. 5.* videlicet: 'Deposito lucro exinde injuste percepto in manibus ordinarii ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, quæ damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus, aliisque complicibus, ut propriæ consulant conscientiæ, et imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis'.

41. Si sermo sit de Christifidelibus, qui bona ecclesiastica a Gubernio in *emphyteusim* sine venia S. Sedis receperunt, S. Pœnitentiaria in singulis casibus providit, ut supra, sub sequentibus conditionibus expressis in iisdem literis sub *n. 8:* 1°. Conservandi bona, et in eis rem utilem gerendi. 2°. Non utendi quocumque privilegio, et lege sive lata, sive ferenda quoad canonis affrancationem. 3°. Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis parendi quoad eorumdem bonorum restitutionem. 4°. Adimplendi pia onera eisdem bonis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur. 5°. Solvendi annuum canonem, illumque augendi ad tramites justitiæ et juxta æstimationem peritorum timoratæ conscientiæ, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit. 6°. Monendi hæredes, et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

42. Quid vero dicendum, si Christifideles non solum receperunt a Gubernio bona ecclesiastica in emphyteusim, sed etiam eadem bona *redimere absque venia S. Sedis* non dubitarunt?

S. Pœnitentiaria juxta cit. literas diei 1. Junii 1869 *sub n. 9.* solet providere sub iisdem conditionibus quæ in iisdem literis diei 1. Junii 1869 referuntur in *n. 4.* quas supra exposuimus quoad

emptores bonorum sine venia Sedis Apostolicæ. Si agatur de Christifidelibus qui privato arbitrio redemptionem peregerint censuum, et aliorum jurium ecclesiasticorum de natura sua redimibilium S. Pœnitentiaria easdem per medium ordinarii juxta præfatas literas sub *n. 10.* absolvit, dummodo prius in manibus ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, ad quæ census seu jura redempta pertinebant.

43. Tandem si agatur de canone, vel aliis præstationibus de natura sua non redimibilibus, redemptis absque licentia S. Sedis, S. Pœnitentiaria facultatem ordinariis concedit in singulis casibus fideles absolvendi sub conditionibus expressis in cit. literis diei 1. Junii 1869 sub *n. 11.* idest.

1°. Retinendi fundos sic invalide affrancatos ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis subinde parendi.

2°. Conservandi eadem bona et rem utilem in eis gerendi.

3°. Servandi indemnia quocumque tempore loca pia super integra perceptione canonis, libelli ac præstationis, ac super quibusvis aliis juribus quæ ad ipsa loca pia subinde spectabant, necnon adimplendi prout de jure pia onera fundis adnexa quatenus aliunde non adimpleantur.

4°. Monendi hæredes, et successores per syngrapham subscriptam, de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

44. Animadvertimus vero expositas conditiones ordinarie imponi Christifidelibus recurrentibus ad S. Pœnitentiariam: at hoc non prohibere quominus ob peculiares circumstantias ab ordinariis in informatione recognitas, eadem S. Pœnitentiaria speciale aliquod rescriptum concedat, in quo de expressa Summi Pontificis approbatione ab expositis conditionibus recedat, et mitiorem normam adoptet. Quare unaquæque Curia Episcopalis omnia fideliter, et accurate in suis literis testimonialibus exponere debet, ut S. Sedes singulorum oratorum casui rite providere, et remedium magis minusque benignum adoptare valeat.

45. Ut vero conscientiæ fidelium censuris illaqueatæ citius consulatur, S. Pœnitentiaria de speciali et expressa apostolica auctoritate in hodierna praxi solet ordinariis petentibus concedere indultum ad annum duraturum quo iisdem facultas tribuitur sive per se, sive per alias idoneas personas ecclesiasticas singulis vici-

bus deputandas intra fines suæ diœceseos Christifideles sibi subjectos, qui in casus expressos in literis diei 1. Jun. 1869 sub nn. 4., 5, 9., 10. et 11. incurrerint, et humiliter absolvi petierint, absolvendi, impositis unicuique conditionibus respectivis cum congrua pœnitentia salutari, et obligatione reparandi scandalum meliori modo quo possit fieri et caute monendi socios, ut et ipsi conscientiæ suæ consulant. Prohibentur vero Ordinarii quominus conditiones in iisdem literis expressas mutent, aut modificent, et iisdem præscribitur, ut si speciales circumstantiæ exigant mutationes vel modificationem conditionum rem deferant ad eandem S. Pœnitentiariam.

Quinam vero sint casus comprehensi sub cit. numeris literarum diei 1. Junii 1869 de quibus sermo est in indulto, jam supra exposuimus. Sunt vero 1°. casus *emptorum* sine venia; 2°. emptorum qui bona empta *alienarunt;* 3°. fidelium qui bona *in emphyteusim* receperunt a Gubernio et simul redemerunt *canonem;* 4°. fidelium qui redemerunt census, et alias præstationes *redimibiles;* 5°. fidelium qui redemerunt canones, et alias præstationes de natura *perpetuas;* et *irredimibiles.*

Titulus XVIII.

De locato et conducto.

1. Locatio-Conductio est '*contractus bonæ fidei solo consensu initus, quo usus, vel fructus rei, aut opera personæ conceditur pro certo pretio, vel pro mercede*'.

Qui promittit usum aut fructum aut operam ut recipiat pretium vel mercedem dicitur locator; qui pretium promittit aut mercedem ut persentiat commodum rei aut operæ dicitur conductor vel locatarius. Objectum hujus contractus est triplex: 1°. *usus* si agatur de re, quæ non fructum, sed usum præstare potest ex. gr. domus. 2°. *Fructus* si concedatur prædium frugiferum ex. gr. hortus, vinea. 3°. *Operæ serviles,* et pretio æstimabiles. Hinc non dominium rei transfertur in conductorem, sed solum usus aut fructus.

2. Ex quo duo sequuntur: 1°. Objectum hujus contractus esse non posse *res fungibiles* seu quæ usu consumuntur. 2°. Contractum locationis non posse constituere titulum *præscriptionis* etiam longissimi temporis. Locationis, et conductionis contractus potest in genere perfici ab omnibus qui ex una parte possunt disponere de rebus locandis et ex altera possunt obligationem suscipere. In

jure autem nostro *clerici*, et *religiosi* viri prohibentur conducere prædia laicorum ob scopum exercendæ negotiationis. Hinc si conducat Clericus prædium in alium finem non prohibetur conficere contractum hujusmodi. Cf. c. 1. C. 21. q. 3. et c. 1. *Ne Clerici, vel Monachi* (III. 50). Hæc vero dispositio facta est in similitudinem juris Romani quod in l. 31. C. h. t. conductionem prædiorum militibus interdicebat ne impedirentur ab exercitio armorum.

Locare autem prædia sua non prohibentur Clerici, vel religiosi viri.

3. At *quid de rebus ecclesiasticis:* possuntne conduci-locari? Res temporales Ecclesiæ quæ usum præstare possunt aut fructum absque periculo simoniacæ pravitatis locationis objectum possunt constituere. Verum pro rebus immobilibus servanda est dispositio Extr. *Ambitiosæ,* ut scilicet absque juris solemnitatibus requisitis in alienationibus locatio fieri non possit *ultra triennium.* Triennium vero hujusmodi, ceu alias notavimus, est triennium fructuum rei, non vero temporis ordinarii, seu triennium computatur ex tribus collectionibus fructuum.

4. Quod si locatio facta fuerit ultra triennium utile absque solemnitatibus, sustineturne saltem pro primo triennio? Si contractus factus sit *per modum unius,* nullimode valet. Si divisio facta sit ita ut possit primum triennium *separari* a reliquo tempore, pro quo possit contractus protrahi vel confirmari, aut iterum celebrari contractus sustinetur pro primo triennio.

5. Quid vero si antequam expleatur triennium factæ locationis, *vacet* Ecclesia, vel præbenda, cujus bona locata sunt, successor teneturne observare contractum antecessoris?

Doctores distinguunt inter duas species. Prima est si prælatus, vel generatim possessor beneficii locat bona pertinentia ad suam præbendam quorum bonorum fructus ad *ipsum possessorem* spectant; 2ª. si locat bona Ecclesiæ quæ nempe non sunt destinata ad sustentationem ejusdem locatoris in individuo, sed cedunt *favore Ecclesiæ vel monasterii.* In prima specie locatio facta est nomine ipsius prælati, et possessoris beneficii, in secundo vero nomine Ecclesiæ. In primo casu igitur censetur contractus, et obligatio *personalis.* Hinc cessante persona, *cessat* etiam obligatio. In secundo obligatio *perseverat*, quia Ecclesia numquam deficere censetur. Rationem vero pro prima specie afferunt ex cc. 9. *De off. ord.* (I. 16) in 6º. et 12. *De Testam.* (III. 26) in quibus statuitur

regula sequens, ut nempe fructus beneficii vacantis ipso jure pertineant ad successorem, eique servandi sint. Quare si locatio antecessoris obligavit successorem, antecessor disposuisset de re aliena. E contra locatio de bonis Ecclesiæ facta a prælato vel rectore nomine Ecclesiæ æquiparatur contractui quem de bonis pupilli, vel minoris perficit tutor, vel curator, cujus obligatio ipsum pupillum vel minorem etiam tangit l. 8. ff. *De administr. Tutor.*

Concludunt igitur in prima specie non teneri successorem bene vero in secunda ad observandum contractum locationis initum ab antecessore.

De obligationibus et juribus locatoris et conductoris.

6. *Locator* tenetur præstare conductori rem locatam pro tempore, et usu in contractu designatis, ita ut si secus fiat, debeat pretium restituere pro rata non usus, et simul præstare quanti interest non fuisse completum usum. Hinc ex. gr. si locator antequam expleatur tempus locationis, domum vendat, quoniam emptor, nisi speciale pactum in venditione fuerit adjectum, non tenetur ad observantiam contractus locationis a venditore initi, conductor expulsus ab emptore potest urgere venditorem ad observantiam locationis. *Cf.* l. 15. ff. §. 8. et l. 9. C. h. t.

7. At etiam *non finito tempore* locationis, potest locator rem suam recuperare et invito conductore 1°. si conductor pensionem depactam *non solverit* notabili tempore; 2°. si usibus *propriis* locatoris inserviat res, vel 3°. si res indigeat *reparatione* quæ ultra differri nequeat; 4°. si in re locata conductor *male* fuerit versatus c. 3. h. t.

8. Conductor vero tenetur rem conductam custodire *diligenter:* hinc tenetur de dolo, et de culpa lata, et levi, si res perierit, vel facta fuerit deterior l. 9. §. 3. ff. h. t. Insuper eam adhibere debet ad usum designatum in contractu, secus actione locati tenetur l. 40. ff. *De furtis.* Tenetur tandem ad solvendum integrum pretium, vel mercedem statutam l. 28. ff. h. t. intra tempus designatum in contractu. Nulla facta designatione temporis in contractu, pretium solvitur ordinarie locatione completa.

9. Quid vero si locato prædio frugifero, deficiant vel in toto, vel in parte fructus rei: imminuine debet pretium constitutum? Responsio exhibetur in c. 3. h. t. Cum pretium vel pensio constituatur ad repræsentandos fructus rei locatæ, sequitur saltem ex

æquitate, ut cum ob sterilitatem, vel alium eventum, citra culpam conductoris fructus vel prorsus non percipiantur, vel solum in exigua quantitate, simul vel in toto, vel in parte pretium vel pensio condonetur. Ita in cit. c. 3. et l. 15. ff. h. t. §. 2.

At nonnulli excipiuntur casus 1°. ex eod. c. 3. si damnum ex sterilitate *compensetur* præcedentis, vel subsequentis anni ubertate. 2°. Si conductor susceperit in se *omne* periculum imminutionis fructuum, et etiam casum fortuitum. 3°. Si sterilitas sit consueta, aut oriatur ex vitio quod *manifeste* inhæret rei. Hoc enim in casu præsumitur conductor renunciasse juri compensationis cit. l. 15. ff. h. t. §. 2.

10. Quærunt doctores utrum nulla posita conditione in contractu, *conductor teneatur augere mercedem* in casu notabilis ubertatis, et majoris copiæ fructuum.

Nullum dubium moveri potest, si major copia fructuum ex industria coloni seu conductoris derivaverit: hoc enim in casu fructus honesti considerantur ceu merces, et præmium laboris, et diligentiæ conductoris ipsius. At ex juris intentione exigi nequit augmentum pensionis quando major ubertas ex tempestatum favore proveniat. Nam tunc solum in jure augenda dicitur pensio ex fertilitate, quando ob sterilitatem minus fuerit solutum anno præcedenti cit. l. 15. §. 4. ff. h. t. Ratio autem diversitatis juridicæ hujus dispositionis ab alia dispositione favore conductoris ex eo deducitur quod leges propensiores sint damnis sarciendis quam agenti de lucro captando. *Reg.* 33. *juris* ff.

De Emphyteusi.

11. Locationis contractui subnectitur ob similitudinem contr. emphyteuticus, de quo agitur etiam c. 4. h. t.

Emphyteusis est *'contractus stricti juris quo res immobilis cum translatione dominii utilis, retento dominio recto seu proprietate, alteri colenda, fruenda pro annua pensione in recognitionem dominii directi conceditur vel in perpetuum vel ad certum tempus'*. Ille, penes quem remanet dominium directum, dicitur *dominus directus,* qui obtinet utile dominium dicitur *emphyteuta.* Dicitur contractus *stricti juris* quia ex sua institutione contractus hujusmodi censetur esse in commodum præcipuum emphyteutæ, qui pensionem annuam non solvit pro utilitate seu fructibus quos percipit, sed

in recognitionem dominii directi. Quare pensio debet esse *exigua* nec respondens, aut æquiparanda fructibus rei emphyteuticæ.

12. Animadvertimus id esse ex institutione *primitiva* contractus, at inde processu temporis factum esse ut pensio augeretur, et forsitan modo non celebratur contractus emphyteuticus quia annuus canon enorme *æquipararetur* fructibus rei. Hinc incipit distingui inter emphyteusim *propriam,* et *impropriam,* ita ut impropria appellaretur emphyteusis in qua pensio destinatur in contemplationem fructuum rei, quæ impropria emphyteusis non differt a locatione longi temporis.

13. Dicitur vel in *perpetuum* vel ad *tempus determinatum.* Nam aliquando conceditur res absque ulla restrictione temporis et emphyteusis dicitur perpetua, aliquando vero ut emphyteusis perduret certo tempore, et præsertim ad certas generationes emphyteutæ: et hoc in casu emphyteusis dicitur temporanea. — Animadvertimus in emphyteusi rerum *ecclesiasticarum* ad certam generationem, ex. gr. ad tertiam, vel quartam, nisi aliter expresse cautum fuerit, primam generationem computari a prima persona quæ recipit investituram emphyteusis, ita ut filii ejusdem personæ constituant secundam generationem.

Præcipua divisio est ut alia sit *simpliciter hæreditaria* et transitoria ad quoscumque, alia autem quæ dicitur inita *cum pacto,* et providentia. Prima conceditur ita ut possit transire ad quoscumque hæredes etiam extraneos. Secunda determinatam habet *lineam successionis,* sive in familia sive in gente seu agnatione primi emphyteutæ. In hac secunda emphyteusi alienatio emphyteusis non nocet successoribus eo quod isti succedunt in emphyteusim nomine proprio seu jure ipso primæ institutionis emphyteusis.

14. Quæritur *an res Ecclesiæ possint in emphyteusim concedi?* Cum contractus hujusmodi res *immobiles* respiciat, ac exhibeat speciem *alienationis:* hinc sequitur in emphyteusim concedi in genere non posse res Ecclesiæ, nisi ex gravi causa et adhibitis juris solemnitatibus c. 12. C. 12 q. 12., c. 5. *De reb. Eccl. alien.* (III. 13) et Extr. *Ambitiosæ.*

15. Excipi autem debent res *exigui* valoris, quæ scilicet possunt alienari absque juris solemnitatibus, nec non res quæ *solent* in emphyteusim concedi. Res enim hujusmodi si utilitas Ecclesiæ verificetur, possunt a prælatis absque alia juris solemnitate concedi in emphyteusim cit. Extr. *Ambitiosæ.* Sed post Constit.

Pii V. 'Admonet nos' et *Urb. VIII.* 7. Sept. 1624. S. CC. EE. et RR. semper requirit novum beneplacitum Apostolicum cum renovatio non soleat esse Ecclesiæ utilis. V. *De Angelis* libr. III. tit. 13. pag. 284.

16. Emphyteuta tenetur canonem solvere *integrum* nec imminui potest, si fructus imminuatur, aut res pro parte pereat, nam canon solvitur in recognitionem dominii directi, ne ejus memoria pereat. Hoc principium applicavit S. C. Concilii in causa *Melevitana* d. 23. Jan. 1897, ubi respondit: »*Non esse locum diminutioni canonis*«, licet Ordinarius rationes diminuendi ab emphyteuta adductas approbaverit. At in emphyteusi *impropria,* servanda est regula superius allata pro contractu locationis et conductionis. — Emphyteuta insuper rem servare tenetur. Hinc non potest dominium utile cum melioramentis vendere nisi tribus servatis conditionibus: 1°. ut denunciet venditionem domino directo, et bimestre exspectet an ipse dominus præferri velit sub paritate oblationis. Prima hæc conditio non videtur necessaria, cum emphyteuta rem emphyteuticam vel donat vel concedit in dotem vel legat etc. quia in legibus expresse cavetur solum de alienatione per *venditionem!* 2°. ut vendat personis quæ a domino directo juste *non prohibeantur* c. fin. h. t.

3°. Translato dominio utili in aliam personam excepto titulo legitimæ hæreditatis vel dotis, novus emphyteuta tenetur domino directo solvere *laudemium* in recognitionem dominii directi. Laudemii quantitatis ex jure Romano in l. 3. C. *De jure emphyt.* est quinquagesima pars veri pretii fundi emphyteutici idest 2 scutata pro quolibet centenario numero scutatorum, et sic facta proportione in aliis speciebus monetarum.

17. Finitur emphyteusis 1°. *expleto tempore,* vel *cessante linea* personarum quibus concessa est, aut completo numero generationum quæ in concessione designantur. 2°. Si res emphyteutica *pereat.* Si vero pereat culpa emphyteutæ, culpa ab eodem præstanda est. 3°. Si emphyteuta rem vendat, *non servatis conditionibus* de quibus supra. 4°. Si male fuerit in re emphyteutica versatus scilicet si ex ejus culpa etiam levi res in substantia *deterior* facta fuerit; ex. gr. si sylvas exstirpet, si reparationes necessarias negligat in domo emphyteutica etc. 5°. Si per *biennium* canonem non solvat in emphyteusi ecclesiastica et per *triennium* in civili. Porro in emphyteusi ecclesiastica datur emphyteutæ purgatio moræ ceu in-

nuitur in c. ult. h. t. ubi dicitur 'Nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuisset'. Tribus in posterioribus casibus dicitur locum habere caducitas seu pœna commissi, quia nempe aufertur res emphyteutica etiam ab invito emphyteuta.

18. Quæritur finita emphyteusi *ad quem pertineant melioramenta rei emphyteuticæ.*

Si *in contractu* cautum sit de aliquibus melioramentis perficiendis, profecto hæc melioramenta consolidato dominio utili cum directo ad dominum directum pertinent, quia emphyteuta censetur suscepisse onus adjectum in contractu in favorem rei emphyteuticæ l. 2. C. *De jure emphyt.* — At meliorationes factæ *citra obligationem* in contractu susceptam ad emphyteutam pertinent, eas vero amittit si ex culpa sua incidat in pœnam caducitatis seu commissi l. 2. C. *De jure emphyt.*

Doctores vero ajunt etiam in hoc casu emphyteutam posse repetere meliorationes vere extraordinarias, et magni momenti quæ rem notabiliter fecerint majoris valoris ne dominus directus nimis dives fieri videatur aliena jactura.

Titulus XIX.

De rerum permutatione.

1. *Permutatio* si lato sensu sumatur omnem comprehendit contractum quo pro una alia res recipitur ex. gr. emptio et venditio. Stricto sensu definitur *'contractus bonæ fidei realis, quo res in certa specie ex lege datur, ut vicissim detur res alia in specie certa'.* Dicitur contractus *bonæ fidei* quia utrinque enascitur obligatio. Dicitur *realis;* quia non solo consensu conficitur, sed etiam rei traditio necessaria est ad contractus substantiam, ita ut si unus tradidit, et alter non, qui tradidit habet jus pœnitendi, et rem suam repetere potest, quamvis alter non sit in mora. Contractus enim non censetur perfectus ante mutuam traditionem. At inspecto stricto jure canonico juxta c. 1. *De pactis* (I. 35) ipsa conventio de permutatione facienda utrumque contrahentem obligat, quia lex canonica in cit. loc. statuit etiam pacta nuda esse observanda. Datur vero res *determinata,* ut alia determinata res vicissim detur ne tam facile locum habeat læsionis periculum.

2. Quæritur *an res Ecclesiæ permutari possint?*

Res Ecclesiæ aliæ sunt mere spirituales, aliæ spiritualibus adnexæ, aliæ mere temporales. Res *spirituales* non possunt cum *temporalibus* permutari: pretio enim non sunt capaces res mere spirituales. Hinc permutatio hujusmodi labe simoniaca esset infecta c. 9. h. t. At permutari potest res *spiritualis* cum alia *spirituali* ex. gr. celebratio sacrificii Missæ cum alia celebratione sacrificii Missæ ex. gr. possunt duo sacerdotes inter se intentionem celebrationis permutare uno loco alterius celebrante Missam, nisi agatur de onere mere personali adimplendo. Sic etiam mutua bonorum operum ministerii sacri permutatio fieri permittitur.

3. Res *temporales* ad Ecclesiam pertinentes cum aliis *temporalibus* rebus possunt permutari: at sub ea lege ut si res sint immobiles et non exigui valoris vel sint utiles pretiosæ, permutari nequeant absque justa causa, et absque solemnitatibus juris de quibus supra egimus in tit. *De reb. Eccl. alien. vel non* (III. 13). Traditur hoc principium in c. 2. h. t. et in c. 52. C. 12. q. 2. qui ita se habet: 'Sine exceptione decernimus ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quidquam donare vel commutare, vel vendere audeat; nisi forte aliquíd horum faciat ut meliora prospiciat, et cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ'. Excipitur casus quo princeps expostulat rem temporalem Ecclesiæ et aliam offerat vel majoris vel æqualis æstimationis c. 1. h. t. Si autem temporalis res sit mixta rei sacræ seu spirituali, permutatio fieri potest: at cum re simili. Hinc calix consecratus permutari non potest cum beneficio aut jure decimarum.

4. Tertia classis rerum Ecclesiæ sunt eæ, quæ *spiritualibus adnexæ* sunt. Tales sunt beneficia, in quibus jus percipiendorum fructuum adnexum est officio sacro.

Quæritur *an permutari beneficia possint?*

In genere permutatio beneficiorum prohibita non est. At nonnullæ requiruntur conditiones. 1°. Ut uterque permutans *possideat* beneficium, secus enim non verificaretur mutua relatio c. 13. *De Except.* (II. 25). 2°. Ut adsit *justa causa,* seu utilitas, vel necessitas Ecclesiæ aut beneficii, quæ causa probanda est a superiore c. 5. h. t. 3°. Ut resignatio utriusque beneficiarii fiat *in manibus superioris,* qui auctoritate sua permutationem approbet conferendo beneficia resignata iisdem, mutata possessione.

5. Quid si fiat auctoritate *privata?*

A jure prohibetur ob *periculum Simoniæ,* hinc permutatio beneficiorum facta auctoritate privata exhibet speciem Simoniæ juris ecclesiastici. Quare hujusmodi permutatio nullius valoris est, et insuper, si fuerit consummata per ingressum in possessionem beneficii, uterque permutans privari potest etiam beneficio suo c. 7. h. t. At id non impedit quominus duo possessores distinctorum beneficiorum inter se deliberare possint de facienda permutatione, quæ auctoritate superioris compleatur. Præterea si beneficium aliquod permutandum sit de jure patronatus, præter auctoritatem superioris requiritur etiam *consensus patroni,* qui nisi exquiratur, permutatio vel irrita est, vel saltem irritari potest ceu traditur in c. 5. *De jure patr.* (III. 38). Tandem facta permutatio publicanda est in Ecclesia vel in Ecclesiis ubi erecta sunt beneficia permutata.

6. Quid si unum beneficium sit *pinguius* altero; *fierine potest compensatio per designatam quantitatem fructuum vel pensionem?*

Duplex casus distingui potest: 1°. Si Ecclesiæ seu beneficia possideantur a personis *moralibus,* seu *locis piis,* ita ut bona pertinentia ad beneficia ab ipsis personis moralibus pleno jure possideantur ex. gr. a Capitulo vel a monasterio. 2°. Si possideantur in titulum ab *individuis.* — De *prima specie* sermo est in c. 6. h. t. in quo quæstio proponitur de duabus Ecclesiis conventualibus, quarum unicuique adnexum erat beneficium curatum suis instructum possessionibus, et traditur, ob locorum commoditatem fieri posse permutationem eorundem beneficiorum facta compensatione redituum sub ea tamen conditione ut *distincta* conficeretur conventio: prima scilicet qua permutarentur parœciæ, secunda qua reditus compensarentur. Nec res absona est; nam potest distincte tractari de juribus spiritualibus et de possessionibus seu de juribus temporalibus, ad duo corpora moralia respective pertinentibus, nec compensatio ullo modo attingit res spirituales seu spiritualem jurisdictionem, et officia relativa.

7. Quod si beneficia possideantur *in titulum ab individuis,* cum jus percipiendi reditus conjungatur cum officio sacro in uno eodemque individuo ex ipsa institutione utriusque beneficii permutandi, sequitur unumquodque beneficium permutatum secumferre ministerio juris etiam proprium jus percipiendi fructus præbendæ. *Hinc compensatio locum habere non potest.* Utrumque enim beneficium totum in suo esse transfertur tamquam quid unum resultans simul

ex duobus elementis, officio nempe sacro et jure percipiendi fructus. — Accedit quod possessor beneficii non est dominus, est proprietarius bonorum beneficii sui. Hinc non potest duplex celebrari conventio, una de juribus spiritualibus, altera de rebus temporalibus, quia neuter ex clericis permutantibus potest disponere de bonis, et juribus sui beneficii. — Insuper notandum est neque ex *Episcopi auctoritate* separationem pinguioris præbendæ fieri posse ob legem generalem in rubrica tit. 12. *Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur* (III. 12). Hinc ad compensationem faciendam in nostra hypothesi auctoritate *Pontificis* opus est, qui separet portionem fructuum a beneficio majori, et eam concedat possessori alterius beneficii ad ejus vitam.

8. Animadvertimus tandem permutationem fieri non posse de beneficiis *reservatis S. Sedi:* quia secus facile eludi posset jus collationis ejusdem. Fieri permutatio potest de aliis beneficiis: nec ullo modo retardari aut impediri potest a gratiis exspectativis quæ forte in aliqua Ecclesia alicui, vel aliquibus clericis concessa forent, dummodo permutatio non fiat in fraudem Pontificiæ concessionis; c. un. h. t. in 6°.

Titulus XX.

De feudis.

1. Feudum a fide, seu fidelitate definiri potest '*contractus consensualis, bonæ fidei quo alicui conceditur res immobilis cum translatione dominii utilis, retenta proprietate sub onere præstandi fidelitatem, et 'obsequium personale'*. Hæc definitio exprimit contractum quo fit concessio feudalis; nomine vero feudi venit etiam ipsa *res immobilis* quæ in feudum conceditur.

2. Qualitas specifica hujus contractus in eo consistit ut *fidelitas* præstetur, et *obsequium.* Scilicet feudatarius qui etiam vasallus dicitur, tenetur fidem servare domino feudi ita ut nihil machinetur contra ipsum, sed ipsum consilio, et auxilio juvare teneatur. Propterea regulariter feudatarius præstare debet in ipsa investitura feudi *juramentum fidelitatis.* Item tenetur feudatarius ad præstanda domino servitia honesta quæ veniunt sub nomine obsequii. Hæc vero determinantur vel ex *lege institutionis feudi* vel ex *consuetudine locorum.*

3. Porro quamvis feudorum concessio fuerit juris *civilis*, tamen etiam Ecclesia processu temporis hanc concessionem fecit suam. Quapropter feuda alia sunt *laicalia*, alia *ecclesiastica*. Alia sunt *personalia*, alia *familiæ*, quæ nempe constituuntur ita ut feudum transeat ad hæredes, et successores in linea determinata ex. gr. ad descendentes masculos ex masculis.

4. Ecclesia potest bona sua in feudum concedere. At cum contractus hujusmodi referat indolem contractus emphyteutici, eædem requiruntur *solemnitates* quæ in emphyteusi necessariæ sunt. Hinc etiam bona quæ solita fuerunt concedi in feudum, si finita feudali obligatione redierint ad Ecclesiam, poterunt absque solemnitatibus juris ab Episcopo iterum concedi in feudum ex justa causa. At si redierit feudum ex fraude possessoris, qui illud alienaverit, Episcopus investire debet vel filium alienantis, vel consanguineum ejus c. 2. h. t. Feuda ecclesiastica fere disparuisse dicenda sunt.

Titulus XXI.

De pignoribus et aliis cautionibus.

1. Cum de rebus Ecclesiæ actum fuerit, et de contractibus qui circa easdem res perfici possunt, superioribus titulis subnectitur præsens, qui est de cautionibus quæ faveant securitati contractuum eorundem.

Pignus, prout est contractus, definitur: '*Conventio qua res aliqua vel datur, vel obligatur in securitatem crediti*'. Quare in hac conventione præsupponitur *alius* contractus vel *aliud* negotium in cujus subsidium et securitatem traditur pignus. Hinc cessante priore contractu, vel negotio etiam pignus cesset oportet. Aliquando nomine pignoris intelligitur *res quæ obligatur in securitatem crediti.*

2. Pignori affinis est *hypotheca,* quæ nihil aliud est quam *jus reale competens creditori super re aliena in securitatem crediti sui.* — Differentia vero inter pignus et hypothecam ob oculos ponitur in l. 3. §. 2. ff. *De Pignoratitia actione* ubi legitur: 'Proprie *pignus* dicimus, quod ad creditorem *transit, hypothecam,* cum *non transit nec possessio* ad creditorem'. Cfr. *Reiffenstuel* h. t. nn. 5. et 6. —

3. Præcipua divisio pignoris et hypothecæ est inter pignus et hypothecam *expressam*, et pignus et hypothecam *tacitam*. *Ex-*

pressum pignus, vel *expressa* hypotheca locum habet cum eorum constitutio efficitur vel ex partium conventione, vel voluntate testatoris vel ex sententia judicis. — *Tacitum* pignus, vel *tacita* hypotheca locum habet, cum jus pignoris, vel hypothecæ ab ipsa lege inducitur, ita ut valeat etiam contra invitum dominum rei. Pignus et hypotheca hujusmodi dicuntur pignus *legale*, hypotheca *legalis*. Sic ex. gr. si vir dotem ab uxore recipiet, ipso jure ejus bona obligantur vinculo hypothecario in securitatem acceptæ dotis c. 5. h. t. Sic etiam Ecclesiæ, vel collegia habent tacitam hypothecam in bonis prælati, vel alterius administratoris.

4. In genere *res omnes quæ vendi, seu alienari possunt*, pignori, et hypothecæ subjici queunt. Quid vero de rebus ad *Ecclesiam* pertinentibus? In c. 1. h. t. prohibetur oppigneratio rerum sacrarum Ecclesiæ, nisi ex urgente necessitate. Hinc in genere ex sensu contrario non est interdicta oppigneratio rerum non sacrarum ad Ecclesiam pertinentium legitima interveniente causa. At causa hujusmodi non esse potest commodum, et utilitas personalis ipsius prælati vel rectoris, sed Ecclesiæ. Insuper cum oppigneratio seu obligatio hypothecæ sit species alienationis c. 5. *De Reb. eccl. alien. vel non.* (III. 13) et Const. *Ambitiosæ*, hinc neutra legitime perfici potest, nisi solemnitatibus juris adhibitis, de quibus in cit. titulo.

5. Quæritur: *Quænam est obligatio creditoris qui pignus excepit?* Cum contractus pignoris sit unilateralis, conficiatur nempe in commodum creditoris pro securitate crediti, hinc creditor tenetur rem custodire *diligenter*. Tenetur proinde præstare etiam *culpam levem*, non autem *levissimam*, ut probat *Reiffenstuel* in tit. *De Commodato* (III. 15), n. 28. ex l. 5. §. 10. ff. *Commodati*. Insuper creditor non potest uti re oppignerata absque consensu domini saltem prudenter præsumpto, et rem ipsam soluto debito restituere debet cum omnibus accessionibus.

6. Immo si res frugifera sit, restituendi sunt etiam *fructus*, solis deductis *expensis* factis pro re conservanda fructibusque percipiendis l. 16. ff. h. t. et cc. 1. et 2. *De Usuris* (V. 19.) et 6. h. t. ubi dicitur 'Cum secundum canonicam sanctionem fructus restitui et in sortem debeant computari'. Ratio est quia pignus non pro fructibus crediti, sed pro securitate crediti constituitur. Cui etiam accedit ratio deducta ex principio juridico: 'Quælibet res domino fructificat'.

7. Excipiuntur nonnulli casus. 1°. Ex c. 1. *De Feudis* (III. 20) non tenetur dominus feudi in sortem computare *fructus feudi* quod feudatarius in pignus dedit eidem domino, dummodo dominus non exigat obsequia, et honesta servitia. Nam ideo usus fructus seu dominium utile feudatario conceditur ut præstet hæc honesta servitia. Quæ dispositio confirmatur ex c. 1. *De Usuris* (V. 19). 2°. Si viro res frugifera data fuerit a patre uxoris in pignus pro securitate *dotis*. Nam cum dos in jure sit natura sua fructifera eo quod datur ad sustentanda onera matrimonii, hinc fructus pignoris censentur esse fructus dotis. c. 16. *De Usuris* (V. 19). 4°. Si clericus facit suos fructus rei oppigneratæ quæ pertineat ad suum *beneficium*, quod per injuriam fuerit a laico etiam patrono occupatum c. 1. *de Usuris* (V. 19).

8. Quæritur: *an pignoris contractui possit adjici pactum antichreseos?*

Pactum hujusmodi in eo consistit, ut *creditor usum fructum rei oppigneratæ habeat quoadusque debitum non fuerit solutum:* scilicet percipiat fructus rei qui in restitutione ejusdem rei non sint computandi in sortem debiti. Pactum hujusmodi non probatur, quia quidquid ultra sortem in credito perciperetur, usuram sapit, atqui fructus sunt ultra sortem. Hinc in c. 6. h. t. traditur absolute fructus perceptos a creditore computandos esse in sortem debiti, nec ulla fit distinctio an pactum intercesserit, vel non. At in tribus casibus supra expositis, vel si justus titulus extrinsecus verificetur ex lucro cessante, aut ex damno emergente creditoris, potest creditor percipere fructus rei oppigneratæ.

9. Quæritur: *an eidem contractui possit adjici pactum legis commissoriæ?* Scilicet pactum quo creditor, et debitor conveniant ut nisi intra *certum tempus* debitor restituat sortem, res oppignerata transeat in plenum dominium creditoris in crediti sui solutionem.

Pactum hujusmodi in c. 7. h. t. rejicitur tamquam fœneraticium, quia pactum hoc solet adjici ab usurariis in eum finem ut rem oppigneratam faciant suam quæ res ordinarie major est quam sit valor et æstimatio crediti, ac proinde pactum legis commissoriæ continet palliatam usuram. At valet pactum hujusmodi, sive quando res æquivalet debito, vel si majoris sit æstimationis; valet pactum quoties partes conveniant rem utique post elapsum tempus determinatum fore creditoris, at sub ea lege ut restituat de-

bitori excessum pretii supra proprium creditum; l. 16. ff. *De Pignoribus* §. 9.

10. Cæterum creditor jus habet *distrahendi* pignus postquam debitor constitutus sit in mora solvendi: qui creditor insuper habet jus prælationis in casu quo debitor vel bonis cedat, vel ære alieno ultra vires gravatus demoriatur. Potest insuper creditor *præscribere* jus pignoris si cum bona fide pignus possideat tempore longissimo, vel etiam tempore longo cum justo titulo. At dominium rei præscribere non potest, quia numquam eam rem possidere potest animo domini, sed semper precario rem possidet.

11. Breviter de secunda parte tituli, quæ est *de aliis cautionibus.*

Pignus est in securitatem crediti: hinc est species cautionis. Cautio est *securitas; quæ alteri præstatur pro certa solutione debiti, vel juris observantia.* Cautio est vel *simplex,* vel *idonea,* vel *juratoria. Simplex* cautio idem est ac nuda promissio. — Cautio *idonea* quæ etiam dicitur sufficiens ea est quæ præstatur vel per pignus, et pignoraticia appellatur, vel per fidejussorem et dicitur cautio satisdatoria, satisdatio, fidejussio.

12. *Juratoria* cautio est quæ datur præstito juramento. Præstatur vero juramentum vel ad partis instantiam vel ministerio judicis in defectu cautionis idoneæ.

Titulus XXII.

De fidejussoribus.

1. Fidejussio est '*contractus quo quis manente obligatione debitoris, promittit se soluturum, vel satisfacturum id quod solvere, vel satisfacere tenetur debitor principalis*'. Ex qua definitione patet, fidejussorem non destruere obligationem debitoris, sed fide sua accedere in securitatem obligationis ejusdem, ac veluti jubere ut credatur debitori. Quare fidejussor distinguitur ab *expromissore,* qui acceptante creditore obligationem in se suscipit, et ipsum liberat debitorem.

2. Dividitur fidejussio 1°. in *necessariam* et in *voluntariam.* Necessaria quæ exigitur a lege vel judice l. 13. ff. *De Usufructu et quemadmodum* etc., voluntaria quæ sponte præstatur. 2°. Alia est *principalis*, alia *secundaria* prout vel accedit ipsius debitoris obligationi, vel alterius prioris fidejussoris obligationem confirmat.

Aliis omissis, 3°. alia est *simplex,* alia *solidalis.* Simpliciter quis fide jubet quando accedit alterius obligationi in subsidium illius; ita ut fidejussor sit debitor minus principalis. Quare non potest actione percelli a creditore nisi cum excusso prius debitore principali creditor vel in toto, vel in parte proprium jus assecutus non fuerit. Hinc fidejussor, qui simpliciter fide jussit, dicitur habere beneficium *excussionis.* In *solidum* vero cavet fidejussor, cum sese constituit debitorem æque principaliter cum primo, et vero debitore. Quo in casu fidejussor non gaudet beneficio excussionis scilicet creditor potest ad jus suum assequendum persequi vel debitorem singillatim vel fidejussorem solum, vel utrumque simul.

3. Quæritur: *Quis possit fidejubere?*

Ex jure *civili romano* fide jubere non possunt: *pupilli* absque tutoris auctoritate, *minores* absque consensu curatoris, *mulieres* ex celebri Senatus Consulto Vellejano, nisi adhibitis solemnitatibus juris.

Clerici de bonis *propriis* possunt fide jubere: at ne sæcularibus negotiis nimium misceantur prohibentur *frequenter,* et sine causa aliorum obligationes in se suscipere. Rubr. tit. *Ne Clerici, vel Monachi* (III. 50). — In bonis vero *patrimonialibus,* quæ *titulum ordinationis* constituunt, fide jubere clerici non possunt. Possunt vero fructus horum bonorum obligare; deduci autem debet prius quidquid est necessarium pro eorumdem honesta sustentatione, ne victum mendicare cogantur in dedecus status clericalis. — Quoad vero *beneficii* bona Doctores cum *Abbate* in c. 1. h. t. tradunt clericum quidem posse fide jubere de *fructibus* beneficii sui, qui transeunt in ejus dominium, et quidem *illimitate* de fructibus qui transeunt in peculium *parsimoniale,* secus vero de fructibus beneficii *superfluis* quos ad pios usus, uti videbimus in tit. *De peculio clericorum* (III. 25) impendere tenetur; unde de his solum urgente caritate vel religione fidejubere potest. At si fidejussio fiat de ipsis bonis, requiritur solemnitas juris quæ pro alienationibus necessaria est.

4. *Prælatus* juxta cit. c. 2. *De Solut.* (III. 23) non potest fide jubere de bonis mensæ vel Ecclesiæ suæ, nisi id faciat in utilitatem ipsius mensæ vel Ecclesiæ, et servatis solemnitatibus quæ in alienationibus rerum Ecclesiasticarum requiruntur.

Religiosi, qui possessioni legitimæ renunciarunt, non possunt fide jubere, nisi ex consensu prælati et capituli monasterii, et fide-

jussio debet esse non in commodum individuale ipsius prælati, aut religiosi, sed Ecclesiæ vel monasterii c. 4. h. t.

5. Obligatio fidejussoris est *relativa* obligationi debitoris principalis. Hinc non plus obligatur quam sit obligatus debitor principalis; l. 8. §. 7. ff. h. t. Quare si ex facto ex. gr. ex remissione creditoris contingat liberari debitorem, eo ipso eximitur etiam fidejussor ab obligatione sua etiam solidali.

6. Tria vero *beneficia* jus concedit fidejussori: scilicet *excussionis, divisionis* et *cedendarum actionum*. Primum beneficium, de quo jam superius innuimus, est ut si fidejussor actione percellatur a creditore, jure exigere possit ut *antea* excutiatur debitor principalis. Quod beneficium non competit fidejussioni solidali, nec a simplici fidejussore potest invocari, si *notorie* constet debitorem principalem solvere non posse. — Secundum beneficium est *divisionis* quo scilicet si plures simul fidejusserint, et unus pulsetur ad totum solvendum debitum, hic potest exigere ut etiam alii pro eorum rata portione in jus vocentur. — Tertium beneficium est ut fidejussor qui solvit, possit etiam judicialiter cogere creditorem ut sibi *cedat omnes actiones*, et eorum titulos, et instrumenta creditum respicientia tum contra debitorem principalem tum contra alios confidejussores, si adsint.

7. Quæritur *utrum nondum facta solutione debiti possit fidejussor liberari ab onere fidejussionis?*

In genere *non potest* quia obligatio fidejussoris est subsidiaria, et proinde perseverat quoadusque non defecerit obligatio principalis. Hinc transit etiam ad hæredes ejusdem fidejussoris. At in c. ult. h. t. *Greg. IX.* tres casus adsignat in quibus fidejussor potest petere liberationem etiam judicialiter a fidejussione, et debitor præstare tenetur etiam nondum soluta principali obligatione: 1°. Si debitor *nimium differat* debiti solutionem. Non enim fidejussor præsumitur se voluisse obligare in perpetuum. Quænam vero sit mora necessaria ad concedendam liberationem fidejussori judex decernet. 2°. Si debitor *dissipare* incipiat bona patrimonii sui. 3°. Si fidejussor condemnetur *ex sententia judicis* ad debitum solvendum, potest etiam ante debiti solutionem statim agere contra debitorem principalem, ut debitor eum liberet a molestiis seu a fidejussione.

Obtenta liberatione 1°. *cessat* fidejussio quemadmodum etiam finitur fidejussio 2°. si novatio obligationis efficiatur inter debi-

torem principalem et creditorem, *inconsulto fidejussore.* Ex. gr. si quæ debebat ex mutuo, incipiat debere ex conductione, vel ex empto. 3°. Si in contractu *tempus* vel *conditio* apposita fuerit ad *finiendam* obligationem fidejussoris, ita ut scilicet aliquis fidejusserit solummodo ad certum tempus vel quoadusque non fuerit verificata aliqua conditio. Si vero creditori, inconsulto fidejussore, prorogare placuerit diem solutionis debiti, non amplius tenebitur fidejussor in securitatem debiti, cui obligatione sua accesserat.

Titulus XXIII.

De solutionibus.

1. Si fidejussio securitatem creditori procurat, solutio plene ejus juri satisfacit ac debitum exstinguit. Solutio definitur *'Idonea præstatio debiti tempore, et loco conveniente legitime facta.'* Definitio hæc exhibet veram debiti exstinctionem, quæ non haberetur si præstatio non esset idonea, nempe si esset incompleta, vel non fieret loco, et tempore conveniente; nam facta solutione debiti principalis, adhuc reddi deberet indemnis creditor pro expensis vel incommodis, quæ exinde eidem obvenissent.

2. Si quæratur *quinam solvere teneatur,* in genere respondendum est, teneri eum qui *debitor* est, seu quicumque obligatur nulla facta distinctione status clericalis, vel laicalis et sexus: agitur enim de materia justitiæ, quæ clamat, unicuique suum esse reddendum.

3. Hinc etiam *clerici* suis, et Ecclesiarum oneribus satisfacere debent. Quid vero si *prælatus,* vel *rector Ecclesiæ* vel beneficii possessor non solverit? Teneturne successor obligationibus seu debitis prædecessoris satisfacere? Profecto si debita contracta fuerint per modum obligationis, *adhibitis solemnitatibus juris,* nullum dubium est debita illa gravare ipsam Ecclesiam, vel beneficium; ac proinde ad successores transeunt.

4. At quid si debita fuerint *absque solemnitatibus juris* contracta? 1°. Successor non tenetur solvere debita contracta ab antecessore in *sui* commodum, seu pro *privata sua utilitate* aut ex alio titulo c. 2. h. t. et arg. c. 1. *De deposito* (III. 16). Accedit ratio generalis ex principio: 'Antecessor non potest deteriorem reddere conditionem successoris'.

5. At quid dicendum *de ære alieno contracto in utilitatem Ecclesiæ*, et insuper quid dicendum *si possessor beneficii expensas fecerit, sed vacante beneficio adhuc aliquid solvendum sit ratione illarum expensarum?* Distinguendum est. Expensæ istæ optimo jure censendæ sunt tamquam obligatio personæ possessoris et per consequens, possessore deficiente, ejus *hæredes* tenentur residuas expensas nondum solutas præstare. Ratio hujus conclusionis in eo reponenda est, quod nempe actualis possessor beneficii, ceu usufructuarius bonorum debet ex fructibus beneficii *ordinarias*, et *necessarias* expensas facere ad bona beneficii et ad jura beneficii conservanda et tutanda. Quod si expensæ a possessore factæ fuerint tales, quæ superent fructus bonorum beneficii ipsius, hoc in casu deficiente actuali possessore, si nondum omnes expensæ solutæ fuerint, quæ remanent, solvendæ sunt *a novo successore:* etenim quisque possessor beneficii non tenetur ultra vires beneficii expensas tolerare idest non tenetur supplere de suis bonis patrimonialibus defectui beneficii. Ergo expensæ hujusmodi magni momenti censentur optime esse onus seu obligatio ipsius beneficii. Quare etiam successor tenetur isto onere quoties non fuerit satisfactum eidem: et in hoc sensu optime *Alexander III.* disponit in c. 1. h. t. Sicut filius debita patris solvere tenetur, ita prælatus debita sui prædecessoris pro Ecclesiæ necessitate contracta. Conf. *Reiffenst.* h. t. nn. 16. et seqq. Hæc vero regula valet quidem re theoretice inspecta: at in praxi servatur norma superius posita, ita nempe ut gravare censeantur ipsum beneficium et per consequens etiam successores solummodo ea debita quæ contracta fuerint cum solemnitatibus juris. Cætera enim præsumuntur talia quæ potuissent a possessore beneficii persolvi ex ordinariis fructibus beneficii.

6. Ad rem facit quæstio resoluta a S. C. EE. et RR. die 28. Aprilis 1865. Cujus species hæc erat. Capitulum in insula Siciliæ ad sua jura tuenda judicium annis 1825 et 1855 subire coactum fuit. Expensæ quas toleravit ingentem summam ducatorum 1176 attingebant. Existimans autem Capitulum istas expensas, quæ factæ fuerant ob utilitatem Ecclesiæ solvi debere non solum a præsentibus Canonicis, sed etiam a futuris, onus eas solvendi rejecit in ipsam massam capitularem, debitum fructiferum contrahendo. Hunc contractum in forma publica per acta notarii initum Vicarius Generalis, inscio Archiepiscopo tum graviter ægrotante, probavit. Archiepiscopus inde convalescens ea quæ gesta

fuerunt a Capitulo nullius esse valoris dixit eo quod servata non fuerat forma in Const. *Ambitiosæ* designata; idest eo quia requisitum non fuerat beneplacitum Apostolicum. Deinde post varias vices, tandem Canonici S. Congregationi quendam modum proposuerunt ad debitum contractum exstinguendum. Videlicet statuerunt illum solvendum esse annuis ratis intra decennium. Causa discussa est, et proposito dubio: 'An, et quo modo supplicandum sit SS^mo pro approbatione propositi modi exstinctionis debiti in casu', S. Congreg. respondit: *'Affirmative pro sanatione impositionis præfati debiti, et pro approbatione propositi modi exstinctionis; ita tamen ut si actuales Capitulares integrum debitum non exstinguant, teneantur eorum successores'*.

Infertur ex hac decisione, debitum expensarum litis eo quod defuerat *beneplacitum Apostolicum,* invalide massæ Capitulari fuisse impositum, et illam impositionem indiguisse sanatione Apostolica ut obligaret successores. Quare sequens regula deducitur: ad solvendas expensas litis pro juribus capitularibus tuendis toleratus non teneri massam capitularem nisi capitulum præventive obtinuerit beneplacitum Apostolicum, nec proinde posse Capitulum sine eodem beneplacito debitum contrahere in præjudicium massæ capitularis, et obligare successores quamvis id faciat ad redintegrandas graves expensas tolerandas pro juribus capitularibus defendendis. Hoc enim onus impositum massæ capitulari constituit speciem *alienationis.* Conf. *Acta S. Sedis* vol. 1. pag. 537.

7. *Quid vero si is, qui solvere teneretur, sit non solvendo?*

Si debita fuerint contracta ex vitio adversæ fortunæ a jure Romano datur remedium *cessionis bonorum.* Scilicet debitor bonis suis quæ adhuc habet, valedicere, eaque judici remittere tenetur ut creditoribus tribuat juxta capacitatem bonorum eorundem; ipse vero debitor promittere debet se præstiturum quod deest si ad pinguiorem fortunam devenerit l. 4. ff. *De Cession. bonor.*

8. Jus vero canonicum aliquantisper dispositionem immutavit relate ad *clericos debitores,* induxitque privilegium *competentiæ* seu *deducto ne egeat,* quod cum c. *Odoardus* 3. h. t. sit introductum, dicitur etiam privileg. ex c. *Odoardus.* Species capitis est: Clericus quidam nomine Odoardus in diœcesi Rhemensi debita contraxerat cum pluribus. Creditores convenerunt eum coram officiali Archidiaconi Rhemensis. Odoardus confessus est debita, at declaravit se propter inopiam ea solvere non posse. Officialis nihilo-

minus in eum sententiam tulit excommunicationis. Odoardus persentiens se ex sententia illa gravatum conquestus est apud S. P. *Gregorium IX.*, qui judices delegavit iisque mandavit ut si constitisset, Odoardum solvere non posse debita in parte, vel in toto, reciperent ab eo idoneam cautionem qua sponderet se debita illa soluturum si ad pinguiorem fortunam devenisset et deinde relaxarent sententiam tribunalis archidiaconi Rhemensis.

9. Quæ decretalis ut intelligatur sciendum est hodierno jure post dispositionem Tridentinam in c. 3. sess. 25. *de Ref.* censuras in judiciis non esse adhibendas nisi in subsidium alterius cujusque remedii civilis, puta captionis pignoris, exsecutionis realis, districtionis personæ. Immo usus censurarum in judicialibus negotiis prorsus disparuit. At vetere jure potuisset etiam in causis civilibus tribunal ecclesiasticum adhibere censuras quoties reus contumaciter restitisset præcepto judicis ceu traditur in c. *De Sent. excomm.* (V. 11) in 6⁰. Quod si censuræ sortitæ non fecissent suum effectum, ceu remedium subsidiarium adhibebatur incarceratio, vel districtio personalis. Quoad excommunicationem insuper animadvertendum est solitos fuisse judices censuras decernere non solum cum contumacia esset vera, et certa, sed etiam cum esset præsumpta. Quo in casu perdurabat vinculum censuræ quoadusque patuisset reum non fuisse contumacem. Quoniam vero in specie capitis non evidenter constabat utrum jure, an immerito Odoardus mandato judicis de solvendis debitis non obtemperasset hinc sententia tribunalis valida per se erat. Quare Pontifex non mandavit ut nulla declararetur sententia, sed præcepit ut relaxaretur quoties de clerici inopia constitisset.

Quo posito, cum excommunicatio esset remedium ordinarium quo clericus adigeretur ad obsequendum præcepto judicis de solvendis debitis, hinc relaxatio sententiæ idem erat ac liberatio clerici a molestiis judicialibus quoad debitorum solutionem. Hinc merito doctores inferunt ex dispositione c. 3. h. t. clericum qui non possit contracta debita solvere, a judicialibus molestiis eximi.

10. Insuper cum censeatur non posse in solutionem debiti aliquid impendere, qui vix possideat necessaria pro sua sustentatione, hinc inferunt doctores in privilegio c. *Odoardus* etiam comprehendi exemptionem clerici, propter ejus honestam sustentationem, ab actione judiciali, quoad *eam partem substantiæ suæ,* quæ ad ejus *sustentationem necessaria* est. Quare concludunt doctores

clericum exemplo romani militis privilegio competentiæ gaudere, seu privilegio quo salva semper remaneat portio substantiæ competens pro honesta sustentatione. Ergo clericus privilegium habet ut si debita solvere ob inopiam nequeat, non possit excommunicari et incarcerari aut aliter molestiis urgeri, et, si bona possideat, non cogatur omnibus bonis cedere, sed semper reservetur portio necessaria pro honesta ejus sustentatione seu *deducto ne egeat*, præstita tamen idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, contracta debita solvere teneatur. Idonea autem cautio in sensu juris esset vel pignoratitia, vel fidejussoria; at ipsa glossa in h. c. v. »idonea« animadvertit, hanc duplicem cautionem in casu clerici ære alieno gravati haberi non posse. Hinc sufficit cautio *juratoria*, quæ quoad clericum qui bonæ fidei supponitur, non minimi æstimanda est, per eam enim clericus censetur facere quod potest ad debitum solvendum c. 15. C. 22. q. 2.

11. Ut vero clericus privilegio competentiæ gaudeat requiruntur nonnullæ conditiones. 1⁰. Ut clericus *non* sit *uxoratus;* nam, ut supra vidimus in tit. *De cler. conjug.* (III. 3), Clericis conjugatis reservatur solummodo duplex privilegium: canonis nempe et fori. *Bonifacius* enim *VIII.* in c. un. eod. tit. in 6⁰. ait: ‘In cæteris eos gaudere nolumus privilegio clericali’; 2⁰. ut clericus *confiteatur debita sua;* hinc si clericus ex malitia debita deneget, et convincatur, privilegio frui nequit. Nam privilegium hujusmodi suam formam recipit ex c. *Odoardus* in quo clericus ingenue sua debita confessus est; 3⁰. ut debita proveniant ex *contractibus*, *et negotiis civilibus,* non vero descendant ex delicto, vel quasi delicto. Ita ex sensu capitis, in quo nulla mentio est de judicio criminali sive criminaliter acto sive civiliter, nec de pœna ratione delicti, vel dolosæ actionis debita. In hac exceptione doctores optimæ notæ comprehendunt etiam clericum qui in *ludis prohibitis,* vel in *mala vitæ conversatione* bona sua dissipaverit; 4⁰. ut pulsetur actione *personali,* nam est privilegium personæ. Hinc non gaudet hoc privilegio clericus qui percellatur actione *reali,* qua actor rem suam tamquam dominus recuperare nititur. Ex. gr. si clericus sit debitor ratione depositi et a deponente restitutio rei expostuletur. In debito autem personali hypothecario clericus privilegio gaudet, quia debitum hoc principaliter est personale, et hypotheca solummodo accedit in securitatem solutionis. Dixi in debito personali

clerici. Nam si creditor persequeretur penes clericum actione reali rem vinculo hypothecæ ligatam a priore domino quam nunc clericus possidet, non videtur posse invocari privilegium competentiæ favore clerici. Ratio est, quia res transit cum onere suo, nec conditio creditoris fieri debet deterior, eo quod res vinculo hypothecario subjecta a priore domino transit ad clericum.

12. Quærunt doctores *utrum valeat renunciatio quæ huic privilegio fiat a clerico ære alieno gravato.*

In tit. penult. ff. *De pactis* exhibetur principium, unumquemque posse privilegio suo renunciare. Hinc non desunt qui dicunt, sustineri hanc renunciationem. Verum magis recepta est contraria sententia quæ tenet hanc renunciationem *non valere* quia privilegium competentiæ non est inductum proprie in favorem *individualem* personarum juxta sensum cit. tit. sed potius consideratur ceu privilegium, introductum in favorem totius ordinis clericalis ne clericus debitis oneratus in dedecus cœtus ecclesiastici judicialiter plus æquo vexetur, et cogatur victum sibi mendicare; cfr. l. 38. ff. *De pactis.*

13. Quid vero *si solvit is qui solvere non tenebatur?* Conceditur eidem *condictio indebiti.* Condicere in casu idem est ac repetere actione personali in judicio id quod indebite fuit solutum; scilicet quod solutum fuit sine onere. De hac re agit c. ult. h. t. in quo peculiariter consideranda est dispositio quoad onus probationis. Scilicet in genere qui condictionem experitur ceu actor, probare tenetur se indebite solvisse, quæ dispositio etiam firmatur l. 25. ff. *De prob.* Quodsi adversarius denegat factum solutionis, et convincatur de accepta solutione, ipse et non amplius actor tenetur probare debitum fuisse sibi, quod in solutione accepit. Ratio optima suppetit, quia nempe convictus de mendacio, talis æstimandus est coram lege, cui non credatur, nisi probet.

14. Quoad *modum, tempus* et *materiam* solutionis, cum specialis dispositio canonica non habeatur, servanda sunt principia juris civilis in iis præsertim quæ juri naturali evidenter cohærent. In genere si pacta adsint, servanda sunt; nisi adsint, curandum est, ne creditoris, pro quo ratio justitiæ militat, jura lædantur.

TITULUS XXIV.

De donationibus.

1. Donatio idem videtur esse ac doni datio et definiri potest: '*Rei licitæ nullo jure cogente in acceptantem facta collatio, vel datio*'. Solet etiam definiri: '*Liberalitas nullo jure cogente in acceptantem collata*'. Donatio igitur continet speciem liberalitatis; hinc vere donat qui aliquid suum *nullo jure cogente* alteri confert. Ex hac nota characteristica donationis sequitur, donationem non præsumi, sed *probari debere* a donatario. Nemo enim præsumitur velle suas facultates perdere, scilicet sine aliquo correspectivo alienare. Hinc potius præsumitur error, seu erronea solutio quam donatio nisi agatur de re haud gravis momenti, quæ a viro nobili, et divite tribuatur, vel nisi adsit remunerationis ratio. — Donatio est collatio *rei licitæ.* Nam res illicitæ censentur esse extra commercium, unde nec vendi vel emi possunt. Quare qui donavit rem illicitam, non potest adigi ad rem tradendam. — Dicitur *in acceptantem;* nam non censetur completa donatio nisi fuerit acceptata. Quare pollicitatio nisi acceptetur non obligat promittentem, qui ante acceptationem alterius potest promissionem revocare, modificare suam voluntatem jam antea expressam. Hinc pariter si quis absenti donaverit, et demoriatur quin donatarius cognoverit donationem, et eam acceptaverit, donatio nulla est l. 2. ff. h. t.

2. Quod si vero donatio facta fuerit *Ecclesiæ,* vel pro *causa pia,* et fuerit rationalis, servanda est, quamvis non fuerit cognita et acceptata a rectore, vel administratore Ecclesiæ. Nam præsumitur acceptata a Deo saltem ceu piæ voluntatis seria deliberatio c. 3. C. 12. q. 2. Immo, si fuerit illegitime *repudiata* a prælato, vel rectore, Ecclesia habet beneficium restitutionis in integrum, et etiam actionem contra rectorem repudiantem ad assequendum quanti interest.

3. Ut donatio consistat, aliquando debet *insinuari* penes magistratum jurisdictione pollentem. Insinuatio scilicet est declaratio donantis apud judicem qua manifestat se aliquid donare ac petit ut in actis publicis adnotetur donatio, et instrumentum de eadem donatione conficiatur. Hæc insinuatio facienda est quoties donatio 500 solidos seu scutata Romana superat §. 2. *Inst.* h. t. Quod si negligatur insinuatio, sustinetur donatio usque ad 500 solidos; pro

reliquis vitiatur. Ita jus romanum non reformatum a jure canonico.

4. Donatio alia *verbalis* dicitur, alia *realis*; 1ª. est *promissio* per verba de præsente aliquid dandi vel præstandi ab alio *acceptata*, 2ª. ea est in qua non solum res promittitur, sed *actu* etiam *traditur*. Secunda est completa donatio, qua dominium rei transit in donatarium. Prior censetur nondum perfecta. Hinc per hanc donationem non transit statim dominium rei, sed solum jus ad habendam rem tempore congruo. Quare in traditione rei donans non tenetur fructus aut usuras solvere, licet fuerit in mora traditionis. Accedit etiam alia ratio ne scilicet liberalitas suo donatori nimis noceat l. 9. ff. h. t. §. 1.

5. Alia est donatio, quæ dicitur *inter vivos*, alia fit *mortis causa*. Donatio *inter vivos* est actus absolutus completus, vel complendus in *vita* utriusque contrahentis. — Donatio *mortis causa* ea est, quæ fit a donante intuitu mortalitatis suæ, seu facta mentione mortis vel possibilitatis aut suspicionis ejusdem. Donatio inter vivos in genere est *irrevocabilis*, perficitur enim ad modum contractus inducentis obligationem.

6. At dantur in jure aliquæ *causæ* ob quas *revocari* potest. I°. *Ingratitudo qualificata*, quæque a juristis ingratitudo prægnans dicitur. II°. *Supervenientia liberorum*. III°. *Inofficiosa donatio*. — De ingratitudine prægnante agit c. ult. h. t. in quo traditur quadruplici in casu eam verificari 1°. si donatarius *manus violentas* intulerit contra ipsum donantem, etiamsi id per mandatarium perficiat. 2°. Si donatarius *atroces injurias* contra eundem donantem intulerit. 3°. Si *grave damnum* non intentare solum, sed reapse *inferre* ausus fuerit rebus seu patrimonio donatoris. 4°. Si *vitæ insidias* struxerit vel periculum procuraverit. Quibus in casibus animadvertendum est ex dispositione c. ult. h. t. revocationem faciendam esse ab ipso donante, non vero jus revocandi transire ad successores ejus. Ratio est quia donans qui revocationis actionem non promovet, censetur condonare injuriam sibi, vel bonis suis illatam. Hinc revocatio ob ingratitudinem qualificatam censetur esse actio personalis ipsius donantis. Animadvertendum est etiam, revocari non posse donationes inter vivos factas *Ecclesiis* vel *causis piis* ob prælati ingratitudinem aut administratoris Ecclesiæ vel causæ piæ. Prælatus enim, vel administrator non sunt ipsi

proprie donatarii, quorum sit consideranda ingratitudo, sed ipsa Ecclesia, vel causa pia est donataria.

7. Altera causa revocationis est si quis *liberos* non habens donavit vel omnia sua bona, vel partem notabilem eorum, et deinde vel unum, vel plures suscipiat filios l. 8. C. *De Rev. Donat.* Quia jus præsumit implicitam donationi esse conditionem 'nisi superveniant liberi, quos præsumitur donans velle absolute extraneis præferre.'

8. Tertia causa est *inofficiositas donationis* ex integro tit. C. *De inoff. donat.* Inofficiosa censetur donatio cum talis quantitas patrimonii donatione distrahatur ut filiis non remaneat salva portio legitima. Revocari autem potest donatio sive a liberis exstantibus tempore donationis, sive a supervenientibus, immo etiam post mortem donantis. At hæc revocatio non destruit totam donationem, sed coarctat ad id quod superest detracta legitima; seu revocatio fit usque ad legitimam. Novel. 92. *Justin.* et ll. 1. et 5. C. *De inoff. donat.*

9. Donatio *mortis causa,* seu contemplatione mortis facta, censetur valere si donans decedat cum voluntate donandi. Quare quoties revocaverit, prorsus desinit esse. Consideratur scilicet donatio hæc ceu species legati. Hinc relinqui potest non solum in testamento, sed etiam in codicillis nec incipit valere nisi morte donantis fuerit confirmata.

10. Quoad personas quæ possunt donare quæstiones fieri possunt, quæ magis civiles sunt quam canonicæ, unam solum persolvemus quæ est, *an clerici, et religiosi possint donare.* Et primo de *Clericis.* Profecto quæstio non est de rebus *propriis* clericorum, in quibus ipsi aliis civibus æquiparantur, sed de *bonis Ecclesiæ.* In c. 2. h. t. interdicitur prælatis, et rectoribus Ecclesiarum donatio quæ *magna* sit. Ratio est: quia prælatus vel rector est administrator et non dominus bonorum ecclesiasticorum. At justa interveniente causa servatis solemnitatibus juris, possunt prælati magnas etiam donationes facere, immo etiam de rebus immobilibus et mobilibus pretiosis. Hæc vero dispositio descendit ex conceptu donationis quæ exhibet contractum præjudicialem et veram alienationem. Hinc aliter factæ donationes possunt et debent revocari non solum ab ipso prælato donante, sed etiam ab ejus successoribus juxta ea quæ diximus in tit. *De Reb. Ecclesiæ alien. vel non* (III. 13). Causæ sunt ratio remunerationis et ratio pietatis et

misericordiæ. Quod vero legitima interveniente causa, et accedente juris solemnitate possit prælatus donationes etiam magnas perficere patet ex c. 5. h. t. in quo ex causa remunerationis probatur uti valida et licita infundatio, quæ refert speciem donationis. Porro possunt prælati et rectores donationes parvas facere ex mera liberalitate, licet nempe non adsit gravis causa, præsertim ubi adsit consuetudo. Permittuntur vero hæ parvæ donationes etiam, ut avaritiæ suspicio ab Ecclesiæ ministris removeatur.

11. Si *de religiosis* sermo sit distinguendum est inter *prælatos* monasteriorum, et *simplices religiosos.* Prælati, cum censeantur habere ordinariam administrationem bonorum monasteriorum suorum et familiæ religiosæ, æquiparantur Clericis sæcularibus regimen Ecclesiæ alicujus habentibus, scilicet *pastoribus Ecclesiarum.* Hinc quoad superiores ordinum valet regula supra exposita in ordine ad prælatos sæculares.

12. Religiosi vero, si administrant beneficium unitum Monasterio ex. gr. parœciam, ex qua fructus et emolumenta derivant, possunt quidem parvas et ordinarias donationes perficere, præsertim titulo eleemosynæ, non vero magnas. Ita Doctores communiter. Religiosi autem intra septa monasterii viventes, nec aliquo beneficio instructi, nullamque administrationem peculiarem exercentes, *neque parvas* donationes facere possunt *absque superioris licentia saltem tacita* arg. c. 6. *De statu monachor.* (III. 35) et c. 11. C. 12. q. 1. Censentur enim nullum jus habere circa res monasterii citra usum personalem ad propriam sustentationem. Hac in materia de prohibitione donationis religiosorum conferri possunt Const. *Clem. VIII.* »*Religiosæ Congregationes*«, d. 19. Julii 1594, et *Urbani VIII. Nuper a Congregatione,* d. 16. Oct. 1640.

Titulus XXV.

De peculio clericorum.

1. Clericus ex eo quod est Ecclesiæ mancipatus, de bonis ejusdem vivit, quorum bonorum regulariter habet etiam administrationem. At non prohibetur possidere bona quæ propria ejus sunt et constituant ejus peculium, idest privatum patrimonium. Nomine igitur peculii venit: *'Quidquid clericus habet in bonis distinctum a bonis Ecclesiæ'.* Quæ denominatio inducta est per similitudinem ad jus civile, juxta quod admittitur peculium servorum, et filiorum

familias constans ex rebus distinctis a bonis domini vel patris. Ex hoc conceptu sequitur peculium clerici non subjici dispositioni tit. *De rebus Ecclesiæ alien. vel non* (III. 13).

2. *Quadruplex est peculium clericorum.* 1[um]. appellatur *patrimoniale,* et componitur ex illis bonis, quæ clerico obvenerunt ex titulo aliquo civili ex. gr. successione, contractu, vel profana, sed non prohibita industria. — 2[um]. peculium dicitur *quasi patrimoniale,* seu *industriale* quod componitur ex bonis quæ citra reditus beneficii sui, et absque intuitu beneficii sibi clericus comparavit labore speciali vel honesta industria in muneribus ecclesiasticis obeundis, vel in officiis sacri ministerii adimplendis ex. gr. in prædicatione verbi Dei. Hoc patrimonium respondet peculio castrensi vel quasi castrensi Romanorum. — 3[um]. peculium est *parsimoniale,* et resultat ex illis bonis quæ sibi clericus comparavit subtrahens aliquid ex reditibus ecclesiasticis destinatis ad honestam vitæ sustentationem. Parsimoniale dicitur hoc peculium, quia parce vivendo illud sibi clericus comparavit. — 4[um]. est proprie dictum ecclesiasticum, et appellari potest *beneficiale* peculium illudque resultat ex fructibus bonorum Ecclesiæ, quos suos facit clericus munia beneficii sui adimplens, et *excedunt propriam clerici sustentationem.* Unde hoc peculium comparat sibi clericus ex *superfluis* fructibus, vel distributionibus et ex reditibus pariter superfluis, quos ex. gr. parochus vi muneris parochiali beneficio adnexi percipit c. 9. *De test.* (III. 26).

3. Quæstio quæ prima a DD. proponitur est: *utrum clerici cujuslibet peculii habeant dominium seu proprietatem.* Certum est clericos pleno jure possidere bona patrimonialis peculii ceu expresse docet cit. c. 9. *de Test.* Ratio est quia in iis quæ clericus assequitur ex titulo honesto, et proprio æquiparatur cæteris civibus, ac proinde censetur rerum suarum dominus. Idem dicunt DD. tenendum esse de bonis peculii quasi patrimonialis; nam censentur esse bona acquisita ab ipso clerico ratione sui laboris, et industriæ absque intuitu beneficii; sunt scilicet pura merces laborum.

4. Insuper clerici habent plenum dominium etiam de bonis peculii parsimonialis. Nam si jure potuissent ea bona in proprios usus absumere eo ipso censentur hæc bona in dominium transiisse clericorum. Unica difficultas deducitur ex eo quod peculium hujusmodi conficiatur ex fructibus bonorum Ecclesiæ, et beneficii quod clericus possidet. At hac in re sciendum est, peculium quod ex

fructibus beneficii componitur, distingui a doctoribus in peculium *necessarium,* et *superfluum.* Nomine peculii necessarii venit ea pars fructuum beneficii, quæ ad honestam clerici sustentationem requiritur. Jam vero ex doctrina sacrorum canonum hoc peculium necessarium censetur esse proprium clerici ita ut habeatur loco rigorosæ mercedis, et stipendii laboris personalis, quem in Ecclesia exercet. Aperte traditur hæc theoria ab *Innoc. III.* in c. 16. *De præb.* (III. 5). Igitur pars fructuum constituens hoc peculium habenda est veluti separata a bonis Ecclesiæ, et adsignata, et adscripta pro labore tamquam merces, et stipendium. Ex quo sequitur Ecclesiam non posse iterum partem eandem fructuum peculii ecclesiastici necessarii sibi vindicare. Ceterum caveant clerici ne ut parsimoniale peculium augeant, abjectione et sordibus vilescant.

5. Si quæratur *quomodo computanda sit honesta sustentatio clerici,* ut determinetur quodnam sit peculium ecclesiasticum, dicendum est regulam generalem proponi non posse. Præ oculis tamen haberi debet dignitas personæ, ejus gradus seu civilis origo, scientia et aliæ qualitates personales quæ minores vel majores exigentias secumferunt, nec non respicienda est 1°. *temporis locique ratio;* 2°. *moderata hospitalitas* non solum pauperum de qua in Trid. sess. 24. c. 8. *de Ref.*, sed etiam consanguineorum, et extraneorum paupertate non laborantium; 3°. *honesta recreatio;* 4°. *probabile periculum,* si adsit, venturi morbi, sterilitatis etc. In genere attendi debet in hac computatione prudens agendi ratio et usus clericorum proborum, qui in eadem conditione versantur. Ex quibus jam fluit clericos habere plenum dominium peculii quarti generis, seu peculii beneficialis seu ecclesiastici quoad eam partem quæ destinatur eorum honestæ sustentationi, seu peculii ecclesiastici necessarii.

6. *Quid vero dicendum de peculio ecclesiastico superfluo?* Peculium hujusmodi conflatur ex fructibus beneficii, vel intuitu beneficii perceptis: qui clerico supersunt defracta prius congrua portione pro ejus honesta sustentatione. *Veteres* fere omnes Canonistæ, et Theologi docuerunt, horum bonorum *verum dominium non esse penes clericos.* Ex hac sententia descendit clericum, qui impendit bona Ecclesiæ superflua in causas profanas, teneri ex justitia ad restitutionem; impendit enim, et distrahit quod suum non est. Hujus sententiæ patroni sequentibus *argumentis* utebantur. 1°. Inni-

tebantur *pluribus locis juris* in quibus traditur res Ecclesiæ esse patrimonium Christi, et pauperum, et pretia peccatorum. Quare, sublata portione, quæ tenet locum mercedis, seu stipendii pro labore clericorum, reliqua portio remanet *sacra,* nec in profanos usus convertenda est. Ita cc. 59. C. 16. q. 1. et 1. C. 12. q. 2. 2°. Clerici dicuntur *administratores,* et *procuratores,* vel *dispensatores,* non vero domini bonorum Ecclesiæ. Ita cc. 23. et 28. C. 12. q. 1. et c. 2. *De donat.* (III. 24). 3°. Si clericus ex reditibus Ecclesiæ vel oblationibus res proprio vel alieno nomine comparaverit, res hujusmodi censentur non clerici propriæ, sed *Ecclesiæ* c. 4. h. t. Cui dispositioni cohæret dispositio c. ult. h. t. in quo prohibetur absolute ne clericus relinquat testamentario aut successorio jure hæredibus suis vineolas quas plantavit in terra Ecclesiæ, sed conceditur clerico jus percipiendi fructus vineolarum istarum solummodo quousque vixerit. Scilicet ex duobus istis capitibus videtur clericus disponere non posse de bonis quæ supersunt suæ honestæ sustentationi.

7. At *verior* est contraria sententia quæ *communior* est inter Doctores *recentiores.* Ratio est quia in genere fructus beneficii, et proventus ecclesiastici ita adhærere officio sacro censentur ut habeantur ceu stipendia officii ipsius. Beneficium enim datur propter officium: seu *jus percipiendi fructus est relativum officio sacro.* Sane si clericus non satisfaciat oneribus impositis ab Ecclesia ex. gr. nisi residentiæ legem observat, distributionum dominium non recipit, nec eas facit suas ceu ait Pontifex in c. un. *De Cler. non resid.* (III. 3) in 6°. Neque pariter pro rata temporis absentiæ fructus facit suos, quemadmodum decernit Tridentinum in sess. 23. cp. 1. *de Ref.* Ergo a sensu contrario clericus qui officium suum implet, acquirit dominium distributionum et facit suos fructus omnes beneficii. Qui sensus positivus insinuatur etiam in sess. 24. c. 12. *de Ref.* in eodem Tridentino. Nam Concilium supponit, clericum revera fecisse suos fructus præbendæ; ait enim: 'alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ et residentiæ facit suos'. Confirmatur probatio ex Const. *Julii III. 'Cum sicut Nobis'* an. 1550. in qua Pontifex docet pecunias et alias res provenientes ex Ecclesiis vel beneficiis ecclesiasticis, cum pervenerint ad manus clericorum beneficiariorum, non amplius pro ecclesiasticis habere, sed proprias esse ipsorum clericorum.

8. Neque valent argumenta ex adverso allata.

Nam canones in 1°. argumento adducti referuntur ad epocham *anteriorem* divisionis bonorum Ecclesiæ in varias præbendas, in vera beneficia. Hinc quisque clericus poterat recipere solum, quæ necessaria erant sustentationi suæ. Possunt etiam iidem canones in eum sensum accipi, ut abhorreant a conversione bonorum ecclesiasticorum in usus profanos. At non excluditur dominium clerici eo quod coarctetur usus horum bonorum, et excludantur usus profani, ceu videbimus infra.

Canones pro 2°. argumento non respiciunt directe fructus, sed ipsa bona Ecclesiæ quorum clerici sunt administratores, patroni, et dispensatores. — Capita vero in 3°. argumento difficultatem non faciunt: quia in c. 4. h. t. agitur de bonis quæ acquisivit prælatus ex reditibus Ecclesiæ: non autem de bonis quæ acquisivit ex fructibus quos prælatus fecit suos. In c. ult. autem agitur de melioramentis factis in fundo quæ ex lege generali fundo ipsi cedunt. Principium enim juris est 'qui in solo alieno ædificat (in casu nostro plantat) non sibi, sed domino ædificat'. Ad summum vero capita hæc evincunt non posse clericum pro suo arbitrio de bonis superfluis disponere. At aliud est jus proprietatis in re aliqua, aliud est exercitium juris ejusdem, idest libera dispositio rei ipsius. Potest enim aliquis esse proprietarius, et dominus aliquorum bonorum, quin possit de re sua pro arbitrio disponere ceu verificatur in casu pupilli. Hinc solummodo hæc capita objecta probant clericos male distrahentes superfluos fructus ecclesiasticos peccare ob abusum rerum, quas receperunt ab Ecclesia, non vero contra justitiam ita ut teneantur res ipsas restituere.

9. Quæritur utrum dominium quadruplicis peculii clericorum superius explicati ita penes clericum resideat, ut pro sua libertate et pro quacumque causa possit de quolibet peculio disponere. Profecto si sermo sit de *primis tribus* peculii speciebus nemo est qui dubitet; nulla enim lex est quæ clerici potestatem coërceat. At si sermo sit de peculio beneficiali superfluo non idem dicendum est. Nam ex dispositione præsertim Tridentina in sess. 25. c. 1. *de Ref.* patet ex lege saltem ecclesiastica teneri Clericum impendere peculium hujusmodi in usus pios. Et sane Tridentinum episcopis et aliis clericis beneficiatis 'omnino interdicit ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant'. Concordat c. 16.

D. 86. Ex qua dispositione arguunt DD. non posse clericum in usus profanos impendere reditus superfluos ex bonis Ecclesiæ perceptos qui nec suis consanguineis et familiaribus eosdem reditus tribuere potest excepto casu paupertatis eorundem. Sed clarius etiam id traditur in c. 23. C. 12. q. 1. ubi dicitur Episcopum rerum Ecclesiæ potestatem habere ad dispensandum erga omnes qui indigent et juxta præceptum Apostoli ipsum contentum esse debere si habeat victum et tegumentum.

10. Hac insuper in re plurimi facienda est communis Canonistarum et Theologorum sententia, qui tenent clericum impendere debere in pias causas bona superflua, quæ ab Ecclesia assequutus est. Quare habebit utique clericus horum bonorum dominium, sed arctatum in usu. Tradunt vero doctores nomine *causarum piarum* venire quodcumque opus sive religionis sive pietatis et misericordiæ: immo docent extraneis pauperibus posse Clericum propinquos pauperes præponere arg. c. 1. sess. 24. *de Ref.* et arg. c. 16. D. 86. Insuper non diffitentur, in æstimanda paupertate propinquorum præ oculis habendam esse paupertatem relativam, quin immo præ oculis habendam etiam esse ipsam promotionem clerici, quæ exigere potest, ut ejus propinqui aliquantulum honestius vivant, ne humilitas status eorum nonnihil detrahat honori ipsius clerici. Concludendum igitur est clericis competere dominium plenum adeoque etiam liberam disponendi facultatem de bonis peculii sive patrimonialis, sive industrialis sive parsimonialis: de bonis autem peculii beneficialis superflui competere quidem proprietatem, sed eam coarctari quoad facultatem disponendi de iisdem ita scilicet, ut lege ecclesiastica prohibeantur clerici eadem bona convertere in usus profanos: sed debeant causis piis applicare. Unde si clerici bona ista ad causas profanas convertant, non peccant quidem contra justitiam, adeoque non tenentur onere restitutionis, sed peccant contra præceptum Ecclesiæ.

11. Ad tituli tractationem explendam, esset insuper evolvenda quæstio de jure clerici disponendi in causa mortis de peculio ecclesiastico. At hanc quæstionem enodabimus in titulo sequenti. Interim adnotasse juvat quasdam dispositiones juris in hoc titulo expressas. Ex c. ult. h. t. inferunt DD. meliorationes etiam notabiles peractas per beneficiatum in prædiis Ecclesiæ esse proprias ipsius beneficiati ita ut iis utatur et fruatur in vita sua tantum,

eoque vita functo, in Ecclesiæ seu beneficii proprietatem penitus converti.

In c. 3. h. t. traditur principium quod nempe quidquid clericus acquisivit post ordinationem, si est presbyter, et post consecrationem, si est Episcopus, cedit jure successorio Ecclesiæ propriæ, cui fuerat intitulatus vel quam regebat. Præsumitur enim id fuisse acquisitum ex bonis ejusdem Ecclesiæ superfluis.

TITULUS XXVI.

De testamentis et ultimis voluntatibus.

1. In l. 1. ff. *Qui testam. facere possunt. Modestinus* definit testamentum: '*Voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit*'.

Voluntatis nostræ ad exprimendam personalitatem actus, et necessitatem libertatis in ultimis voluntatibus. *Sententia* scilicet ultima. Nam de natura testamenti est ut possit mutari, et revocari. *Justa,* quæ qualitas non tam virtutem justitiæ moralis respicit, quam formam legum. Hinc sententia justa idem exprimit ac voluntas manifestata juxta legum dispositiones. *De eo quod etc.* quia testamentum incipit vim habere post mortem testatoris, etenim ante mortem potest testator voluntatem suam mutare.

2. Quærunt doctores *ex quo jure procedat testamenti condendi facultas.*

Variæ proponuntur sententiæ. Nonnulli enim ex jure *naturali* testandi facultatem deducunt quamvis jus constituendi *formam,* et solemnitates testamenti auctoritati civili tribuant. — Alii autem dicunt ipsum jus condendi testamentum procedere ex *legibus humanis,* ita ut in statu mere naturali facultas non exsisteret testandi. — Alii tandem *juris gentium* esse testamentum docent. Certum est, in facto testamenta et ultima elogia in usu fuisse apud diversas gentes longe ante conditas leges romanas. Hinc a veritate aberraret qui arbitraretur testamenti factionem esse opus juris civilis *Romanorum.*

3. Juridice re spectata *primam sententiam veritati magis consonam esse arbitramur.* Quare dicimus validis rationibus probari posse testamenti factionem *a jure naturali* repetendam esse. Et 1°. quidem testamentaria dispositio *maxime congruit* cum jure naturæ. Nam quicunque acquirit, sibi, suisque acquirere videtur.

Hinc juri naturæ consonum videtur esse ut ex persona actualis domini designetur successor in dominio, et possessione rerum quas labore et industria ipse dominus fecit suas. Idipsum confirmat naturalis affectus, quo trahitur homo ad disponendum de rebus suis in ultimo elogio. — At non solum intentio juris naturalis suadet, sed 2°. *ipsum jus naturale secumfert testandi potestatem.* Et sane supponimus demonstratum esse in philosophia morali *dominium* singularis proprietatis pertinere ad ipsum jus naturæ, ac proinde facultatem disponendi de rebus propriis a lege naturali procedere. Quibus positis, testamentum considerari potest, et est vera alienatio rerum suarum facta per actum ultimum voluntatis. Dominus nempe qui voluntate sua disponit de rebus propriis, alienat easdem ultimo voluntatis actu. Nemo autem negare potest ultimum actum voluntatis esse voluntatem domini ac proinde esse sufficientem ad exercendam dominicam potestatem.

4. At dicent adversarii valorem testamenti incipere a morte testatoris et voluntatem testatoris vires suas exercere *quando amplius voluntas non est.* Voluntas enim est actus personæ quæ morte solvitur.

Verum hæc difficultas evanescit. Nam ex parte alienantis ut valeat alienatio non requiritur continuata voluntas post actum alienationis, sed solummodo requiritur voluntas quæ necessaria est ad complendum actum alienationis. Hinc in alienatione rite facta alienans omne jus amittit relate ad rem alienatam: et quodammodo dici potest mortuus relate ad rem ipsam. Non enim amplius sua est, sed aliena. Quare cum per testamentum alienatio compleatur in morte testatoris, sufficit *ultimus actus voluntatis,* nec requiritur continuatio voluntatis posthumæ. Incipit autem testamentum vires suas exercere post mortem testatoris, quia mors est quæ determinat ultimum actum voluntatis.

5. At objici potest in alienationibus requiri *acceptationem acquirentis,* quæ veluti *uno* contextu conjungatur cum voluntate alienantis ut producatur translatio dominii. Resp. Necessitas acceptationis *unico contextu* faciendæ inducta est a *legibus civilibus.* Jure enim naturali ex parte alienantis sufficit voluntas determinata alienandi. Per hanc enim voluntatem renunciavit juri suo, et rem cessit alteri. Quod si hic alter non acceptaverit alienationem, actus erit incompletus non ex defectu alienantis qui fecit, quæ potuit, sed solum ex parte acquirentis. Ergo acceptatio quæ

fiat post mortem testatoris non attingit dispositionem testamentariam in se, quæ ex parte testatoris fuit completa, et a jure dominii procedens. Concludi ergo potest testamenti factionem ex jure naturæ repetendam esse.

6. At *auctoritas civilis solemnitates testamentorum præfinire potest, quæ pertineant ad valorem actus.* Namque jus humanum ob publicam utilitatem, et ad præcavendas fraudes potest moderari, et regere modos translationis dominii, quamvis ipsum jus dominii naturale sit.

7. Quibus positis quæritur utrum testamentum quod jure civili ob defectum solemnitatum *nullum* est in foro *externo,* etiam sit nullum in foro *interno.* Notandum est 1°. quod de integro testamento dicitur, ob paritatem rationis dicendum est etiam de *alia dispositione ultimæ voluntatis* quæ vel in testamento contineatur vel aliunde constet, ex. gr. de legato. 2°. Notandum est nos loqui de testamentis ad causas *civiles* et *profanas;* nam de testamentis ad causas pias inferius specialiter sermo erit.

8. Profecto si defectus alicujus solemnitatis suspicionem probabilem inducat *de non plene deliberata, et irrevocabili voluntate* testatoris, certe nulla erit obligatio hæredum legitimorum servandi testamentum civiliter nullum; nam incertum est utrum testator defunctus fuerit necne cum illa voluntate quæ in testamento exprimitur. Immo defectus solemnitatis, si procedit ex facto ipsius testatoris, constituit optimam præsumptionem ad concludendum testatorem non perseverasse in eadem voluntate usque ad mortem. Etenim quisque prudens homo præsumitur velle negotium magni momenti peragere juxta normas civiles substantiales quæ negotium illud tutum reddant coram lege. Quare nisi aliunde certa voluntas defuncti probetur, præsumptio semper est contra valorem testamenti.

9. At quid dicendum si *certo constet* de ultima voluntate defuncti? Ex gr. si defunctus voluit conficere et revera confecit testamentum, sed notarius, vel alius qui scripsit testamentum, inscio testatore, causam posuit nullitatis; aut si homo moriturus hæredis sui legitimi fidei commisit aliquid perficiendum post mortem suam? In defectu obligationis civilis subingrediturne obligatio legis naturalis? Aliis verbis quæritur *utrum plene, et certissime cognita voluntas defuncti servanda sit quamvis juris civilis, et auctoritatis publicæ protectione non fulciatur?*

Aliqui 1°. tuentur, *voluntatem testatoris cognitam servandam esse, licet leges civiles ob defectum solemnitatum eidem non assistant.* Nam ajunt easdem leges non declarasse nullum testamentum absque solemnitatibus, sed solummodo eidem denegasse actionem civilem ad observantiam exigendam. Pariter ideo solemnitates inductæ fuerunt a jure civili, quia poterant præsumi fraudes l. 32. C. *De fideicommissis.* Atqui ubi est veritas, præsumptionis ratio cessat. Ergo si de voluntate testatoris certo constet, parum, aut nihil attendendum est ad solemnitates.

2ª. Sententia docet solemnitates considerari ceu *formam substantialem actus,* ita ut una ex illis solemnitatibus deficiente, testamentum omni prorsus valore careat tum in externo tum in interno foro; ac proinde voluntas testatoris consideratur ceu insufficiens et inefficax.

10. *Prior* sententia videtur *magis consona veritati.* Nam si jus testandi ex lege naturali procedit, leges civiles poterunt utique illud moderari quoad valorem juridicum in foro propio idest in externo, non autem præsumitur infirmare velle virtutem dispositionis naturalis, et destruere obligationem conscientiæ. Ex. gr. jus civile inter varias conventiones solummodo quasdam species probavit, quas contractus appellavit, eisque dedit actionem: at non inde sequitur in conscientia non obligare conventiones illas quæ a jure non probantur et privantur actione legis civilis. Idem de testamentis dici potest. Hinc in l. 10. C. *de test.* traditur hæredem teneri ad implenda legata, quæ jam solvit ex minus solemni voluntate testatoris. Idem statuitur in l. 2. C. *de fideicommissis.* Ratio est quia jus agnoscit obligationem naturalem cui qui satisfecit, non potest retractare quod fecit.

11. Ex quibus omnibus sequens canon statuitur: cum testamenti forma a jure civili determinetur, etiam in foro interno nullum esse præsumitur testamentum, quod nullum est in foro civili. Hinc quoniam obligatio naturalis non præsumitur, sed probanda est, hæres legitimus non tenetur observare voluntatem minus solemnem testatoris nisi de ea certe prorsus constet, et licite petere et assequi potest ex judicis sententia rescissionem tabularum testamenti contra hæredem testamentarium, quoties de voluntate testatoris dubium rationabile exsistat.

12. Quod si vero hæres legitimus *scienter acceptaverit* voluntatem minus solemnem testatoris ex. gr. solvendo legata, vel resti-

tuendo fideicommissum, non potest soluta, et restituta repetere. *Reg.* 21. *juris* in 6°: 'Quod semel placuit, amplius displicere non potest'. Et in specie nostra rei testamentariæ claram habemus dispositionem in cit. l. 10. C. *De test.* ubi hæc habentur: 'Etsi voluntas defuncti circa legata, et fideicommissa subnixa non sit, tamen si hæres sua sponte agnoverit, implendi eam necessitatem habet.' Similis dispositio reperitur in l. 1. C. *De fideicommissis.*

13. Præterea animadvertimus, quæstionem de origine facultatis testandi a jure naturali vel a jure civili vere definitam dici non posse: nam pro utraque opinione militant doctores magnæ notæ, et rationes quæ adducuntur ad defendendam originem prædicatæ facultatis a lege humana tantum, non sunt undequaque despiciendæ. Hinc juxta regulas practicas scientiæ moralis non renuimus admittere principium reflexum traditum a clariss. Prof. *De Angelis* h. t. n. 2. juxta finem: idest potest hæres institutus in testamento etiam minus solemni petere hæreditatem, eamque retinere usquedum non repellatur per sententiam judicis: hæres autem ab intestato idest legitimus potest contra tabulas testamenti petere hæreditatem, et eam assequi per sententiam judicis. Unde eo quod quæstio juris resoluta dici non potest, in praxi *prævalet sententia judicis.*

14. *De forma testamenti a jure canonico constituta.* Legislatio canonica specialem formam in testamentis condendis induxit, et reperitur tradita ab *Alexandro III.* in c. 10. h. t. In Diœcesi Ostiensi consuetudo invaluerat ut testamenta prorsus rescinderentur, nisi facta fuissent cum subscriptione septem, vel quinque testium secundum quod leges Romanæ disponunt. Relata re ad *Alex. III.* Pontifex reprobavit consuetudinem tamquam contrariam divinæ legi, sanctorum patrum institutis, et praxi ecclesiasticæ. Simulque decrevit valere prorsus testamentum quod parochiani fecerint coram presbytero suo, et tribus, vel duobus aliis personis idoneis.

15. Ex hoc capite inferunt DD. novam formam testamenti a jure canonico inductam esse, quæ ex primis verbis cit. c. 10. dicitur juxta c. »*Cum esses*«. Profecto ex specie proposita Alexandro satis apparet caput hujusmodi dispositionem exhibere circa testamenta etiam ad causas *profanas* seu *civiles;* præsertim cum de testamentis ad *pias* causas idem Alex. agat in c. 11. eod. tit. Quo posito irrationalis videtur dispositio Pontificis, qui solemnitates, a jure civili inductas ad fraudes præcavendas reprobat et suam formam vult observari sub interminatione anathematis.

16. Certe non ii sumus qui cum *Fagnano* dicamus, Pontificem abrogasse absolute solemnitates juris civilis, easque declarasse contrarias legi divinæ, doctrinæ Patrum et ecclesiasticæ consuetudini: sed explicatio capitis hæc est: Alexander legem tulit pro diœcesi *Ostiensi*, quæ erat in ditione temporali Romani Pontificis: quare uti legislator civilis noluit recipere seu noluit observari solemnitates civiles: sed voluit potius ut præferretur principium expressum in sacris scripturis, et a Patribus et ab Ecclesia adoptatum, quod nempe 'in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum'. Hinc formam testamenti expressam invenit. Ideo autem consuetudinem illam diœcesis Ostiensis reprobavit Alexander, quia per eam cultus superstitiosus quodammodo præstabatur legibus romanis, quæ magno studio in scholis addiscebantur, et ita in praxi servabantur ut quidquid in illis contineretur, uti rationale et bonum retineretur, quidquid vero esset ab illis alienum, respueretur tamquam irrationale. Quæ falsa opinio, uti apparet, adversabatur principio doctrinæ evangelicæ 'In ore etc.' Hinc nil mirum si Alexander etiam pœnam excommunicationis inflixerit contra eos, qui suæ dispositioni resisterent.

17. At hæc explicatio capitis admitti non posse videtur si caput consideretur prout est relatum *in corpore juris*, seu inter leges quæ *universam* Ecclesiam respiciunt. Certe si *Greg. IX.* jussisset dispositionem c. 10. observandam prorsus esse in alienis etiam ditionibus, et regnis christianorum, et quidem quocumque in tempore et quibuscumque circumstantiis, facile non posset excusari ab imputatione eidem objecta quod nempe occupavisset alienam provinciam. At ipsa insertio capitis in corpore juris hoc tantum secumfert 1°. ut omnes prorsus fideles tangat in ea parte in qua Romanus Pontifex uti magister reprobat *superstitiosam prælationem juris romani principiis sacræ scripturæ;* 2°. ut quoad dispositionem ipsam, caput per se eousque sese extendat, quousque Romanus Pontifex in materia *civili* leges ferre potest. Quare directe, et immediate dispositio c. 10., etiam prout jacet in corpore juris, vim legis habuit in *sola ditione temporali* S. Sedis. Ita hoc c. 10. explicatur a pluribus optimæ notæ doctoribus: ita etiam a *Bened. XIV.* in *Inst.* 105.

18. Dixi *directe, et immediate* dispositionem c. 10. h. t. juridicum vigorem obtinere in ditione temporali S. Sedis. Nam eo ipso quod caput insertum est in corpore juris, oblique potuit vim legis

obtinere etiam in aliis regnis christianis, non quia Greg. IX. partes legislatoris civilis agere voluerit et novam legem civilem imponere, sed quia in illis regionibus recipiebatur jus canonicum plene, et observabatur vi juris publici mediæ ætatis. Igitur Greg. IX. proprie et directe jus canonicum condidit fundatum in regula evangelica. At in statibus Europæ generatim temporibus Greg. IX. ex legibus organicis regnorum Ecclesiæ decreta, et jura suam partem, et locum sibi vindicabant in negotio publicæ administrationis et regiminis societatis, quia quidquid ab Ecclesia, et præsertim a Romano Pontifice decernebatur, recipiebatur ceu sapientissimum, et maxime conducens etiam ad bonum civile obtinendum. Ecclesia directe, et proprie per suas leges moderabatur conscientiam religiosam fidelium, auctoritas autem civilis gloriabatur tutelam agere Ecclesiæ, concordiam cum ipsa servare, simulque cupiebat publicam populi actionem conformari cum religiosa civium conscientia quæ Ecclesiæ gubernio suberat et regebatur. Hinc plura videmus ab Ecclesia constituta fuisse in republica Christiana ad fidelium mores religione, et justitia informandos quæ bonum publicum etiam civile respiciebant. Hujus generis sunt quæ *de treuga et pace, de nundinis* servanda constituit Ecclesia. Hinc dici potest, habita ratione ad temporum conditionem, *Gregorium IX.* normam proposuisse in testamentis conficiendis quæ etiam generaliter servari posset, et de facto in aliis ditionibus temporalibus servaretur, non quia civile jus erat impositum regnis sæcularibus a Romano Pontifice, sed quia erat jus canonicum servandum ceu maxime conveniens cum principiis S. Scripturæ, et institutis SS. Patrum ac proinde ceu consonum maxime veritati et justitiæ. Hoc ergo fecit Pontifex quin suæ potestatis limites excesserit.

19. Porro nostris temporibus dispositio capitis *,Cum esses'* tota restringebatur ad ditionem temporalem S. Sedis, pro qua specialis est dispositio in codice civili ejusdem ditionis edito a *Gregorio XVI.* ann. 1834. in §. 36. In hoc paragrapho decernitur valere testamenta juxta c. *'Cum esses'* quæ fiant vel in xenodochiis vel in locis quæ ultra tria milliaria distant a residentia publici alicujus notarii. Decernitur insuper in hisce testamentis servandas esse normas statutas a *Bened. XIV.* in cit. *Inst.* 105. Præcipua vero dispositio hujus Pontificis est ut intra 8 dies post obsignatum testamentum parochus, aut sacerdos una cum testibus publicum notarium conveniant, eique vel tradant, si scripta fuerit,

vel nisi fuerit scripta, verbotenus exponant dispositionem testatoris, quam notarius in acta referat. Quæ solemnitas dicitur *insinuatio testamenti in acta publica.*

In eadem *Inst.* plures proponuntur, et dissolvuntur quæstiones hac in re maxime utiles, tum quoad personam presbyteri sui, qui dicitur esse vel parochus, vel confessarius ordinarius ægroti, vel, hisce absentibus, etiam potest esse capellanus, aut confessarius extraordinarius, adhibito tamen tertio teste: tum quoad testes qui debent esse idonei juxta regulas juris civilis. Ideoque excluduntur mulieres, ipse hæres etc. Conferri potest hæc *Inst. 105.*

20. Ut materiam de solemnitatibus compleamus, agendum est *de testamento ad causas pias.* Nomine *causæ piæ* veniunt non solum Ecclesiæ, sed etiam monasteria, hospitalia, confraternitates et pauperum sustentatio. Quæ enim pro hisce causis relinquit testator, pro salute spirituali animæ suæ relinquit.

21. De hoc testamento pertractat c. »*Relatum*« 11. h. t. in quo sermo est de relictis Ecclesiæ. In diœcesi Veliterna consuetudo invaluerat, ut cum agitaretur causa de relictis Ecclesiæ, judices testamenta non reciperent nisi septem, aut quinque idonei testes intervenissent. *Alexander III.* mandavit causam de relictis piis decidendam non esse juxta leges civiles, sed juxta decretorum statuta, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis. Ex hoc capite inferunt Doctores, testamentum ad causas pias esse *privilegiatum,* ita ut non requirat solemnitates juris civilis, sed solummodo tres, aut duos testes. Immo cum ex dispositione capitis non attendatur in hoc testamento solemnitas juris civilis, et cum tres, aut duo testes constituant proprie probationem naturalem facti; hinc doctores inferunt tres, aut duos testes in hoc testamento *non* esse *de substantia,* sed solummodo necessarios esse ad probationem, quando dispositio ultimæ voluntatis probanda sit per testes.

Quare tum a DD., tum in praxi recepta est regula: nempe servandam esse dispositionem testatoris ad causas pias quoties 1°. testator habeat *facultatem testandi,* idest plenam potestatem disponendi de rebus suis; 2°. habeat *expeditum usum rationis;* 3°. de voluntate testatoris ultima *certitudine naturali* constiterit sive per testes, sive per scriptum, sive alio modo. Dixi de *voluntate ultima,* nam a) non teneretur hæres legitimus ad aliquid præstandum ad causas pias, si constaret solummodo de defuncti proposito, seu de consilio vel desiderio condendi testamentum, aut

relinquendi aliquid causæ piæ; sed constare debet de voluntate *absoluta et positiva.* b) Non exsisteret obligatio hæredis legitimi nisi constaret defunctum non mutasse voluntatem suam, sed cum ea voluntate ex hac vita migrasse.

22. Porro privilegium hujusmodi valere debet non solum in foro *interno,* sed etiam in *externo,* et quidem non solum in foro Ecclesiæ, sed etiam in *civili.* Nam agitur de bonis relictis Ecclesiæ in remedium conscientiæ vel saltem intuitu salutis æternæ, quæ proinde bona ad Ecclesiam pertinent, et reguntur jure canonico et non legibus civilibus arg. cc. 7. et 10. *De Const.* (I. 2). Quare Ecclesia jure suo usa est cum declaravit se acceptare voluntatem piam testatoris *naturaliter cognitam.* Et merito id declaravit: agitur enim de spirituali dispositione.

23. Hoc privilegium principaliter respicit *testamentum* ad causas pias, in quo hæres est causa pia; nam hæredis institutio dat formam essentialem testamento. Respicit vero hoc privilegium etiam quæcumque *legata* ad causas pias in aliis testamentis relicta: nam in c. 11. *in genere* sermo est de relictis Ecclesiæ. Et in genere privilegium hujusmodi sese refert ad omnes dispositiones ultimæ voluntatis ad causas pias. Ex hac doctrina duplex consectarium deducitur. 1°. Cum testamentum ad causas pias etiam solemnitatibus mere civilibus destitutum sustineatur, sustinentur etiam legata quæ in eo sive ad pias, sive ad causas *profanas* relinquuntur. Accessorium enim sequitur principale. 2°. Rescisso testamento ad causas civiles et profanas ob defectum solemnitatum mere civilium, valent adhuc *legata ad causas pias,* si de ipsis naturaliter constet.

24. Quæritur *quid sentiendum de testamentis ad causas pias hodierno jure?*

In Codice *Greg. XVI.* (1834) §. 37. agnoscitur, et servandum dicitur testamentum ad causas pias juxta tenorem Cap. *Relatum.* Sic in aliis etiam regnis catholicis servabatur in foro civili hujusmodi testamentum. Verumtamen sublato jure communi, et inducto peculiari codice pro unoquoque regno, factum est, ut in novis legislationibus fere ubique non recognosceretur forma testamenti juxta cit. cap. Attamen factum hujusmodi civilis auctoritatis legitimum dici non potest. Nam testamentum, de quo est sermo, fuerat statutum in jure communi Ecclesiæ, quæ in ejus forma, et valore decernendo jure suo usa fuerat. Etenim per id nihil aliud fecit

Ecclesia quam acceptare fidelium voluntatem naturaliter probatam in materia spirituali, idest in dispositione ultimæ voluntatis facta pro salute, et remedio animæ; bona autem, quæ sub tali dispositione comprehenduntur pertinent ad Ecclesiam ac proinde circa hæc bona juxta sensum c. 10. *De Constit.* (I. 2) merito in c. 11. h. t. disposuit Ecclesia. Quapropter abrogatio c. 11. h. t. fieri debebat non a sola civili auctoritate, sed simul etiam ab auctoritate Ecclesiæ ut juridica evaderet. Atqui Ecclesia non probavit factum civilium legislationum circa eam abrogationem. Ergo adhuc viget dispositio cit. capitis.

25. Nec dici potest silentium Ecclesiæ in casu habendum esse loco tacitæ renunciationis: nam ut valeat principium ,Qui tacet consentire videtur' requiritur 1°. ut qui tacet *cognoscat* id, quod contra se agitur; 2°. ut in ea conditione sit, in qua *teneatur* loqui; 3°. ut possit *efficaciter* loqui. Atqui hæc tertia conditio procul dubio non verificatur in nostro casu. Ergo silentium Ecclesiæ non legitimat factum civilis auctoritatis; hinc stricto jure testamentum juxta c. *Relatum* inter fideles adhuc vigere dicendum est, quamvis in praxi mediis judicialibus non possit in foro civili amplius urgeri ejusdem observantia.

26. Ecclesia autem in facto *adhuc perseverat* in vindicando sibi jure circa dispositiones ultimæ voluntatis ad causas pias, licet destitutæ sint solemnitatibus legum civilium. Et quidem S. Pœnitentiaria in casibus *occultis,* S. C. vero Concilii in casibus *publicis* de hac materia pertractant ut imminuant, vel moderentur terminos et extensionem obligationum a testatoribus impositas in ordine ad causas pias.

27. Alia sunt testamenta privilegiata quemadmodum testamenta *inter liberos,* testamenta *rusticorum, militum,* et testamenta *tempore pestis* confecta, de quibus dispositio est tota civilis, ac proinde de hisce non loquimur.

28. Quæritur *quinam jure nostro testamentum condere possint.*

Eadem dispositio valet quæ in jure civili datur ll. 1. C. *De Sacr. Eccl.* et 43. ff. *De vulg. et pupill. substit.* ut nempe quilibet testari possit, qui bona sua possidet nec a legibus prohibetur. Prohibentur vero in *criminis* pœnam 1°. *Usurarii manifesti* c. 2. *De usuris* (V. 5) in 6°. Prohibitio autem eos urget quoadusque non satisfecerint, vel non caverint sufficienter de satisfactione ipsorum. 2°. Ex c. 13. §. »Credentes« *De hæreticis* (V. 7) prohi-

bentur testamentum condere *hæretici non tolerati*, et eorum *fautores, defensores*, et *receptores*. 3°. *Persecutores, aut percussores S. R. E. Cardinalium* vel qui cooperantur in eorum captura, vel percussione c. 5. *De pœnis* (V. 9) in 6°.

29. Hæ vero prohibitiones ex jure canonico hodie ob relationes immutatas inter Ecclesiam et statum eo reducuntur ut nempe Ecclesia ab hisce publicis peccatoribus, nisi pœnitentiam egerint, vel dederint signa indubia resipiscentiæ, *donationes, et pia relicta non acceptet*, præsertim ab usurariis manifestis, ne videatur frui bonis pauperum, et communicare cum alienis peccatis. Ceterum quoad præfatas personas validitas vel invaliditas testamenti ipsius in praxi hodierna juri civili in regnis etiam catholicis determinanda relinquitur.

De Testamentis Clericorum Sæcularium.

30. *Clerici sæculares* possunt utique testamentum facere, vel donationes mortis causa de triplici peculio patrimoniali, industriali, et parsimoniali, c. 12. h. t. Verum eadem regula peculio beneficiali *superfluo* jure communi inspecto aptari nequit. Cc. 5. *De peculio clericor.* (III. 25) et 1., 9. et 12. h. t.

Ex quibus locis infertur clericum prohiberi absolute quominus de bonis ad hujusmodi peculium pertinentibus in ultimo voluntatis elogio disponat. Sane in cit. c. 9. expresse decernitur: 'De his quæ consideratione Ecclesiæ (clerici) perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum'. Unde rigore juris clerici *neque ad causas pias* testari possunt de peculio ecclesiastico superfluo.

31. Bona hujus peculii relicta a clerico defuncto juxta decretales constituunt *spolium clerici*, et ex dispositione Conc. *Lateranensis III.* in c. 7. h. t. pertinebant ad Ecclesiam, cujus clericus defunctus rector fuerat, vel in qua beneficium possidebat. Verba capitis hæc sunt: 'Quidam clerici cum ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona per eas acquisita in alios transferre præsumunt. Hoc igitur quia antiquis canonibus constat inhibitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes ecclesias eadem bona præcipimus remanere'. Quapropter si forte clericus duabus Ecclesiis fuisset addictus spolium inter utramque *pro rata* dividendum erat; c. 12. h. t. circa finem.

32. Verum, teste *Thomassinio Vet. et Nov. Ecclesiæ disc.* P. III. l. 3. c. 57. tit. *De spoliis clericor.* Romani Pontifices angustiis œconomicis coacti post finem sæc. XIV. spolia clericorum *Cameræ Apostolicæ* reservare cœperunt. Enatis autem dubiis circa hanc reservationem *Paulus III.* in Const. *Romani Pontificis,* d. 3. Januar. 1542 decrevit, bona clericorum, *qui* testari non possunt, aut testantur plus quam debent, uno verbo spolium clericorum spectare ad Cameram Apostolicam monuitque præsidentes, ut ea bona colligerent. Præterea ad spolium Clericorum pertinent etiam bona *quæ* clerici testari non possunt, et eadem reservata fuere Cameræ Apostolicæ in Const. *Pii IV. Decens esse,* d. 5. Nov. 1560. quæ renovata et confirmata fuit a *Benedicto XIV.* in Const. *Apostolicæ Servitutis,* d. 25. Martii 1741.

33. Pariter sub appellatione spolii a *Sixto V.* in Const. *In Conferendis,* d. 23. Jan. 1590 reservantur Cameræ Apostolicæ bona *regularium morientium extra claustra,* vel apostatarum ab ordine, necnon fructus beneficiorum affectorum, seu reservatorum S. Sedi a die vacationis usque ad diem provisionis. Et quidem quoad bona regularium jam præiverat Constit. *Gregorii XIII. Officii Nostri,* d. 21. Jan. 1577, in qua Summus Pontifex decernit spolia claustralium extra claustra vagantium sine licentia suorum superiorum ad Cameram Apostolicam spectare.

34. Porro hæc omnia bona quæ constituunt spolium clericorum a *Pio VII.* s. m. avulsa fuerunt a Camera Apostolica, et attributa *S. C. de Propaganda fide;* ut in Sanctarum Missionum subsidium erogarentur. Unde in præfata Congregatione exstat specialis administratio quæ *camera spoliorum* dicitur, quæ in diœcesibus in quibus viget lex spolii constituere solet viros ecclesiasticos qui curam habent colligendi bona ad spolium clericorum pertinentia, et administrandi bona beneficiorum vacantium, et appellantur *collectores* vel *subcollectores spoliorum.*

Ex quibus omnibus sequitur ex jure communi clericos non posse per actum ultimæ voluntatis disponere de bonis quæ sub appellatione spolii in sensu explicato comprehenduntur, sed bona hæc in hodierna disciplina spectare ad Cameram spoliorum.

35. Verum pro variis regnis editæ sunt *peculiares* Constitutiones a Romanis Pontificibus, quæ moderamen induxerunt in materia spolii, quæque in summaria forma referuntur ab *Aloysio Guerra* in opere *Pontificiarum Constitutionum Epitom.* l. 1. tit.

De spoliis. Insuper Romani Pontifices in præsenti materia novum jus constituerunt in *publicis conventionibus* cum principibus et guberniis civilibus, præsertim quoad administrationem et fructus beneficiorum vacantium.

36. Præterea ex *Pauli V.* Const. *In eminenti,* d. 8. Aprilis 1606 clerici sæculares, commorantes, et decedentes Romæ vel in ejus districtu intra 10 milliaria, exempti sunt a lege spolii quoad bona exsistentia intra prædictum spatium, non exceptis bonis acquisitis ex injusta negotiatione.

37. Insuper lex spolii non obligat *Conclavistas* ex *Greg. XV.* Const. *Romanus Pontifex* d. 15. Martii 1626. Pariter *S. Pius V* in Const. *Romani Pontificis* n. 42. decernit exigi non posse spolium a clericis, quorum beneficia vel pensiones non excedant valorem annuum 30 ducatorum aureorum de Camera, dummodo ab illicita negotiatione abstineant.

38. Tandem ab eadem lege exempti sunt illi, qui *sese componunt* cum Camera spoliorum, idest annuam moderatam pecuniæ summam eidem solvunt, et obtinent facultatem de bonis etiam superfluis disponendi.

39. Inter hos accensendi sunt præprimis *S. R. E. Cardinales,* qui in eorum promotione obtinent a Summo Pontifice facultatem testandi per literas in forma Brevis quæ incipiunt *De Benignitate Sedis Apostolicæ,* solvere tamen debent S. C. de Propaganda fide scutata 50, et ab ea recipiunt annulum aureum discreti valoris.

40. Fatendum tamen est nostris temporibus vel expresse conventiones inter Sed. Ap. et gubernia *(concordata)* providere vel consuetudinem fundatam in mutatis temporum conditionibus et hodiernis civilibus legationibus, fuisse inductam, ut clerici sæculares de bonis propriis nulla habita ratione ad eorundem bonorum *originem,* per actum ultimæ voluntatis libere disponant, nec hæredes sive testati, sive ab intestato succedentes molestias ullas ab administratoribus Cameræ spoliorum paterentur. Porro juxta ea quæ tradit *Fagnanus* in *Comm.* c. 5. *De pecul. Cler.* (III. 25) n. 1. circa finem *consuetudo* in præsenti materia magnum pondus habet; nec corruptela dici potest; secus enim contra eam Romani Pontifices conclamarent et Constitutionum promulgatarum observantiam urgerent. — Verum licet hæc consuetudo silentio Cameræ spoliorum et S. Sedis munita eximat Clericos, a dicta *lege spolii* tamen, ut mihi videtur, antiqua lex confirmata a Concilio *Triden-*

tino Sess. 25. c. 1. *De Ref.* quæ vetat, bona ecclesiastica superflua clericorum ad causas profanas converti, abrogata non est. Cavere igitur etiam hodie ex lege caritatis, et ex præcepto Ecclesiæ clerici debent, ne causas pias de iis bonis defraudent et plus æquo consanguineos, vel familiares ditent. — Quare in nonnullis regionibus clerici beneficium possidentes non solum potestatem, sed etiam *obligationem* habent condendi testamentum, quemadmodum statuta quoque diœcesana hoc sanxerunt, et merito, nam alias heredes ab intestato bonis ad pias causas pertinentibus ditarentur.

41. Hæc dicta sint de clericorum facultate testandi circa bona pertinentia ad spolium ecclesiasticum proprie sumptum: sed præterea, ut notat *Lucidi: De Visit. Sacr. Lim. edit. 3.* vol. 1. pag. 78., datur *spolium improprie dictum,* quod resultat ex sacris utensilibus, quæ a *S. Pio V.* in Const. *Romani Pontificis providentia* diserte excluduntur a spolio, quod cameræ Apostolicæ debebatur.

42. Relate ad hæc sacra utensilia *Urbanus VIII.* in Const. *Aequum est,* d. 19. Julii 1642 decrevit *Cardinales* de iisdem testari non posse, sed post eorum obitum tradenda esse Capellæ Pontificiæ Sacrario. Hodie autem Cardinalibus in actu promotionis Summus Pontifex per literas in forma Brevis concedit facultatem de sacris utensilibus disponendi in tabulis testamentariis favore alicujus Ecclesiæ seu Capellæ vel loci pii. Hinc si quis ex Cardinalibus hac facultate non utatur, sacra ejus utensilia cedunt *sacello Pontificis.*

43. Insuper sciendum est *S. Pium V.* Constitutionem edidisse 5. Kal. Sept. an. 1567, quæ incipit *Romani Pontificis providentia,* in qua, uti notavimus, sacra utensilia clericorum a spolio Cameræ Apostolicæ debito exclusit. In paragrapho autem primo S. Pontifex decernit hæc sacra utensilia deputata ad cultum divinum etiam in privato sacello relicta tempore obitus a Prælatis, et a clericis quibuscumque qui Ecclesiam gubernarunt, vel beneficium obtinuerunt, sive sæculare, sive regulare pertinere ad Ecclesiam cui præfuit prælatus, vel in qua clericus habuit beneficium, licet ante obitum renunciaverit regimini Ecclesiæ, vel beneficio. Unde S. Pontifex absolute prohibet quominus prælati, et clerici inferiores beneficiati de hisce utensilibus in testamento disponant et si disposuerint nullam et irritam dispositionem esse decernit.

Quapropter nisi specialem facultatem a Summo Pontifice obtinuerint prælati, et clerici beneficiati, cum derogatione Pianæ Constitutionis, neque ad causas pias, neque favore aliarum Eccle-

siarum possunt per actum ultimæ voluntatis disponere de sacris utensilibus, sed ea ipso jure applicata sunt, et incorporata censentur propriæ defuncti Ecclesiæ.

44. Quoniam vero plures exortæ sunt quæstiones circa interpretationem Constitutionis *Urbani VIII.* quoad Cardinales, et *S. Pii V.* quoad prælatos et reliquos clericos beneficiatos, quæ agitatæ fuerunt in tribunali S. Rotæ et in S. C. Concilii, hinc ad eas tollendas a *Gregorio XVI.* S. C. EE. et RR. commissum fuit varia puncta disputabilia expendere, et dubia resolvere. Gregorio autem defuncto, *Pius IX.* resolutionem S. Congregationis probavit, et regulam servandam publicavit in Literis Apostolicis in forma Brevis *Quum illud plurimi,* d. 11. Septembris 1846 relatis a Cardin. *Bizzarri* in sua *Collectanea* pag. 127.

Porro utile arbitramur documentum hujusmodi ad literam referre quod est tenoris sequentis.

Pius PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

45.*) 1°. 'Quum illud plurimi referat ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus, quæ animos torqueat, ac controversias excitet, idcirco si quam exsistere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus. Jamvero præter indultum testandi de propriis bonis, quod venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sancta hæc Sedes tribuere solet per Apostolicas Literas in forma Brevis incipientes *De Benignitate Sedis Apostolicæ,* iisdem per alias similes literas in forma Brevis, quarum initium *Cum fel. rec. Urbanus VIII.,* facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicujus Ecclesiæ, vel capellæ, vel loci pii, non obstante constitutione Urbani VIII. *Aequum est,* edita d. 24. Julii anno 1642, qua sacra Cardinalium utensilia pontificio sacrario attribuuntur. Verum quum in memorato postremo Brevi, etiam quando agitur de Cardinalibus Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus, ex quodam invecto usu addi consueverit clausula '*Salvaque in præmissis quoad Ecclesias cathedrales, metropolitanas, aut patriarchales, quibus præfueris, seu quas alias ex concessione, vel dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, dispositione constitutionis fel.*

*) Quidquid sub num. 45. continetur, ad partem bullæ *narrativam* pertinet.

rec. Pii PP. V. anno 1567 tertio Kal. Septemb. anno secundo' sæpe sæpius dubia exorta sunt circa interpretationem, et vim hujusmodi reservationis, eo vel magis quod in superius memorato Brevi, *De Benignitate Sed. Apostol.* præfatæ *S. Pii V.* constitutioni in ea parte, quæ sacra utensilia respicit, aperte derogatur. Si namque Romani Pontifices Cardinalibus quoque Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum, et illusorium foret, quatenus adjecta clausula, eam vim haberet, quam verba præseferunt. His quoque accedebat, quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, Cardinales utpote, qui in memorata S. Pii V. constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur.

2°. 'Quæ cum ita essent, ven. frater noster Petrus Card. *Ostini* nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem Ecclesiam *Aesinam* regebat, enixe postulavit a fel. rec. *Gregorio XVI.* prædecessore nostro, ut rem certo definiret, atque expresse declararet, an Cardinales Episcopi, seu Abbates *Nullius* in Apostolicis memoratis literis S. Pii V. prædecessoris nostri comprehendantur, ac statueret, quænam sacra ornamenta, et supellectiles, et utensilia S. R. E. Cardinalium ad sacrarium pontificium ex memorata constitutione *Urbani VIII.*, et quænam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum *Nullius* sive Cardinalitia dignitate fulgeant, sive illa careant, ad Ecclesias cathedrales ex superius citata S. Pii V. constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrarum supellectilium, et utensilium, quando Episcopus sive successive, sive simultanee plures Ecclesias gubernaverit

46. 3°. 'Nos igitur qui in memorati decessoris nostri bonæ mem. *Gregorii XVI.* locum, licet immerentes, suffecti sumus, ad præcidendas omnes hac super re dubitationis, ac controversiæ causas, de consilio VV. FF. nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, et consultationibus Episcoporum, et regularium præpositorum, hæc, quæ sequuntur, auctoritate nostra Apostolica decernimus et mandamus.

'I. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in Const. *S. Pii V.* incipiente *Romani Pontificis*, exceptis tamen Cardinalibus Episcopis suburbicariis, nec non exceptis pariter Cardinalibus Abbatibus *Nullius*, qui in Romana Curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta citata constitutione *Aequum est Urbani VIII.* prædecessoris nostri, ad Pontificium sacrarium spectabunt.

'II. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis const. *S. Pii V.*, cujus initium *Romani Pontificis providentia*, in literis in forma Brevis incipientibus *De benignitate Sedis Apostolicæ* apponi solitis, in altero Brevi, quod incipit *Cum. fel. rec. Urbanus VIII.* auferatur clausula, qua salva edicitur eadem Piana Constitutio, ejusque loco substituantur ea, quæ sequuntur *'Quod si ecclesiis abbatialibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus præfueris, seu quas alias ex concessione et dispensatione Apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, prout jam Benedictus XIV. Prædecessor noster in sua constitutione incipiente ‚Inter arduas' Cardinales hortabatur, ut in prædictis rebus disponendis eas Ecclesias præ oculis habeas, cæterisque præferas.'* Quæ vero hoc in articulo præscripsimus, ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante præsentium literarum publicationem enunciatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent.

47. 'III. Sacra utensilia, quæ vigore constitutionis *S. Pii V.* incipientis *Romani Pontificis* ecclesiis cathedralibus debentur, hæc esse edicimus: Mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi, et musicæ, libros pontificales, alterum, cui titulus canon missæ; item calices, patenas, pixides, ostensoria, thuribula, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua: dummodo non per accidens, sed permanenter divino culti, sacrisque functionibus fuerint destinata: exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cujusvis generis, quæ legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiæ fuisse donata.

48. 'Volumus propterea teneri, ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant, quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quæ ex Ecclesiæ reditibus, ac proventibus sibi compararunt ne alias præsumi debeat, ea omnia reditibus Ecclesiæ comparata fuisse.

49. 'Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad sacrarium sacelli Summi Pontificis, spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturæ redituum, quibus comparata fuerint, et præter ea, quæ in constit. *Urbani VIII.* incipiente *Aequum est*, in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus, sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pixides, ostensoria, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, vasa sacrorum oleorum, et urceolos cum pelvibus ac tintinnabulo; tandem baculum pastoralem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum et his similia, exceptis annulis, et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis.

50. 'IV. Quando Episcopus duas vel plures Ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter Ecclesias Cathedrales, habita ratione fructuum ac temporis juxta Const. *S. Pii V.* incipientem *Romani Pontificis.*

'V. Ubi vero aliquis Episcopus simul præfuerit duabus vel pluribus ecclesiis unitis, vel in perpetuam administrationem concessis, quæ habeant capitulum et cathedralem ecclesiam propriam, ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus æquis partibus singulis Ecclesiis cathedralibus, quatenus earundem Ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administrationem concessarum reditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant; si vero reditus divisi fuerint, ac separati, divisionem fieri volumus singulis Ecclesiis Cathedralibus proportionaliter ratione fructuum.

'VI. Quod si constet, Episcopum, qui per translationem duabus Ecclesiis successive præfuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia reditibus tantum unius Ecclesiæ, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius diœceseos, ex cujus episcopalis mensæ proventibus fuerint acquisita.

'Hæc volumus, et mandamus, decernentes, has literas firmas, validas, atque efficaces esse et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, eisque, ad quos spectant, seu spectabunt plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et extraordinarios judicari, ac definiri debere, irritumque, et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari. Non obstantibus, si opus fuerit, nostra, et cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis atque in universa-

libus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque etiam speciali, et individua mentione, ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

'Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1. Junii MDCCCXLVII. Pontificatus nostri anno primo.

Aloisius Card. Lambruschini a Brevibus Apostolicis.'

In cit. Constitutionibus excipiuntur annuli et cruces pectorales etiam cum ss. reliquiis. Sed L. M. *Parocchi*, Cardinalis in Urbe Vicarius Episcopis omnibus jussu S. P. *Leonis XIII.* d. 25. Martii 1889 enixe commendat, »ut ss. ligni (Crucis) particulas quas thecis inclusas pectore præ se suspensas ferunt, Successoribus transmittendas curent, adeo ut post ipsorum mortem .... ad hos perveniant legitimo hereditatis jure« ....

Quod *de Crucis dumtaxat reliquiis* intelligendum est.

51. Ex hujusmodi Apostolico Decreto deprehendimus 1°. Cardinales Episcopos subjici dispositioni Const. *S. Pii V.* quæ incipit *Romani Pontificis*, ac proinde eosdem relinquere debere sacra utensilia *propriæ Cathedrali Ecclesiæ:* excipi autem Cardinales Episcopos suburbicarios et Abbates nullius, quorum sacra supellex ad sacrarium Pontificium pertinet juxta Const. *Urbani VIII.* 2°. Utensilia Episcoporum qui duabus vel pluribus Ecclesiis successive præfuerunt vel plures Ecclesias simul unitas, aut in perpetuum commendatas rexerunt, dividenda esse *juxta proportionem* in ipsis Literis Apostolicis *Quum illud,* designatam. 3°. Utensilia Episcopi illi solummodo Ecclesiæ Cathedrali cedere, *ex cujus reditibus* acquisita fuisse constiterit, quamvis Episcopus pluribus Ecclesiis præfuerit. 4°. Utensilia quæ sive sacrario Pontificis, sive Cathedralibus Ecclesiis debentur, ea esse quæ in iisdem Literis Apostolicis *Quum illud* recensentur. 5°. Ecclesiis solummodo spectare ea sacra utensilia, quæ Episcopi *ex reditibus Ecclesiæ* sibi compararunt, vel quæ ipsis Ecclesiis donata fuerint; adeoque Episcopos teneri ad inventarium conficiendum eorum utensilium, quæ ex reditibus Ecclesiæ acquisiverunt, vel quæ Ecclesiæ a fidelibus donata fuerunt, secus præsumitur sacra utensilia comparata fuisse ex fructibus Ecclesiæ.

52. Coronidis loco quæritur, utrum præsumptio de qua sermo est in postremo numero, sit *tantummodo juris,* an etiam *juris. et*

de jure. Aliis verbis an hæc præsumptio admittat, vel potius excludat probationem in contrarium.

Arbitror præsumptionem hanc esse *tantum juris,* adeoque illam cedere veritati, quoties de veritate contraria constiterit. Etenim in casu inventarium præscribitur ut habeatur medium probationis ad distinguenda utensilia acquisita ex bonis Ecclesiæ ab aliis utensilibus acquisitis a Prælato ex bonis propriis; uno verbo præcipitur inventarium veritatis cognoscendæ causa. Quare si deficiente inventario, veritas aliunde constet, præsumptio eidem veritati cedere debet. Confirmatur hæc theoria ex resolutione S. C. EE., et RR. d. 4. Aprilis 1851. Demortuo Martino Caliendi Episcopo *Feretrano* die 10. Aprilis 1849 absque inventario sacrorum utensilium, divisa eadem sunt inter Capitulum, et hæredes defuncti Episcopi cum protestatione mutuæ restitutionis, si constaret rem aliquam ad quemlibet eorum non spectare. Deinde hæredes Episcopi cognitis Literis Apostolicis »*Cum illud*« in judicium vocarunt capitulum. Capitulares ad vitandas molestias judiciales utensilia recepta restituere hæredibus salvo S. Congr. beneplacito. Deinde capitulares ut conscientiæ propriæ consulerent postularunt a S. Congr. confirmationem factæ restitutionis, simulque institerunt ut S. Congr. consuleret Ecclesiæ Feretranæ si quod jus haberet circa utensilia tradita prædictis hæredibus. Causa discussa est in contentione partium, et proposita fuit nota sacrorum utensilium de quibus erat quæstio. Ex allegatis cognitum fuit ambigendum esse, an quoad *singula* utensilia *evidentia* testimonia haberentur. Propositum fuit dubium, 'an et quomodo concedenda sit in casu confirmatio Apostolica actui traditionis factæ a Capitulo Feretrano hæredibus Caliendi utensilium designatorum in nota'. S. Congregatio respondit '*Affirmative* facto verbo cum Sanctissimo *ad cautelam*'. Summus Pontifex resolutionem S. Congregationis approbavit, mandans ut Episcopo scriberetur *ad mentem;* mens fuit *Summum Pontificem desiderare ut hæredes traderent pauperi Ecclesiæ Cathedrali utensilia descripta in postremis 13 articulis notæ*'. Hæc causa refertur a Card. *Bizzarri* in sua *Collectanea* pag. 648. et seqq.

De Regularibus in ordine ad testandi facultatem.

53. Si sermo sit de religiosis distinguendum est inter religiosos *professos* et *novitios. Religiosi professi sive prælati, sive subditi testari nequeunt neque ad causas pias.* Expresse traditur hæc re-

gula in c. 7. C. 19. q. 3. et deducitur etiam ex c. 2. h. t. Ratio est quia per votorum nuncupationem regulares censentur amittere velle et nolle, ac proprietate bonorum privantur saltem in propria persona. Quæ vero acquirunt regulares ex propria industria ex. gr. ex magisterio, prædicatione, etc. cedunt eisdem in solum usum personalem, non autem in liberam proprietatem. Hinc nisi regularis obtinuerit a Romano Pontifice facultatem testandi, ejus testamentum nullius esset ponderis quamvis ad *Episcopatum* assumptus fuisset. Nam promotio ad Episcopatum non solvit vota religiosa. Et quidem bona acquisita ab Episcopo regulari post consecrationem cedunt *Ecclesiæ* in qua fuit Episcopus. Ita S. C. Conc. apud *Fagn. De Const.* (I. 2) c. 7. n. 80. Dispositio eadem valet circa *donationes mortis causa* quæ testamento æquiparantur. Ceterum non videtur interdicta regularibus donatio mortis causa, si fiat *in re media*, et *cum consensu superioris* quia hujusmodi donatio non interdicitur regularibus si fiat inter vivos.

54. Quid vero dicendum *de religiosis extra claustra viventibus?*

1°. Si quidem *illegitime* degant extra claustra nullum dubium est, eos non posse disponere de rebus quas acquisiverunt, sed eas pertinere ad *Cameram Spoliorum* juxta Constit. *Greg. XIII.* et *Sixti V.* supra citatas. 2°. Si regulares maneant extra claustra *ex indulto temporaneo*, retento habitu religioso, bona ejus pertinent ad propriam defuncti religionem. Unde de his testari regulares hujusmodi non possunt. Si vero regulares obtinuerint *indultum sæcularisationis perpetuum*, neque pariter isti possunt testamentum condere, sed bona quæ secum a religione asportarunt ad eandem religionem spectant bona autem quæ acquisiverant, incidunt sub dispositionem Const. *Officii Nostri Gregorii XIII.* de reservatione bonorum Religiosorum extra Monasterium degentium favore Cameræ spoliorum. Ita resolutum fuit die 26. Junii 1829 a Congr. speciali deputata a *Leone XII.* Cf. *De-Angelis* h. t. n. 5.

55. Quoad Religiosos qui professi sunt vota *simplicia*, ex resolutione S. C. EE. et RR. d. 6. Junii 1836 relata a Card. *Bizzarri* in sua *Collectanea* pag. 77. infertur ipsos posse de suis bonis testari, et hæredes ab intestato succedere posse in iisdem bonis Ratio est quia votum simplex paupertatis relinquens religioso dominium radicale, non adimit omnino facultatem de propriis bonis disponendi.

56. Si sermo sit de religiosis non professis, seu *novitiis*, possunt ipsi testamentum condere ad causas tum pias, tum profanas etiam absque licentia Episcopi vel superioris regularis. Nam ipsis velle et nolle ademptum non est, et adhuc censentur domini rerum suarum. Obstare videretur dispositio Tridentina in sess. 25. *De Reg.* c. 16. qua decernit »Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem: ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, et nullius effectus.« Verum hæc dispositio ad *testamentum* Novitii protrahenda non est. Nam cum testamentum a Novitio possit revocari, non verificatur de testamento ratio prohibitionis renunciationis vel obligationis, qui actus cum essent inter vivos ac proinde natura sua irrevocabiles, possent conditionem Novitii deteriorem reddere, simulque illum impellere ad professionem edendam. At qui ante professionem testamentum condidit, non potest illud revocare post editam professionem sine dispensatione Romani Pontificis, quemadmodum uti res certa allegatur in folio S. C. Conc. in *Toletana* diei 7. Maji 1718. Ratio est quia ad revocandum testamentum requiritur libera disponendi facultas quam regularis professus non habet. Verum regularis post professionem potest vel tenetur explicare verbum dubium testamenti sui conditi ante professionem. Qui enim explicat, non disponit.

57. Quærendum nunc est *quinam jure canonum possint hæredes institui.*

Hæres ille est, *qui in universum jus defuncti succedit* l. 37. ff. *De acq. hæred.* Hinc hæres dicitur *repræsentare personam defuncti.* Hoc posito jure nostro omnes homines possunt institui hæredes sive singuli, sive corpora moralia, sive causæ piæ, sive causæ profanæ, *dummodo non prohibeantur a canone.* Jus vero canonicum hac in re non plura disponit cum jam ipsum jus civile contra delinquentes circa religionem abunde disposuerat privans passiva testamenti factione *Judæos, hæreticos, apostatas.* C. 5. *De pœnis* (V. 9) in 6°. adjungit *percussores S. R. E. Cardinalium.* At quædam in specie *de regularibus* dicenda sunt.

58. Ex cap. 3. sess. 25. *de Regular.* omnes familiæ religiosæ bona mobilia et immobilia possidere possunt. Excipitur tamen

familia regularis *Capuccinorum*, et *Fratrum Minorum S. Francisci* qui *de observantia*[1]) nominantur. Ex hac lege sequitur familiam Capuccinorum, et fratrum minorum S. Francisci de observantia nec institui posse hæredes; et hoc non solum de individuis verificatur. sed etiam *de ipsa communitate*, et corpore morali. Exceptis mendicantibus Capuccinis, et Fratribus Minoribus S. Francisci de observantia, reliquæ familiæ religiosæ possunt hæredes institui quia bona possunt possidere.

Si vero instituatur religiosus alicujus ex his familiis, quoniam ob votum paupertatis est incapax jurium possidendorum, ipse hæreditatem capere non potest, sed institutio valet, et ipsa religiosa communitas succedit. Nam in jure inductum est principium: *Quidquid Monachus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit.*

Quid vero si voluntas testatoris fuit expressa ita, ut non communitas, sed religiosus succederet? Si appareat ex errore testatoris id factum fuisse, vel si testator desiderium ostenderit, ut suis bonis uteretur religiosus, *subordinate* tamen ad leges ecclesiasticas, institutio sustinetur, et religio succedit. Si vero appareat voluntas testatoris prorsus *adversa sacris canonibus*, institutio habetur prout non facta, et hæreditas vel ad substitutum, si adsit, vel ad cohæredes, vel ad hæredes legitimos ab intestato devolvitur.

De legatis.

59. Assecutionem hæreditatis sequitur jus obtinendi legatum ex ultima voluntate defuncti. *Legatum* a J. C. in lib. III. *De Legatis* definitur: 'Delibatio hæreditatis, qua testator ex eo quod universum hæredis foret, alicui quid collatum velit'. Cum legatum sit delibatio hæreditatis, legatarius non repræsentat personam defuncti, nec ad relinquendum legatum illæ requiruntur solemnitates quæ ad hæredis institutionem necessariæ sunt. Hinc potest legatum relinqui non solum in testamento, sed etiam in codicillis ll. 7. §. 1. et 6. §. 4. ff. *De jure Codicillor.*

---

[1]) Franciscales de observantia — »Observantes« — a S. P. *Leone XIII.* bulla »Felicitate quadam« d. 4. Oct. 1897 una cum Reformatis, Excalceatis seu Alcantarinis, Recollectis in unam »Ordinis Fratrum Minorum« familiam coadunati sunt; quare et dicta de *Observantibus* et dicenda (nn. 62. 63.) jam pertinent ad historiam; quid nunc sit juris, videbimus in appendice.

60. Similia legatis sunt *fideicommissa,* quæ locum habent *cum vel portio hæreditatis, vel tota hæreditas ad preces testatoris alicui restituenda est ab hærede directe instituto.*

61. Jamvero *Ecclesiis,* et *causis piis* tum legata, tum fideicommissa relinqui possunt, immo et *regularibus familiis,* quibus jure ecclesiastico interdicta non est bonorum proprietas. Valet enim eadem ratio quæ supra pro testamentis allata est.

62. At quid dicendum de *Fratribus Minoribus S. Francisci, qui nequeunt possidere?* Quæstio solvitur in c. 3. §. »Ad hæc quæ fratribus« *De verbor. signif.* (V. 12) in 6°. et in Clem. 1. eod. tit. (V. 11) paulo post med. §. »*Proinde cum vir.*« In quibus locis regula statuitur, non valere legatum relictum ad possidendum ex. gr. si testator legaret agrum, vel vineam *ad excolendum,* domum *ad locandum:* valere autem legatum si legetur pecunia ut impendatur pro fratrum *necessitatibus,* aut si *simpliciter* legetur domus, ager etc. Hoc enim casu per idoneas personas alienatur fundus, et pretium impenditur pro communitatis necessitatibus. Uno verbo valent legata, quæ præstantur unica solutione, et dummodo hæc legata sint in quantitate moderata, et non in fraudem paupertatis, quemadmodum resolvit Congregatio particularis ab *Urbano VIII.* negotiis Fratrum Minorum proposita, teste *Fagn.* ad c. 17. *De excess. Prælat.* (V. 31) n. 51. Porro in computanda quantitate moderata legati præter indigentias monasterii, cui relinquitur legatum, præ oculis possunt haberi inopia, et adversa fortuna aliorum etiam monasteriorum provinciæ. Statuitur insuper in citatis locis non posse fratres in judicium vocare hæredes, vel exsecutores ut res legatas præstent, quia legata eisdem relicta induunt indolem *eleemosynæ,* cujus solummodo capaces sunt Fratres Franciscani Minores. Verum *Nicolaus III.* in cit. cap. 3. onerat conscientias hæredum, et aliorum ad quos vel de jure, vel de consuetudine spectat ut sese ex officio promptos exhibeant ad implendas pias defunctorum voluntates. Cohærenter ad hanc dispositionem juris communis S. Congr. superius cit. penes *Fagnanum* ad cit. cap. 17. in responsione ad art. 1. dist. 1. censuit, Fratres Minores tam de familia, quam reformatos neque per se, nec per procuratorem posse exigere in judicio legata de quibus agitur. Attamen syndicum Apostolicum posse implorare judicis officium contra hæredes reluctantes.

63. Quod si sermo sit de legatis annuis, habemus resolutiones S. C. Concilii in quibus decernitur *Fratres Minores S. Francisci de observantia tam de familia quam reformatos* capaces non esse legatorum annuorum cum onere adjecto celebrationis Missarum. Conf. *Fagnan.* cit. loc. et nn. 49. et 50. Ratio est, quia secus non verificaretur puritas regulæ quæ excludit quamcumque certitudinem redituum, et jurium, ita ut Fratribus victum, et vestitum debeat incerta mendicitas præbere juxta c. un. §. 1. *De religiosis domib.* (III. 17) in 6⁰. Exposita regula deprehenditur etiam ex resolutione S. Congr. in *Firmana* diei 3. Octobr. 1721. At per hoc non prohibetur testator quominus hæredi suo, et successoribus imponat onus celebrationis annuæ Missarum a Fratribus Minoribus perficiendæ, quia excluso proprie dicto *jure* ex parte fratrum solutio legati potest considerari ceu eleemosyna annualis a fidelibus quotannis oblata: quemadmodum videre est in *Valvensi* seu *Aquilana* d. 5. Maji 1735 et in *Aprutina* d. 29. Febr. 1677 S. C. Concilii. In causa vero *Brundusina* d. 26. Aug. 1719 censuit S. C. Concilii Patres strictioris observantiæ S. Francisci incapaces esse legati quod relictum sit cum onere adjecto celebrandi aliquas missas; hæredes vero posse census alicui assignare cum auctoritate Episcopi pro onere Missarum ita ut novus censuarius se obliget ad solvendum fratribus eleemosynam juxta formam testamenti.

Huc etiam referenda est resolutio S. Congr., de qua supra, et relata a *Fagnano* in cit. c. 17. *De Excessibus Prælatorum.* Videlicet in responsione ad art. 1. dist. 4. S. Congregatio censuit: 'Fratres Minores tum observantes quum reformatos non esse capaces legatorum annuorum, quæ fiunt sine aliquo onere aut modo adjecto, nisi ad effectum illa exstinguendi, seu illorum proprietatem et pretium convertendi in usus fabricæ vel sacristiæ'. In responsione autem ad art. 11. censuit: 'Non regulares ipsos, sed Syndicum Apostolicum tantum posse eandem proprietatem in judicio petere'.

64. Tandem pro Italia præ oculis habenda est Instructio S. Pœnitentiariæ diei 18. Aprilis 1867, in qua sub n. 17. ad damna ordinibus regularibus ob suppressionem illata reparanda, concessa est *Ordinariis locorum* (quoad *Moniales*) et Superioribus Generalibus (quoad *viros)* facultas indulgendi sive per se sive per idoneas personas respectivis subditis, ut perdurantibus præsentibus circumstantiis bona sibi legitimo jure spectantia, ac etiam hæreditates,

salvo tamen jure tertii quæsito, assequi, retinere et de iis contractus inire atque in pios honestosque usus, necnon in grati animi significationem etiam per actus ultimæ voluntatis *disponere* valeant, accedente Ordinarii, aut Superioris, vel alterius per eum deputati, aut saltem in casu necessitatis Confessarii consilio, et approbatione, ita tamen ut administrationem, et reditus bonorum quoad vixerint communitati propriæ, si capax sit possessionis, *tradere* debeant, et eidem *relinquere* teneantur quidquid de bonis propriæ Religionis ipsis obvenerit. Quod si religio sit incapax possessionis, administratio committenda erit alicui tertiæ personæ ita ut absque Ordinarii aut Superiorum Regularium consensu nihil de fructibus sibi applicare, aut quocumque modo disponere possint.'

Notatu digna videntur duo responsa S. Pœnitentiariæ super n. 17. earundem facultatum, quæ falsas excludunt explicationes; prius, datum d. 24. Febr. 1875, sic sonat: »Per instructionem scilicet a Sacra Pœnitentiaria datam sub die 18. Aprilis 1867 satis aperte declaratum fuisse, Religiosos nullo modo posse sine licentia superiorum suorum, et multo minus contra ipsorum voluntatem, de pecuniis acquisitis disponere. — Superiores autem, durantibus præsentibus circumstantiis, pecunias ab ipsis Religiosis depositas, haud consumere, sed favore ipsorum Religiosorum caute servare pro quocumque novæ dispersionis casu teneri, solum *de reditibus* ipsarum pecuniarum, manente, juxta præfatam instructionem, administratione apud tertiam personam,*) eosdem Superiores uti posse pro sustentatione Communitatis Religiosæ donec in ea ipsi Religiosi qui pecunias detulerunt, vixerint; qui quidem Religiosi in communitate manentes instar omnium aliorum consuetæ Missarum celebrationi, aliisque disciplinæ Regularis oneribus se subjicere omnino tenentur.«

Alterum — d. 21. Maji 1880 — fundatur in sequenti dubio Superioris Generalis cujusdam Ordinis Regularis:

»An facultas quæ continetur sub n. 17. Instructionis S. Pœ»nitentiariæ diei 18. Aprilis 1867, extendi etiam possit Religiosis »subditis italianis, priusquam emiserint "votum solemne paupertatis: »idest an dum votorum solemnium fit professio, eisdem permitti »possit a Superioribus generalibus, ut retinere valeant, etc. bono-

*) Agitur enim de Ordine Capuccinorum.

»rum et hæreditatum legitimarum proprietatem, quibus jam potie»bantur.«

Cui dubio S. Pœnitentiaria sub die 21. Maji 1880 sic respondit:

Negative, sed teneri se omnino abdicare omni jure ac proprietate eorumdem bonorum, juxta proprii Ordinis Constitutiones. Declarat vero eadem Sacra Pœnitentiaria mentem suam in concedenda facultate expressa n. 17. instructionis sub die 18. Aprilis 1867 datæ *nullatenus* fuisse ut per superiores generales ordinum regularium subditis in Italia suppressis indulgeri valeat proprietas seu dominium bonorum, quacumque ratione sibi obvenientium, quæ iidem regulares, ratione solemnis professionis, non sibi, sed monasterio ordinis acquirunt.

65. Juxta leges civiles hæredi salva esse debet *quarta pars rerum hæreditariarum.* Hinc inductum est ut ex legatis detraheretur quarta pars, quæ dicitur *falcidia*, et ex fideicommissis detraheretur pariter quarta, quæ dicitur *trebellianica.* Quæritur an quarta falcidia detrahi possit ex legatis, vel quarta trebellianica ex fideicommissis particularibus relictis Ecclesiæ, vel causis piis. Receptum in jure est ut hæc detractio non fiat, quemadmodum ipsæ leges civiles decernunt in auth. »Similiter« C. *Ad leg. Falc.*

66. Loco falcidiæ inductum est in jure canonico ut Episcopus ex legatis ad causas pias detraheret in sui favorem quartam partem, quæ dicta est *portio canonica.* Inducta vero est hæc dispositio ut servaretur imago, et forma jurium Episcopi, qui ante divisa bona ecclesiastica in singulas præbendas, et pias institutiones ipse erat administrator natus omnium bonorum ecclesiasticorum qui proinde directe percipiebat fructus omnium bonorum, et directe percipiebat utilitatem eorundem.

67. De hac portione canonica agunt cc. 14., 15. et ult. h. t. in quo datur exceptio. Scilicet non subjicitur detractioni portionis canonicæ legatum ad scopum determinatum ex. gr. ad emendam supellectilem, vel ornamenta Ecclesiæ, vel pro fabrica. In hoc capite ultimo glossa jam animadvertebat canonicam portionem diversimode deduci juxta varias consuetudines locorum, et ad id probandum affert etiam plura juris capita. Ex quo factum est etiam ut consuetudine contraria fere ubique *præscriberetur* ipsum jus Episcopi ad canonicam portionem obtinendam.

68. Occasione c. 5. h. t. quæstio instituenda est: *'An valeat legatum rei alienæ?'* Ex clara dispositione juris civilis expressa

in §. 4. Inst. Just. *De legatis,* legatum hujusmodi valet, quoties testator sciverit esse alienam, quo in casu hæres cogitur vel rem redimere, et tradere legatario, vel, si eam redimere nequeat, cogitur eidem præstare æstimationem. Censetur autem hæres redimere non posse rem legatam sive cum dominus interrogatus eam non vendat sive cum eam non vendat nisi immodico pretio l. 14. ff. *De leg.* III. Legatum vero non valet quoties testator ex *bona fide* quomodocumque, seu ex errore vel facti, vel juris putaverit esse suam. Hoc enim in casu ait Imperator forsitan si scivisset alienam rem esse, non legasset. Jam vero *Gregor. M.* in c. 5. asserit leges sæculi seu leges civiles Romanas sine ulla distinctione jubere observantiam legati in re aliena, simulque non dubitat asserere leges civiles hac in re contrarias esse legibus divinis ac proinde iniquas esse.

69. Doctores *protestantes* vehementer carpunt Gregorium M. ob hanc contra leges civiles censuram illatam, eumque traducunt veluti inscium in jure sapientissimo Romanorum. Variæ proponuntur ab auctoribus solutiones ad Gregorium protuendum, qui filius *Gordiani* senatoris, et prætorio officio functus, scientissimus certe fuit rerum, legumque Romanarum. Ut in nostra disquisitione claritati consulamus, inspicienda est decretalis Gregorii *in sua primitiva forma* et prout a *B. Raymundo* refertur in c. 5. h. t. Inspecta in se exhibebit explicationem *mentis S. Pontificis;* accepta prout jacet in c. 5., nobis offert *dispositionem juris canonici* circa legata rei alienæ.

70. Ad 1um Decretalem S. Gregorii M. inspectam in sua forma primitiva nihil reprehensione dignum præseferre, liquido apparet si pars dispositiva cum specie proposita Pontifici comparatur. Peltragius quidam detinebat calicem electrinum, et puerum servum Consentinæ Ecclesiæ. Designans sibi sepulturam in Ecclesia Messanensi, eidem Ecclesiæ legavit et calicem et puerum. Eo demortuo Faustinus, filius et hæres, legatum bona fide præstitit, sed inde ab Ecclesia Consentina requisitus est, ut calicem et puerum redderet. Quare judicio pulsavit rectorem Ecclesiæ Messanensis ut legatum acceptum restitueret. Rector vero se tuebatur juris civilis dispositione, quæ cavet rei alienæ legatum ab hærede præstandum esse. Faustinus hæres Rom. Pontificem adiit, qui animadvertens 1°. neque leges civiles jubere revera absolute præstationem ipsius rei alienæ legatæ; 2°. modicam fuisse hæreditatem relictam a patre

Faustino filio, respondit se valde mirari quomodo rector Ecclesiæ Messanensis auderet sibi retinere calicem et puerum, quorum proprietatem certo constabat ad Ecclesiam Consentinam pertinere. Quare decernit rerum legatarum restitutionem perficiendam esse. Quoniam vero leges civiles saltem pretium rerum legatarum solvere præciperent, respondit *in casu* injustum esse attendere leges civiles, sed legem Dei servandam esse, nec pretium calicis, et pueri exposcere posse Ecclesiam Messanensem. Hoc vero dixit non quatenus injustam arbitraretur Gregorius legem civilem, sed quia potius injustum erat rectorem Ecclesiæ in his circumstantiis appellare ad rigorem legis civilis. Nam agebatur de legato magni valoris, relicto a testatore pro sepultura, quod præstandum foret a filio qui modicam hæreditatem a patre fuerat asssecutus. Hinc, argumentabatur Gregorius, si locus pro humandis humanis corporibus pretio comparari non licet, a fortiori non licet in casu prætendere pretium rei legatæ maximi valoris ab hærede filio, qui a patre vix accepit unde sustentaretur. Quare cum decisio juris civilis de præstanda æstimatione rei alienæ legatæ non fundetur in verbis expressis testatoris, sed in præsumptione voluntatis ejus quod nempe vel res aliena redimeretur, vel pretium solveretur legatario, Pontifex declarat ex æquitate canonica, et ex lege Dei huic præsumptioni standum non esse in casu, ubi ipse testator, si scivisset vires patrimonii sui, et causam sepulturæ prope novisset ob quam legatum relinquebat, forsan noluisset filium suum obligare ad legatum neque in æstimatione solvendum. Ex qua expositione patet S. Greg. M. cognovisse dispositionem juris civilis, et illam uti injustam haudquaquam tradidisse.

71. At quid dicendum 2°. de c. 5., *prout jacet in corpore juris*, seu *quid de valore legati rei alienæ juxta dispositionem Juris Canonici?*

Aliqui dicunt jus canonicum temperasse jus civile quoad legata rerum alienarum quæ ad aliquam *Ecclesiam* pertineant, ita ut in casu neque æstimatio præstanda sit. Quia cum res Ecclesiæ prohibeantur alienari, censeri possunt veluti extra commercium positæ ac proinde inæstimabiles. At hæc sententia admitti nequit. Nam in c. 5. non tam *qualitas rei Ecclesiæ* attenditur quam *causa*, et insuper exceptis rebus mere spiritualibus, reliqua ad Ecclesias pertinentia sunt pretio æstimabilia, quia adhibitis juris solemnitatibus alienari possunt. — Alii dicunt jus canonicum in genere

16*

admittere præstationem legati in re aliena juxta jus civile: at excipiendum esse casum quo legatum est *magni* valoris, et tenues sunt *vires hæreditatis.* At nec hæc sententia probabilis est; nam in capite nulla distinctio legitur, nulla insinuatur *comparatio* legati ad hæreditatem. — Quare probabilius theoretice dici potest jus canonicum recipere dispositionem juris civilis, ut præstandum sit vel in re, vel in æstimatione legatum rei alienæ. Certo in praxi receptum est ut etiam in rebus ecclesiasticis valeat legatum rei alienæ præstandum, juxta dispositionem juris civilis, dummodo æquitas canonica aliud non suadeat quemadmodum in specie proposita S. Greg. M.

De dominio rei legatæ.

72. Post mortem testatoris illico, et ipso jure legatarius, licet ignorans, *incipit* jus habere in rem legatam. Legatum enim est delibatio, idest portio hæreditatis, et proinde in suo esse juridico incipit exsistere ab ipsa morte testatoris, ex qua incipit esse hæreditas. At legatarius *plenum jus* ad rem petendam obtinet cum hæres gravatus adierit hæreditatem. Legatum enim ab hærede præstandum est; hæres autem oneribus hæreditariis non tenetur ante aditionem hæreditatis satisfacere. Quare si legata fuerit *species,* et pereat, perit legatario. Pariter cedunt legatario fructus, et accessiones, quæ rei legatæ in specie obvenerint post mortem testatoris. Idem vero dici nequit si legatum sit *genus* ex. gr. si legatus sit unus equus ex armento, una ovis ex grege. Nam in casu si aliquis equus pereat, semper præstandum est legatum. Fructus vero solvendi non sunt nisi postquam hæres fuerit in mora solutionis legati. Hæc innuisse sufficiat, cum reliqua de testamentis pene omnia ad jus civile pertineant.

73. Breviter aliquid dicendum est *de exsecutione ultimarum voluntatum ad causas pias.*

Exsecutores testamentarii ad causas pias vel sunt *qui a testatore determinantur,* vel secus *ipse hæres.* Porro exsecutor postquam per aliquem actum acceptaverit officium, potest compelli etiam judicis ministerio ad totam exsecutionem perficiendam c. 19. h. t. Quodsi plures fuerint designati simpliciter exsecutores, et unus demoriatur, vel in remotis agat, vel absolute nolit munus acceptare, poterunt reliqui exsecutionem perficere, nisi voluntas obstet testatoris c. 2. h. t. (III. 11) in 6°. §. 2. Possunt vero esse

exsecutores omnes sive laici sive clerici, immo etiam regulares dummodo vero proprii superioris assensum retulerint c. 2. h. t. in 6°. et Clem. un. h. t. Superior est superior *localis*, seu *prælatus Monasterii*, conventus aut domus religiosæ, nisi regulæ speciales instituti religiosi aliter præcipiant. Excipiuntur *Fratres Minores S. Francisci de observantia*[1]) juxta expressam dispositionem in Clem. 1. *De verb. signif.* (V. 11) in qua etiam additur ratio quia hujusmodi religiosi homines pro nulla re temporali possunt in judicium vocari. Porro in defectu hæredis, vel exsecutorum potest Episcopus voluntatem defuncti ad causas pias exsequi. Et quidem si tempus fuerit a testatore designatum, illud exspectandum erit, secus quamprimum potuerit.

74. Negligentes vero exsecutores Episcopus admonebit ut exsecutioni committant dispositionem pii testatoris, quod si adhuc per annum fuerint negligentes, ipsi Episcopo devolvitur libera facultas exsequendi testamentum c. 3. h. t. cui assentitur Nov. 131. c. 10. Hinc in genere *Episcopus* in sua diœcesi habetur ceu exsecutor natus piarum voluntatum quia advigilare debet ut piæ dispositiones testatorum observentur, quod nisi observentur ipse exsecutioni easdem committit. Et quidem Episcopus potest compellere exsecutores piarum voluntatum ad easdem implendas, licet testator prohibuerit quominus Episcopus se ingereret in negotio exsecutionis c. 17. h. t.

75. Immo licet testator fiduciam plenam habuerit erga exsecutorem piæ voluntatis ut sub pœna caducitatis interdixerit qualemcumque contrariam petitionem vel molestiam, tamen ordinarius exigere potest ab exsecutore ut *inventarium* conficiat, adhibito notario, et duobus testibus. Ita tenuit Rota in *Fulginaten.* 4. Julii 1783 et S. C. EE. et RR. in *Senogall.* 1. Decemb. 1843 Vid. *Coll.* Card. *Bizzarri* pag. 545.

76. Circa modum exsecutionis animadverti debet *officium exsecutorum* esse ut *fideliter* observetur dispositio testatoris. Hinc exsecutores neque cum consensu hæredum regulariter immutare possunt etiam in melius ultimas pias voluntates. Sess. 22. c. 5. *De Ref.* in Tridentino. Exsecutores enim non conficiunt dispositionem, sed eam jam constitutam adimplent. Diximus *regulariter;* nam conveniunt doctores posse exsecutores cum hæredis consensu, et Episcopi certum pium usum in alium pium usum immutare, quoties

[1]) Cfr. notam ad n. 58. h. t.

prior obtineri amplius non possit. At semper quo fieri possit, servanda est voluntas testatoris quæ legis locum tenet. Pariter excipitur casus quo testator facultatem exsecutoribus mutandi voluntatem concessit. Præter hos casus commutatio piæ voluntatis testatoris facienda est cum venia *Summi Pontificis* cui jura reservant plenam de piis actibus disponendi potestatem Clem. 2. *De religiosis domibus* (III. 11) ubi Glossa v. »Sedis Apostolicæ« notat per hanc literam solum Papam posse alterare usum eorum quæ per fideles donata sunt'.

77. Tandem animadvertimus exsecutoris testamentarii potestatem penitus *cessare*, semel ac expleverit voluntatem testatoris, nec eam perdurare, quamvis testator exsecutionem commiserit alicui officio seu dignitati ex. gr. Parocho pro tempore alicujus Ecclesiæ vel Archidiacono etc. Hæc enim qualitas censetur posita ad designandam personam, quæ tempore mortis voluntatem defuncti exsequi debeat, non autem ad perpetuandam potestatem exsecutoris. Regula hujusmodi deducitur ex resolutione S. C. Concilii diei 25. Januarii 1873, in qua agebatur de testamentaria dispositione fundandi conservatoria mulierum exsequenda a Parocho pro tempore cujusdam Ecclesiæ. (*Acta S. Sedis* vol. 8. pag. 546.)

Titulus XXVII.

De successionibus ab intestato.

1. Cum testamentum non adsit, aut si testamentum fuerit confectum, sed viribus careat, hæreditas ministerio legis transmittitur, et dicitur locum habere *successionem ab intestato* idest successionem legitimam. Modus, et diversi gradus successionum a jure civili pro quolibet regno determinantur. Hinc nostra non refert de hac re theorias exponere. Principia ergo solummodo exhibebimus de successione in clericorum bona.

2. Ex dictis superius in præcedentibus titulis sequitur in bonis patrimonialibus, industrialibus et parsimonialibus clerici ab intestato succedere propinquos defuncti, scilicet *hæredes legitimos* c. 7. C. 12. q. 5. Bona enim hæc pertinent ad plenum, et liberum dominium civile clerici et proinde in his bonis clericus uti civis consideratur, et jure laicorum utitur. Nullis autem exstantibus propinquis, qui a jure vocentur ad successionem, Ecclesia succedit in qua clericus beneficium habuit c. 1. h. t. et glos. v. »Traduntur«.

3. Si clericus defunctus beneficium in aliqua Ecclesia non habuit, succedit fiscus episcopalis. Ita DD. communiter. In c. 2. h. t. specialis dispositio est de successione intestata in bonis sacerdotis, qui fuerat servus. Scilicet in quatuor partes dividi debent bona quarum una Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus, quarta propinquis adsignetur. In bonis vero beneficialibus superfluis succedit Ecclesia. Et quidem si clericus pertinebat ad collegium clericorum in Ecclesia ipsum collegium succedit, si solus fuerit, succedit in bonis is, qui in beneficio succedit. At in utroque casu sive collegium, sive novus rector aut possessor beneficii de bonis hæreditariis defuncti disponere debet, quemadmodum disponit de aliis bonis ecclesiæ. Ita in c. 12. *De Testam.* (III. 26).

Plura autem quæ accommodari possent successioni ab intestato superius dicta sunt in expositione tituli præc. tum quoad clericos sæculares, tum quoad religiosos.

Titulus XXVIII.

De sepulturis.*)

1. Jus Romanum edixit, sacrum et religiosum esse locum in quo sepelitur humanum corpus, ita ut locus reddatur sacer et religiosus, ipsa facta humatione cadaveris l. 2. ff. *De religiosis et sumtibus funerum.* Ecclesia autem instituit ut benediceretur, et sacris ritibus religiosus redderetur locus sepulturæ fidelium. Hinc sepultura fidelium constituit objectum juris canonici. Sepultura in sensu tituli accipitur vel pro ipso *loco* ubi corpora fidelium ponuntur, vel pro *jure* fidelium habendi sepulturam. Hinc duplex tractatio.

Sit I^{um}. de sepultura prout ea designat locum depositionis cadaverum fidelium quo in sensu definitur: '*Locus auctoritate Episcopi benedictus in quo cadavera catholicorum pie decedentium sepeliuntur*'. Antiquitus corpora fidelium prohibebantur in Ecclesiis sepeliri, sed sepulchrorum sedes erant in atrio, aut in porticu, aut in exhedris scilicet claustris Ecclesiæ. Quemadmodum refert c. 15. C. 13. q. 2. Ecclesia reservabatur humandis solummodo Episcopo aut abbati, scilicet prælatis, vel dignis presbyteris, aut

*) Vide polemicam de sepulturis. apud *Cavagnis,* Jus publ. eccles. Lib. IV. n. 276—304.

laicis virtute fulgentibus, qui fama miraculorum ex hac vita decessissent. Ita in c. 18. C. 13. q. 2. Locus in quo communiter fidelium corpora sepeliebantur, dictus est *cœmeterium* idest locus dormitionis vel depositorium c. 1. C. 13. q. 1. eo quod corpora eorum qui in pace Christi mortui sunt, ob futuram resurrectionem dormire videntur. Deinde ex praxi inductum est, ut omnes indiscriminatim fideles, quibus interdicta non est ecclesiastica sepultura, intra Ecclesiam conderentur. Nostris vero temporibus iterum consuetudo invaluit ut pro cadaveribus humandis cœmeteria construerentur.

2. Ex jure canonum quis habere potest sepulturam vel *proprium*, vel *communem*, vel *electivam*. *Propria* est ea, quam quis in loco sacro *sibi* condidit vel est sepulchrum majorum suorum, nempe *gentilitium*. In c. 1. h. t. *Leo III.* ait: 'Statuimus unumquemque in majorum suorum sepulchris jacere'. Consonant cc. 2. et 3. eod. in 6°. — *Communis* sepultura est cœmeterium, vel Ecclesia parochialis illius loci, ubi quis domicilium habuit vivens, et sacramenta percepit, divina audivit cc. 5. et 10. h. t. necnon cc. 2. et 3. h. t. in 6°.

Clericus beneficium non habens sepelitur in propria sepultura si eam habeat, secus in parochiali. Clericus vero *beneficium possidens* quod eum ad residentiam obliget, et ad servitium, in Ecclesia beneficii sui sepelitur. Ita Episcopus in Cathedrali, Canonicus in cœmeterio Capituli arg. cc. 1. h. t. et 2. eod. in 6°. Verum si clericus beneficium possidens residentiam habeat in aliqua parœcia, ita ut in eadem bonis spiritualibus fruatur, in parochiali sepulchro conditur, nisi aliter exigat vel privilegium capituli, vel consuetudo legitime præscripta.

3. *Religiosi,* nisi adeo sint remoti ut non possint commode ad sua monasteria transferri, debent sepeliri in Ecclesia vel cœmeterio monasterii c. ult. h. t. in 6°. Si vero nimium a monasterio remoti decedant, legem aliorum communem sequuntur. — Novitii etiam religiosorum sepulchrum habent in monasterio.

4. *Uxor* in sepulchro viri reconditur c. 2. C. 13. q. 2. *Vidua* pariter, si proprium seu gentilitium non habeat, præmortui mariti proprium sepulchrum sequitur. Quodsi plures successive viros habuit in ultimi viri sepulchro sepelitur c. 3. §. 'mulier.' h. t. in 6°. — *Viatores, hospites, peregrini* qui in aliena parœcia breviter commorandi consilium habent si ibi demoriantur, in proprii domicilii

parochia sepeliendi sunt, dummodo illuc commode, et sine periculo possint transferri; secus sepeliuntur in loco ubi decedunt c. 3. h. t. in 6°.

5. Tertium genus sepulturæ est *sepultura electiva*. Scilicet jure canonum omnibus licet sibi eligere sepulturam c. 1. h. t. immo etiam uxori, vivente vel defuncto viro suo, conceditur ut possit sibi eligere sepulturam c. 1. h. t. Etiam filius familias, si sit pubes, potest sibi eligere sepulturam c. 4. h. t. in 6°. Pater vero potest sepulturam eligere pro *impubere* filio, ubi adsit consuetudo. eod. c. 4. — Religiosi qui nec velle habent nec nolle non possunt sibi eligere sepulturam, nisi adeo absint a loco monasterii ut commode ad monasterium transferri non possint. Ejecti a religione videntur sibi posse eligere locum sepulturæ, nondum enim ipsi amiserunt volendi, et nolendi jus idest libertatem. Adnotamus vero hodiernis moribus post inductas leges generales sepeliendi in cœmeterio communi, valere quidem adhuc antiquam regulam circa electionem sepulturæ, sed eligendam esse sepulturam vel in Ecclesia quæ gaudet jure tumulationis, vel in aliquo determinato cœmeterio. Ad rem faciunt resolutiones S. C. Concilii dd. 16. Febr. 1867, 21. Martii 1871 et 25. Augusti 1877. Ex his resolutionibus deducitur principium sequens idest publici cœmeterii institutio non lædit omnimodo jura Ecclesiarum, et fidelium quoad funera. Quæcumque autem sit sepultura sive propria sive electiva, sive in Ecclesia, sive in cœmeterio, servanda semper est dispositio *S. Pii V* in Const. '*Cum primum*' d. 1. Apr. an. 1566. §. VI. ubi decernitur cadavera collocanda esse in tumba profunda subtus terram, et capsas sive deposita vel alia conditoria posita supra terram esse removenda. In sepultura enim debet verificari humatio.

De quarta funeris.

6. Jus exsequendi funeralia ex sensu tituli pertinet ad Ecclesiam, in qua cadaver sepelitur, et Ecclesiæ ipsi cedunt emolumenta quæ ex funere obveniunt. Cum vero non deceat, ut Ecclesia a qua fidelis vivens pabula salutis accepit, careat emolumentis in morte, hinc in jure inductum est ut cum cadaver in sepulchro electivo, vel sepulchro proprio aut majorum sepelitur, ac proinde in aliena Ecclesia persolvuntur funera, parochus proprius fidelis defuncti recipiat *portionem canonicam* eorum omnium, quæ occasione

funeris lucrata est alia Ecclesia in qua fidelis sepelitur cc. 1., 4., 8., 10. h. t. et Clem. »Dudum« 2. h. t.

7. Quodsi quis duplex habuerit domicilium, et elegerit sepulturam in tertia parochia uterque parochus jus habebit ad canonicam portionem, ita nempe ut quarta funeraria debeat æque dividi inter parochos c. 2. h. t. in 6°. Quod si vero quis elegerit sepulturam vel moriatur in *alterutra* parœcia, Parochus alterius dimidiam portionem canonicam exigere non potest. Ita tenuit S. C. Conc. die 12. Martii 1881. (*Acta S. Sedis* vol. 14. pag. 215). Ratio est, quia Ecclesia in qua fidelis moritur, et cadaver sepelitur, utitur jure suo et aliam Ecclesiam prævenire censetur.

8. Porro *varietas* in sacris canonibus habetur circa *quantitatem* hujus portionis. Ubi consuetudo aliter non disponat, ex c. 11. h. t. portio canonica erit *quarta*. Ratio est quia magis communiter a canonibus quarta portio designatur, et, quod maximum est, a Tridentino in cap. 13. sess. 25. *de Ref.* quarta designatur. Porro quarta funerum solvitur etiam ex emolumentis quæ obveniunt ex funeribus quæ persolvantur diebus 3°., 7°. et 30°., quia hæc videntur comitari ipsam depositionem cadaveris. S. C. Concilii in *Firmana*, funerum 18. Julii 1734 §. »hæc habet«. Computatur autem quarta funerum solum de illis rebus, quæ ratione funeris solent asportare in Ecclesiam. Tales sunt candelæ, intorticia, vestes et ornamenta quibus decoratur feretrum defuncti. Non præstatur vero quarta de eleemosynis missarum vel relictis piis ad onera missarum persolvenda. Ita in specie statutum est pro Ecclesiis *regularium* in Const. *Rom. Pontifex Bened. XIII.* an. 1725.

9. Hanc quartam funerum monasteria non solvunt quæ vel per 40 annos non solverunt ante Tridentinum vel postea speciale privilegium habuerunt. Hæc conclusio infertur ex cit. loco ejusdem Concilii. Insuper per quadragenariam praxim potest ab aliqua Ecclesia præscribi jus contra Parochiam non solvendi hanc quartam: c. 4. *De præscript.* (II. 26).

10. Animadvertimus vero per institutionem communis cœmeterii non fuisse derogatum juribus funerum perficiendorum in Ecclesiis ubi ceteroquin sepultura habuisset locum. Solummodo immutatio materialis facta est quoad locum ita ut cœmeterium repræsentet illam Ecclesiam in qua cadaver sepeliri debuisset, si cœmeterium non fuisset institutum. Unde Ecclesia quæ habebat jus sepulturæ, habet jus funeris perficiendi, et percipiendi emolumenta

ita ut Parocho defuncti salva sit solum quarta funeraria. Ita censuit S. C. Conc. in *Derthonen.* d. 24. Maji 1821. Ita in *Foro-livien.* d. 26. Jan. 1833, ita novissime in *Aesinat.* d. 26. Nov. 1864 necnon in *Tiphernensi* d. 16. Febr. 1867. Ex quibus resolutionibus liquet, 1°. posse adhuc fideles sibi eligere Ecclesiam in qua persolvantur solemnia funeris et hoc in casu illa Ecclesia tenet locum sepulturæ electivæ. Unde emolumenta funeris cedunt electæ Ecclesiæ reservata Parocho domicilii quota funeraria. 2°. Si per injuriam aut ignorantiam funera celebrata sint in Parœcia defuncti, Ecclesia in qua cadaver debuisset tumulari si non adesset lex tumulandi in communi cœmeterio, jus habet repetendi omnia emolumenta funerum relicta Parocho, salva quarta eorundem emolumentorum. Ita in identica specie decisum est in cit. *Aesinat.* Juris funerandi 26. Novemb. 1864.

11. Sepultura prout jus dicit est: *'Jus competens omnibus catholicis pie demortuis, ut eorum cadavera in loco sacro et religioso sepeliantur'*. Fides enim in futuram corporum resurrectionem optimo jure suasit separationem animæ a corpore esse considerandam ceu temporaneam, et cadaverum pie defunctorum conditoria habenda esse ceu loca dormitionis in quibus exspectant immutationem, seu novam vocationem ad vitam. Hinc Ecclesia voluit, ut cadaverum pie defunctorum conditio spectanda esset ceu quædam continuatio illius conditionis, qua fideles viventes in participatione bonorum spiritualium ad invicem consociabantur. Hinc juxta canones principium inductum est ut *'quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis'*; c. 12. h. t. Quare quemadmodum nulli licet perturbare communionem viventium Catholicorum, et per injuriam fidelibus piis adjungere in sacris rebelles, et ejectos homines, ita etiam nefas est violare sepulchra catholicorum pie demortuorum per injectionem cadaveris illius, qui extra communionem mortuus est. Catholici ergo cohærenter ad principia propriæ professionis debent habere sepulchra, seu cœmeterium proprium ac distinctum ab heterodoxis.

12. Verum hodie cœpit impugnari hoc jus catholicorum, per injuriam quidem, sed apparenti quadam ratione. Dictum scilicet est, cœmeterium esse proprium Municipii coram quo, cum omnes municipes sint æquales quemadmodum omnes cives sint æquales coram lege status et gubernii, ita etiam nullam faciendam esse distinctionem inter cadavera demortuorum ex varietate professionis

religiosæ. Municipium enim in cœmeterii constructione solummodo præ oculis habere debet bonum publicum, et præsertim publicam hygienem.

13. At hæc ratio admitti nequit. Nam sciendum est, regulam de nulla facienda separatione cadaverum inter catholicos, et acatholicos propositam fuisse et propugnari a guberniis et Municipiis, quæ profitentur *libertatem cultus, et conscientiæ.* Quo posito ex hoc ipso principio, quod tamen theoretice est falsum et impium, demonstramus corruere argumentum in materia nostra ab adversariis contra catholicos adductum. Sane posito principio libertatis conscientiæ, catholici habent jus, ut Municipium non lædat nec impediat exercitium religiosæ professionis propriæ. Ita ex. gr. non potest Municipium cogere municipes ut unam potius quam aliam religionem sequantur, et publice profiteantur, nec impellere omnes diversarum professionum indiscriminatim ut in unum eundemque locum conveniant sacra peracturi. Jamvero depositio, et sepultura cadaveris catholici hominis tum ex sensu fidei, tum ex Ecclesiæ dispositione tum ex communi Catholicorum persuasione, uti supra vidimus, est res religiosa et ingreditur ipsam practicam religiosam professionem. Ergo Municipium quod tuetur libertatem conscientiæ, non potest cogere catholicos, ut compleant actum contra propriam fidem et persuasionem, sepeliendo nempe cadavera in loco profano et confuse cum acatholicis. Uno verbo Municipium ex principio libertatis cultus debet tueri catholicos in eorum publica professione religiosa, non autem eos inquietare et spernere in tanto negotio. Nemo autem negabit sperni catholicam professionem quoties cadaver catholici hominis pie defuncti confunditur cum cadaveribus hæreticorum, apostatarum et infidelium, præsertim cum hæc confusio propugnetur ab hostibus religionis catholicæ in spretum et injuriam religionis ipsius.

14. Ratio autem adducta ab adversariis solummodo evincit catholicos non posse distinctum locum pro sepultura exigere cum præjudicio boni publici et præsertim publicæ hygienis. At nemo dicet bonum publicum turbari aut hygienem publicam impediri, si in spatio telluris designato pro humandis cadaveribus portio quædam per septa separetur in qua cœmeteria catholicorum fidelium construantur.

15. Jus sepulturæ ecclesiasticæ est pro catholicis pie demortuis. Hæc autem regula sumenda non est in sensu affirmativo, quatenus

positive constare debeat de catholici hominis pia dormitione, sed in sensu *negativo* quatenus nempe non constet impie demortuum fuisse; arg. cap. 12. h. t.

16. Et quidem prohibitio sepulturæ ecclesiasticæ procedit ex duplici capite. Scilicet quidam excluduntur a sepultura ecclesiastica ob *defectum communionis ecclesiasticæ*, alii autem excluduntur in *pœnam* quia habentur tamquam publici peccatores. Ex primo capite I⁰. excluduntur in genere *omnes non baptizati.* — Hoc in censu sunt etiam habendi *filii catholicorum* demortui absque baptismate, nisi nondum extracti ab utero matris cum matre demoriantur; tunc enim cum matre sepeliuntur. Pariter non privantur sepultura ecclesiastica infantes catholicorum quibus collatum fuit baptisma *sub conditione.* Communis autem doctorum sententia excludit ab ecclesiastica sepultura etiam *catechumenos* ex defectu baptismatis nisi habuerint baptismum flaminis vel sanguinis.

2⁰. Privantur jure sepulturæ ecclesiasticæ *hæretici, schismatici,* et *apostatæ.* Ipsi enim viventes abscissi censentur ab unitate Ecclesiæ idest fidei, et communionis. Hinc pro ipsis valet principium cap. 12. h. t. *Quibus non communicavimus vivis, nec communicamus defunctis.* Expresse vero dispositio prohibens legitur in cc. 8. et 13. §. »Credentes«. *De hæreticis* (V. 7). Immo in iisdem locis interdicitur sepultura ecclesiastica receptoribus, defensoribus et fautoribus hæreticorum. — Quoad acatholicos ratione vinculi consanguinitatis seu matrimonii in sepulchrum gentilitium familiarum catholicarum inferendos S. C. Inquisitionis d. 14. Nov. 1888 decrevit dandum esse responsum ejusdem S. C., d. 30. Mart. 1859 sequentis tenoris: »Curent Episcopi (Americæ Septentrionalis) totis viribus, ut cuncta fiant ad normam ss. canonum; quatenus vero absque scandalo et periculo id obtineri non possit, *tolerari* posse«. 3⁰. Ex c. 12. h. t. excluduntur *excommunicati* ob allatum principium, nisi cum Ecclesia saltem in articulo mortis fuerint reconciliati. Quod si cadaver alicujus excommunicati et non reconciliati fuerit sepultum in cœmeterio christiano, exhumandum esse, ait Pontifex, si ab aliis discerni possit et alibi, extra locum sacrum humandum esse; conf. c. 12. h. t. Verum doctores juxta Rit. Rom. tit. 6. cp. 2. intelligunt caput de *notorie* excommunicatis, non autem de occulte excommunicatis. Nam pœna publica non applicatur nisi ob causam publicam. Quæstio a doctoribus instituitur,

utrum dispositio *c. 12.* undequaque vigeat adhuc post Const. *Ad evitanda Martini V.*

17. Summus Pontifex distinxit inter excommunicatos *vitandos* et *non vitandos.* Vitandos dixit 1°. *nominatim excommunicatos;* 2°. *publicos percussores Clericorum,* seu illos, quorum factum percussionis nulla tergiversatione possit celari. Ceteros excommunicatos, licet notorios; non vitandos dixit, seu abstulit a fidelibus obligationem eosdem vitandi. Hoc posito quæritur an privati censeantur jure sepulturæ ecclesiasticæ excommunicati notorii, sed non vitandi. Viderentur privati non esse, quia ipsis applicari non potest principium *Innoc. III.*: *Quibus non communicavimus vivis etc.* Permissa enim est communicatio cum excommunicatis toleratis. At in sensu Bullæ Martini V. aliter solvenda quæstio esse videtur. Martinus V. in ultimis verbis Bullæ ait 'Per hoc tamen excommunicatos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodocumque suffragari'. Igitur ipsis excommunicatis notoriis et non vitandis ex Const. Martini nullum jus accessit; ergo nec sepulturæ. Quoniam vero cum ipsis vivis communicare impune possunt fideles, hinc a pari non erit interdicta communicatio cum ipsis demortuis, scilicet parochus aut alius pœnas canonicas non incurrit, quoties sepulturam ecclesiasticam concessit eisdem excommunicatis toleratis. At propinqui ejus exigere non poterunt, ut sepulturæ ecclesiasticæ mandetur illius cadaver.

18. Hanc nostram conclusionem confirmat Const. *Pii IX. Apostolicæ Sedis.* Etenim Pontifex implicite aufert pœnam excommunicationis latæ sententiæ expressam in Clem. 1. *De sepult.* (III. 7) contra eos qui in loco sacro sepulturæ mandant publice excommunicatos, et eandem pœnam (sc. nemini reservatam sub n. 1) decernit solummodo contra »*mandantes* seu *cogentes* tradi ecclesiasticæ sepulturæ . . . *nominatim* excommunicatos vel interdictos.« Excommunicatis notoriis æquiparandi sunt interdicti personaliter cap. 20. *De sent. excomm.* (V. 11) in 6°. præsertim vero *nominatim interdicti* ex dispositione Clem. 1. h. t. et cit. Const. *Apostolicæ Sedis* necnon Ritualis Romani.

Adnotandum hac in re est, antiquo jure juxta c. 12. h. t. ad assequendum jus sepulturæ ecclesiasticæ requiri reconciliationem cum Ecclesia modo *solemni* factam. Facienda autem erit coram proprio presbytero seu parocho juxta c. 14. h. t. Hodie autem sufficit, si excommunicatus, vel interdictus in articulo mortis abso-

lutus fuerit a quocumque sacerdote. *Thesaurus, De pœnis,* p. I*., c. 24. n. 4. Immo non est deneganda ecclesiastica sepultura, quoties evidentia pœnitentiæ, et resipiscentiæ signa dederit juxta dispositionem c. 29. *De sentent. excomm.* (V. 39). Reconciliatio autem quæ vivente fideli fieri non potuit, expletur in cadavere, adhibitis ritibus in sacra liturgia designatis. Quemadmodum in sensu c. 28. *De sent. excomm.* (V. 39) declaravit S. C. EE. et RR. in *Nolana* 19. Julii 1619. Verum si censura erat occulta, vel saltem non fuerat denunciata ad tribunal ecclesiasticum, nec provenerat ex notoria percussione Clerici, utilis quidem, sed necessaria non est absolutio et reconciliatio post mortem delinquentis. Et ratio adducitur a *Thesauro* loc. cit. n. 5. scilicet absolutio non datur directe mortuo quia ob resipiscentiam jam præsumitur coram Deo absolutus, sed absolvitur mortuus in ordine ad fideles viventes, ut licite possint communicare cum defuncto, preces pro eodem effundendo, sanctum sacrificium applicando etc.

19. II°. privantur jure ecclesiasticæ sepulturæ *publici peccatores.* Unde 1°. excluduntur: *usurarii publici seu manifesti* c. 3. *De Usuris* (V. 19). Et quidem licet eos pœniteat ante mortem, et mandent restitui male perceptas usuras; et solummodo admittuntur vel quando ipsi restituerint ante mortem, vel idoneam cautionem dederint restitutionis faciendæ pro modo et viribus patrimonii sui c. 2. *De usuris* (V. 5) in 6°.

2°. Injusti *detentores decimarum* quæ Ecclesiæ debentur nisi restituerint c. 19. *De decimis* (III. 30), necnon *raptores ecclesiarum,* qui non satisfecerint cc. 2. et 5. *De raptor.* (V. 17). — 3°. ***Raptores et fures in crimine deprehensi et occisi*** c. 2. *De furtis* (V. 18), necnon *incendiarii* c. 32. C. 23. q. 8. — 4°. ***Maledici*** seu ***blasphemi*** c. 2. *de Maledicis* (V. 26). — 5°. ***Regulares*** qui demoriantur *cum peculio* nec rebus temporalibus ante mortem renunciaverint.

20. 6°. *Suicidæ,* seu qui sibi mortem intulerunt cc. 11. et 12. C. 23. q. 5. nisi tamen constet, eos furore actos id peregisse, aut saltem insania, et mentis aberratione c. 6. C. 15. q. 1. Porro hanc insaniam benigna mater Ecclesia facile præsumit. Insuper animadvertendum est ipsum suicidium numquam præsumi, sed esse probandum, seu constare debet cadaver repertum revera mortuum fuisse ex suicidio. Privatio enim sepulturæ est pœna publica quæ nonnisi crimini publice cognito potest applicari. At sicut nimius

rigor est vitandus, ita etiam rejicienda nonnullorum physicorum et medicorum sententia omne suicidium naturali quadam dispositione cogente peragi. Ceterum si suicida non statim moriens signa pœnitentiæ dederit, sepeliri poterit.

21. 7°. Qui annualem confessionem et paschalem communionem culpabiliter omiserint c. 12. *De pœnis et rem.* (V. 38). »Alioquin«, ait *Innocentius III.* in *Lateranen. IV.*, »et vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur et moriens christiana careat sepultura.« Hæc verba decisionibus S. C. EE. et RR. clarius explicantur; cfr. *Collectaneam* Cardinalis *Bizzarri* pg. 689. Ex quibus apparet: 1°. Pœna interdicti ab ingressu in Ecclesiam est ferendæ sententiæ, »arceatur«; 2°. privatio sepulturæ ecclesiasticæ est quidem pœna *latæ* sententiæ, sed non incurritur nisi posita aliqua ex sequentibus conditionibus, sc. a) vel sententia *interdicti* per judicem fuerit *jam declarata;* S. C. EE. et RR. in *Cajetana* d. 24. Jun. 1595; b) vel adsit *Decretum Synodale* statuens pœnam interdicti ipso facto incurri; S. C. EE. et RR in *Baren.*, dd. 15. Dec. 1696 et in *Neapolitana*, 9. Mart. 1855; c) vel intermissio præcepti paschalis sit *notoria; Monacelli: Formular. legale pract.* p. 1. tit. 5. form. 16. n. 5. — Ceterum non potest excludi cadaver illius, qui ante mortem signa dedit pœnitentiæ, et unus saltem testis de pœnitentia deponat. *Cf. Thesaurus: De pœnis* v. »sacramentum« c. 2.

22. 8°. In genere omnes publici peccatores qui *absque veræ pœnitentiæ signis decedunt* c. 16. C. 13. q. 2. inprimis peccatores qui imminentis sibi mortis conscii extrema Ecclesiæ sacramenta ipsis oblata præfracte et coram testibus respuerunt; vel qui in *peccato lethali notorio absque pœnitentia* moriuntur. Sic ex. gr. qui in actuali fornicatione, aut adulterio occiduntur, vel morte instantanea in actu criminis pereunt c. 31. C. 13. q. 2. Notandum hic est, et peccatum et impœnitentiam notoriam esse debere. Conditio autem veræ pœnitentiæ si verificetur, conceditur sepultura etiam in superioribus casibus, illis exceptis in quibus ratio justitiæ exigit, ut restitutio fiat, vel cautio detur ut fiat.

23. Tandem pœna privationis a sepultura ecclesiastica instituta est 9°. contra *duellantes*. Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. *de Ref.* privationis sepulturæ pœnam statuerat contra duellantes occumbentes in certamine. In eodem ferme sensu locuti fuerunt *Gregor. XIII.* Const. *Ad abolendam* et *Clemens VIII.* Const. *Illius.* Quæstio autem mota fuit a doctoribus, an pœna privationis com-

prehenderet etiam illos qui, expleto certamine, sed ob vulnus in certamine susceptum moriuntur; *Engel* h. t. n. 22. Sed in odium hujus perniciosi criminis *Bened. XIV.* in Const. '*Detestabilem*' præter alias censuras contra duellantes decrevit, ut duellantes privarentur sepultura ecclesiastica sive morerentur in duello, sive postea, vulnere tamen suscepto in duello, quamvis post duellum signa dederint pœnitentiæ, immo licet sese reconcialiverint cum Ecclesia per sacramentorum susceptionem. — Hæc vero dispositio ultima de privatione sepulturæ non ubique servatur cum duellantibus, qui cum Ecclesia reconciliati per sacramenta ad aliam vitam transeunt. Contraria enim consuetudo suadentibus temporum circumstantiis inducta esse videtur ut in aliquibus locis duellantes qui demoriuntur ob acceptum vulnus in duello, sepeliantur in loco sacro, si veræ pœnitentiæ signa dederint, præsertim si extra locum duelli decesserint.

24. 10°. Ex resolutione S. C. Inq. d. 27. Julii 1892, quam S. P. *Leo XIII.* d. 28. Jul. 1892 adprobavit et confirmavit, ecclesiastica sepultura iis deneganda est, »qui propria voluntate *cremationem* (cadaveris) elegerunt et in hac voluntate certo ac notorie usque ad mortem perseverarunt«, attento decreto fer. IV. d. 19. Maji 1886.

Quod si in aliquo casu circumstantiæ extraordinariæ concurrant, parochus consulat Ordinarium et stet ejus mandatis. — Si Ordinarius fortasse nequeat consuli, parochus amplectatur mitiorem sententiam vitatis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exsequiarum.

25. Quid vero dicendum si *de facto* indigni hominis cadaver sepeliatur in loco sacro?

1°. Ex Clem. 1. h. t. et ex c. 2. *De hæretic.* (V. 2) in 6°. illi qui propriæ temeritatis ausu defunctorum corpora in cœmeteriis, vel Ecclesiis interdicti tempore in casibus non permissis a jure sepeliebant, vel qui sepeliebant in loco sacro excommunicatos publicos vel nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, aut hæreticos, receptores, vel fautores eorundem hæreticorum, excommunicationi latæ sententiæ subjiciebantur. Quæ tamen excommunicatio reservata non erat Rom. Pontifici, et ab Episcopo remitti poterat post congruam satisfactionem. Insuper ab hac excommunicatione excusabat ignorantia juris, vel facti, necnon metus gravis. Ad eam enim incurrendam requirebatur *temeritas audaciæ* Clem. 1. h. t.

At hodie ex Const. *Apostolicæ Sedis* non amplius viget prædicta pœna in tota sua latitudine, sed solummodo pœna excommunicationis latæ sententiæ nemini reservatæ plectuntur 'mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos'. Insuper inter interdicta reservata in eadem Const. sub *n. 20.* est illud contra 'scienter nominatim excommunicatos . . . ad sepulturam ecclesiasticam admittentes'.

26. 2°. Si sepultura sit in loco sacro, cadaver excommunicati vitandi, vel infidelis, vel hæretici exhumari debet, quoties ejus ossa discerni possunt arg. cc. 12. h. t., 7. *De consecr. Ecclesiæ* (III. 40) et 2. *De hæretic.* (V. 2) in 6°. Ecclesia vero seu cœmeterium, violatum idest *pollutum* esse censetur. Hinc inibi nemo ex fidelibus demortuis sepeliri potest antequam reconciliatio loci fiat c. un. *De consecr. Ecclesiæ* (III. 21) in 6°. Plura de hac re in tit. *De consecratione Ecclesiæ vel altaris.*

De aliis indignis sepultura ecclesiastica, si contra legem canonicam sepeliantur in loco sacro, in jure nostro expressa dispositio non adest, qua præcipiatur cadaveris ejectio. Porro ejectio cadaveris e sepultura est pœna rigida quæ proinde extendenda non est ad casus in jure non expressos; præsertim quia aliis indignis sepultura religiosa undequaque applicari non potest regula *Innocentii: 'Quibus non communicavimus vivis, non communicamus defunctis'.*

27. Ultimo loco videndum est *an aliquid possit exigi ratione sepulturæ.* Profecto nullum dubium est, pretio comparari non posse jus sepulturæ ecclesiasticæ in sensu superius explicato, illud enim est res sacra et pretio inæstimabilis. At 1°. pretio emi potest *fundus* in quo *constituatur* sepultura. Locus enim hujusmodi quemadmodum area ad Ecclesiam ædificandam est pretio æstimabilis. Non enim emitur res sacra, sed res profana quæ inde convertitur in sacram. 2°. *Fundus* in quo *constructa, et benedicta est* sepultura, potest etiam emi, qua fundus est, dummodo majus pretium non solvatur ob qualitatem religiosam rei. Res enim sacræ, et objecta ceu vasa, quæ cultui divino inserviunt, possunt sub respectu valoris profani alienari recepto pretio valori respondente. Idque a fortiori si agatur de sepultura nobilium more constructa quæ ex operibus, et ornamentis honorabilior est. Cardinalis *Petra Comm.* ad Const. *Pauli II.* nn. 18. et 19. innixus resolutioni S. C. Conc. in

causa *Meliten.* d. 6. Sept. 1659 probat non requiri beneplacitum Apostolicum quando acquiratur fundus pro constituenda sepultura, requiri autem ad removendum periculum simoniæ, quando interveniente pretio conceditur usus sepulturæ jam constructæ. — Verum *pro sepultura ordinaria,* et publica fidelium aliquid non potest exigi titulo pretii, et ut conditio sine qua non sepeliatur cadaver c. 13. h. t. Si autem adsit consuetudo aliquid solvendi pro simplici sepultura, parochus vel rector Ecclesiæ non prohibetur solitam præstationem exposcere, exclusa tamen turpi exactione. Immo doctores cum *Abb. Comm.* in cit. c. 13. n. 7. tradunt posse Episcopum compellere laicos nolentes, ut consuetudinem servent, et solvant quod consuetudo secumfert, postquam vero completum est funus, et postquam cadaver sepulturæ traditum est.

Appendix de sepultura religiosorum.

28. Jus sepulturæ cum suis consectariis, scilicet cum emolumentis funeris, vel saltem quarta funeris, consideratum est a legislatione canonica tamquam quid connexum cum jure quo fideles fruuntur recipiendi sacramenta a proprio Parocho c. 1. h. t. in 6°. et Clem. 2. §. »Verum« eod. tit. Jamvero ob exemptionem religiosæ domus regulares personæ in eadem commorantes sacramenta non suscipiunt a Parocho intra cujus parœciæ limites religiosa domus exsistit. Hinc penes doctores adagium inductum est 'locus exemptus loco extra diœcesim æquiparatur'. Quare *jus sepulturæ regularium est independens a juribus parochialibus.* Et revera ipsa legislatio canonica in c. 5. h. t. in 6°. cavit: 'Religiosi, nisi a propriis Monasteriis adeo forsitan sint remoti quod ad ea, quum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle, vel nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi.' Exinde sequitur hominem regularem sepeliendum esse apud monasterium suum, adeoque jura funeris esse Monasterii ipsius propria, quamvis demortuus sit extra monasterii claustra dummodo ad monasterium commode transferri cadaver possit.

29. Quæsitum est quomodo esset explicandum illud *commode.* Antiqui doctores dixerunt illum religiosum non posse ad suum monasterium commode transferri, sed mortuum esse tumulandum in Parœcia loci ubi e vita migravit qui a monasterio suo non distat ultra unam dietam, idest per spatium majus 20 milliariis

italicis. Siquidem si ultra iter unius diei quod 20 milliariis juridice continebatur cadaver debuisset moveri, facile non potuisset ad monasterium deferri, quin putresceret, et aërem simul inficeret. Veteres autem doctores considerabant asperitatem viarum, et defectum mediorum quibus ad transferenda cadavera utebantur, et exinde deducebant spatio unius diei non posse cadaver commode asportari ex loco qui distaret ultra viginti passuum millia.

Verum immutata est hodie rerum conditio præsertim post constructas vias ferreis stratas asseribus. Hinc in causa *Veliterna* d. 21. Augusti 1869 S. C. Concilii proposito dubio: 'An et quæ emolumenta solvenda essent Parocho ratione juris funeris canonici regularis Lateranensis in urbe Veliterna demortui extra claustra monasterii, cujus cadaver a Canonicis Lateranensibus elatum fuerat in monasterium suæ residentiæ in urbe Roma exsistens'; responsum est: *Negative in omnibus*. Procul dubio Veliterna civitas ultra 20 milliaria ab Urbe distat. Quare dici potest perseverare adhuc dispositionem c. 5. h. t. in 6°. non autem amplius vigere doctorum sententiam, et antiquam praxim de numero 20 millia passuum antiquitus assignato, ceu limite juris sepulturæ regularium demorientium extra claustra monasterii. Hinc ubi commoditas viarum verificetur, et ubi media opportuna suppetant quibus brevi temporis intervallo cadaver religiosi hominis facile possit ad suum monasterium deferri, jus funeris non ad parochum loci pertinet, sed ad ipsum monasterium.

30. Porro quando jus funeris ad monasterium pertinet, superiores regulares defuncti etiam inconsulto Parocho loci ubi mortuus est homo religiosus extra claustra Monasterii, possunt deferre cadaver quin Parochus aliquod emolumentum exposcere, et assequi valeat, licet morienti religioso sacrum viaticum, et extremam unctionem administraverit. Ita S. C. Epp. et RR. in *Bononiensi* d. 2. Julii 1620. et S. C. Concilii in *Puteolana* d. 22. Maji 1615.

31. Quæritur *quid dicendum de jure associationis cadaveris, quoties processio funebris debeat pertransire intra limites jurisdictionis alicujus Parochi.*

Dubium non est intra limites parœciæ Parochum esse, qui jurisdictionem exercet, aliosque ab exercitio ejusdem jurisdictionis repelli, c. 9. *De his quæ fiunt a prælatis* (III. 10) et *Trident.* sess. 14. c. 9. *De Ref.* Siquidem ipse est qui regimen habet ordinarium populi in parœcia sua. Jamvero jurisdictionis exercitium

sequitur manifestatio ejusdem quæ fiat congruis *signis exterioribus*, prout est stolam deferre, crucem elatam gestare. Ita præ aliis *Pignatelli Consult.* 73. Hinc viderentur regulares non posse suorum sociorum funus gerere extra monasterium intra limites alicujus Parœciæ.

Verum proposita quæstione: 'An proprius Parochus defuncti transeundo per Parochiam unius Parochi alterius cujuscumque diœcesis ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad Ecclesiam regularium possit libere et licite per eandem cum stola, et cruce elevata transire etiam irrequisito Parocho', S. Congr. die 28. Nov. 1671 respondit: *affirmative.* Hanc vero sententiam confirmavit *Innoc. XI.* die 2. Dec. 1678. A pari igitur regulares superiores, qui juribus parochialibus erga suos subditos regulares gaudent, poterunt funus religiosi defuncti agere intra limites alicujus parœciæ. Quod de regularibus viris dictum est, etiam regularibus *mulieribus* est applicandum juxta mentem *Bened. XIV.* expressam in Const. alias cit. '*Si datum nominibus*' d. 4. Martii 1748. At in Monasteriis monialium cum *confessarius* censeatur esse parochus, ipse est, qui funus religiosæ feminæ defunctæ peragit. Ita doctores et S. Congr. in *Tranensi* dd. 30. Maji 1856 et 17. Sept. 1858. Porro hæc, quæ diximus de funere quod agere possunt regulares in alienæ parœciæ limitibus intelligenda sunt de *simplici transitu* intra terminos ejusdem alienæ Parœciæ. Si enim agatur de translatione cadaveris personæ religiosæ ex aliena parœcia, in qua mortua est, in propriam Ecclesiam, servanda erit limitatio de qua paulo inferius.

32. Quodsi sermo sit de delatione cadaveris regularis personæ ad publicum cœmeterium quod in Ecclesia sepeliri non possit ex gr. ob legis civilis interdictum, ex decreto S. C. Concilii d. 24. Jan. 1846 – quod eadem S. C. postea applicavit multis casibus, e. gr. in *Caven. et Sarnen.*, d. 17. Sept. 1880; in *Meliten.*, d. 22. Sept. 1882 — deprehendimus posse Regulares cum stola, et cruce elata conventus, et sine parochi interventu cadaver deferre ad cœmeterium commune, modo id fiat absque *pompa solemni*, et defunctus *recto tramite* deferatur ad cœmeterium. Sub voce »pompæ solemnis« non veniunt pauci ictus campanæ vel pauca adhibita lumina. Eadem prorsus in terminis responsa dedit S. C. Concilii in causa *Syracusana* funerum d. 24. Febr. 1852, cum quæstio agitaretur de confessario monialium, qui sibi vindicabat jus ad publicum

cœmeterium associandi cadaver monialis monasterii sui. Posita limitatio, ut nempe translatio cadaveris fiat absque pompa, et recto tramite de loco ad locum, observanda est a regularibus etiam quando e domo a monasterio distincta defunctum religiosum ad proprii monasterii Ecclesiam transferunt. Ubi enim eadem ratio est, ibi etiam eadem juris dispositio esse debet. Hinc si pompa funebris adhiberi velit a regularibus, *consuetudo est* ut interveniat etiam Parochus. Conf. *Mattheucci: Officialis Curiæ* c. 48. et Card. *Petra* ad Const. 9am *Innoc. III.* Sect. unic. n. 11.

33. *Quid si aliquis fidelis laicus sive ex electione sive ex alio titulo jus habeat sepulturæ, et consequenter jus funeris in aliqua Ecclesia regularium?*

Regulares non possunt funus comitari, et asportare cadaver absque consensu, et interventu Parochi. S. C. Concilii in *Tusculana* d. 24. Julii 1734. At Parochus in associatione funeris ingredi Ecclesias regularium cum stola et cruce erecta non potest. Sed debet terminare preces associationis ante januam Ecclesiæ, ibique dare cadaveri ultimum vale. S. C. Concilii in *Insular. Canariæ* d. 31. Jul. 1694 et in *Laudens.* d. 2. Maji 1711. Ratio est legislatio ecclesiastica quæ in bonum christianæ societatis tuetur jurisdictionem ordinariam Parochorum et exemptionem Regularium, itaque temperavit agendi rationem eorundem ut Parochi quousque fieri possit non ingrederentur provinciam Regularium, et viceversa. Quoad vero regularium exemptionem legislatio canonica præ oculis videtur habuisse ipsa loca, idest monasteria, et ecclesias unitas, ita ut quasi extra diœcesim et parœciam posita considerarentur. E contra in jurisdictione parochiali eadem legislatio, licet consideret limites territorii parochialis, primario tamen præ oculis habet fideles Parochi curæ traditos, quos uti pastor sacramentis, et doctrina pascit. Hinc explicatur quomodo permittatur regularibus aliquando in parœcia aliena gestare signa publica jurisdictionis, non permittatur autem Parochis ingredi ecclesias regularium cum iisdem signis.

34. *Quid dicendum de Ecclesiis regularibus monasteriorum, vel conventuum ex lege civili suppressorum, utrum necne jus funeris conservent quod habebant ante religiosæ familiæ suppressionem?*

Quæ dicemus, præsertim Italiam ob nuperrimam rerum publicarum eversionem respiciunt. Quoniam ex pluribus monasteriis vel conventibus religiosi prorsus expulsi sunt, in aliis autem relicti

sunt pauci numero religiosi tamquam custodes, et capellani Ecclesiæ, et quoniam non raro religiosi expulsi e propriis monasteriis et Ecclesiis incolunt privatam domum, ibique religiosam vitam simul conducunt; hinc *plures casus* considerandi sunt. Et I°. quidem consideremus *Ecclesiam regularium in qua adsit jus sepulturæ, quæque, exclusis religiosis, mutata fuerit in Ecclesiam sæcularem.* Sciendum in hac re est, jus sepulturæ in Ecclesia aliqua receptum, et consideratum fuisse tamquam jus reale adhærens *ipsi Ecclesiæ.* Hinc licet supprimatur canonice, idest ab auctoritate ecclesiastica, regularis familia, vel domus religiosa, ita ut ecclesia e regulari fiat sæcularis; tamen ecclesia ipsa non amittit jus funerandi: sed illud secum transfert in secundam conditionem. Quapropter si in suppressione religiosæ domus ecclesia non redigatur ad communem conditionem Ecclesiarum in parœcia exsistentium, sed alteri pio instituto speciali, quod habeat proprium esse, et formam, destinetur vel uniatur, ex. gr. seminario, xenodochio etc., rectori, vel superiori pii ejusdem instituti reservatur jus funeris quod regularium in Ecclesia proprium fuerat. Ita S. Rota cor. *Merlino* dec. 547. Ita S. C. Conc. in *Ravenn.* Funer. d. 17. Martii 1781; in *Pergulana* d. 29. Jan. 1825 et in *Tiburtina* d. 17. Martii 1827. In postrema controversia proposita fuere duo dubia: 1°. An Ecclesia S. Petri gaudeat jure tumulandi in casu? Responsum est: *affirmative.* 2°. An et quæ emolumenta funeris in eadem Ecclesia peracti spectent ad Parochum defuncti in casu? Responsum est: *affirmative pro quarta funerum juxta consuetudinem loci.* In causa autem *Pergulana* resolutum est 1°. Rectorem Seminarii in sua ecclesia quæ fuerat regularis, quæque est intra limites alicujus parœciæ, jus habere perficiendi functiones non parochiales; 2°. Parochum quoad illam Ecclesiam sese in funeribus gerere debere ad formam Ecclesiarum exemptarum, ita nempe ut possit associare cadavera suorum parochianorum usque ad januam Ecclesia, habeatque jus ad quartam funeris juxta consuetudinem loci; 3°. Parochum prohiberi quominus in eadem Ecclesia functiones mortuarias non parochianorum exsequatur.

35. Quod si domus religiosa suppressa, et Ecclesia redacta fuerit ad conditionem communem aliarum Ecclesiarum in parœcia exsistentium, ita ut debeat considerari ceu Ecclesia filialis Parœciæ, procul dubio jus funeralium in eadem perficiendorum Parocho competere dicendum est. Et in hoc sensu accipienda est resolutio

Congr. Reformationis data die 16. Dec. 1816 quam confirmavit s. m. *Pius VII.* die 17. ejusdem mensis. Refertur hæc resolutio in *Pergulana* d. 18. Dec. 1824 §. »Reponit.« citatur autem in *Foroliviensi* d. 16. Sept. 1871.

36. Quid II°. dicendum est *de Ecclesiis regularibus adnexis domui religiosæ suppressæ a gubernio civili quam incolunt pauci numero religiosi?*

Procul dubio nec suppressio religiosæ familiæ juridice valet, nec mutatio status ecclesiæ de regulari in sæcularem legitima est. Etenim utrumque factum est jussu laicorum, quibus teste *Innoc. III.* in c. 10. *De constit.* (I. 3) in ecclesiis nulla est tributa potestas. In specie autem si sermo sit de mutatione status Ecclesiæ regularis quoad jura, onera, et privilegia propria, mutatio fieri nequit absque beneplacito Sedis Apostolicæ ob privilegium exemptionis. Porro hanc regulam non semel exhibuit et roboravit S. C. Concilii. Ita in *Ravennatensi* d. 17. Martii 1781, in cit. *Tiburtina* et in *Firmana* d. 21. Nov. 1840.

37. Quare, non obstante iniqua suppressione religiosæ familiæ, Ecclesia de qua in hypothesi, integra jura funerum conservabit, ita ut persona regularis, quæ rectoris munere fungitur eadem jura exerceat. Nuperrima decisio S. C. Concilii in *Forolivien.* Juris funerandi d. 16. Sept. 1871 enatam quæstionem in hoc exposito sensu ad amussim resolvit. Et quidem quoniam religiosi habitantes in domo adnexa quoad jura, et onera parochialia subjiciuntur superiori regulari domus: hinc mea opinio est jus funeris in morte alicujus ex eis plene et exclusive competere eidem superiori regulari. Nec officit difficultas orta ex disciplina introducta juxta quam Ordinarius loci approbat superiorem seu rectorem in Ecclesia regulari a lege civili suppressa; nam ad summum in sensu juris dicendum est religiosas domus, et earum Ecclesias incidisse in eam conditionem de qua cavet *Innoc. X.* in celebri decreto *Ut in parvis* d. 10. Febr. 1654. Scilicet parvi virorum conventus in quibus saltem 6 religiosi non commorantur actu, quorum saltem 4 non sint Sacerdotes, subjiciuntur correctioni et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii tamquam Sedis Apostolicæ delegati. Hac tamen in conditione conventuum jurisdictio Episcoporum non est exclusiva, sed cumulativa cum superioribus regularibus quemadmodum innixus resolutioni authenticæ S. Congr. super statum regularium probat *Fagnanus Comm.* ad c. 7. *De officio ordin.*

38. Et revera scimus ex facto religiosos in istis domibus suppressis a lege civili commorantes subjici et pendere a suis superioribus regularibus. Itaque et personæ in ipsis domibus residentes, quemadmodum regulam religionis observare tenentur, ita etiam servabunt jura adnexa domui et Ecclesiæ, sola excepta libera et plena exemptione a jurisdictione Episcopi ob paucitatem religiosorum juxta Decretum *Innoc. X.* Quare conservabunt etiam jus funeris parochum proprium excludentes, et ipsis in omnibus applicari poterunt normæ juris, quas supra de regularium funere exposuimus.

39. Quid III°. dicendum *de regularibus a civili potestate a propria domo expulsis, et incolentibus privatam domum in civitate vel pago?*

Resolutio juridica, quod sciam, nulla data adhuc est. Verum si ex auctoritate Superioris regularis et præsertim si ex venia S. Sedis religiosi vitam in communi degant servantes formam instituti proprii, non dubito quin et ipsi independentes sint censendi a jurisdictione parochi etiam quoad funus quoties vel in Ecclesia proprii ordinis, vel in aliqua ecclesia sibi adsignata funus agere possunt. Isti enim coram auctoritate ecclesiastica adhuc regulares sunt et solummodo eorundem exemptio limitata est juxta decretum '*Uti in parvis*' *Innoc. X.* Conf. *Instruct. S. Pœnitentiariæ* d. 18. Aprilis 1867. Tandem in hac re adnotandum esse censemus tum quoad jus ipsum funeris et associationis tum quoad modum quo exerceri debeat tum quoad quartam emolumentorum funeris plurimum valere statuta synodalia, et decreta episcopalia, quæ tamen juri communi non adversantur, necnon consuetudines locorum legitime præscriptas. Hinc S. Congregatio non semel, immo forsitan quoties occasio sese obtulit, invocavit consuetudinem locorum. Ita in citatis *Pergulana et Tiburtina* atque in nuperrima *Foroliviensi.*

40. In fine hujus tituli »De Sepulturis« dicendum aliquid putamus de *crematione cadaverum.**) Tria exstant hac de re decreta S. C. Inquisitionis, sc. dd. 19. Maji 1886, 15. Dec. 1886, 27. Julii 1892., ex quibus deducuntur sequentia:

---

*) Vide etiam de *Crematione, Cavagnis Jus publ. eccl.*, lib. 4. n. 158. et seqq.

1) »Illicitum est nomen dare *societatibus* quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera, et quidem sub pœnis contra sectas massonicas latis, si agatur de societatibus massonicæ sectæ filialibus,« e. gr. sub pœna excommunicationis.

2) »Illicitum quoque est mandare, ut *propria* corpora comburantur; item mandare, ut *aliorum* corpora comburantur,« (Decretum d. 19. Maji 1886); »licet mandans neque adhæreat sectæ massonicæ neque ejusdem sectæ principiis permoveatur« (Decr. 27. Juli 1892).

3) »Cum iis qui *propria* voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo ac notorie usque ad mortem *perseverarunt*, agendum est juxta normas Rit. Rom. tit. *Quibus non licet dare ecclesiasticam sepulturam.*«

4) »Quoties agatur de iis, quorum corpora *aliena* voluntate cremationi subjiciuntur, *Ecclesiæ ritus et suffragia* adhiberi possunt tum domi, tum in Ecclesia, non autem usque ad cremationis locum; remoto scandalo, quod removeri potest etiam, si notum fit, cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse.« (Decretum d. 15. Dec. 1886.)

5) Quoad cooperationem hoc statuitur: »Nunquam licere *formaliter* cooperari; tolerari autem aliquando posse *materialem* cooperationem.« (Decr. d. 27. Julii 1892 ad III^{um}.)

Rationes cur Ecclesia cremationem cadaverum illicitam declaraverit necnon privatione ecclesiasticæ sepulturæ punierit, si inquiramus, præmittendum est Ecclesiam nunquam dubitasse de omnipotentia Creatoris, cujus est et ex nihilo creare et resuscitare mortuos sive sepultos sive igne consumptos. At crematio corporum adversatur *constanti disciplinæ Ecclesiæ*; cfr. c. 1. *De sepulturis* inter Extravag. Com. (III. 6), ubi *Bonifacius VIII.* vetat corpora christianorum (absque gravi causa) aliquo modo, e. gr. exenterando, dissecando membra eaque decoquendo, *violenter tractari* idque sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrenda. — Nonne corpus Christiani aliquid *sanctum* est (1. Cor. III. 16.—17.)? *membrum Christi* (1. Cor. VI. 15.), *templum Spiritus sancti* (ibidem v. 19.), *templum Dei* est (1. Cor. III. 17.) tot tantisque sacramentis consecratum, quod »si quis violaverit, disperdet illum Deus?« Sepulturâ deinde optime impletur illa Dei pœnalis prophetia: Gen. III. 19. »In sudore vultus tui vesceris pane, donec

revertaris in terram de qua sumptus es.« — Sed speciali de causa Ecclesia cadaverum cremationem prohibuit; nam quia sepulturam christianam qualis exercetur in Ecclesia catholica, adversarii considerabant uti signum externum fidei in vitam alteram eamque æternam, abolendo hunc sepeliendi usum et crematione quasi destruendo corpora intendebant cum: removere hoc externum fidei in vitam æternam signum fidemque hanc ipsam, tum demonstrare hominem vitâ terrenâ functum *totum* interire. — Ceterum rationes quæ adducuntur ad commendandam cremationem corporum, sc. cremationem convenire magis sensibus studii pulchritudinis et pietatis, necnon parcere ac prodesse et pecuniæ et saluti, adeo futiles sunt, ut cremandi usus in nullis republicis et civitatibus publice sit inductus, imo in nonnullis expresse prohibitus. Inprimis juris *criminalis* periti et practici rejiciunt cremationem, quippe qua destruuntur cum corpore omnia alicujus criminis patrati vestigia.

Titulus XXIX.

De parochis et alienis parochianis.

1. Primis Ecclesiæ sæculis populus fidelium, et presbyteri cæterique ministri adunabantur in sacris officiis peragendis cum proprio Episcopo. Aucto deinde numero fidelium ab Ecclesia cathedrali auctoritate Episcopi mittebantur presbyteri ad solatia plebium, sed inde ad cathedralem reversuri. Quapropter appellabantur *visitatores, circumcursatores, circuitores.* Factum vero inde est ut etiam in pagis erigerentur templa, et in ipsis constituerentur ministri. Hæc disciplina primum incepit in Ecclesia orientali. In Ecclesia autem occidentali sæculo IV. id contigit.

2. Presbyteri qui Ecclesiis istis minoribus addicebantur appellati sunt *Cardinales* vel *Cardinati*, veluti cardines adfixi Ecclesiæ c. 5. D. 71., c. 42. C. 7. q. 1. Dicti etiam sunt presbyteri *Vicarii* vel etiam *Forastici* a vicis et foris ad quæ mittebantur. Appellati insuper sunt *Plebani* c. 40. *De elect.* (I. 6), *Rectores* c. 3. *De vita et honest. cler.* (III. 1), *Proprii Sacerdotes* c. 12. *De pœnit. et remissionibus* (V. 38). Diversis dein nominibus vocatos a conciliis et synodis invenimus ejusmodi presbyteros, e. gr. diœcesanos presbyteros, rusticanos, plebium etc. Tandem dicti sunt *Parochi*, et Parochiæ, vel Parœciæ dicta sunt loca intra quorum fines isti presbyteri officium suum exercebant c. 35. *De Cons.* D. 1. Quare

christiana plebs quæ tota, et immediate ab Episcopo regebatur et sacramentorum doctrinæque pabulum recipiebat, paulatim divisa est in particulares sectiones quarum cuique præesset proprius sacerdos dependens ab Episcopo. Parochia igitur considerari potest ceu pars diœceseos.

3. Definiri parochia potest: *'Certa diœceseos Ecclesia quæ populum certis limitibus distinctum, et Presbyterum seu rectorem proprium habet, qui missione accepta ab Episcopo et sub ejus dependentia eidem populo sacramenta, verbum divinum, et alia spiritualia ordinis spiritualis ex officio et ratione stabili administrat.'*

4. Ex hac definitione patet quænam requirantur ad Parochiam constituendam. 1°. Requiritur certus *locus* seu *territorium* in quo adsit *Ecclesia*, quæ titulum constituit Parœciæ, et Ecclesia parochialis dicitur. Certus locus seu territorium distinctum regulariter quidem requiritur; quod tamen non impedit, quominus in uno eodemque territorio adsint plures parochiæ pluribus destinatæ *nationibus*, e. gr. in America Septentrionali.

Item una ecclesia inserviat uni parochiæ ejusque fidelibus; nihilominus jure consuetudinario »sustinetur disciplina, e. gr. in Archidiœcesi Hispalensi vigens, ex qua plures parochi in una eademque ecclesia resideant cum distincto animarum censu,« uti S. C. Concilii resolvit in intricata causa *Hispalensi* d. 26. Jan. 1895. — Erectio autem Ecclesiæ in parochiam et circumscriptio loci seu finium perficitur a Rom. Pontifice vel ab Episcopo ita ut nemo alius possit hanc peragere erectionem c. 11. C. 16. q. 7. Parochialis enim potestas est participatio pastoralis officii quod de jure divino proprium est Episcopi.

5. Concilium vero Trid. in sess. 24. c. 13. *de Ref.* mandat Episcopis, ut in locis in quibus parochiæ distinctæ non sunt, 'distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullæ sunt parochiales, quamprimum fieri curent, non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus'. Immo Episcopo etiam ut Sedis Apostolicæ delegato reservatum est novas parochias inter limites antiquæ parochiæ fundare, seu dividere veteres parochias, quando ob distantiam locorum, sive difficultatem fideles careant necessaria parochi assistentia in

spiritualibus. De hac re sermo est in Tridentino sess. 21. *De Ref.* c. 4. et innuimus in tit. V. agentes de divisione beneficii.

6. 2°. Requiritur ut *unus, et perpetuus rector* seu parochus constituatur c. 15. *De præb. et dignit.* (III. 5). Clarius vero hoc requisitum designat Tridentinum in cit. sess. 24. c. 13. *de Ref.* verbis: 'Unicuique (Parochiæ) suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent . . .' Scilicet ad bonum animarum procurandum necesse est, ut pastor fideles, et fideles pastorem agnoscant. Hinc re inspecta in genere provisum non videtur satis saluti animarum si plebi christianæ modo unus, modo alius præficiatur pastor. Quare Parochiæ institutæ in jure censentur ceu totidem beneficia perpetua. Nec obstat quod aliquando cura animarum sit commissa corpori morali. Nam exercenda est per unum, seu vicarium qui juxta intentionem Tridentini sess. 7. c. 7. *de Ref.* ad vitam seu in perpetuum, si fieri possit, parœciæ præficiendus est. Nec alii de capitulo vel monasterio sese ingerere possunt in exercitio curæ animarum, sed solum conceditur capitulo, vel monasterio exercitium paucorum actuum digniorum quos corpus morale in fundatione vicariæ sibi reservavit. — A tempore revolutionis Gallicæ prætergressæ in Gallia regionibusque finitimis ditioni Gallicæ tunc subjectis inveniuntur præter parochos inamovibiles — vulgo »curés« — etiam alii, succursales — »desservants« — dicti, qui removeri possunt ab Episcopis, sed non sine causa justa. Quare Sedes Apostolica nonnunquam succursales in pristinas parochias restituit, unde ab Episcopis erant avocati sine causa sufficiente, e. gr. S. C. Concilii in *Messanen.* d. 18. Mart. 1854. At neque parochos tales proprio marte parochiam deserere fas est, quare ab Episcopis cogi possunt, ut in munere suo persistant; S. C. Concilii, d. 9. Maji 1884.

7. 3um. requisitum est ut Parocho, seu rectori competat *potestas ligandi, et solvendi, in foro pœnitentiali.* Hæc vero potestas competit vi officii, scilicet est *ordinaria*, licet sit participata, seu derivata a potestate episcopali, et eam exercet parochus in omnes suos subditos.

Quæstio fieri potest utrum inter requisita parochiæ etiam numeretur *fons baptismalis.* Certe intentio sacrorum canonum est ut in qualibet Ecclesia parochiali adsit fons baptismalis. Quemadmodum etiam docuit S. C. Concilii in *Verulana* d. 24. Martii

1736 et aliis omissis in *Urbevetana* d. 3. Aug. 1748. Hæc vero intentio sacrorum canonum ideo inducta est ut unusquisque Parochus oves sacro lavacro abluens in Ecclesiæ ovile introducat, et simul certo cognoscat quinam in Christi gregem coaptentur necnon quinam ex legitimis nuptiis fuerint procreati. Hinc optimum est ut parochus proprius consecret initium vitæ suorum fidelium per baptismi collationem in propria Ecclesia.

8. At eodem jure canonico factum est ut præsertim in novis parœciis quæ ex divisione ab antiquis institutæ sunt, non erigeretur fons baptismalis, sed jus baptizandi reservaretur priori Ecclesiæ parochiali quæ dicta est Ecclesia matrix et baptismalis. Hinc cœpit distingui inter Ecclesias *matrices* vel *baptismales,* et *filiales* seu *simpliciter* parochiales, ceu notat *Fagnanus comm.* in c. 29. n. 54. *De decimis* (III. 30) referens solutionem S. Congr. in *Urbinat.* d. 15. Junii 1624.

Verum ubi locum habent justæ et legitimæ causæ, solet facile concedi erectio fontis baptismalis etiam in filialibus Ecclesiis parochialibus. Causæ autem sunt locorum distantia, viarum asperitas, aquarum vel nivium copia, quæ solent sæpe sæpius vel ex inopinato impedire accessum ad Ecclesiam baptismalem; cfr. S. C. Conc. in causis *Triventinis,* una d. 24. Jan. 1885; altera d. 8. Maji 1886. — Exinde sequitur, parochum qui pollet jure fontis baptismalis, obligari ad ejusdem benedictionem; S. Rituum C. in *Spalaten.* d. 17. Jun. 1892.

Quod de fonte baptismatis dictum est, etiam de *cœmeterio* repeti potest. Consonum juri est ut ille, qui consecrat vitæ initia, etiam exuvias mortales in pace Christi sepeliat. At absolute necesse non est, ut in qualibet Ecclesia parochiali adsit cœmeterium.

De muneribus parochorum.

9. Et I°. quidem sermo sit de munere parochi in administratione *sacramentorum* quorum ministri ordinarii sunt sacerdotes. Quamvis Episcopus, si velit, possit absolute loquendo omnia sacramenta in parœcia administrare, tamen in ordine ad alios sacerdotes in parœcia degentes sacramentorum administratio reservatur parocho. Arg. Clem. 2. *De sepult.* (III. 7) v. »In Ecclesiis,« et ex principio posito a Tridentino in c. 13. sess. 24. *De Ref.* ubi ait Conc. de Parocho: 'A quo solo (fideles) licite sacramenta susci-

piant'. Hæc in genere dicta sint. Nunc aliquid dicendum est *in specie.*

1°. *De baptismo.* Parochus est qui licite et valide confert in sua parochia sacramentum Baptismi, alii autem sacerdotes, excepto casu necessitatis, solum de ejus licentia licite baptizant. — Hinc ipse parochus est proprius *custos fontis baptismalis.* Debet vero in peculiari *libro* adnotare nomina baptizatorum et eorundem patrinorum, sess. 24. cap. 2. *Def. Ref. Matrim.;* formam describendi baptizatos habes in Rituali Romano, tit. X. cp. 2.

10. 2°. *De Sacramento Eucharistiæ.* Non loquimur de *consecratione* Eucharistiæ, quæ jurisdictionem non requirit. Si sermo sit de *dispensatione,* hæc reservata in genere non est parochis. Simplices enim sacerdotes præsertim sacrificium Missæ celebrantes possunt quoscumque fideles aliquo impedimento non detentos ad sacram communionem admittere. Immo Trid. sess. 22. *De sacr. Miss.* c. 6. desiderat ut in Missis etiam privatis fideles communicent. Verum 2 casus excipiuntur: Primo excipitur *communio paschalis,* quæ in Ecclesia parochiali facienda est, juxta c. 12. *De pœnit. et remiss.* (V. 38). *Benedictus XIV.* in sua *Instit.* 18. cum locis ibi citatis. Verum in nonnullis regionibus hæc communio paschalis etiam in aliis ecclesiis, non exceptis regularium, consuetudine contraria jam legitime præscripta peragi potest; cfr. e. gr. Conc. provinciale *Strigon.* (anno 1858). — Secundo excipitur delatio Eucharistiæ ad infirmos, seu *viaticum,* quæ delatio parochis reservatur c. 10. *De celebr. Miss.* (III. 41) et Clem. 1. *De privileg.* (V. 7). In posteriore loco in regulares qui clericis aut laicis (ægrotis) sacramentum Eucharistiæ ministrare . . . præsumpserint, animadvertitur excommunicatione latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservata, quæ censura adhuc viget ex Const. »Apostolicæ Sedis« (II. cl. n. 14. cfr. n. 12. h. t.)

11. 3°. *De Pœnitentiæ Sacramento.* Cum parochus ordinariam recipiat potestatem in foro pœnitentiali, absque speciali *delegatione* Episcopi sacramentum pœnitentiæ suis parochianis administrat; c. 15. sess. 23. *de Ref. in Trid.* Immo etiam iisdem petentibus administrare illud tenetur, dummodo nullo canonico impedimento ligentur. In antiqua autem disciplina expressa in c. 12. *De Pœn. et remiss.* (V. 38), fideles tenebantur parocho proprio semel in anno peccata sua confiteri. Deinde autem cum præsertim ex Trid. in cit. c. 15. sess. 23. quisque presbyter approbatus ab Episcopo possit

confessiones excipere, hinc ex consuetudine inductum est, ut quisque fidelis tam pro frequentiori quam pro annuali confessione sibi sacerdotem eligeret ex approbatis ab Episcopo. Parocho autem id proprium reservatum est ut confessiones excipere possit suorum parochianorum etiam in *alia diœcesi* quamvis ab Episcopo loci approbationem non acceperit. Confessionis enim exceptio inter actus voluntarios jurisdictionis recenseri potest, qui etiam extra territorium exerceri valent. Quod etiam resolutum fuisse legimus a S. C. Concilii in *Posnaniens.* d. 19. Nov. 1707 ad I[um].

12. 4⁰. *De Sacramento extremæ unctionis.* Parochus est qui valide et licite hoc sacramentum in parochia sua administrat; alius vero sacerdos non potest *licite* administrare nisi de parochi licentia. Immo si sacerdos *regularis* hoc sacramentum administrat invito vel nesciente parocho nisi muniatur privilegio ad id faciendum, incurrit excommunicationem Rom. Pontifici reservatam: Clem. 1. *De priv.* (V. 7). Hæc pœna renovata est in Const. *Apostolicæ Sedis* sect. II. sub. n. 14. 'Excommunicamus religiosos præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremæ unctionis aut eucharistiæ per viaticum ministrare absque Parochi licentia.'

13. 5⁰. *De Sacramento Matrimonii.* Parochi est: a) *denuntiare* publice personas, inter quas sit matrimonium contrahendum, Tridentinum: cp. 1. sess. 24. *de Ref. matrimonii;* b) *assistere* cum duobus vel tribus testibus matrimonio contrahendo tamquam testem qualificatum, Tridentinum: c. 1.; c) *benedicere* nupturientibus, ibidem c. 1. — De matrimonio fusior fiet sermo in libro IV.

14. Jura parochorum quoad *sacramentalia.* Præmittendum inprimis est de *communi* jure hic sermonem esse, non de particulari, consuetudine e. gr. introducto. Juris *mere parochialis* est *benedicere nupturientibus* — uti vidimus in num. præcedenti (13.) in fine; *sepelire corpora* fidelium defunctorum — cfr. tit. præcedentem (III. 28). — Ad parochum deinde spectat benedictio fontis baptismatis necnon domorum sabbato sancto in casu quo jure baptizandi gaudet (vide dicta supra n. 9.); item celebratio missæ solemnis fer. V[a]. in Cœna Domini secundum decretum generale S. R. C. (d. 10. Dec. 1703) d. 12. Jan. 1704. n. 8. — Ex eodem decreto d. 12. Jan. 1704 sequitur: benedictiones et distributiones candelarum, cinerum, palmarum; item benedictiones mulierum post partum, fontis baptismatis, ignis, seminis, ovorum et similium *non*

esse de juribus mere parochialibus c. l. nn. 4.—5.; at benedictio mulieris post partum necnon fontis baptismatis pertinet ad *obligationes* parochorum. De hac benedictione mulierum vide plura in tit. 47. h. l.

15. De parochi munere relate *ad Missæ sacrificium.* Quod pristina consuetudine observabatur, ut populus fidelis statutis diebus adunaretur cum Episcopo in sacris celebrandis mysteriis, deinde, facta divisione parœciarum, inductum est, ut observaretur in diebus festis cum sacerdote proprio, nempe parocho. Scilicet inductum est ut diebus festis populus ecclesiam parochialem adiret, sacrificio per parochum celebrato assisteret, prædicationem verbi Dei audiret, cognosceret jejunia servanda, et denunciationes exciperet festorum, et Episcopi mandata. Ut vero unio spiritualis major esset voluit Ecclesia, ut parochus missam pro populo celebraret. Conc. Trid. hoc officium Parochi in genere celebrandi pro populo ex *divino* præcepto derivat sess. 23. c. 1. *de Ref.* Illud vero determinat *Bened. XIV.* in Const. *Cum semper* edita d. 19. Aug. 1744 statuens officium esse Parochi ut singulis festis diebus sacrificium celebret pro populo.

Claritati officii tanti momenti consulere volentes totam quæstionem ad 4 capita revocamus, sc. obligationem applicandi missam esse onus 1. reale; 2. personale; 3. locale; 4. temporale.

16. I. Onus *reale* impletur tantum *applicatione* missæ sacrificii pro fidelibus curæ pastorali commissis; non sufficit igitur sola celebratio. Inde sequitur quod persona ecclesiastica huic oneri obnoxia pro missa quam tenetur applicare pro populo, recipere stipendium illamque applicare pro defunctis aliisque satisfaciendis oneribus non possit; S. C. Concilii in *Pampilonen.,* d. 18. Nov. 1702.'

17. II. Onus *personale.* Quis tenetur ad applicandum? Tridentinum sess. 23. cp. 1. *de Ref.* generaliter loquitur: »Præcepto *divino* mandatum est omnibus *quibus animarum cura commissa est,* . . . . pro ovibus suis sacrificium offerre.«

Animarum cura commissa est: a) Episcopis iisque jure divino; b) Omnibus in districtu canonice circumscripto dependenter quidem ab Ordinario, sed . . . ordinario vel vicario jure curam actu gerentibus; hi posteriores obligantur etiam *divino* jure, non tamen absolute, sed conditionatim, videlicet si sacerdotes curæ pastoralis Episcoporum participes ab Ecclesia canonice constituuntur, jure

divino ad pascendas oves obligantur; *Leonis XIII.* Lit. Ap. »*In suprema*« d. 10. Jun. 1882.

Ad ejusmodi animarum curantes pertinent:

Parochi *actuales* omnes, etiam »succursales«, sive opulento sive exiguo beneficio præditi; Breve *Innocentii XII.* d. 24. Apr. 1699; S. C. Concilii d. 8. Febr. 1716; minime vero parochi *habituales,* S. C. Concilii in *Castri Albi* d. 18. Jul. 1789 ad II^{um}. *Vicarii parochiarum perpetui;* hoc eruitur ex dictis in l. I. t. 28. n. 6. — 3^{0}. *Vicarii parochiarum temporanei;* sequitur ex dictis in l. I. tit. 28. n. 9.; cfr. etiam bullam *Pii IX.* »Amantissimi Redemptoris« d. 3. Maji 1858.

Huc vero non pertinent: a) *Coadjutores* parochorum qui unacum parochis eisque subjecti, licet fortasse in certo aliquo territorio, — expositi — curam animarum gerunt; b) *Missionarii* exceptis iis qui in parochiis canonice erectis fidelibus salutaria præbent; cfr. dicta in l. I. tit. 28. n. 10. et responsiones S. C. de Prop. Fid. dd. 18. Aug. 1866 et 26. Febr. 1875.

Ceterum quoad hanc obligationem non est distinctio inter clericos sæculares et regulares; si adsunt requisita, adest etiam onus.

Quæritur: Ad quid tenetur parochus qui administrat parochias duas vel plures?

Resp. Tenetur juxta numerum parochiarum ab ipso administratarum missam applicare pro populo bis vel sæpius sive per se, si binandi facultate pollet, sive per alios sacerdotes, exceptis tantum parochis qui præsunt parochiis unitis unione plenaria et exstinctiva, uti S. C. Concilii decidit in *Lucen.* d. 12. Mart. 1774. — Hæc obligatio valet etiam quando populus unius parochiæ convenit ad missam audiendam in ecclesiam alterius parochiæ ubi residet parochus, e. gr. quia prior parochia caret ecclesiâ, juxta responsum S. C. de Prop. Fid. d. 25. Febr. 1875 ad I.—IV. in *Quebecen.* Dispensatio data est ad quinquennium in *Nivernen.* d. 5. Mart. 1887 parochis administrantibus 2 parochias pro una applicatione festis *suppressis* tantum ob speciales rationes; similiter in *Fodiana* d. 28. Apr. 1888. — Aliter autem res se habet cum *Episcopis* qui secundum citatas Literas Apostolicas S. P. *Leonis XIII.* d. 10. Jun. 1882, §. »Et ne cui dubitationi« applicationis officio »satisfaciunt per celebrationem et applicationem *unius* Missæ pro universo populo sibi commisso, etiamsi duas vel plures diœceses . . æque principaliter unitas regant.« Cujus dispositionis ratio ibidem a Sum. Pont. explicatur.

Onus obligationis *personale* importat etiam, ut parochus vel alius obligatus celebret per se ipsum. Si igitur deest legitimum impedimentum, parochus debet missam celebrare per seipsum quia ipse est mediator inter Deum et fideles sibi commissos.

Ita S. C. Concilii in multis decisionibus, v. gr. in *Castri Albi.* d. 18. Jul. 1789; in *Mechlinien.*, d. 25. Sept. 1847, quæ sic se habet: »Parochi ipsi S. Missæ sacrificium pro populo offerre debent, non vero per alium sacerdotem, *excepto casu veræ necessitatis et concurrente causa canonica.*« — *Consuetudo* huic obligationi contraria non est attendenda, S. C. Concilii in citata *Mechlinien*, ad IV^{um}. Minus quam consuetudo juvat celebratio ad intentionem benefactoris vel celebratio missæ de requiem præsente cadavere, uti respondit S. C. Conc. in *Fesulana* d. 26. Jan. 1771. — Causæ autem legitimæ excusantes sunt hæ:

a) *Impossibilitas* physica vel moralis, e. gr. infirmitas vel contracta irregularitas.

b) *Absentia* legitima, S. C. Concilii d. 14. Dec. 1872.

c) *Duplex* applicandi obligatio, si quis missam et conventualem et parochialem uno eodemque die festo celebrare deberet; S. C. Concilii d. 11. Maji 1720 sic respondit: »Occurrente quod archipresbyter parochus celebret missam conventualem . . ., tunc tenetur celebrare facere per alium missam parochialem pro populo.« —

Hisce causis adjungendæ sunt 2 aliæ fundatæ in legitima consuetudine: 1°. quando parochus etiam in applicanda missa parochiali ex consuetudine coadjuvatur a *coadjutoribus* curæ, ejusmodi consuetudo sustinetur, S. C. Concilii in *Spoletana,* d. 14. Maji 1831 et in aliis; 2°. quando legitima consuetudo secum fert obligationem, ut residente cura habituali in aliquo Capitulo non solum Vicarius parochiæ, sed ceteri quoque canonici per turnum missam pro populo applicent, S. C. Conc. in *Camerinen.*, d. 16. Dec. 1820.

18. III. Onus *locale* (interdum generali vocabulo *reale* dictum).

Parochus tenetur non solum missam per se ipse applicare, sed etiam missam celebrare in *propria* ecclesia, non in alia. Hoc evidenter concluditur ex c. 2. h. t. quod etiam *correlativam populo obligationem* assistendi huic missæ parochiali statuit his verbis: »Ut dominicis vel festivis diebus Presbyteri, antequam missam celebrent, plebem interrogent, si alterius parœcianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero ibi velit Missam audire: quem si invenerint, statim ab Ecclesia abjiciant.« —

Onus quidem parochi celebrandi missam pro populo in *propria* ecclesia usque modo perseveravit, S. C. Conc. in *Lucana* dd. 15. Sept. et 12. Nov. 1629, in *Fanen.*, d, 17. Nov. 1629, S. Rota (Dec. 469. n. 67. p. 19. t. 2. rec.), obligatio vero populi adeundi ecclesiam propriam ad satisfaciendum præcepto ecclesiastico in *desuetudinem* abiit ita ut hodie liberum sit cuique fideli in toto orbe christiano Missam audire in qualibet publica ecclesia tam sæculari quam regulari — teste *Benedicto XIV.* in *Syn. diœcesan.*, l. 11. cp. 14. nn. 7. et sqq. ubi totam quæstionem docte luculenterque explicat citatis etiam Summorum Pontificum in favorem regularium decretis necnon ponderata canonistarum quorundam sententia.

Præ oculis vero habendum est id quod tradit Tridentinum in Decreto sess. 22. *De observandis et evitandis in celebratione Missæ.* Alloquens enim Episcopos ait: »*Moneant* etiam eundem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis, accedant.«

Quandoquidem hoc onus *locale* jure *ecclesiastico* est definitum, justæ causæ ab ejusmodi obligatione excusare possunt. Per se patet *legitimam absentiam* esse ejusmodi causam, dummodo, saltem festis de præcepto, populo in ecclesia propria occasio præbeatur audiendi Missam. S. C. Concilii in *Dubiis super applicatione Missæ parochialis,* d. 14. Dec. 1872 respondit: »Parochum die festo a sua parœcia legitime absentem satisfacere suæ obligationi missam applicando pro populo suo *in loco ubi degit,* dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet.«

19. IV. Onus *temporale (reale* quoque dictum latiori sensu). Teste *Benedicto XIV.* in *Inst. X.,* anno 1681 decretum exiit S. C. Concilii, quo statuebatur parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare atque ea cum distinctione, ut, si reditus sint pingues, *singulis diebus,* si vero tenues, saltem diebus festivis.« At jam anno 1716 in *Forosempronien.* d. 8. Febr. ad II^{um}. aliter ab eadem Congregatione res est decisa, sc. *omnes* parochos non teneri nisi diebus dominicis et festivis. Catalogus talium festorum exhibetur nobis in Const. *Urbani VIII.* »Universa per orbem« d. 13. Sept. 1642 ubi hæc continentur: »Dominicos dies totius anni, Nativitatis D. N. Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, SS. Trinitatis, solemnitatis Corporis

Christi et Inventionis S. Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis et Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michælis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Ss. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, Ss. Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, Ss. Simonis et Judæ et S. Mathiæ Christi Domini Apostolorum, item S. Stephani protomartyris, Ss. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Sylvestri papæ et confessoris, S. Josephi etiam confessoris et S. Annæ Deiparæ respective sponsi ac genitricis, solemnitatis Omnium Sanctorum atque unius ex principalioribus in quocumque regno, sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit.« Accensenda hisce festis est solemnitas *Immaculatæ Conceptionis B. M. V.* ex const. »Commissi nobis« *Clementis XI.* d. 6. Dec. 1708.

Pauca circa hunc festorum catalogum notanda sunt:

1. Nonnulla ex hisce festa sunt *dimidiata* — i. e. ex duplici præcepto audiendi missam et abstinendi ab operibus servilibus prius retinebatur altero remisso —, nonnulla vero *translata* vel *abrogata* sunt quoad duplex præceptum; quæritur, quid observandum sit respectu missæ parochialis his diebus? — Obligatio missæ parochialis remansit et adhuc viget idque quoad festa *dimidiata* ex Const. *Benedicti XIV.* »Cum semper« §. 7; quoad festa vero *translata* vel *abrogata* ex Const. *Pii IX.* »Amantissimi Redemptoris« d. 3. Maji 1858.

2. Cum sint diœceses et parochiæ, ubi nec patroni regni sive provinciæ nec patroni civitatis, oppidi vel pagi exsistant vel saltem non celebrentur in foro, debetne parochus missam applicare festo patroni *diœcesis* vel *titularis ecclesiæ parochialis?*

Secundum verba cit. Const. *Urbani VIII.* non tenetur; etenim catalogo festorum adnectitur clausula: »Ubi hos patronos (sc. regni vel civitatis etc.) haberi et venerari *contigerit*,« nulla mentione facta substitutionis alterius festi. — Nihilominus distinguendum est, utrum ejusmodi festa (patroni diœcesis vel titularis ecclesiæ parochialis) celebrentur etiam in foro ex legitima consuetudine necne. Si non etiam in foro celebrantur, certe obligatio applicandi pro populo non adest; sin autem celebrantur, obligatio adesse videtur; nam a) obligationi populi audiendi missam correspondet obligatio parochi celebrandi pro populo; deinde b) S. Rit. C. in

Isclana, d. 20. Nov. 1885 n. 5952 obligationem applicandi festo titularis saltem indirecte agnovit. —

3. Interdum talia festa transferri conceduntur in proximam dominicam; quoties parochus applicare tenetur?

Si festum aliquod transfertur non solum quoad solemnitatem, sed etiam quoad officium et missam, applicare non tenetur nisi sola dominica; secus si solemnitas tantum transfertur remanente officio et missa die fixo; nam in hoc casu bis applicare debet et die fixo et dominica (ratione dominicæ, non solemnitatis); *Pius IX.* in Const. »Amantissimi Redemptoris«.

4) Occurrente aliquo die, e. gr. die 24. Junii, duplice solemnitate de præcepto — solemnitate Corporis Christi et festo S. Joannis Præcursoris — et uno festo quoad missam et officium translato — festo S. Joannis in diem 25. Junii —, quæritur utrum Parochus teneatur bis applicare pro populo —, sc. die quo occurrit et die in quem transfertur?

»*Negative*«, respondit S. C. Concilii d. 28. April. 1888 in *Apamien.* et *Victorien.*; i. e. parochus non tenetur bis applicare, sed solummodo die quo duplex festum occurrit.

Etiam *temporale* onus habet suas exceptiones. Celeberrima est illa exceptio quam ponit *Benedictus XIV.* in sua *Institutione X.* ubi refert rogatu Tanarii Card.-Episcopi *Ostien.* S. C. Concilii mentem suam (i. e. ipsius Congregationis) sic declarasse: »posse ab iis parochis (locorum quorumdam) ad egestatem sublevandam stipendium accipi, licet diebus festis præbeatur, et sacrificium quod pro populo celebrandum fuerat, offerri pro illo, qui stipendium tradiderit, ea tamen conditione, ut alio hebdomadæ die pro populo offerentes suo muneri satisfaciant.«

Ob egestatem ergo *dispensantur* illi parochi non ab onere reali neque in totum, sed partialiter et quoad *tempus.* Celebrare quidem tenentur die festo, sed non applicare; nihilominus applicandi obligatio non tollitur, sed differtur.

Dixi »dispensantur«; nam S. C. Concilii expresse postulat, ut in casibus etiam summæ egestatis recurratur ad Sedem Apostolicam; cfr. causam *Spoletanam* in S. Concilii agitatam d. 27. Maji 1893 lit. f.; dispensationem pro diebus *suppressis* tantum concessam in *Fodiana* d. 28. Apr. 1888.

Ex dictis hucusque sequitur: Parochi omnesque parœciarum rectores obligantur diebus dominicis necnon festis in Catalogo Ur-

bani VIII. nominatis adjuncta solemnitate Immaculatæ Conceptionis B. M. V. ad celebrandum in ecclesia parochiali et ad applicandum pro populo. — Parochus legitime impeditus quominus celebret et applicet, alium substituere debet pro celebrando et applicando. Quodsi substituere sacerdotem nequit, quam primum ipse supplere debet applicando pro populo. — Parochus vero legitime impeditus quominus applicet e. gr. missa conventuali, non autem quominus celebret, alium pro applicando substituere tenetur. — Tandem si applicare quidem potest e. gr. legitime absens, sed non celebrare in *parochiali* ecclesia, alium sacerdotem pro celebrando substituat, ipse vero per se applicet; S. C. Concilii d. 14. Dec. 1872 in »Dubiis super applicatione Missæ parochialis.« —

20. *De munere prædicationis.* — Parochus vel per se, vel eo impedito, per alios idoneos tenetur diebus saltem dominicis, et festis solemnibus plebem sibi commissam pro sua, et plebis capacitate salutaribus verbis pascere. Conc. Trid. in c. 2. sess. 5. *de Ref.* Quod si Parochus ab Episcopo monitus per 3 mensium spatium huic muneri suo defuerit, per censuras ecclesiasticas, vel alias pœnas ad Episcopi arbitrium cogi potest ad officium prædicationis explendum. Immo Episcopus potest, si opportunum duxerit, ex beneficii parochialis fructibus partem congruam detrahere, et alteri tradere qui munus prædicationis expleat, donec parochus resipiscat. Decreti autem hujus exsecutio nullo modo impediri potest nec infirmari, aut suspendi sive ob consuetudinem contrariam, sive ob exemptionem parochi, vel etiam ob interpositam appellationem aut recursum. Trid. in cit. loco et c. 4. sess. 24. *de Ref.*

21. Porro non requiritur oratio elaborata ad formam rhetoricæ elocutionis, sed sufficit ut Parochus pascat gregem suum salutaribus verbis, prout docet *Innoc. XIII,* in Const. *Apostolici Muneris* d. 13. Maji 1723. Quam Constitutionem, quæ pro Hispania edita erat, omnibus Episcopis veluti exemplar dedit *Bened. XIII.* in Const. *In Supremo* d. 13. Sept. 1724. Huc spectant etiam Literæ Encyclicæ S. C. EE. et RR. *Leonis XIII.* jussu super s. prædicatione, ad omnes *Italiæ* Episcopos atque ad omnes Ordinum cœtuumque religiosorum Præsules datæ, d. 31. Julii 1894.

22. Nec admittitur excusatio quod satis provisum sit per publicos annuales concionatores, aut quod exiguus sit numerus fidelium parœciæ. Hæc namque effugia excluduntur a cit. Const. *Innoc. XIII. Benedictus XIV.* vero in Const. *Et si minime* d. 7. Febr. 1742

ampliavit decretum Tridentinum. In §. enim 14. statuit Pontifex ut Episcopus in Ecclesiis ruralibus etiam non parochialibus, longe a parochialibus positis decernat, etiam gravibus statutis pœnis, populum ibi edoceri debere christianæ doctrinæ elementa a sacerdotibus ibi sacra operantibus.

Urget etiam Parochum præceptum explicandi fidelibus catechismum diebus festis. S. C. Concilii in *Montis Falisci* d. 8. Maji 1706 et aliis omissis in *Nullius Orbetelli* d. 28. Aprilis 1736.

De diligente instructione obstetricibus a parochis danda videatur *Benedictus XIV.* in *Institutione VIII.*

Titulus XXX.

De decimis, primitiis et oblationibus.

1. Decimæ possunt accipi *objective* vel *formaliter*. *Objective* definiri possunt 'pars decima omnium fructuum juste quæsitorum ministris ecclesiæ quotannis solvenda ratione sacri ministerii pro eorundem sustentatione'. Ita *Hostiensis* in summa hujus tit. — *Formaliter* vero seu *juridice* inspectæ decimæ sunt '*jus petendi partem decimam ex fructibus omnibus juste acquisitis competens ministris Ecclesiæ propter ministerium spirituale.*'

2. Quæstio proponitur a DD. *quo jure decimæ solvendæ sunt?*

Ipsum factum immutationis substantialis in materia decimarum satis ostendit earundem institutionem esse juris *ecclesiastici*, et pertinere ad mutabilem disciplinam. At plura *loca juris* decimas ad *divinam* institutionem referunt, et earum solutionem divino præcepto adscribunt. Ita præsertim *Alex. III.* in c. 14. h. t. et *Innocent. III.* in cc. 25., 26. et 33. h. t. Ad rei intelligentiam sequens animadversio facienda est. In Vet. Test. divina lex expressa *Numeror. XVIII.* et *Deut. XII.* jubebat, levitis, quibus non fuerat portio terræ tributa, a ceteris tribubus solvendam esse decimam partem fructuum ad vitam honeste sustentandam. Cum legalia Vet. Test. cessaverint ex promulgatione Novi, et præsertim hac in re, cum non amplius ex una gente vel populo debeant eligi sacrorum ministri, dici amplius non potest vigere adhuc præceptum divinum Vet. Test. obligans fideles ad solutionem decimarum. In novo autem Testamento renovatum fuisse non legimus.

3. Verum in ipsa institutione decimarum V. T. reperitur elementum, quod perpetuum dici debet, ut scilicet sacrorum ministri

alerentur a populo, quæcumque tandem sit ratio subministrandi alimenta. Hanc partem divini præcepti renovatam fuisse deprehendimus in Novo Test. præsertim *Math. X.* 'Dignus est operarius cibo suo!' et in 1. *Cor.* IX. vv. 7., 11., 17. Quare adhuc viget *divinum* præceptum quo fideles tenentur suppeditare temporalia et necessaria ad congruam sustentationem ministris sacris a quibus spiritualia recipiunt, quique divinis mancipati servitiis a curis sæcularibus exempti esse debent.

4. Indifferens est utrum fideles huic oneri satisfaciant, vel concessione prædiorum, et præbendarum vel oblationum et portionis fructuum, et obventionum. Apostoli oblationes a fidelibus excipiebant. Successivis temporibus cum Ecclesiæ possiderent jam bona immobilia, istis imparibus ad honeste sustentandos ministros, adhuc mos perduravit exposcendi a fidelibus oblationes. Cum vero ob imminutum charitatis fervorem oblationes deficerent, necesse fuit *lege peculiari* has oblationes præcipere. Ne autem esset indeterminata obligatio, placuit Ecclesiæ normam sequi in Vet. Test. constitutam, qua decima pars fructuum solvenda erat. Quare lex obligans ad decimarum solutionem in sua forma specifica est lex ecclesiastica. Verum duplici ex respectu decimarum præceptum dici potest divino ex jure procedere: 1°. Quia ex jure divino derivat præceptum tribuendi in genere ministris honestam sustentationem quæ post institutas decimas in Ecclesia præstatur per earundem solutionem. Unde Glossa in c. 25. v. »Divina« h. t. explicans illud *divina constitutione* scribit: 'Quia debent esse cibus in domo domini.' 2°. Quia instituta mensura seu quantitas oblationum solvendarum Ecclesiæ in decima parte fructuum dici potest inducta esse ad imitationem disciplinæ Veteris Testamenti.

De divisione decimarum.

5. Claritatis causa animadvertimus aliquibus in locis solutionem decimæ partis fructuum repræsentare jus *condominii* Ecclesiæ in fundo. Id autem verificatur si fundus Ecclesiæ datus fuerit in *emphyteusim* sub ea conditione ut emphyteuta solveret canonem in decima parte fructuum. Decimæ hujusmodi, ut quisque videt, solvuntur titulo *civili* in repræsentationem juris realis, quod habet Ecclesia, non autem titulo Sacramentorum. Igitur decimæ hujusmodi dici non possunt *sacramentales.* Nos loquimur de decimis sacramentalibus.

6. 1°. Aliæ sunt *personales*, aliæ *reales*. Reales, quæ etiam prædiales dicuntur, sunt quæ solvuntur ex fructibus prædiorum, quos vel natura sua, vel cooperante industria, et labore hominis — posteriores igitur interdum *mixtæ* vocantur — prædia referunt. Personales illæ sunt, quæ solvuntur ex obventionibus acquisitis ex sola industria et labore personæ. Ex. gr. ex lucro quod personæ acquirunt ex negotiatione, artificio etc.

7. Reales penduntur a possessore fundi quicumque ille sit, et dividuntur 1°. in *majores et minutas*. Majores sunt quæ solvuntur ex fructibus, qui in agris majoris momenti et quantitatis solent esse ex. gr. ex frumento, vino, oleo etc. Minutæ solvuntur ex fructibus qui exigui esse solent ex. gr. herbis, pomis, lana etc. 2°. Dividuntur in *antiquas et novales*. Antiquæ solvuntur ex fructibus fundi qui jam colebatur; novales, quæ ex terris nuper ad culturam redactis, ex. gr. si palude exsiccata, agri fiant, vel si fundus ab hominum memoria sterilis nunc incipit excoli et fructificare.

8. Quæritur *de quibus rebus decimæ solvendæ sint*.

In c. 23. h. t. decernitur: 'Fidelis homo de *omnibus, quæ licite acquirere potest*, decimas erogare tenetur'. Concordant cc. 22. et 26. eod. Et quidem solvendæ sunt decimæ non solum de terris ad culturam redactis, sed etiam de novalibus c. 29. h. t. Pariter de omnibus proventibus molendinorum, piscationum etc. c. 5. eod. necnon de negotio, artificio c. 66. C. 16. q. 1. — Excipiuntur res et fructus *injuste* acquisiti; ex hisce enim Ecclesia decimas non recipit, ne videatur participare de pretio criminis et injustitiæ; argumento a sensu contrario c. 23. h. t. et c. 27. C. 1. q. 1. Quod si vero *fundus* fuerit per injuriam occupatus, usurpator tenetur decimas præstare arg. c. 16. h. t. Nam decimæ prædiales fundo inhærent, qui fundus censetur Ecclesiæ obligatus. Hinc non ex injusta actione hominis, sed potius ex fructibus terræ quæ donum Dei est c. 26. h. t.

Animadvertendum autem est decimas *reales* solvendas esse *non* deductis, seu non computatis expensis pro cultura et tributis. Debetur enim decima pars fructuum telluris c. 33. h. t. Doctores vero communiter tradunt decimas *personales* solvendas esse *deductis expensis*. Personales enim decimæ fructibus civilibus æquiparantur, qui computantur post deductas expensas, et onera l. 7. ff. *Soluto matr.*

Cuinam decimæ solvantur.

9. Decimæ ab Ecclesia statutæ sunt, ut solvantur *clericis spiritualia populo ministrantibus.* Quare ille jus habebit decimas percipiendi, cui ex officio incumbit onus sacramenta et alia spiritualia populo ministrandi. Facta igitur divisione diœcesis in parœcias, *Parochus* est cui solvendæ sunt decimæ cc. 29. h. t. et 31. h. t. Quare juxta canonistas Ecclesia parochialis de jure communi fundat intentionem in perceptione decimarum prædialium ex fructibus qui colliguntur intra limites parochiæ suæ. Ita *Fagn.* ad c. 29. h. t. n. 21. Immo Canonistæ allatis decisionibus S. Rotæ docent, parochum habere intentionem fundatam in jure quoad perceptionem decimarum etiam contra ipsum Episcopum.

10. Verum cum Episcopus sit princeps pastor suæ diœceseos, a quo vel indirecte et mediate, vel directe et immediate fideles spiritualia recipiunt, hinc sacri canones eidem reservarunt quartam partem decimarum uniuscujusque parochiæ c. 13. h. t. Verum hoc jus Episcopo a parocho præscribi potest *quadragenaria* præscriptione c. 4. *De præscr.* (II. 26).

11. Quod si parochus contra Episcopum quoad jus decimarum percipiendarum fundatam habeat intentionem in jure, a fortiori illam habere debet contra *alios clericos* diœceseos, et parochiæ. Cfr. dicta in libro II. tit. 13. n. 11. et tit. 23. n. 9. Quare in specie nostra reliqui clerici, ut percipiant decimas in parochia, debent habere aliquem *titulum peculiarem.*

12. Hujusmodi tituli possunt esse 1⁰. *privilegium Apostolicum* c. 2. h. t. in 6⁰., 2⁰. *transactio* c. 3. h. t. Hæc vero transactio fieri debet ad formam juris seu cum solemnitatibus juris, nec jus decimandi loco pretii venire debet sess. 24. c. 14. *de Ref.* in Trid. 3⁰. *Permutatio* pariter legitime facta cc. 6. et 9. *De rerum permut.* (III. 19). 4⁰. *Præscriptio* quæ, si habeat titulum, qui causam dedit possessioni, sufficit ut sit *quadragenaria;* si titulo careat, requiritur ut sit *immemorialis.*

13. Porro jus percipiendi decimas contra Parochum non extenditur ad *novalia* cc. 29. h. t. et 2. in fin. eod. in 6⁰. Quod si alicui conventui concessum sit privilegium percipiendi decimas ex agro novali, de *illo* agro dumtaxat indultum intelligendum est. c. 21. *De Verb. signific.* (V. 40).

14. Si tandem sermo sit de *laicis* ipsi nunquam præscribere possunt contra parochum jus decimandi. At potest laicus homo ex

privilegio pontificio jus decimandi obtinere, et *ad tempus* potest etiam ex *Episcopi* concessione. Afferri possunt c. 25. ubi supponitur decimas laicis olim in feudum dari potuisse, et c. 19. h. t. ubi laici dicuntur decimas sibi concessas illicite possidere et c. 15. h. t. ubi prælati qui decimas laicis concedunt vehementer increpantur. Quod vero ad tempus possint prælati decimandi jus concedere laicis patet ex principiis generalibus expositis in titulo *De donationibus* (III. 24) et in tit. *De locato et conducto* (III. 18). Ut vero res intelligatur, jus decimandi potest considerari sub duplici respectu. 1°. Quatenus est *jus spirituali adnexum*, vel ordinatum præcise ad officium ministerii spiritualis, seu quatenus decimæ penduntur personis determinatis ministrantibus spiritualia. Hoc in sensu nullo modo potest laicis jus decimandi competere. 2°. Decimæ considerari possunt ceu pars patrominii Ecclesiæ, ceu bona temporalia Ecclesiæ, quæ comparari possunt præbendis beneficialibus. Hoc sub adspectu *in genere* laicis competere non possunt quia destinantur Clericis, c. 26. h. t. At ex privilegio Pontificis concedi possunt laicis *generatim* præsertim in feudum, et *ad tempus* etiam ab Episcopo.

De personis, quæ decimas solvere tenentur.

15. Si de personalibus sermo sit, eas solvere tenentur omnes, qui jus habent percipiendi a Parocho suo spiritualia. Hinc eas non solvunt infideles et Judæi quia nullo spirituali jure potiuntur. Hæretici autem summo jure tenerentur decimas solvere, quia ingressi Ecclesiam per baptismum jus haberent percipiendi spiritualia, quod si ea non percipiunt, ex eorum facto provenit. Verum ex quo hæretici peculiares societates constituunt distinctas ab Ecclesia catholica, in negotio salutis censentur aberrare, et quoad spiritualium perceptionem infidelibus comparari possunt. Decimas ergo solvere non tenentur.

Etiam pro catholicis potest esse ratio exemptionis a decimis *personalibus*. Ita 1°. *clerici* et *religiosi* parocho loci decimas personales non solvunt. Levita enim levitæ non decimat c. 2. h. t. Consortes enim censentur esse clerici, et religiosi una cum parocho in ministerio. 2°. Etiam *privilegium Summi Pontificis* potest aliquem fidelem eximere ab onere solvendi decimas personales. 3°. *Consuetudo* quæ in decimarum materia præ oculis est habenda juxta cc. 18., 20., 32. h. t.; cfr. dicta in l. I. tit. 4. Et revera consue-

tudine inductum est ut hæ decimæ amplius non solvantur. 4°. *Præscriptio* quæ *cum* titulo sufficit ut sit 40 (100 contra Ecclesiam Romanam) annorum; si absque titulo necesse est ut sit immemorialis.

16. *Reales* decimæ solvuntur ab omnibus qui prædia possident juri decimandi obnoxia.*) Hinc etiam Judæi et infideles vel hæretici ad quos pervenerunt hæc prædia tenentur decimas solvere; cc. 18. *De usuris* (V. 19) et 16. h. t. Ratio est quia secus Ecclesia fraudaretur jure suo. Nec illis infertur injuria, nam terra decimarum solutioni obnoxia tanti minoris æstimabatur, et pro ea inferius pretium impenderunt ut acquirerent. Easdem decimas solvere tenentur domini prædiorum licet alibi domicilium fixerint: cc. 5. *De parochiis* (III. 29), 2. *De restit. spol.* (II. 5) in 6°., 1. *De præscr.* (II. 13) in 6°., nisi contraria adsit consuetudo cc. 18. et 20. h. t. Qua in re etiam animadverti potest in erectione novæ parochiæ intra limites alterius posse reservari jus decimandi in favorem Ecclesiæ *matricis,* saltem. in parte, idest constituta prius rectori Ecclesiæ filialis congrua portione. Ex quo contingere potest ut bona exsistentia intra fines novæ parochiæ maneant obligata Parocho *veteris* parœciæ seu Ecclesiæ matricis. Quæ œconomiæ ratio observanda præcipitur in c. 44. C. 16. q. 1. ne Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam perdant, ut insinuatur in ipso Trid. sess. 21. c. 4. *de Ref.* ubi decernitur solummodo ut novo Parocho adsignetur congrua portio ex fructibus antiquæ Ecclesiæ quomodocumque pertinentibus. Attamen decimæ *novales* pertinent ad parochum non matricis, sed filialis ecclesiæ. —

17. Quid vero dicendum *de Clericis?*

Certe hi tenentur decimas solvere de bonis *patrimonialibus,* seu quæ titulo *civili* possident. Cadunt enim hæc bona sub dispositione cc. 23., 24. h. t. Pariter tenentur decimas solvere de bonis quæ antea decimarum solutioni subjiciebantur et deinde in

*) Negari nequit jus decimarum origine sua esse jus non reale, sed *personale* proveniens ex quasi-contractu inter ministrum sacrum spiritualia præstantem et fideles temporalia reddentes; cfr. *S. Thomam* in *Summa Theologica:* 2.2. q. 87. a. 2. et cc. 18., 20., 16., 32. h. t. Nihilominus consuetudine rationabili quæ perpetuas vel ex rerum circumstantiis vel etiam ex dolis provenientes vacillationes removeret, factum est, ut decimæ reales persolverentur ex jure *reali* i. e. quasi essent prædiis annexæ. Cfr. *Prælectiones Jur. Can.* quas tradebat *Guilelmus Sebastianelli.* Romæ 1896. De Personis n. 273. pag. 321. not. 1.

dotem beneficii transierunt c. 43. C. 16. q. 1. Res enim transeunt cum onere suo, c. 33. h. t.

At si sermo sit de bonis quæ clericus possidet titulo beneficii, quæque antea subjecta non erant oneri solvendarum decimarum de illis decimas solvere non debet. Hæc conclusio infertur ex c. 2. h. t. in quo, ne contradictio admittatur, dicendum est cum Glossa, et communi doctorum sententia, præcipere caput solutionem decimarum a clericis faciendam de bonis *patrimonialibus*, seu titulo *civili* possessis, non vero de bonis ecclesiasticis. Quoad enim ista bona verificaretur absurdum quod Levita decimas solveret Levitæ, seu Ecclesia Ecclesiæ, sacrum ministerium alteri ministerio sacro. Hanc insuper distinctionem inter bona patrimonialia et beneficialia quoad onus decimas solvendi adoptavit per juridicam interpretationem S. C. Conc. in *Marsicana* d. 12. Aug. 1631 et aliis omissis in *Hortana decimarum* d. 25. Sept. 1694.

18. Si de regularibus sermo sit, variæ adsunt decisiones in decretalibus Gregorii tum quoad fundos *ab antiquo possessos*, tum quoad prædia *exculta ab antiquo*, tum quoad *novalia*: tandem tum quoad prædia exculta ab *ipsis* religiosis, tum quoad ea quæ *aliis* excolenda tradunt. Cf. cc. 10., 11., 12., 34. h. t., 2. eod. in 6°. §. »Cæterum« necnon c. 21. *De Verb. sign.* (V. 40). Hisce capitibus juris adjungenda est resolutio S. C. Conc. in causa *Pampilonensi* decimarum dd. 21. Aug. 1728 et 19. Jan. 1731 in qua declaravit: 'Regulares non habentes in privilegiis expressam derogationem cap. »Nuper« 34. teneri solvere integras decimas, exceptis bonis, et rebus præscriptis in cap. »Ex parte« *X. De decimis*.'

Ex hisce colligitur omnes regulares esse exemptos ab onere solvendi decimas tam *personales,* quam reales quæ præstari deberent ex fructibus hortorum suorum, nutrimentis animalium, et novalium, quæ vel propriis manibus, vel propriis sumptibus excolunt; de quibus sermo est in cap. 10. h. t. solvere vero debere decimas de fundis decimalibus, qui ad eos cum tali onere pervenerunt, nisi speciali privilegio eximantur.

De pœnis statutis contra non solventes decimas.

19. 1°. Ex cc. 5., 21. et 26. h. t. et ex Trid. sess. 25. c. 12. *de Ref.* præter grave peccatum decimas non solventes subjiciuntur *excommunicationi ferendæ sententiæ,* a qua non possunt absolvi nisi plene satisfecerint. 2°. Ex c. 19. h. t. privantur *ecclesiastica sepul-*

tura. 3°. In c. 1. h. t. in 6°. regularibus præcipitur ne retrahant fideles a solutione decimarum. Cui constitutioni inhærens *Clem. V.* in Clem. 3. *De pœnis* (V. 8) statuit, regulares, qui in sermonibus suis nempe publicis, vel alibi aliquid proferre præsumpserint ut retrahant alios a solutione decimarum, excommunicationem ipso facto incurrere. At hæc excommunicatio *non* fuit renovata in Const. '*Apostolicæ Sedis*'. 4°. In Clem. 1. h. t. regulares usurpantes vel impedientes decimas debitas ecclesiis, *suspenduntur* ab officiis, administrationibus, et beneficiis quæ possideant, quod si nihil horum habeant, excommunicantur, si intra duos menses iisdem Ecclesiis non satisfecerint. Porro suspensio, de qua in hac decretali, juxta doctores intelligitur ab administratione rerum temporalium, non autem a divinis.

20. Si decimæ denegentur, potest decimator agere in *petitorio* actione confessoria, qua a judice exposcit ut declaretur sibi jus decimandi competere. Ita Glos. in c. 26. h. t. Si vero quæstio sit in *possessorio*, utrum nempe decimator possideat jus decimandi necne, tunc poterit agere remedio adipiscendæ, vel retinendæ possessionis. Primum judicium cum totum versetur circa jus spirituale est exclusivum tribunalis *ecclesiastici* arg. cc. 25. h. t. et 9. *De rerum permut.* (III. 19). Secundum vero seu judicium in possessorio, cum possessio juris sit res temporalis, poterit *etiam* pertinere ad *laicum* judicem, cum videlicet reus erit laica persona.

21. Subjungimus hic Instructionem S. Pœnitentiariæ, quam cum Episcopis aliisque in Italia locorum Ordinariis d. 2. Sept. 1887 communicavit:

»Ut cleri indemnitati et conscientiis fidelium nuper per promulgationem et exsecutionem legis civilis decimas abolentis in commune discrimen adductis, quantum in præsens fieri potest, consulatur, sacra Pœnitentiaria, benigne sic annuente Sanctissimo Domino Nostro *Leone* Papa *XIII.*, sequentes regulas cum Episcopis aliisque in Italia locorum ordinariis communicat.

1°. Inprimis ordinarii, quibus id modis opportunum duxerint, fideles edoceant, jus percipiendi decimas ecclesiæ a potestate *civili* auferri minime potuisse, ideoque fideles ad eas solvendas non secus atque antea omnino *teneri*, nec quemquam ab onere et obligatione hujusmodi liberari nisi per solam *ecclesiasticam* auctoritatem posse.

2°. Igitur quo facilior pateat fidelibus via suæ consulendi conscientiæ, seseque ab onere decimarum solvendarum in perpetuum liberandi, iidem ordinarii eos excitabunt, ut ad justam decimarum *redemptionem*, vel etiam, ubi casus ferat, ad æquam super illis *compositionem* admitti petant. Quem in finem sacra Pœnitentiaria, de speciali et expressa apostolica auctoritate, necessarias et opportunas facultates omnibus in Italia locorum ordinariis harum tenore litterarum tribuit ad *quinquennium* dumtaxat valituras.

3°. Facta autem decimarum redemptione vel compositione, pretium earumdem, prudenti ordinariorum judicio juxta peculiaria cujusque casus adjuncta determinandum, cum stet loco sortis decimarum, collocetur in tuto, honesto et fructifero *investimento;* fructus vero applicentur beneficiis vel piis locis, quæ damnum passa fuerint.

4°. Qui decimas nec redemerint nec super illis ullo modo se composuerint, *et cathedrali aut quibuscumque aliis ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur integre persolvere noluerint, non absolvantur nisi plena restitutione secuta* (Conc. Trid. sess. 25. de refor. c. 12), salvis tamen regulis a probatis auctoribus traditis circa illos qui *inopia* vel *paupertate* laborant.

5°. Noverint insuper ordinarii *tolerari,* ut vel ipsi vel parochi aliique quorum interest a gubernio petant compensationem pro damno sibi illato, ita tamen ut in hujusmodi petitione nihil contineatur, quod ad jus de decimis disponendi in laica potestate probandum trahi possit, et expresse significetur compensationem peti titulo tantum legitimæ indemnitatis.

6°. Denique non omittent singuli ad s. Sedem referre, quanto damno decimarum suppressio suis diœcesibus fuerit.«

De primitiis.

22. Primitiæ sunt primi fructus. De primitiis sermo est in lib. *Exod. XXIII.* 19., *Num. XVIII.* 11. sqq. et *Deut. XXVI.* 2. sqq. Ex c. 1. h. t. et Glossa ibi, in Ecclesia instituta est praxis solvendi Ecclesiæ primitias, quæ comprehendunt non solum primos fructus agrorum et animalium in anno, sed etiam primos fructus agri novalis. Porro nomine primitiarum solvendarum Ecclesiæ venit certa portio ex fructibus agrorum, quæ non excedit quadragesimam partem ipsorum fructuum. In animalibus vero ipsum primogenitum animal non in natura, sed ejus æstimatio præstanda

est in portione quæ major non sit quadragesima. Si primitiæ solvantur Ecclesiæ parochiali, parochus est, qui exclusive ad alios sacerdotes, facit suas. Si solvantur aliis Ecclesiis, cedunt ipsis Ecclesiis. In genere præsumitur primitias Parocho solvi debere. At fere ubique in desuetudinem abiere.

De oblationibus.

23. Oblationis nomine venit quidquid Ecclesiæ offertur causa religionis. Antiquis temporibus duo oblationum erant genera: 1um. earum quæ fiebant *ad altare* intra missam, de quibus oblationibus mentio fit in Canone Missæ ante orationem Domini necnon in Ordinatione Subdiaconorum; 2um. earum quæ deferebantur ad domos Episcoporum. De his videri potest *Benedictus XIV.* in *Syn. Diœces.* l. 5. cp. 8.

Oblationes per se inspectæ non cadunt sub ullo jure sive divino sive humano. At ex lege testamentaria aut ex consuetudine, præsertim in defectu honestæ sustentationis ministrorum fieri potest ut certis anni temporibus fideles teneantur oblationes Ecclesiæ præstare. Cavendum vero est præsertim in usu sacramentalium, in benedicendis agris vel domibus aqua lustrali, ne exigantur oblationes ceu correspectivum benedictionis.

24. Si quæratur cuinam cedant oblationes, dicendum est de jure communi oblationes quæ fiunt intra limites parœciæ, sive in Ecclesia parochiali, sive in oratorio privato, vel alicui imagini pertinere *ad Parochum loci.* Ipse enim habet fundatam intentionem in jure. Ita communiter Doctores. At hac in re notanda sunt: 1°. Principium superius allatum locum habuisse in tota sua extensione cum vigebat usus decimarum. Hodie autem præsertim locorum *consuetudines* attendendæ, quibus consuetudinibus inductum est ut oblationes oratoriis, vel locis piis factæ administrentur ab illis quibus commissa est loci cura sub Episcopi auctoritate, vel saltem vigilantia. Qua in re præ oculis haberi debet decretum Urbis et Orbis S. C. Rituum d. 10. Dec. 1703 edit. circa jura parochialia, et præeminentias inter Parochos, et confraternitates laicorum, eorumque Capellanos. In dubio 28. decreti cum quæreretur: »An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, et eleemosynarum in sæpe dictis Ecclesiis (confraternitatum) recollectarum vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retinere«,

responsum est: *Negative.* 2°. Præcipue attendenda est *intentio* fidelium offerentium.

25. Ecclesia non a quibuscumque recipit oblationes: 1°. non recipit oblationes in Ecclesia, vel ad altare *a non baptizatis*, et ab aliis qui a communione præcisi sunt. 2°. Ab *usurariis*, c. 3. *De usuris.* (V. 19). 3°. A *raptoribus*, c. 2. *De raptoribus* (V. 17). 4°. Ab *oppressoribus pauperum* c. 2. D. 90. 5°. A *sacrilegis*, c. 8. C. 17. q. 4. 6°. A *publicis pœnitentibus* ne videatur ratione oblationis Ecclesia remittere pœnam c. 118. D. 4. *De consecrat.* 7°. Etiam a *publicis peccatoribus*, in pœnam criminis et scandali.

TITULUS XXXI.

De regularibus et transeuntibus ad religionem.*)

1. Antiquissimi sunt in Ecclesia cœtus personarum, quæ *ex professo* quasdam virtutes exercent, et perfectioni vitæ spiritualis insistunt. Cœtus isti dicuntur vivere in statu regulari. Cum personæ in hoc statu viventes consiliorum evangelicorum observantiam spondeant visum est aliquibus posse juri divino tribui hunc statum. At revera quamvis in statu regulari locum habeant præcipuum tria evangelica vota, tamen status ipse prout specifice determinatur in hodierna disciplina ab ecclesiastica institutione repetendus est et *juris est ecclesiastici.* Et definitur *'Stabilis in communi vivendi modus fidelium ad Christianam perfectionem tendentium, ab Ecclesia approbatus, editis votis perpetuæ obedientiæ, paupertatis, et castitatis'.* Ex hac definitione descendit ad statum religiosum constituendum requiri 1°. *stabilitatem* seu permanentem, immo *perpetuam conditionem* a fideli susceptam per liberam professionem, quæ inducat veram obligationem personalem; item perpetuam conditionem *in religiosa communitate,* nam vita solitaria sive eremitica nostris temporibus ab Ecclesia uti status regularis non approbatur.

2. 2°. *Tria vota perpetua castitatis* etc. Hæc tria vota dicuntur substantialia status religiosi tum quia ex evangelica præscriptione sunt media ut pertingat homo ad culmen christianæ *per-*

*) Cfr. de materia etiam sequentes titulos usque ad 38. excl. — Inter auctores hanc materiam tractantes eminet *Suarez: De religione;* item Comes *de Montalembert: Monachi occidentis.* (Gallice: Les Moines d'occident, Paris 1860.)

fectionis pro qua institutæ sunt regularium familiæ, tum quia hisce tribus votis potest etiam *aliud* votum accedere.

3. 3⁰. Requiritur *approbatio Ecclesiæ* quæ judicio suo cognoscat de qualitate regulæ propositæ utrum revera ad scopum perfectionis dirigere valeat. Antiquitus regulæ religiosarum familiarum ab ordinariis locorum probabantur cum consensu Romani Pontificis, vel tacito, vel præsumpto. Deinde cum multiplicitas religionum confusionem induceret in Ecclesia, factum est ut *Innocent. III.* in Conc. Later. IV. judicio S. Sedis indirecte reservaverit approbationem ordinum regularium c. 9. *De relig. domib.* (III. 36). Concordat cap. un. *De vóto* (III. 15) in 6⁰. Hinc approbatio hujusmodi cœpit adnumerari inter causas majores, quæ ex dispositione c. 3. *De Bapt.* (III. 42) reservantur Rom. Pontifici decernendæ.

4. Ex cap. un. *De voto* (III. 15) in 6⁰. deprehendimus vota alia esse *solemnia,* alia vero *simplicia,* et solemnitatem non esse aliquid intrinsecum ipsi voto idest aliquid dependens ab ipso vovente, sed aliquid superadditum ab *extrinseco.* Scilicet solemnitas voti inducta est ab Ecclesia, quæ religionem approbat, agnoscens regulam religionis illius esse medium perfectionis assequendæ. Solemnitas vero voti efficit ut actus qui contra votum simplex esset solummodo illicitus, contra votum solemne sit etiam *invalidus. Antiquitus* cum nulla esset religio approbata quin vota haberet solemnia, hinc ipsa simplex approbatio inducebat solemnitatem votorum. — *Nostris* vero temporibus ad inducendam solemnitatem votorum non sufficit, ut Ecclesia agnoscat et approbet aliquam communitatem tamquam verum ordinem vel veram religionem, sed considerandum est, utrum in eodem vero Ordine (religione) vota emittenda sint *uti solemnia,* an *uti simplicia;* item quoad vota simplicia utrum *mere* sint simplicia an simplicia *qualificata,* sc. cum effectu uno vel alio votorum solemnium. Sic in Societate Jesu vota simplicia — dispositione Constitutionis »*Ascendente*« *Gregorii XIII.* — efficiunt, ut matrimonium post contractum sit invalidum. Quare non jam valet axioma: Hæc est religio vera; ergo vota in ea emissa sunt solemnia.

5. *Divisio* communitatum ad perfectionem tendentium:

1⁰. Quoad *sexum:* Communitates *virorum,* quarum socii *regulares* sive *religiosi* vocantur, et communitates *feminarum,* quarum membra dicunt *religiosas* sive *moniales* vel *sanctimoniales.*

2⁰. Quoad *occupationem præcipuam:* communitates *activæ, contemplativæ,* in quantum sc. vita activa vel contemplativa prævalet; *mixtæ* quando utraque vita æque exercetur.

3⁰. Juxta *originem regulæ:* regula ss. *Bisilii, Benedicti, Augustini, Francisci.* Sub hac quadruplici magna regula diversæ exsistunt juxta diversitatem constitutionum religiosæ familiæ e. gr. Basiliani ritus pure Græci (Cryptæ ferratæ prope Romam) sub regula S. Basilii, item Basiliani ritus Græci-Melchitæ; Dominicani, Clerici regulares S. Augustini, Ordo Visitationis sub regula S. Augustini; Benedictini proprii in variis Congregationibus, dein Silvestrini, Olivetani, Camaldulenses, Cistercienses etc. sub regula S. Benedicti; tandem Conventuales, Capulati, Ordo Fratrum Minorum sub regula S. Francisci.

4⁰. Ex *natura constitutionis:* Ordines *clericales* et *monachales; Mendicantes,* et Non-mendicantes; *Militares* et Non-militares.

5⁰. Ex *natura votorum: Communitates* cum votis *solemnibus* (ordines veri, religiones propriæ), et cum votis *simplicibus* (quæ Congregationes dici solent). Nostris temporibus adsunt religiones mulierum *propriæ,* in quibus tamen vota *solemnia non* emittuntur, e. gr. in Gallia.

De ingressu in religionem.

6. Loquimur *de ingressu* tantum, deinde de professione. Pro ingressu I⁰. *ætas* determinata non est. Sufficit vero ætas *pubertatis* cc. 8. et 12. h. t. et quoad mulieres Trid. sess. 25. *De Reg.* c. 17. Et ratio est quia hæc ætas necessaria ad sufficientem discretionem habendam, et sufficiens reputatur, ut persona indolem status regularis cognoscat, et proprias vires cum rigore ejusdem comparet. Hinc quicumque in ætate pubertatis constituti nullo impedimento detinentur, ingredi religionem possunt.

II⁰. Requiritur II⁰. *libertas* disponendi de propria persona. Qua libertate carent: *Episcopi,* saltem confirmati, sine Pontificis consensu non possunt ingredi religionem cc. 18. h. t., 2. *De translatione* (I. 7), 10. *De renuntiatione* (I. 9). 2⁰. *Conjuges* post matrimonium *consummatum* cc. 3. et 13. *De convers. conjug.* (III. 32) nisi quibusdam positis conditionibus, de quibus infra in cit. tit. *De conversione conjug.* 3⁰. *Servi* sine domini licentia, c. 3. C. 17. q. 2. et c. 12. C. 16. q. 1. Quibus adhærent Constitutiones *Sixti V.* '*Cum de omnibus*' editæ Kal. Dec. 1587 et instructio edita jussu

Clementis VIII. die 19. Martii 1603. 4°. *Obligati ad ratiocinia,* seu qui debent adhuc reddere rationem administrationis rerum alienarum c. 1. D. 53. et Constit. *Sixti V.* et *Clem. VIII.* cit. Ex quibus constitutionibus excluduntur etiam 5°. nimium *ære alieno gravati.* Hisce accensendi sunt: *Infames* et *vitiati corpore* ex eisdem Constitutionibus; deinde etiam *clerici,* præcipue curati et beneficiarii, si ecclesia grave damnum ex ingressu eorum pateretur juxta *Benedictum XIV.* in Const. »Ex quo dilectus« d. 14. Jan. 1747. necnon *filii familias* quorum »parentibus in necessitate exsistentibus aliter subveniri non posset.« *S. Thomas:* in Sum. Theol. IIª. q. 189. a. 6.

7. In hodierna autem disciplina præ oculis habenda sunt duo decreta *Pii IX.* s. mem. Primum decretum incipit *Romani Pontifices,* secundum vero incipit *Regulari disciplinæ.* Utrumque editum fuit die 25. Jan. 1848.*)

In primo statuit Pontifex in quovis ordine, vel societate, vel congregatione, instituto aut monasterio, sive habeat vota solemnia, sive habeat solummodo simplicia, nullum esse admittendum ad habitum religiosum suscipiendum nisi antea muniatur, et præsentet literas *testimoniales* Ordinarii *originis,* et ordinarii loci illius in quo per annum post 15. annum completum commoratus fuerit. Ordinarii etiam per secretas informationes tenentur in conscientia omnia diligenter inquirere, et exponere tum de natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, et scientia illius, qui expostulat ingredi religionem. Obligatio requirendi Literas testimoniales ab Ordinario loci illius in quo suscipiendus *per annum* post 15. annum completum commoratus fuerit, generaliter loquendo etiam *nunc* valet, at gravioribus periculis debentur cautelæ majores; inde S. C. super Disciplina Regulari in lit. Encyclicis præscripsit d. 27. Nov. 1892, ut omnes religiosi *militiæ* sive adscribendi sive adscripti obligarentur ad afferendas lit. testimoniales omnium illorum Ordinariorum in quorum diœcesibus saltem *per trimestre* commorati fuissent (n. 5°.), quare Ordinarii semper sunt informandi de religiosis qui in eorundem diœcesibus servitium militare præstare tenentur (n. 4°.). — De hisce lit. testimonialibus videatur appendix ad l. I. tit. 11. (l. I. pg. 154 sqq.) — Notandum est

---

*) Vide utrumque documentum apud *Bizzari* in *Collectanea* pg. 282 et sqq.

decretum citatum respicere non sanctimoniales, sed religiosos tantum *viros*.

8. Secundum decretum duplici constat parte. In Iª. parte præscribitur *modus observandus in approbatione, et acceptatione novitii ad habitum suscipiendum.* Modus hic consistit in duplici præsertim *scrutinio.* Primum scrutinium perficiendum est in *Provincia,* in qua fidelis homo expostulat habitum religiosum. Perficitur vero a Provinciali et a septem aliis idoneis religiosis, in capitulo provinciali electis, qui examini subjiciant postulantem et documenta expendant, et per secreta suffragia judicent an dignus sit qui in religionem recipiatur. Unum supra medietatem suffragiorum requiritur ut postulans probatus habeatur. Secundum scrutinium *Romæ* faciendum est a Superiore generali totius ordinis, vel a procuratore generali Romæ commorante, quoties superior generalis ibidem non resideat, et saltem ab aliis tribus generalibus examinatoribus. Quare documenta et examen in primo scrutinio habitum in forma authentica Romam transmittenda sunt. Quod si tres examinatores nec Romæ commorantur, nec Romam commode vocari possunt, eadem acta seu documenta transmittenda sunt ad Superiorem generalem etsi alibi moretur. Insuper præter utrumque scrutinium servanda sunt, quæ a Constitutionibus *particularibus* cujusque ordinis religiosi statuta sunt. Ille habitum religiosum suscipere poterit qui in utroque scrutinio, et juxta legem peculiarem ordinis fuerit probatus.

9. Altera pars decreti inscribitur *De lege servanda in admittendis Novitiis ad professionem.* Summa dispositionum hæc est: Provincialis, vel si in religione non adsit Provincialis, Superior domus novitiatus duobus mensibus ante professionem, audita relatione Magistri novitiorum, vel per se, vel per idoneum religiosum interrogare debet Novitium de voluntate profitendi, de spiritu, quo ducitur, de indole regulæ instituti. Deinde auditis singillatim religiosis in domo novitiatus commorantibus, convocare debet capitulum ejusdem domus, et exquirere debet sententiam capitularium. Deinde provincialis sententiam capituli communicare debet tribus examinatoribus qui judicent cum Magistro Novitiorum utrum dignus sit Novitius, qui ad professionem admittatur. Tandem provincialis de omnibus instructum reddere debet superiorem generalem, qui, captis etiam aliis informationibus, approbationem datam ab examinatoribus revocet vel confirmet. Insuper ea omnia ob-

servanda sunt, quæ ab Instituti religiosi Constitutionibus requiruntur.

10. Ingressus in religionem proprie regularem non facit, sed *Novitium*. Novitii autem ex stricta *obligatione* non tenentur ad tria vota observanda, nec ad observanda alia præcepta vel statuta regulæ familiæ religiosæ, sed solum, ut ajunt, ex honestate et decentia, omnibus tamen religionis *privilegiis* fruuntur. — Libere vero possunt ad statum sæcularem remeare.

De professione religiosa.

11. Professio est, quæ hominem religiosum facit. Definitur autem: '*Libera et solemnis promissio qua homo fidelis religiosum statum firmiter assumit, religione per suum prælatum expresse, vel tacite approbante, et acceptante*'.

12. *Libera* debet esse professio seu ex libero consensu personæ profitentis procedere debet. Nulla igitur est professio eorum quibus in actu professionis deest vel *usus rationis* omnino vel *cognitio rei*, sc. professionis, essentialis. Quando autem actus professionis positus fuit ab homine mentis integræ, licet postea fortasse signa vesaniæ aliquot emerserint, invalida non est censenda professio; S. C. EE. et RR. in una *Ordinis S. Mariæ de Mercede*, d. 8. Martii 1895. — Item si emittatur professio ex *metu gravi*, seu qui cadat in virum constantem, et sit externe, injuste et directe incussus, ipsa professio invalida est, c. 1. *De his quæ vis metusque causa fiunt* (I. 40) et lib. I. t. 40. n. 7. Cui concordat Conc. Trid. sess. 25. cc. 16.—19. *De regularibus*. Quare in professione religiosa quemadmodum in contractu matrimonii non valet principium, actus positi sub metu gravi validi sunt, sed rescinduntur ad querelam partis læsæ. In genere comminatio damni gravis sive contra *personam*, sive contra *honorem* sive contra *patrimonium* habetur ceu causa metus gravis; solet enim etiam in viro constanti hæc comminatio inducere mentis trepidationem, et auferre illam consilii tranquillitatem et maturitatem quæ tantopere necessaria est in suscipienda gravi perpetuaque obligatione status religiosi. Pro tutanda libertate professionis in mulieribus attendenda est dispositio Trid. c. 17. sess. 25. *De Reg.* Statuit Tridentinum ut puella professionem non emittat priusquam Episcopus, vel eo absente aut impedito ejus Vicarius, aut aliquis alius eorum sumptibus ab eis deputatus exploraverit diligenter voluntatem virginis, an coacta vel seducta

fuerit, an sciat quid agat. Ne autem Episcopus ignoret tempus professionis, præfecta Monasterii eum ante mensem certiorem reddere tenetur. Quod si non fecerit, ab officio suspensa maneat quamdiu Episcopo videbitur. Hæc porro non ad validitatem professionis, sed ad honestatem requiruntur. Ex resolut. S. C. Conc. in *Suessonen.* d. 16. Sept. 1662. et *Olomucen.* d. 7. Jun. 1755 et aliis, ad Episcopum pertinet explorare voluntatem virginum etiam in monasteriis *exemptis.*

13. 2°. Professio est actus *solemnis*; idest emissus in forma propria cujuscumque religionis approbatæ. At antiquo jure professio alia fuit *expressa* seu solemnis, alia *tacita.* De tacita professione loquuntur plura capita juris. Ita cc. 4., 8., 9., 20., 22. et 23. h. t. Pariter cc. 2., 3. et 4. h. t. in 6°. Necnon Clem. 2. eod. Ex quibus capitibus infertur tacitam professionem jure canonico agnitam fuisse uti validam quoties factum aliquod verificaretur, quod simul revelabat voluntatem determinatam fidelis assumendi in perpetuum statum religiosum, et consensum communitatis acceptantis eundem in fratrem. Quare inducebatur tacita professio 1. quoties aliquis non contradicente communitate in ætate pubertatis constitutus habitum novitiorum, non distinctum tamen colore, scissura vel forma ab habitu professorum, sponte *per annum* gestavisset, et actibus propriis religiosorum professorum se ingessisset; 2°. si *ante* annum completum probationis suscepisset habitum proprium religiosorum professorum, et per triduum gestavisset. Hæc vero differentia erat, ut tacita professio intra annum probationis obligaret solummodo professum alicui religioni *in genere:* tacita autem professio post annum completum novitiatus, obligaret professum religioni *in qua* facta fuerat professio.

14. Quæsitum est a Doctoribus an *tacita professio abrogata fuerit a Tridentino* in c. 15. sess. 25. *De reg.* ex quo statuitur in quacumque religione tam virorum quam mulierum professionem esse nullam nisi fiat *anno ætatis 16. completo,* et *post annum integrum probationis,* computandum ab habitus religiosi susceptione. Communiter DD. inter quos *Fagnanus Comm.* ad c. 8. h. t. tenent tacitam professionem etiam post Trid. dispositionem valere dummodo serventur conditiones a Concilio l. c. adsignatæ. Ita etiam declaravit S. C. Concilii in *Cremonensi* 1578. Hinc inferunt DD. post Tridentinum valere tacitam professionem quoties post integrum annum probationis cum religionis habitu peractæ, et post

expletum annum 16. ætatis a novitio actus illi perficiuntur qui inducant tacitam professionem atque vicissim a religione actus illi acceptantur. Hinc quoad habitus gestationem, cum ante annum 16. et ante annum probationis non possit habere locum professio, concludunt habitus gestationem tacitam inducere professionem, si per alium annum idest si ad totum annum 17. gestatur habitus communis religionis. Quod si habitus novitiorum sit extrinsece distinctus ab habitu professorum, ajunt hoc in casu valere dispositionem c. 8. h. t. Quod nempe ad inducendam tacitam professionem sufficiat post annum probationis et annum 16. assumere habitum professorum illumque ad triduum gestare.

15. In hac vero re recenter quoad viros disciplina mutata est a *Pio IX.* s. mem. in citatis decretis S. C. super Statum Regularium *'Romani Pontifices'* et *'Regulari disciplinæ'* editis die 25. Jan. 1848, necnon in Literis Encyclicis ejusdem S. Congr. diei 19. Martii 1857, et magis expresse in declarationibus datis ab eodem Summo Pontifice die 12. Jun. 1858 sub n. XI. Ex hisce locis patet vota solemnia emitti debere in institutis religiosis virorum per solemnem professionem, et ideo professionem tacitam *pro viris* omnino abrogatam esse.

Hæc solemnitas non eadem est apud singulas ordinum familias. Attamen uniformitatem quoad modum induxit S. R. C. pro illis Ordinibus et Congregationibus quibus intra missarum celebrationem nuncupare professionem est usus. Decretum generale S. R. C. d. 14. Aug., a S. P. *Leone XIII.* d. 27. Aug. 1894 approbatum, sublatis constitutionibus vel consuetudinibus contrariis, quæ sequuntur servari *posse* constituit: »Celebrans profitentium (sive renovantium) vota excepturus, sumpto Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, absoluta confessione, ac verbis quæ ante fidelium Communionem dici solent, Sacram Hostiam manu tenens, ad profitentes sese convertet: hi vero singuli alta voce professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumet. In renovatione autem votorum, Celebrans ad altare conversus exspectet donec renovantes votorum formulam protulerint; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno præeunte formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine Sanctissimum Corpus Domini accipient. Hæc tamen methodus, cum recepta fuerit, in respectivis Congregationum Constitutionibus minime apponenda est. Non obstantibus quibuscumque particularibus

Decretis in contrarium facientibus, quæ prorsus revocata censeantur.« Hoc decretum »*vi obligandi* pollet penes quaslibet religiosas utriusque sexus Congregationes, ubi vota nuncupantur vel renovantur intra Missam coram celebrante S. Hostiam manu tenente«, sic eadem S. R. C. rescripsit d. 5. Junii 1896.

16. Nunc de requisitis ad professionem emittendam. I⁰. annus probationis Jure decretalium aliquod requisitum erat solum necessarium pro licita professione, non autem pro *valida.* Ita annus novitiatus ex c. 16. h. t. non erat ita necessarius, ut absque eo non teneret professio. Annus enim novitiatus consideratus est ceu tempus quo novitius experiretur qualitatem, et rigorem vitæ regularis, et vicissim religio cognosceret Novitii personam. Utrinque vero renuntiari poterat juri proprio. Ita in c. 16. h. t. et clarius in c. 23. eod. At Trid. in c. 15. sess. 25. *De Regul.* 1⁰. quoad ipsum novitiatum decernit, in quacumque religione tam virorum, quam mulierum nullum esse admittendum, qui minore tempore quam *per annum integrum* post susceptum habitum steterit in probatione. Quodsi secus fiat decernit Trid. professionem esse *nullam*, nullam obligationem inducere, nullumque producere effectum. Ergo annus novitiatus non ad honestatem, sed ad validitatem professionis pertinet.

17. Annus vero hic probationis debet esse 1⁰. *integer* de die ad diem, immo de hora ad horam, ex resolutione S. C. Conc. d. 1. Febr. 1631. Hinc nulla declaranda est professio in qua defuit modicum tempus, idest etiam spatium *duarum horarum.* Eadem Congr. ita resolvit d. 21. Januarii 1617. In anno autem bissextili etiam dies quæ superest, computatur. Ita S. Congregatio in *Patavina* d. 5. Julii 1617. 2⁰. Annus debet esse continuus, et non interruptus. Quod satis indicat Tridentinum per ea verba *per annum steterit.* Hinc teste *Fagn. comm.* in c 16. h. t. omnes canonistæ scribentes de hac re tenent nullam esse professionem, si annus probationis fuerit interruptus. Hæc vero interruptio vitiat professionem etiamsi ad modicum tempus locum habuerit. Immo teste *Fagn.* in c. 7. *Qui Clerici* (IV. 6) n. 36. S. Congr. nullam declaravit professionem emissam post annum novitiatus interrupti duarum horarum spatio. Quare qui novitiatum reliquit, debet iterum probationem incipere, et per integrum annum in eadem perseverare nisi super defectus novitiatus dispensationem ab Apostolica Sede fuerit assecutus. 3⁰. Debet probatio fieri *in habitu religionis*

ita ut computetur annus ab epocha susceptionis habitus. 4°. Debet fieri probatio in *monasteriis* et *locis* pro novitiatu designatis ex decretis *Clem. VIII. 'Regularis disciplinæ'* d. 12. Martii 1596, et *‚Sanctissimus'* d. 20. Juni 1599. Quæ decreta pro Monasteriis Italiæ et insularum adjacentium lata, nec omnes ordines regulares respicientia ab *Urbano VIII.* Const. *'Sacra Congregatio'* d. 21. Sept. 1624 extensa sunt et applicata regularibus omnibus ubique locorum existentibus.

18. Quoad annum probationis exceptio facta est a *S. Pio V.* in Const. *'Summi Sacerdotii'* d. 23. Aug. 1570 quoad *novitias ordinis S. Dominici* quibus indulsit ut in articulo mortis constitutæ, dummodo ad ætatem necessariam pervenerint, possint professionem emittere ante annum completum probationis. Id vero eis datum est solum ad affectum *lucrandi indulgentias*, et alias gratias concessas monialibus professis ita ut si convalescant, non censeantur religioni obligatæ nisi transacto probationis anno iterum professionem emittant. Et sacra C. Conc. die 14. Jan. 1641 declaravit professionem ab infirmis monialibus emissam ante expletum annum probationis non parere monasterio jus ad dotem, vel hæreditatem monialis profitentis habendam. Similiter decidit S. C. Conc. d. 25. Jan. 1744 in *Rom.-Narnien.*

19. Hoc privilegium concessum monialibus ordinis Prædicatorum, ob communionem privilegiorum sibi communiter vindicarunt omnes regulares familiæ sive virorum sive monialium. Quod vero *Greg. XIII.* Constitutione *'In tanta'* 1. Nov. 1573 Pianam Constitutionem reduxerit ad Concilii Tridentini dispositionem, dicunt hoc non respicere indulgentias et gratias spirituales quæ percipi possunt a Novitio profitente ante annum completum probationis, sed respicere solum alios effectus præsertim civiles.

20. Tandem opportunum arbitramur citare S. C. Conc. in *Messanensi* ann. 1613 et in *Neapol.* mensis Nov. 1605 ex quibus eruitur novitiam, vel novitium e monasterio egressos causa valetudinis post integrum annum probationis posse admitti absque altero probationis anno ad edendam solemniter professionem nisi religionis conditio, aut novitii mores essent immutati. Neque obstat decretum Tridentini c. 16. sess. 25. *De Reg.* ubi statuit: 'Finito tempore Novitiatus Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio ejiciant'. Nam hoc decretum intelligendum est de personis quæ post completum annum

novitiatus nullo impedimento detinentur quominus illico profiteantur religionem. Extendi ergo non debet ad casum in quo Novitius ob adversam valetudinem expleto anno cogitur e religione exire.

21. Speciali mentione digna sunt, quæ ex temporum adjunctis, ad regularem disciplinam, vel conservandam, vel restaurandam *Pius IX.* s. m. statuit 1°. in decreto *Neminem*, per organum S. Congregationis super Statu Regularium edito d. 19. Martii 1857 et 2°. in Const. *Ad Universalis Ecclesiæ* d. 7. Februar. 1862. Immutatio inducta a Pontifice respicit solummodo *viros*, seu familias et instituta regularium virorum in quibus emittuntur vota *solemnia*. Unde quoad *mulieres* nihil est innovatum. Dispositio autem Pontificis hæc est: Firmis remanentibus his omnibus quæ juxta Trid. legem, et subsequentes dispositiones, necnon statuta propria ordinis cujusque annum novitiatus respiciunt, novitius *post completum novitiatum* emittere debet vota *simplicia*. Deinde post *triennium* computandum a die quo vota simplicia emisit, si dignus reperiatur, ad professionem votorum solemnium admittitur. Quod si vero aliquod institutum regulare habeat indultum ut ad *longius* tempus perduret professio votorum simplicium, servandum est. — Votorum insuper solemnium professionem potest Superior generalis vel provincialis ex rationabilibus causis *differre*. At differri hæc professio non potest *ultra* annum *25.* ætatis novitii. Quo tempore adveniente, alumnus vel admittitur ad professionem vel dimittendus est a religiosa familia. Si in religione non adsint provinciales superiores, facultas differendi emissionem votorum solemnium tribuitur etiam superiori domus novitiatus de consensu tamen magistri Novitiorum, et duorum aliorum qui in instituto aliquo gradu sint insigniti. Hæc statuta fuere in decreto *Neminem*. In Const. vero *Ad universalis Ecclesiæ* d. 7. Febr. 1862 decernit Pontifex nullam prorsus, et irritam esse professionem votorum solemnium quoties ex quacumque causa vel prætextu, ignorantia etc. omissa fuerint vota simplicia.

Militari servitio ad quod adstringuntur ecclesiastici et religiosi in nonnullis regionibus catholicis, — cum in aliis quibusdam quarum incolæ in majori numero sunt fortasse hæretici, uti in Germania, liberi exsistant — mutationes disciplinæ ecclesiasticæ fieri necesse fuisse, aliquoties jam vidimus; sic etiam in nostro capite. Etenim S. C. EE. et RR. Ordini Cisterciensium Reformatorum de Trappe d. 21. Apr. 1871 indulsit, ut donec præfatum periculum (sc. servitii

militaris) perduraverit, novitii qui tempus novitiatus rite expleverunt, admittantur ad professionem votorum simplicium ad *6 menses* valituram ac de semestri in semestre renovandam. — Hæc vota semestralia non sunt absoluta, sed *conditionata*, sc. ita facta vel renovata »ut eo ipso cessasse intelligantur quo Professus e Monasterio egredi adigatur militaris servitii causa.« Post absolutum militare servitium »regredi in monasterium *non tenetur*, et quatenus regredi velit, constito Superiori de perseverantia vocationis, teneri emittere *novam* professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum remanere priusquam ad nuncupanda solemnia vota admittatur ad formam Lit. Ap. *Pii IX.* Febr. 1862 quæ incipiunt: »Ad Universalis Eccl.« S. C. EE. et RR., d. 2. Sept. 1896 ad I^{um}. et IV^{um}.

22. II^{a}. qualitas, seu requisitum ad professionem est legitima *ætas.* Antiquitus in genere erat statuta ætas pubertatis in cc. 8. et 17. h. t. Quod si in c. 6. h. t. prohibeantur recipi adolescentes ætate annorum 18 inferiores, eam dispositionem intelligunt doctores de aliqua religione rigidioris observantiæ in qua vi regulæ ordinis non recipiuntur nisi in ætate pubertatis completæ. At Conc. Trid. in cit. c. 15. sess. 25. *de Reg.* decernit ætatem legitimam pro edenda professione esse annum *16.* completum ita ut professio ante hoc tempus emissa nullius sit valoris, et per se irrita. Ex dispositione *Pii IX.* superius citata post annum 16. completum possunt emitti solummodo vota simplicia, solemnia vero non possunt emitti nisi post aliud triennium completum, scilicet post annum 19. completum. Potest vero differri ad annum 25. Insuper quoad ætatem necessariam pro laicis et conversis statuit Summus Pontifex servandam esse Const. *Clementis VIII. 'In supremo'* quæ lata est die 2. Aprilis 1602. In hac Const. decernit Clemens VIII. conversos non posse ad habitum recipi ante annos 20 ætatis.

23. Quibus positis exponendæ sunt quædam declarationes authenticæ circa novam dispositionem nomine et auctoritate ejusdem Summi Pontificis editæ. Et 1^{0}. ex declaratione d. 12. Jun. 1858 vota simplicia emissa post annum probationis perpetua sunt ex parte voventis. At solvi possunt vel ex dispensatione Summi Pontificis ob graves et urgentes causas exposcenda, vel ex decreto Superiorum ordinis qui alumnum dimittant a religione. Superiores Ordinis *dimittere* quidem simpliciter professum possunt, *dispensare* autem super his votis simplicibus non possunt, cum hoc unice sit

reservatum Summo Pontifici, S. C. EE. et RR. d. 19. Nov. 1886. 2°. Ex eadem declaratione professi votorum simplicium admittuntur ad participationem omnium gratiarum, et privilegiorum quibus fruuntur professi votorum solemnium, necnon suffragium habent in Capitulis una cum solemniter professis, exceptis actibus capitularibus in quibus deliberandum est utrum necne sit admittendus ad vota solemnia aliquis professus votorum simplicium. Hæc exceptio facta est ad evitandum periculum collusionis. Declar. d. 7. Febr. 1862. Alia exceptio verificatur in eo quod professi votorum simplicium non valeant eligi in *Prælatos* seu in *Superiores* neque licite neque valide. S. C. super Statu Regularium d. 16. Jan. 1891.

24. 3°. Ex declaratione d. 6. Aug. 1858 professi votorum simplicium tenentur ad observantiam regulæ ordinis eodem modo quo tenentur solemniter professi, quoad vero votum paupertatis, attendenda est alia declaratio d. 12. Jun. 1858, prout sequitur: 'Professi votorum simplicium *dominium radicale,* uti ajunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et redituum erogatio, atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium pro eodem tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, et usufructum, et usum quibus eis placuerit remittere ac etiam suo ordini si ita pro eorum libitu existimaverint'. Ordini vero suo hæc cedere non possunt, si ordo nequeat temporalia bona possidere.

25. Si quæratur quid sit dominium radicale respondent Canonistæ esse dominium in actu primo. Ita *Ferraris* v. »votum« art. 11. n. 119. et seqq. Metaphorica hæc locutio est deducta ex arbore in qua distingui possunt duo, radix nempe, et externa evolutio. Hinc in dominio distingui potest 1°. purum et nudum jus seu *mera capacitas;* 2°. plena potestas ad *exercitium,* seu evolutio juris. Primum dici potest dominium in radice sua, seu dominium radicale. Secunda dici potest plenum dominium in sensu juridico, quo quis potest libere uti, frui rebus propriis, de iisque disponere.

26. Vota simplicia cum considerata sint sulummodo ceu via et dispositio ad vota solemnia, non excludunt reditum personæ ad statum sæcularem et civilem conditionem. Quare non privant hominem dominio radicali, sed solummodo eundem privant exercitio juris et administratione. Hæc enim non bene conveniunt cum homine fideli qui actu est religiosus, et vovit paupertatem. Solemnia

autem vota quæ in perpetuum mancipant hominem religosæ paupertati, adimunt etiam dominium radicale, et collocant hominem extra omnem civilem possidendi capacitatem.

27. 4°. Alias vidimus ex decreto Tridentini in c. 16. sess. 25. *De Reg.* Novitiorum renunciationem non valere etiam ad causas pias nisi cum Episcopi licentia vel ejus Vicarii generalis fiat intra duos menses ante professionem, et cum implicita clausula, quod non valeat, nisi sequatur professio religiosa.

Ex declar. d. 1. Aug. 1862 deprehendimus renunciationes istas pro professis votorum simplicium locum habere posse intra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. Animadvertendum est, juxta c. 4. h. t. in 6°. beneficium illius, qui religionem ingreditur, non esse conferendum intra annum probationis nisi accedat consensus novitii: idest nisi accedat renunciatio novitii. Jamvero ex resolutionibus S. C. Concilii relatis a *Pitonio* in tom. 1. Disceptatione 6ª. et a *Fagnano* in Com. ad c. 23. h. t. Doctores tenent renunciationem beneficii venire sub dispositione Tridentini interdicentis quamcumque renunciationem ante duos menses proximos professioni. Cum vero ex declaratione immediate collata renunciatio de qua in Tridentino c. 16. sess. 25. *De Reg.* facienda sit infra bimestre proximum professioni votorum solemnium; sequitur, etiam renunciationem beneficii fieri non posse ante hoc tempus. Interim vero ex c. 4. h. t. in 6°. destinatur clericus idoneus qui onera beneficii impleat et congruam habeat portionem fructuum, et proventuum beneficii.

• Renuntiatio infra bimestre ante professionem solemnem facta non secutâ professione solemni non sortitur effectum; at quid agendum coram republica quæ effectus votorum solemnium non agnoscens renuntiationem bonorum semel factam habet *irrevocabilem* vel quæ ad venditionem aut donationem requirit ætatem *21* saltem annorum?

S. C. EE. et RR. hisce incommodis prospiciens d. 16. Sept. 1885 mandavit rescribi, prout sequitur: »*Cum agatur de renuntiatione illorum bonorum super quibus jus certum haberi potest, parte nempe hæreditatis paternæ vel maternæ, emissa suo tempore, juxta Concilium Tridentinum, renuntiatio ipsa renovetur, quando opus est, quin tamen illa immutari possit. Si vero agatur de renuntiatione eorum quæ accidentaliter evenire possunt, in singulis casibus recurrendum ad hanc Sacram Congregationem.*«

Unde concludi potest: 1. Juvenis professurus intra duos menses de suis bonis disponere potest et debet coram Superiori regulari de Ordinarii licentia, vel coram ipso Ordinario, in alterutro tamen casu per actum *privatum*.

2. Post professionem solemnem hæc eadem dispositio, minime vero alia, renovetur per actum coram potestate civili *publicum*, quotiescunque agatur de bonis *certis*, parte nempe hereditatis paternæ vel maternæ. Quando vero agitur de bonis *accidentalibus*, non renovetur eadem illa dispositio nisi facto ad S. C. EE. et RR. *recursu*.

28. 5°. Ex jure communi conjugibus ante consummationem matrimonii conceditur bimestre ad deliberandum utrum religionem approbatam velit alteruter ingredi, et inde per professionem vinculum conjugii solvitur, ita ut pars quæ in sæculo permansit, possit alias nuptias conciliare. Quæsitum est an post novum jus a *Pio IX.* statutum alter debeat solummodo annum exspectare, an etiam triennium post vota simplicia usque nempe ad emissionem votorum solemnium? Ex declaratione d. 25. Januarii 1861 deprehendimus matrimonium ratum et non consummatum dissolvi solummodo per *solemnem* votorum professionem, non vero per emissionem votorum simplicium. Ne autem uxor triennium post vota simplicia viri ligata permaneat, ipsa vel vir, poterit ab Apostolica Sede exposcere facultatem, ut statim vota solemnia possint emitti.

6°. Juxta Const. *Clem. VIII.* professio votorum solemnium nuncupanda est in domo ipsa novitiatus. At ex decreto *Neminem* d. 19. Martii 1857 professi votorum simplicium commorari debent in domibus professorum et studiorum. Quare enata quæstione Summus Pontifex d. 9. Decemb. 1859 declaravit, et constituit ut, literis Apostolicis Clementis VIII. aliisque quibuscumque non obstantibus, professi votorum simplicium licite et libere possint suo tempore vota solemnia nuncupare in conventu seu domo, in qua reperiuntur, servatis tamen aliis de jure servandis, quin tenerentur profiteri in domo peracti Novitiatus.

29. 7°. Cum quæsitum esset an qui forte habitum religionis induerint majores jam 25 annorum ætate, aut huic ætati proximi, possint expleto jam novitiatus anno ad vota solemnia, et professionem admitti vel exspectare debeant ulterioris probationis triennium; in declaratione diei 20. Jan. 1860 responsum ad III^{um}. est:

negative ad primam partem, affirmative ad 2^{am} scilicet *exspectandum esse triennium.*

30. III^{um}. requisitum ad valorem religiosæ professionis est *consensus seu acceptatio ex parte religionis.* Professio enim est onerosus contractus ultro citroque obligans. Religio scilicet suscipit obligationem præstandi alumno suo necessaria pro honesta sustentatione suo ordini conveniente, eumque tractandi juxta regulam religiosi instituti. Deprehenditur vero hæc necessitas acceptationis ex cc. 13. et 16. h. t. Hæc vero acceptatio fit a superiore generali, vel a superiore provinciali, at prius debet per actum capitularem exquirere consensum capituli. Quod infertur ex c. 6. *De his quæ fiunt a prælatis* (III. 10). Ex hoc bilaterali professionis contractu sequi minime potest, ut alterutra pars ultra contractus fines possit obligari; sic Ordo religiosus non obligatur ad solvenda alicujus professi debita quæ hic inscientibus et nolentibus Superioribus contraxit, uti S. C. EE. et RR. in *Romana* d. 29. Aug. 1892 aperte declaravit.

31. Post juris immutationem inductam a Pio IX. attendenda est declaratio d. 7. Febr. 1862 in qua edicitur: Pro admissione ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium audiri quidem debere capitulum conventuale ad instructionem animi superiorum: Superiorem vero generalem vel ejus subdelegatum non adstringi ad amplectendam resolutionem ejusdem Capituli. Præterea cum sermo sit de non acceptanda professione solemni, seu melius de dimittendo ab Ordine religioso alumno qui professus est vota simplicia præ oculis habendi sunt articuli IV. et V. declarationis authenticæ d. 12. Jun. 1858. In his articulis decernitur 1^{0}. Facultatem dimittendi a Religione professum votorum simplicium pertinere ad *Superiorem generalem* Ordinis cum suo generali consilio. 2^{0}. In casibus extraordinariis a Superiore generali cum suo consilio posse præsertim pro regionibus *longinquis* ad dimissionem decernendam *subdelegari* probos, et prudentes religiosos, qui saltem tres esse debent. 3^{0}. Ad decernendam dimissionem non requiri formam *judicialem*, sed procedi posse sola veritate facti inspecta. 4^{0}. A superioribus vero procedendum esse summa *charitate* et *prudentia*, et ex justis et rationabilibus causis quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat.

De effectibus professionis religiosæ.

32. Quid efficiant vota simplicia jam supra vidimus; hinc modo proprie loquimur de professione *solemni*. Primus effectus est ut ineatur perpetuum vinculum, et mutua obligatio inter religionem et professum de qua supra cc. 13. et 16. h. t. Quod vinculum mutuo consensu solvi nequit arg. c. 6. *De statu Monachor.* (III. 35) et c. 4. C. 33. q. 5. 2°. Religiosa professio exstinguit alia *vota simplicia* prius emissa etiam ingrediendi religionem strictioris observantiæ c. 5. h. t. in 6°. Quemadmodum enim ait *Alex. III.* in c. 4. *De voto* (III. 34): 'Reus fracti voti aliquatenus non habetur qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare'. 3°. Irregularitatem *ex defectu natalium* ortam aufert in relatione ad ordines etiam suscipiendos, haud excluso ipso presbyteratu, non autem defectum aufert in ordine ad *prælaturas* sive in religione sive extra religionem assequendas c. 1. *De filiis presbyterorum* (I. 17). Hoc vero privilegium non est ad alias irregularitates extendendum. Constitutio »Circumspecta« *Gregorii XIV.* d. 15. Mart. 1591. 4°. Eximit religiosum a patria potestate, in iis vero quæ onus quoad professum secumferunt. Nam incipit subjici regulæ, et superioribus ordinis religiosi. Ita DD. cum Gloss. in l. 9. §. 4. ff. *De Min.* 5°. Solvit sponsalia ante contracta, et matrimonium ratum et non consummatum. Conc. Trid. can. 6. sess. *De Ref. Matr.*

De invalida professione.

33. Exponendum est decretum Tridentinum in sess. 25. c. 19. *De Reg.* Ex hoc decreto patet 1°. esse professo *jus reclamandi* contra votorum professionem; 2°. illud dari quoties pateat professionem fuisse emissam cum impedimento aliquo *irritante* e. gr. vis, metus etc. 3°. querelam esse proponendam intra *quinquennium* computandum a die emissæ professionis coram legitimo Superiore regulari, seu prælato Monasterii, et simul coram loci ordinario. Quodsi professus tacuerit per quinquennium, eo expleto non amplius auditur, quia præsumitur ratam habuisse professionem suam omnique juri nuncium misisse; 4°. si quis intra quinquennium *propria auctoritate* habitum dimisit, ad monasterium redire cogendum esse, non admitti ad proponendam querelam, tamquam apostatam puniendum et interim privandum omni privilegio suæ religionis.

34. Hæc Tridentina dispositio ampliationem, et formam magis determinatam accepit a Const. *Benedicti XIV. 'Si datam hominibus'* d. 4. Martii 1748. In hac Constit. decernit plura: 1°. Decretum Trident. c. 19. sess. 25. *De Regul.* comprehendere etiam *feminas* professas religionem, licet videatur de viris religiosis tantum loqui. 2°. Statuit, etiam non reclamante religioso professo, ipsum *superiorem* detecto impedimento intra quinquennium posse cum Ordinario loci procedere in cognitione causæ nullitatis professionis. 3°. Actionem instructam intra quinquennium licet inde desertam, posse *iterum* a religioso moveri, et judicari ab Ordinario et Superiori regulari. 4°. Superiorem ad effectum quæstionis illum esse qui *tempore motæ litis* regimen habet Monasterii vel cœnobii in quo reclamans professionem emisit. 5°. Quoad moniales, si sermo sit de monasterio *Ordinario* immediate subjecto, solus Ordinarius intra quinquennium causam reclamantis judicat; si vero sermo sit de monialibus *exemptis,* Superior regularis non est confessarius regularis, sed ille cui concreditum est *universum* regimen Monasterii. 6°. Superior regularis non potest *totum* negotium *Episcopo* finiendum committere, sed potest *alium* virum ecclesiasticum juris canonici peritum delegare, qui cum Episcopo procedat. 7°. Romanæ Sedi reservatur cognitio causæ nullitatis ob emissam probationem *extra domum Novitiatus.* 8°. Potest ad querelam admitti intra quinquennium religiosus *qui habitum dimisit,* si deinde illum reassumpserit et in religione commoretur. 9°. Conficiendus est *processus* vere et proprie dictus *judicialis* et sub pœna nullitatis actorum est deputandus *defensor professionis religiosæ* ex officio, qui interrogatoria dare debet, et assistere confectioni tabularum processus, necnon coram judicibus voce, et scripto valorem professionis tueatur. Citandi insuper sunt, et audiendi defensores Monasterii seu cœnobii et alii omnes, quorum interest professionem religiosam sustineri. 10°. Si Ordinarius et Superior regularis in judicio *dissentiant,* causa definienda devolvitur ad Apostolicam Sedem. 11°. Lata sententia in prima instantia ab Ordinario, et Superiore regulari, religiosus *poterit* appellare, si pro *validitate* professionis jus dictum fuerit; *debebit* vero appellare defensor ex officio, si pro *nullitate* professionis steterint judices, et interim suspenditur exsecutio sententiæ prolatæ. 12°. In secunda instantia ad illum ordinarie devolvitur causæ cognitio, ad quem de jure aliæ omnes ecclesiasticæ causæ in gradu appellationis transeunt. Simul

vero cum hoc secundo Ordinario causam judicabit Superior regularis Monasterii ejusdem ordinis, quod monasterium sit vel in civitate, vel in diœcesi Ordinarii appellationis. Si nec in diœcesi adsit Monasterium, assumitur superior vicinioris Monasterii ejusdem ordinis. In hac etiam sede judicii, et in aliis, si ulterius appelletur, adsint semper *defensores* professionis sub pœna nullitatis actorum. Hæc omnia observanda etiam sunt in curia Cardinalis Vicarii Urbis. Superior vero regularis non admittitur ad judicandum cum causa apud Sedem Apostolicam, in aliqua nempe Sacra Congregatione vel in Rotæ auditorio decernitur. 13°. Nisi binæ sententiæ *conformes* habentur, non poterit professio uti nulla haberi, nec professus ad alia vota transire potest.

35. Antiquitus ex decreto *Gregorii XIII.* edito a S. C. Concilii d. 5. Martii 1598, elapso quinquennio, nullus religiosus audiebatur, nec si asseruisset per vim et metum se fuisse professum et vim, et metum semper perdurasse. At inductum est, ut, quinquennio elapso inutiliter, concederetur beneficium restitutionis in integrum, quo beneficio obtento posset cognosci et decerni causa nullitatis professionis. Jam vero in citata Constit. '*Si datam hominibus*' judicium pro concedenda vel neganda restitutione in integrum reservatur *Sedi Apostolicæ.* Quo in negotio ut rite procedatur juxta cit. Constitutionem committi debet Ordinario loci et Superiori Regulari mandatum ut super causis restitutionis in integrum conficiant processum, eodem modo quo facere deberent pro causa nullitatis professionis infra quinquennium decernenda. Deinde quæstio apud S. Sedem discutitur perinde ac si ageretur de causa nullitatis, nec pro obtinenda restitutione unica favorabilis sententia sufficit, sed duplex conformis requiritur. Hac obtenta restitutione, Ordinarius loci et Superior Regularis procedere possunt ut supra, in cognitione causæ pro invaliditate professionis quemadmodum, si ante quinquennium facta fuisset reclamatio. Hæc ex Constitutione '*Si datam*'. Hodie vero ut temporis brevitati, et sumptuum moderationi consulatur, annuente Summo Pontifice solet apud S. Sedem utraque quæstio simul pertractari in S. C. EE. et RR. proposito distincto dubio.

36. *Causæ* pro exposcenda restitutione in integrum ad duas præcipue reducuntur: nempe 1°. ad *ingnorantiam* impedimenti et nullitatis professionis; 2°. ad *impotentiam* instituendæ querelæ contra professionem in decursu quinquennii.

De transitu ab una religione ad aliam.

37. Professio religiosa non solum obligat ad observantiam trium votorum substantialium, sed etiam obligat ad ea vota observanda prout sub *speciali* regula observanda proponuntur. Quare in genere odiosus est transitus religiosi ab uno ad aliud institutum. Sed tres casus possunt considerari: videlicet 1°. transitus de religione strictioris observantiæ ad religionem observantiæ *laxioris;* 2°. transitus de una ad aliam religionem *æqualis* rigoris; 3°. transitus de religione minus rigida ad *rigidiorem.*

Primus transitus expresse *prohibetur* in Tridentino sess. 25. cap. 19. circa finem *De Reg.* — Ex capite autem 5. h. t. deprehendimus transitum regularis de sua ad æqualis rigoris religionem non esse facile permittendum. Ergo *permitti potest* ex legitima causa.

38. Tertius casus est transitus ad religionem *strictioris* observantiæ. Transitus hujusmodi a jure admittitur c. 18. h. t. quia consideratur uti desiderium majoris perfectionis, quam religiosus sibi assequendam proponit. Ut autem legitime hic transitus fiat, 1°. debet religiosus exposcere a superiore suo immediato licentiam transeundi, eique *exponere* causam sui consilii. Quam licentiam denegare non debet Superior, posita justa causa, et si illegitime denegetur, potest religiosus consilium suum exsequi. 2°. Ut vero licentia concedatur a Superiore, et legitime perficiatur transitus, necesse est ut Superiori constiterit aliam religionem esse *paratam* ad religiosum suscipiendum: ita ut recta via ab uno ad aliud religiosum institutum transitus fiat. 3°. Ex decreto *Urbani VIII.* d. 21. Sept. 1624 Superior recipiens debet ante omnia inspicere literas dimissorias superioris religionis. Decretum hujusmodi legi potest in textu Concilii Tridentini cum declarationibus et resolutionibus S. C. Concilii edito a sacerdote *Petella* Neapoli p. 433. ad cap. 19. sess. 25. *De Reg.*

39. Posito transitu a religione in qua votum emittitur de non *procuranda* sibi *dignitate,* vel prælatura extra proprium ordinem, votum hujusmodi *perseverat* et obligat religiosum in nova religione ad quam transit. Ita in Constitutione *Urbani VIII. Honorem* d. 24. Febr. 1643. Præterea si transitus factus fuerit a religione mendicantium ad non mendicantium institutum, ex Clem. 1. h. t. religiosi transeuntes 1° redduntur inhabiles ad prioratus, admini-

strationes et officia quæcumque etiam tamquam vicarii aliorum locum tenentes. 2°. Excluduntur a capitulis congregatis vel pro electionibus, vel pro aliis negotiis exercendis. Excipiuntur solum capitula congregata pro correctione et pro disciplina regulari in quibus sedem et vocem habent.

40. Ea quæ diximus communia sunt viris et *mulieribus* in iis, in quibus dispositio potest mulieribus convenire. In specie autem pro monialibus animadvertendum est ex Const. *S. Pii V. 'Decori'* d. 1. Febr. 1569 absolute interdici monialibus egressum e clausura nisi sit ex causa lepræ, epidemiæ et magni incendii. Ex qua Const. inferunt DD. de jure communi ademptam esse monialibus facultatem transeundi ad aliud monasterium. Ita etiam censuit S. Congr. cujus resolutionem citat *Giraldi Comm.* ad c. 18. h. t. Ita autem adempta est hæc facultas ut eam possit concedere Major Pœnitentiarius solummodo pro monasteriis ultra montes et nonnisi legitima causa exsistente discussa in Signatura. Ita *Bened. XIV.* in Const. *'Pastor bonus'* d. 13. Apr. 1744 §. 36.

De ejectis, fugitivis et apostatis.

41. *Ejectus* ille est qui ex sua culpa ob legitimam causam expellitur ab instituto religioso post emissa vota *solemnia* vel *simplicia perpetua* vel *simplicia* cum assumpto *ordine sacro.* Novitius enim vel qui juxta decretum »*Neminem*« *Pii IX.* d. 19. Martii 1857 dimittitur a religione post professionem votorum simplicium *temporaneorum*, non computatur inter ejectos in sensu canonum. Ex c. 8. *De statu Monach.* (III. 35) in quo dicitur ovem morbidam ejiciendam esse ab ovili ne inficiat sanas et ex cc. 7. *Ne Clerici vel Monachi* (III. 50), et 24. h. t. infertur posse a superioribus regularibus ejici monachum a religione non obstante professione votorum solemnium.

Accessit his cc. decretum S. C. Conc. editum jussu *Urbani VIII. Sacra Congr.* d. 21. Sept. 1624, et decretum S. Congr. specialis »*Instantibus*« d. 24. Julii 1694 probato ab *Innocentio XII.*, decretum S. C. EE. et RR. »*Auctis admodum*« d. 4. Nov. 1892 de speciali mandato S. P. *Leonis XIII.*, quod invenitur in append. I. ad librum I. hujus Commentarii (l. I. pg. 438.). Juxta hoc novissimum decretum duo citata *Urbani VIII.* et *Innocentii XII.* necnon alia, *quibus* methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in *expellendis* propriis alumnis, nedum in suo robore

manent, sed servandæ imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum *simplicium*, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia, sed *perpetua* professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in *sacris* insuper *Ordinibus* constituto dimittendo; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem, externam, et publicam, et nisi culpabilis sit etiam *incorregibilis.* Ut autem quis incorregibilis revera habeatur, Superiores præmittere debent, distinctis temporibus, trinam *admonitionem* et correctionem; qua nihil proficiente Superiores debent *processum* contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium ejusdem Instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non præsentaverit, Superior, seu Tribunal, *defensorem,* ut supra, alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post hæc Superior cum suo Consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quæ tamen nullum effectum habebit si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. *appellaverit,* donec per eamdem S. C. definitivum judicium prolatum non fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus præscriptis, et facultatem procedendi *summario* modo juxta praxim vigentem apud hanc S. C. — Superior qui sententiam expulsionis pronunciat, juxta decretum *Urbani VIII.* Superior *Generalis,* juxta decr. *Innocentii XII.* etiam *Provincialis* esse potest. At dicti Superiores procedere nequeunt nisi de consilio, et assensu sex patrum, qui sunt eligendi in singulis capitulis generalibus inter religiosos gravioris ætatis et maturi consilii. Proceditur vero secundum ss. canonum præscriptiones ac stylum et constitutionem singulorum Ordinum et Congregationum.

42. Inter media quibus religiosus delinquens ad saniorem mentem reducendus erat, recensetur *incarceratio* ejusdem delinquentis quæ incarceratio juxta *Urbanum VIII.* per annum, juxta *Innocentium XII.* per semestre protrahi debuit. Jam duo Pontifices sæc. 18., sc. *Benedictus XIII.*, d. 6. Dec. 1729, et *Clemens XII.*, d. 3. Maji 1736, rigorem mitigarunt hujus ad expulsionem requisiti. S. C. vero EE. et RR. in citato decreto »Auctis admodum« non commemorat incarcerationem; quæritur, an post decr. »Auctis ad-

modum« incarceratio inter media correctionis requisita ad expulsionem recenseri debeat.

Requisitum incarcerationis adhuc valere videtur ex responso S. C. super Disciplina Regulari d. 22. Jan. 1886. — Capuccinorum enim Procurator et Commissarius Generalis expositis in supplici libello omnibus juris circa hanc rem sanctionibus necnon omnibus difficultatibus ac damnis inde emanantibus instantissime postulavit ut Summus Pontifex concedere dignaretur: »quod in incorrigibilium ejectione Fratres Minores Capuccini non amplius tenerentur ad illam partem carceris quæ in supramemorato rescripto *Clementis XII.* »continetur« neque ad votum Consultoris sæcularis exquirendum etc. S. C. super Disc. Reg. ex congressu d. 22. Jan. 1886 respondit: »Recurrendum in singulis casibus et S. C. dabit normas processus summarii.«

43. Post ejectionem legitimam locus non est refectioni damnorum ejecto fortasse ejectione supervenientium, S. C. EE. et RR. d. 8. Maji 1896. At antiquitus ex c. 24. h. t. onus inerat Superiori ut singulis annis requireret ejectos utrum ad monasterium redire vellent. Hodie vero servanda est dispositio decreti cit. *Urb. VIII.* in quo, licet in genere renovetur c. 24. h. t., tamen in specie statuitur Superiores requirere et excipere debere ejectos, dummodo in ipsis subsit spes *evidens* emendationis ex literis saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his literis concedendis S. Congr. serio oneravit. Excipiunt DD. ab hac obligatione illos religiosos, quorum statuta ab Apostolica Sede probata prohibent iterum recipi formaliter ejectos. — Specialis dispositio data est de eis qui ex processu summario *Apostolica* auctoritate instructo expellebantur. Nam quia S. Sedes jurisdictionem super individuo expulso ad se *avocavit,* solius S. Congregationis super Disc. Reg. est, denuo recipere expulsum, S. C. super Disc. Regulari, d. 22. Jan. 1886 ad II^{um}.

44. Ejecti interim *permanent religiosi.* Hinc 1^{0}. tenentur vitæ *emendationi* serio vacare, ut reconciliatione cum religione et novo ingressu digni reddantur. 2^{0}. Obligantur votis *paupertatis,* ex quo incapaces sunt juris possidendi, et *castitatis.* Voto obedientiæ non adstringuntur cum actu non habeant superiorem cui pareant. Quamdiu autem ad religionem non redierint, in habitu clericali incedere debent et Episcopo subesse. Ita decernitur in cit. decreto *Urbani VIII.* §. 7. Tandem ex eodem decreto §. 10. religiosi ejecti

quoadusque extra religionem degunt, sunt ipso facto *suspensi* ab exercitio ordinum et quidem absolutio ab hac censura reservata est Romano Pontifici. Hanc pœnam renovatam videmus in Const. *Apostolicæ Sedis* §. V. inter suspensiones latæ sententiæ Summo Pontifici reservatas necnon in decreto »*Auctis*« sub n. IV. qui sic se habet: »Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in Sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint *perpetuo suspensi maneant,* donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac præterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint«.

45. *Fugitivus* religiosus proprie ille est qui e monasterio ex quocumque etiam pii operis perficiendi prætextu absque superiorum licentia recedit, vel cum habitu vel sine habitu *cum intentione* tamen *ad monasterium redeundi.* Ex mente insuper Concilii in eodem loco expressa inter fugitivos adnumerandus est etiam ille religiosus qui egreditur e monasterio sub prætextu *adeundi superiores,* nisi fuerit ab iisdem missus aut vocatus. Pariter est fugitivus ille qui monasterium relinquit sub prætextu *adeundi Sedem Apostolicam.* Ita ex Const. *Sixti V. Cum de omnibus.* Excipitur casus quo religiosus ob gravamina a Superioribus sibi illata volens ad Sedem Apostolicam confugere, probare potest testium proborum fide, Superiores denegasse expostulatam licentiam. Ita idem *Sixtus V.* in Const. '*Ad Romanam*' adnexa eidem Constitutioni *Cum de omnibus* §. 20. Pariter ex eadem Const. *Cum de omnibus* uti fugitivus considerari et tractari nequit religiosus in casu quo ipse discedens ex monasterio plene cognoscitur ab illis apud quos divertit ita ut nulla dubitatio aut suspicio contra religiosum de irregulari discessu concipi possit.

46. *Apostatæ* proprie loquendo illi sunt qui religionem illegitime deserunt *absque animo ad eam redeundi.* Fugitivi et apostatæ tenentur 1°. ad *observantiam* trium votorum substantialium, et aliarum obligationum proprii instituti. Hinc quoad votum obedientiæ, quoniam de facto superiorem actu non habent, illud frangunt per peccatum in causa, scilicet protrahendo reditum ad religionem. 2°. Arg. c. 2. *Ne clerici vel monachi* (III. 24) in 6°.: Fugitivi et apostatæ *habitum dimittentes,* sunt ipso facto excommunicati. Qui vero non dimiserint habitum non incurrunt hanc pœnam nisi expresse statuta fuerit in Constitutionibus ordinis approbatis a S. Sede. De hac vero pœna excommunicationis latæ sententiæ

silet Const. *Apostolicæ Sedis.* Hinc ex jure communi non amplius viget. Vigere autem potest in *peculiaribus* ordinibus religiosis si de eadem caveant regulæ a S. Sede probatæ. Summus enim Pontifex integras voluit permanere pœnas in regularium ordinum constitutionibus descriptas. 3°. Quamdiu manent extra monasterium, *privantur* omnibus *privilegiis* sui instituti c. 19. circa fin. sess. 25. *De Reg.* in Tridentino. 4°. Juxta c. 4. sess. 25. *De Ref.* in Tridentino Religiosus qui quolibet prætextu absque licentia superioris in scripto accepta repertus fuerit, ab ordinariis locorum tamquam *desertor* sui instituti puniendus est. 5°. Ex decreto *Urbani VIII.* cit. d. 21. Sept. 1624 fugitivi et apostatæ, sive habitum regularem deferant sive non, possunt ab Episcopo loci ubi moram trahunt in carceres conjici et Superioribus consignari, ut secundum instituti regulam puniantur. 6°. Ex c. 3. sess. 6. *De Ref.* in Trid. quicumque regularis degens extra monasterium, si deliquerit, ab Ordinario loci tamquam Sedis Apostolicæ delegato visitari, puniri et corrigi potest. Superiores vero regulares juxta c. 24. h. t. tenentur conquirere et revocare fugitivos et apostatas. Hæc obligatio in genere adhuc viget, licet non amplius annualis revocatio facienda sit ob contrariam dispositionem ex temporum circumstantiis inductam. Superiores insuper possunt etiam uti vi coactiva pœnarum ad reducendos in monasterium fugitivos, et apostatas, immo et *ad brachium sæculare* confugere. Conferantur decretum *Urbani VIII.* et decretum *Innoc. XII.* apud *Petella: Canones et Decret. Conc. Trid.* ad c. 19. sess. 25. *De Reg.* II. 21. et 25.

Titulus XXXII.

De conversione conjugatorum.

1. Conversio in titulo exprimit *efficax conjugatorum propositum ingrediendi, et profitendi religionem vel ordinem majorem suscipiendi.* Et 1°. quoad ingressum et professionem religiosam. Ante consummationem potest unus ex conjugibus religionem approbatam ingredi altero conjuge etiam invito, et in religione profiteri. Textus est clarus in c. 2. h. t. cui concordat c. 1. eod. Ex c. 2. conceditur cuique conjugi bimestre ad deliberandum, utrum velit in conjugio manere, vel ingredi religionem. Hinc intra hoc bimestre neuter conjugum tenetur reddere debitum conjugale et matrimonium consummare. Hoc vero bimestre ex sensu c. 2. incipit decurrere

a die termini præfixi a judice, quo bimestre elapso altera pars potest jure meritoque cogere conjugem ad consummandum matrimonium. Professione autem votorum solemnium emissa ante consummationem, matrimonium simpliciter ratum dissolvitur. Hinc altera pars remanens in sæculo potest ad alia vota libere transire c. 2. h. t. et can. 6. sess. 24. *De Matr. in Trid.* Si quæratur cur uni ex conjugibus ante consummationem matrimonii detur facultas ingrediendi religionem et in eadem profitendi etiam altero invito; respondent DD. quia ex una parte verba Christi Domini 'Quod Deus conjunxit, homo non separet', intelligenda sunt de matrimonio rato, et consummato c. 7. h. t. ex altera vero ministerio juris post dispositionem dicti c. 7. h. t. contractui matrimonii inesse censetur conditio: 'Nisi statum perfectiorem intra bimestre suscipiam'. Ideoque antequam matrimonium per consummationem constituatur in plena expressione significationis unionis Christi cum Ecclesia, idest in *perfecto* esse sacramenti, conditio illa vim suam conservat, ita ut si subsequatur professio religiosa quæ actuat conditionem eandem, matrimonium ratum dissolvatur.

2. Notandum vero est DD. non denegare facultatem ingrediendi religionem uxori, si infra bimestre non obstante manifestatione consilii sui de ingressu in religionem approbatam, per vim a viro *cognita* fuerit. Nemo enim per vim legitime exspoliatur jure suo. Hoc vero in casu pars quæ in sæculo remanet, non potest ad alia vota transire, matrimonium enim cum sit ratum et consummatum, non solvitur per religiosam professionem.

3. Consummato matrimonio, etiam alteruter conjugum ingredi, et profiteri potest religionem. At plures conditiones requiruntur 1°. ut *altera pars consentiat* c. 1. h. t. Consensus autem debet esse *liber:* hinc non valet si per fraudem aut per vim et metum fuerit extortus cc. 16., 17. h. t.

4. Quid vero si alteruter ex conjugibus *altero conjuge invito,* vel ignorante religionem professus fuerit? Ex cc. 3 et 12. h. t. pars quæ in sæculo remansit, potest revocare conjugem professum, et ipsa professio *nulla* est, ita ut, mortuo etiam conjuge in sæculo, non teneatur ad religionem redire. Ratio est, quia cum teste Paulo potestatem sui corporis non vir habeat, sed uxor, et viceversa, hinc professio religiosa unius ex conjugibus ceu læsiva jurium alterius valere non potest. Qui enim professus est, promisit quod promittere non poterat.

5. At quamvis in casu professio religiosa non teneat, tamen *aliquid operatur* professio nulla. Conferenda sunt cit. cc. 3. et 12. h. t. Sciendum enim est in materia voti hoc valere principium, votum nempe fieri posse de bonis propriis, non vero de alienis. Jam vero qui religionem professus est, vivente altero conjuge inscio vel invito, aliquid proprium habebat, nempe potestatem *petendi debitum conjugale.* Quare potuit huic juri renunciare ac proinde relate ad ipsum conjugem profitentem votum castitatis tenet. Invocari enim potest principium juris 'Actus si non valet uti ago, valere debet uti agere possum'. Hinc qui professus est manentibus prioribus nuptiis tenebitur utique reddere debitum ne jus alienum lædatur, non vero poterit nisi *cogente caritate* petere, quia huic juri renuntiavit. Soluto vero matrimonio per mortem alterius conjugis, votum castitatis in tota sua extensione reviviscit seu nullam amplius patitur limitationem ex jure alterius. Quare votum emissum in religione obicem ponit quominus sine dispensatione *novum* matrimonium contrahatur. Ex modo autem loquendi Pontificis in c. 3. h. t. DD. inferunt votum hujusmodi non esse solemne, sed *simplex.* Quare impedit solummodo non vero dirimit matrimonium. Ita *Engel* in h. t. n. 9. Et merito; nam in ea conditione in qua fuit emissum reducitur ad votum non petendi debitum conjugale.

6. 2°. Præter consensum alterius conjugis requiritur ut alter conjux si adhuc sit *juvenis,* vel si superadultæ quidem ætatis, sed tamen in periculo *incontinentiæ* versetur, *religionem ingrediatur et profiteatur.* Quodsi unus ex conjugibus sit senex, et absque periculo incontinentiæ, tunc ipso in sæculo remanente, alter de ejus licentia poterit religiosum amplecti institutum. Qui vero remanet in sæculo debet *votum perpetuæ castitatis* in conspectu Ecclesiæ, seu coram auctoritate ecclesiastica et testibus emittere. Porro votum hujusmodi non est solemne, sed simplex in sensu canonum juxta c. un. *De voto* (III. 15) in 6°. et celebratur publice solum probationis causa. Hæc principia juris habentur in c. 4., 8. et 13. h. t. Concordant cc. 19. et 21. C. 27. q. 2.

7. Si quæratur quænam ætas requiratur ut habeatur senectus ad effectum de quo agitur, communiter respondent DD. pro mulieribus esse ætatem 50 annor. pro viris annor. 60, quia post hanc ætatem ordinarie non est generatio. At melius judex seu *Epi-*

scopus in singulis casibus videbit an periculum incontinentiæ verificetur necne.

8. Animadvertendum vero est validam esse professionem unius conjugis, nec eum esse revocandum quoties alter amiserit jus petendi debitum conjugale. Hinc 1°. non est revocandus conjux religiosus si *altera* pars quæ in sæculo permansit, *votum castitatis* emisit, sed poterit ab Episcopo compelli ut religionem ingrediatur si in florenti adhuc ætate sit, vel in periculo incontinentiæ. 2°. Si unus ex conjugibus jura matrimonii violaverit per *adulterium*, poterit altera pars, etiam suo conjuge invito, religionem ingredi et profiteri c. 15. h. t. Idem dicendum est de quacumque separatione thori et mensæ *perpetua*. — Quod si pars, quæ adulterium admisit, velit religionem ingredi, debet assensum exquirere conjugis innocentis, qui, si assentiatur, tenetur emittere votum castitatis *temporaneum* seu quoad vixerit pars adultera quæ religionem professa est. Ita decisum est a S. C. Conc. in *Januensi* d. 2. Maji 1722 relata a *Giraldi comm.* in c. 8. h. t. ex *Thesauro Resolutionum* S. Congr. tom. 2. p. 164, item in aliis teste *Benedicto XIV.* in *Syn.* l. 13. cp. 13. n. 15.

9. Pauca de altera *conversione conjugatorum ad ordines sacros*. Non loquimur de *græca* Ecclesia, quæ non agnoscit omnem incompatibilitatem status conjugalis cum majoribus ordinibus Episcopatu inferioribus. Loquimur solummodo de disciplina Ecclesiæ *Latinæ*. Inprimis certum est ordines majores impedimentum utique dirimens constituere relate ad matrimonium contrahendum, non vero dissolvere matrimonium contractum, licet solummodo ratum, quia privilegium dissolvendi matrimonium ratum solummodo professioni religiosæ concessum est eo quod conjux professus censetur veluti mundo mortuus. Extrav. »Antiquæ« *Joann. XXII. De voto.* (tit. 6.) Hinc si vir inscia vel invita uxore ordines majores susceperit, ordinatio utique valida est, sed illicita, et poterit vir ab uxore revocari, quia ista non amisit jus petendi debitum. Vir autem amittit jus suum petendi juxta sententiam saltem eorum qui in susceptione Ordinis sacri supponunt votum; cfr. c. un. *De voto* (III. 15) in 6°. Quare mortua uxore nec licite nec valide novum potest vir matrimonium contrahere, sed tenetur vel ad statum clericalem regredi, vel religionem ingredi. Unde ut vir possit ad ordines promoveri 1°. debet obtinere *consensum* uxoris suæ. 2°. Uxor si juvenis sit, *ingredi religionem* et solemniter pro-

fiteri tenetur. c. 6. D. 77. Quod si vero sit in ea ætate in qua nulla habeatur incontinentiæ suspicio, poterit uxor in sæculo permanere, sed emittere debet votum *simplex* castitatis perpetuæ; quod votum simplex ex c. 14. D. 32., juxta ea quæ animadvertit *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* lib. 13. c. 12. n. 16. prohibet uxori viro e vivis sublato, alterum matrimonium contrahere: quod si contrahat, *irritum* est ecclesiasticis sanctionibus, seu Ecclesia non recipit matrimonium hujus mulieris. Quare votum illud simplex reddit mulierem inhabilem ad contrahendum matrimonium, ac proinde voto solemni æquiparatur. Ratio interna videtur esse Ecclesiam quam longissime amovere velle a ministris suis maculam bigamiæ ideoque etiam bigamiæ morti ipsorum supervenientis.*) 3°. Si uxor consentiat virum suum consecrari in *Episcopum* ex c. 6. h. t. nullo modo potest in sæculo remanere, sed debet *religionem ingredi,* immo Episcopus consecrari non postest, nisi antea uxor ejus continentiam professa sacrum sibi velamen imponat, et religiosam vestem assumat.

Titulus XXXIII.

De conversione infidelium.

1. In hoc titulo sermo est de conversione infidelium ad fidem catholicam. Ex c. 56. Conc. *Tolet. IV.* relato in c. 5. D. 45. necnon ex c. 33. C. 23. q. 5. deprehendimus jus ecclesiasticum præcepisse ut nullus invitus ad fidem amplectendam cogendus esset;

*) Ceterum sententia contraria i. e. negantium hoc votum esse matrimonii impedimentum *irritans* juxta *S. Alphonsum: Theol. mor.* De sacram. Ordinis n. 812. dub. 2°. satis probabilis est et merito quidem. Nam loci juris ab affirmantibus imped. irritans, sc. cc. 10., 11., 12. D. 28. et c. 14. D. 32. de nullitate matrimonii nihil exprimunt; ac licet nullitatem matrimonii a vidua clerici majoris initi expressissent; nihilominus hisce locis certe Const. *Bonifacii VIII.* in c. un. *De voto* (III. 15) in 6°. derogasset. En verba Pontificis: „Quod votum debeat dici solemne, ac ad dirimendum matrimonium efficax, nos consulere voluisti: „Nos . . . . præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis: illud *solum* votum debere dici solemne quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis aut per professionem . . . factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. *Reliqua* vero vota . . . . non *rescindere* possunt matrimonia post contracta. Etiam *Benedictus XIV.* in cit. loco (*Syn.* l. 13. c. 12. n. 16.) argumentatur tantum ex *Sanchez (De matrimonio* C. 7. disp. 40. per totum), non proprias affert probationes.

cujus enim vult, Deus miseretur nec inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ et meriti.

2. At ut fideles allicerentur ad veram fidem amplectendam, seu melius ne arcerentur ab eadem ob timorem damnorum, et jacturæ temporalium bonorum, plura videmus in conversorum favorem statuta in legibus canonicis. Et 1°. c. Extr. Com. *De Judaeis* (V. 2) præcipit rectoribus et officialibus regionum ad Apostolicam Sedem pertinentium ne Judæos conversos ad veram religionem, turbari sinant a possessione bonorum quæ tempore conversionis obtinebant. Huic decretali accesserunt Const. *Greg. XIII.* et Const. *Pauli III.* *'Cupientes'* d. 21. Martii 1542 confirmatæ et ampliatæ a *Clem. XI.* in Constit. *'Propagandæ per universum'* 5. Idus Martii 1704. Ex quibus patet *a)* non solum ex judaismo, sed *omnibus infidelibus* ubicumque ad fidem conversis concedi ceu privilegium fidei et pro causæ piæ titulo facultatem retinendi omnia bona etiam illicite, seu ex usura alioque malo quæstu acquisita, dummodo *notæ non* sint personæ quibus restitutio facienda esset; *b)* conversos eximi a *patria potestate; c)* gaudere *privilegiis* communibus civitatis; *d)* conversos non posse a parentibus *exhæredari* aut ullo modo privari illis bonis sive paternis, sive maternis quæ conversis iisdem debita erant de jure, seu successione quamvis fidem amplexi fuerint contra parentum voluntatem.

3. His expositis in genere explicanda est theoria canonica quæ exhibetur in titulo prout refertur in Decret. *Gregorii IX.* Duplex in titulo caput exstat.

In primo sermo est de *impedimento criminis* infidelium relate ad matrimonium contrahendum post conversionem. Quæsitum est a *Cœlestino III.* 1°. an valeret matrimonium contractum a christianis mulieribus cum Saracenis, qui ex cruciatis bellis facti captivi commorantes in domibus Christianorum, ex machinatione mulierum interfecerunt earum viros, et conversi ad fidem easdem in uxores acceperunt. Respondet Cœlestinus non valere matrimonium hujusmodi. Ex quo deducunt DD. impedimentum criminis, licet juris ecclesiastici, oriri in casu etiam ex facto, quod ab homine adhuc in infidelitate constituto positum est. Ratio est, quia agitur de mulieribus fidelibus et de viris qui ut matrimonium contrahere possent, debebant ad fidem converti. Quamvis ergo leges Ecclesiæ non obligent infideles, tamen ex eo quod in casu una pars ex contrahentibus erat fidelis, et factum ipsum habebat relationem

ad fidem, jure statuit Cœlestinus crimen patratum ab infideli constituere impedimentum dirimens christiani matrimonii.

2°. Proposita est species de quibusdam mulieribus christianis quæ nupserant Saracenis conversis ad fidem a quibus earum viri in bello fuerant pugnando interfecti. Qua in specie respondit Cœlestinus matrimonium valere nec posse mulieres istos conversos, ceu non legitimo matrimonio sibi conjunctos deserere.

4. In c. 2. h. t. species est de Judæo ad fidem converso, remanente ejus uxore in infidelitate, et statuit *Greg. IX.* puerum ex matrimonio in infidelitate natum post triennium ætatis suæ apud patrem educari debere. Hanc Const. *Bened. XIV.* in epist. *'Probe te'* d. 15. Nov. 1751 extendit etiam ad casum conversionis uxoris, ita ut ob fidei privilegium filii qui in infantia aut pueritia constituti sunt, nec doli sunt capaces, debeant educari semper apud conjugem conversum. Nec aliqua injustitia admittitur, cum ipsæ leges civiles quamvis aliquando pro sexus diversitate patri, matrive filios attribuerint l. un. C. *Divortio facto, apud quem liberi morari vel educari debeant,* tamen ex justis causis, præsertim ob suspectos patris mores filios omnes quamvis exuberes, soli matri educandos committebant. Ita ll. 1. et 3. §. 5. ff. *De liberis exhibendis.* Jam vero major pejorque suspicio non datur, quam si filius doli incapax relinquatur sub potestate et directione parentis infidelis.

Diximus vero filium doli incapacem; nam si sit *doli capax,* cogendus non est ad religionem christianam sequendam, sed eligat cui ex parentibus vel infideli vel converso adhæreat; cit. c. 33. C. 23. q. 5.

5. Quæ exposita sunt in n. 4, viam sternunt ad quæstionem: quando liceat baptizare filios parentum acatholicorum.

I°. Baptizare licet filios parentum acatholicorum *parentibus etiam invitis:* 1°. versantes in periculo mortis; 2°. amotos juste vel injuste a potestate parentum sine periculo redeundi et cum spe educationis catholicæ; 3°. filios quorum parentes sunt servi domini christiani cum ejusdem consensu. — II°. Quando *alteruter ex conjugibus est catholicus,* semper possunt baptizari eorumdem filii, modo ne *certum* sit filios acatholice educatum iri, S. C. Inq. dd. 12. Oct. 1600 (Collect. S. C. de Propag. Fid. an. 1893. n. 540.) et 17. Sept. 1671 (ibidem n. 546.). — III°. In ceteris casibus sc.

præter enumeratos in nn. I°. et II°.) duo sunt respicienda: *Jus Ecclesiæ in filios acatholicorum* et *spes eductionis catholicæ.*

Licet antiquis temporibus auctores, præsertim Scotistæ, jus Ecclesiæ in filios *acatholicorum non baptizatorum*, uti Judæorum, Mahumetanorum etc. defenderent, nostris tamen temporibus sententia *S. Thomæ (Summa Theol.* II[ii]. q. 10. a. 12. et III. q. 68. a. 10.) Constitutionibus *Benedicti XIV.* »*Postremo mense*« d. 28. Febr. 1747 et »*Probe*« et decretis S. Officii plurimis suffulta sola retinenda est: Ecclesiæ jus non esse in filios infidelium, nisi in circumstantiis quibusdam (supra enumeratis). Econtra »certum est quidem penes Ecclesiam jus esse baptizandi infantes hæreticorum vel schismaticorum, ac præpedire ne parentum erroribus imbuantur: neque de hoc Ecclesiæ jure ulla dubitatio moveri potest,« ait S. C. de Prop. Fid. d. 3. Jan. 1777 ad n. IX. (Collect. cit. n. 571.) — Sed aliud est jus, aliud usus hujus juris. Et quia Ecclesia ex usu hujus in infantes acatholicorum baptizatorum juris multa incommoda non solum infantibus baptizatis, sed etiam sibi ipsi proventura prævidit, baptismum infantium parentum acatholicorum et baptizatorum et non baptizatorum *non permisit*, nisi aut versarentur in periculo mortis aut adesset spes justa et rationabilis catholicæ educationis; S. C. Inq. dd. 28. Jan. 1637 (Collect. cit. n. 542.) et 26. Aug. 1885 (Collect. n. 595.). Inde non sufficit consensus utriusque parentis ad baptismum catholicum, sed requiritur illa spes justa et rationabilis.

Titulus XXXIV.

De voto et voti redemptione.

1. Votum in sensu canonum est '*Promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili*'. Dicitur 1°. *promissio* ut distinguatur a consilio et proposito, quæ intentionem utique aliquid faciendi important, non autem secumferunt voluntatis decretum ad suscipiendam actu aliquam obligationem. Hinc qui non exsequitur propositum utcumque firmiter et efficaciter conceptum in materia indifferente, idest nec vetita nec præcepta, peccati reus non est c. 3. h. t. Dicitur 2°. *deliberata* quia scilicet ad votum concipiendum requiritur perfecta animadversio seu cognitio objecti promissionis. Hinc indeliberata et minus considerata sponsio votum

dici nequit, sed est potius aspiratio quædam voluntatis spontaneæ non ex consilio rationali, sed potius ex motu instinctivo procedens. Quare sponsio hæc est potius opus phantasiæ et imaginationis quam rationis et intellectus. Pariter *libera* debet esse voluntas. Ea vero sufficit libertas voluntatis quæ sufficit ad peccatum patrandum. Verum communis doctorum arg. c. »Veniens« 5. *Qui clerici vel monachi* (IV. 6), tenet vota emissa sub metu gravi injusto esse irrita, adeoque non indigere dispensatione. 3°. *Deo facta* vel immediate, vel mediate seu immediate facta sanctis. Deum vero semper respicere debet votum quia est actus religiosus et ad cultum pertinere dicitur. 4°. *De bono meliori.* Hæc verba non significant objectum voti esse semper bonum perfectum aut optimum. Nam omnes conveniunt objectum voti esse posse rem simpliciter honestam, immo et rem de se indifferentem, quæ vero ad bonum finem dirigatur. Igitur votum de bono meliori fieri dicitur 1°. quia promissio de re honesta non debet impedire prosecutionem majoris et perfectioris boni. Sic ex. gr. regulariter non valet votum de matrimonio contrahendo quia melior est continentia et status religiosus. Igitur votum fit de meliori bono *negative,* quatenus meliori bono obviare nequit. 2°. De meliori bono fit votum etiam *positive,* quia res etiam simpliciter honesta eligitur ceu medium animam perficiendi Scilicet obligatio de re honesta suscipitur quia pro vitæ spiritualis utilitate judicatur melius esse actionem aliquam simpliciter honestam ponere quam non ponere. Tandem 5°. *De bono possibili.* Etenim impossibilium nulla est obligatio, sive impossibilitas sit *moralis,* quæ exsurgit ex prohibitione legis, sive sit *physica,* quæ est ex incapacitate virium et defectu proportionis medii ad finem. Qua in re animadvertendum est impossibilitatem ex defectu virium et capacitatis aliquando reduci ad magnam difficultatem qua res arduæ dicuntur impossibiles. Hoc in sensu impossibilitas sumitur cum sermo est de possibilitate legis applicandæ universæ communitati. Quare lex nimis ardua, seu quæ maximam secumfert difficultatem imponi nequit populo. Hinc quod optimum est, sub lege non cadit. At cadere potest sub consilio ac proinde potest esse materia voti. Immo votum potest comprehendere etiam id quod exsequi non potest suis ordinariis viribus, sed indiget aliqua gratia Dei, ad illud exsequendum. Quemadmodum est castitas perpetua juxta illud proverb. 'Scio quod non possum esse continens, nisi Deus dederit' et Tridentinum: sess. 24. cn. 9. *De matrimonio.*

2. *Divisio:* I°. Vota *solemnia* et *simplicia*. Solemnia sunt quæ ab Ecclesia *uti solemnia* recognoscuntur. Reliqua vota licet ab Ecclesia probentur, simplicia nuncupantur. Etenim *Bonif. VIII.* c. un. h. t. in 6°. docet *vota solemnizari ab Ecclesia.* Porro hæc solemnizatio duo importat. 1°. quidem Ecclesia judicat auctoritate sua aliquod genus actionum revera *perfectionis medium* constituere. Unde ille qui vovet hoc genus actionum præstandum in forma recognita ab Ecclesia, certus est in conscientia sua, promissionem datam esse de bono meliori et possibili illamque a Deo acceptari. — 2°. autem solemnizatio præstita ab Ecclesia specialem effectum tribuit, qui in eo consistit, ut actus contra votum emissum non solum sit illicitus, sed etiam *invalidus* et *irritus,* dum actus contra votum simplex est in genere solummodo illicitus. Quare solemnitas voti non est qualitas intrinseca ipsi voto, sed in se eadem sunt vota solemnia et simplicia et utraque exhibent promissionem Deo factam. Solemnitas ergo voti est qualitas extrinseca, procedens ex actu legitimo Ecclesiæ, quæ approbans votum eidem tribuit virtutem irritandi actus contrarios. Quo posito mihi non arridet sententia eorum qui tenent votum solemne distingui a voto simplici quia in solemni voto adest acceptatio Dei per Ecclesiam ac proinde unum ab alio *substantialiter* distinguunt. Nam solemnitas voti arg. cap. un. h. t. in 6°. procedit in sensu supra exposito; et quoniam etiam votum simplex est promissio de bono meliori, præsumi debet acceptatio ejus ex parte Dei. Etenim si non esset de bono meliori, neque esset votum.

3. II°. Vota *realia,* et *personalia,* et *mixta.* Realia ea sunt quibus promittitur res aliqua distincta, aut quæ distingui potest a facto mere personali ex. gr. eleemosyna, ædificatio, vel reparatio Ecclesiæ. — Personalia quæ aliquid a persona determinata præstandum designant ex. gr. peregrinatio aut obsequium personale Deo præstandum, aut jejunium. — Mixta sunt ea vota in quibus præter præstationem rei, etiam promittitur ipsa actio personalis. Ex. gr. si promittitur peregrinatio cum obligatione aliquid sacræ imagini donandi.

4. III°. Vota *non reservata,* et *reservata.* Primi generis sunt ea quæ Prælatus ordinarius potest dispensare, redimere vel commutare. Reservata autem sunt quæ exsuperant potestatem ordinarii superioris, sed ex speciali dispositione solum dispensare, redimere et commutare potest superior auctoritas in Ecclesia. Et

primo quidem Summo Pontifici reservata sunt vota solemnia. Quoad vero vota simplicia ex Extr. 5. *De Pœnitent. et remission.* (V. 9) inter comm. reservatur S. Sedi: 1°. Votum *perpetuæ castitatis*. 2°. votum *religionis approbatæ**) ab Ecclesia, 3°. votum peregrinandi *Romam* seu ad limina Apostolorum, 4°. votum peregrinandi *Hierosolymam* ad sepulchrum Domini, 5°. votum peregrinandi *Compostellam* ad S. Jacobum. At neque hæc reservantur nisi sunt absoluta, determinata, perfecta.

De voti obligatione.

5. Quodcumque votum valide emissum ex virtute religionis obligat ad præstandum id quod promissum fuit. Quodsi votum cognoscatur et probationis capax sit, potest fidelis homo ab externo foro Ecclesiæ adigi ad illud implendum, præsertim si Ecclesiæ, vel causæ piæ intersit votum impleri c. 6. h. t. Porro votum personale aut etiam mixtum, nisi adsit impedimentum, implendum est ab ipsomet *vovente*. Neque enim valet principium 'qui per alium facit, per se ipsum facere videtur'. Votum vero reale per alios impleri potest, immo debet impleri, quando vovens per se ipsum nequeat illud implere.

6. Quæritur an obligatio votum implendi transeat ad hæredes. Si sermo sit de voto *reali*, certum est illud obligare etiam hæredem illius defuncti qui vovit, et non implevit votum. Nam successores tenentur ad solvenda onera realia antecessorum c. 18. *De censibus* (III. 39) et hæres adeundo hæreditatem tacite fecit suas obligationes illam afficientes. — Vota autem *personalia* hæres implere non tenetur, quia præsumitur testatorem voluisse solummodo personam suam obligare. Excipitur casus quo hæres in se susceperit onus implendi votum quod defunctus non implevit. Votorum mixtorum exsecutio ad hæredes transit quoad partem realem quoties pars realis a personali separari possit, seu quando pateat voluntatem voventis fuisse obligandi æque principaliter rem et personam suam, non vero quando pateat voluisse obligare principaliter personam, et accessorie rem, seu quando præstatio rei reducitur ad merum obsequium personale. Verum ad hæredem transit onus implendi votum quoad partem realem et quoad personalem

*) Religionis approbatæ in qua *solemnia* vota nuncupantur. S. Pœnitentiaria d. 2. Jan. 1836.

si utramque obligationem in se hæres susceperit. Species legitur in c. 6. h. t. de Duce Hungariæ qui ab *Innoc. III.* obligatur ad implendum votum paternum quod ipse Dux patri in extremis agenti se impleturum spoponderat, visitandi nempe Hierosolymitanam provinciam in forti manu seu cum exercitu et in humili corde. Hoc votum erat certe mixtum.

De voti redemptione.

7. Redemptio voti stricto sensu sumpta significat *mutationem obligationis personalis in realem obligationem;* arg. c. 1. h. t. in quo quæritur, an votum peregrinationis eleemosynis redimi possit, vel in aliud commutari. At communiter sub hac appellatione DD. intelligunt *quamcumque liberationem ab obligatione voti.* Hæc vero liberatio seu cessatio voti pluribus modis potest contingere. 1°. *Immutatione status rerum.* Quæ immutatio vel in votis personalibus contingit, cum persona vovens impedimento perpetuo detineri incipit, quo non amplius possit votum implere. Hoc in casu vovens non tenetur per alium obligationi, quam contraxerat, satisfacere. Sed huic theoriæ opponi videtur c. 8. h. t. in quo Summus Pontifex decernit ut illi, qui voto ultramarino se obstrinxerint idest voverint in bello terræ sanctæ christianæ militiæ auxilium, si nequeant in propria persona pugnare, teneatur quisque in bonum terræ sanctæ refundere eas expensas quas iturus fecisset. Resp. Votum peregrinationis hierosolymitanæ non erat simpliciter pro causa devotionis, et ad obsequium personale Christi sepulchro præstandum, sed erat potius mixtum et de votis realibus ita participabat, ut æque principalis esset obligatio personalis et realis. Nam revera votum emittebatur in subsidium terræ sanctæ. Igitur impedita persona, valebat votum quoad præstationem rei, quæ cedere poterat in subsidium terræ sanctæ. Iterum immutatio status rerum tum quoad vota personalia tum quoad realia verificatur quoties materia voti deficiat seu quoties opus Deo promissum fiat vel *illicitum,* vel *impeditivum majoris boni,* ex. gr. si post votum peregrinationum, aut status clericalis quis velit ingredi religionem. Vel tandem quoties opus factum fuerit indifferens ex. gr. si cessaverit prorsus periculum ob quod quis sibi voto inhibuit ingressum in aliquam domum, cessat obligatio voti. Ad hanc immutationem status rerum reducitur etiam cessatio conditionis vel temporis in voto adjecti.

8. Liberatio vel cessatio voti contingit 2°. per *irritationem* voti. Irritatio est actus, quo ille, a quo vel persona vovens, vel materia voti dependet, tollit obligationem voti. Unde votum per se est validum, et obligat quousque non fuerit irritatum. Hæc irritatio obligationis fit ex sola voluntate illius, a quo vovens *ipse*, vel voti *materia* dependet, unde irritatio alia *directa* dicitur, alia *indirecta*. Nam vota semper habere præsumuntur implicitam conditionem 'nisi contradicat ille cui vel vovens, vel materia voti subest'.

9. I°. Ex *dependentia personæ* vota omnia sive personalia sive realia irritare potest, qui *dominativa* pollet potestate. Ergo 1°. potest *superior regularis* vota *religiosorum* irritare, quia voluntas religiosi inferioris effectum non habet nisi in quantum fuerit confirmata aut tolerata a Superiore. *Excipitur* votum transeundi ad institutum strictioris observantiæ. Qua in re Superior contradicere nequit, posito quod electio religiosi sit bonum melius. — *Episcopus* vero non potest irritare *directe* vota clericorum sibi subjectorum, quia Episcopus in clericos habet quidem *jurisdictionem,* seu auctoritativam potestatem, sed non habet potestatem dominativam. Si autem votum obviaret *exercitio sacri ministerii,* ex. gr. si clericus voveret se non accepturum beneficium parochiale, Episcopus posset votum hujusmodi irritare, quia in hoc clericus revera subditur Episcopo ceu judici competenti, et Superiori legitimo. 2°. *Pater,* et propriedictus *tutor* possunt *omnia* vota *impuberum* irritare; impuberes enim liberi et pupilli quoad omnem obligationem suscipiendam ob imbecillitatem judicii in jure censentur pendere ab auctoritate et directione patris vel tutoris c. 2. C. 20. q. 2. et c. 14. C. 32. q. 2. ex *Num. XXX*. 4.

10. II°. Ex dependentia autem *ratione materiæ,* et ne alienis juribus præjudicium inferatur 1°. *pater,* et *curator* possunt irritare vota *puberum* filiorum, et minorum si hæc vota cedant in *damnum* rerum paternarum vel administrationis curatori commissæ. Hinc pater irritare nequit vota filii de bonis castrensibus et quasi-castrensibus: quia hæc propria et libera sunt filii. 2°. *Vir* potest irritare vota *uxoris* quæ *præjudicant* eidem viro vel in debito conjugali, vel in administratione rei familiaris. Non potest vero vir irritare hæc vota si ab uxore ante matrimonium fuerint emissa. Potestas enim viri in uxorem incipit a tempore initi matrimonii: nec habet vim retroactivam. — Etiam uxor irritare potest vota viri quæ lædunt jura matrimonii.

11. 3°. Liberatio vel cessatio voti contingit per *commutationem* ejusdem voti, idest per subrogationem alterius operis in locum operis promissi. Commutatio fieri potest in opus Deo gratum, vel majus, vel æquale, vel etiam minus. Commutatio voti in opus evidenter melius fieri potest etiam auctoritate *privata*, seu ab *ipso vovente*, arg. cc. 4. h. t. et 3. *De jurejurando* (II. 24). Non enim, ait Pontifex in cit. c. 3., propositum infringit qui in melius illud immutat. — At *exceptio* est 1°. quoad vota *Papæ reservata*, quæ non possunt immutari nisi in religiosam professionem, arg. c. 4. h. t. 2°. quoad vota emissa *cum juramento*, quia duplex est obligatio in casu, una ex voto idest ex fidelitate, altera ex juramento quod est actus distinctus a voto, et supremus religiosi cultus. Quemadmodum infertur ex Literis Apostolicis *Bened. XIV.* ad Pœnitentiarios Urbis, datis d. 3. Decemb. 1749 §. 3. n. 43. quæ incipiunt '*Inter præteritos*'. Quare emissa professione religiosa quoad jusjurandum exposcenda esset relaxatio ejusdem. 3°. Excipiuntur vota emissa *in utilitatem tertii*, et ab eodem *acceptata*. Commutatio enim in casu læderet jus tertii per quasi-contractum acquisitum.

12. Commutatio voti in bonum *æquale*, vel *inferius* ut legitime fiat, requiritur *causa* vel utilitatis, vel difficultatis et *auctoritas superioris*. Nomine superioris venit non solum Romanus Pontifex, sed etiam Episcopus quoad vota non reservata. Simplices sacerdotes commutare possunt si privilegium seu indultum habeant commutandi vota. Hoc privilegium concedi solet a Sacra Pœnitentiaria pro votis cum debitis limitationibus pro foro conscientiæ et in sacramentali confessione. Commutatio, si fieri possit, melius est ut a reali ad reale votum, a personali fiat ad personale. Pariter si commode possit fieri ad æquale bonum, faciendum non est ad minus.

13. 4°. Liberatio fit per *dispensationem* voti. Dispensatio est *actus legitimi superioris quo ex justa causa aufert titulum obligationis voti.* Per dispensationem ergo deficit prorsus ipsa obligatio. Requiritur ad valorem vero *justa causa*, quia in lege Superioris Inferior delegatus nequit dispensare nisi ex justa causa. Causæ autem sunt 1°. si votum conceptum fuerit ex minori deliberatione, ex. gr. in aliqua *animi perturbatione*, vel in *ætate puerili*, 2°. magna *difficultas* quæ adversatur *exsecutioni* voti, inspecta præsertim conditione in qua vovens versatur; 3°. si ex obligatione voti *notabile damnum* vel spirituale vel temporale sequatur. 4°. Dispensatur votum ob *bonum commune* Ecclesiæ vel reipublicæ

arg. cc. 5., 7. et 9. h. t. At ex sensu horum cc. et c. 1. h. t. animadvertendum est dispensationem considerari in jure ceu rem *odiosam,* tollit enim penitus obligationem. Hinc ad eam deveniendum non est quando commutatio fieri potest. Unde Sacra Pœnitentiaria solet dispensare commutando.

14. Ad dispensandum requiritur *auctoritatis legitimi superioris.* Absolutio enim a vinculo spirituali ab iis solum concedi potest, quibus dictum est 'quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo'. Quare dispensatio pertinet ad potestatem jurisdictionis. Legitimus vero Superior est pro *tota* Ecclesia Romanus Pontifex, qui dispensare potest non solum in votis *simplicibus,* sed etiam in *solemnibus.* 1°. Vi enim verborum Christi *Tibi dabo claves, . . quodcumque solveris* . . judicare potest legitime Romanus Pontifex de omni negotio spirituali fidelium et decernere quid agendum sit. Cui rationi accedit etiam 2°.: quia nempe solemnitas voti non est aliquid intrinsecum voto, ita ut natura sua votum solemne distinguatur a simplici; sed pendet ab Ecclesia c. un. h. t. in 6°., quæ acceptando promissionem, decernit esse nullos et irritos actus positos contra virtutem voti. Quare solemnitas votorum non limitat potestatem Romani Pontificis, quippe qui est *supra* jus Ecclesiasticum. Exemplum dispensationis a voto solemni novissimum adest in dispensatione data a S. C. Inq. d. 12. Jan. 1888.

15. Pro subditis diœcesanis proprius Episcopus dispensat in votis *simplicibus* et sede episcopali vacante, Vicarius Capitularis, in quem ordinaria Episcopi jurisdictio transit. Insuper etiam prælatus exemptus seu nullius diœceseos qui jurisdictione quasi-episcopali gaudet, dispensare potest in votis simplicibus subditorum suorum. — Cum vero Episcoporum potestas subordinata sit supremæ potestati Romani Pontificis, hinc Episcopus, et a fortiori prælati inferiores non possunt de lege ordinaria absolvere in quinque simplicibus votis reservatis S. Sedi. In his autem quinque votis potest etiam Episcopus juxta theoriam probatorum auctorum dispensare quando adsit impedimentum adeundi Romanum Pontificem et necessitas ob periculum animæ urgeat. Præterea Episcopus et alii prælati inferiores non possunt dispensare in votis solemnibus neque in votis simplicibus quæ præmittenda sunt in Ordinibus Virorum votis solemnibus; cfr. Encycl. *Neminem latet* d. 12. Jun. 1858 n. II. — Attamen vi facultatis tributæ Episcopis a S. C. Inq. d. 20. Febr. 1888 locorum Ordinarii possunt dispen-

sare super professione solemni ad matrimonium contrahendum in specialibus circumstantiis. Ampliora hac de re in l. IV.

16. Quoad vero vota simplicia Pontifici reservata animadvertendum est, reservationem horum votorum esse odiosam, quippe quæ potestatem ordinariam Episcoporum et aliorum prælatorum restringit. Quare stricte accipienda est reservatio. Vota enim hujusmodi debent esse perfecta et determinata in toto vocis conceptu. Hinc non sunt reservata, sed dispensari possunt ab Ordinariis vota I°. ob defectum in conceptu *ipsius voti;* II°. ob defectum in conceptu *objecti* horum votorum. Ob I^{um}. defectum non sunt reservata: 1°. vota *incerta* i. e. vota de quibus rationabiliter dubitatur utrum sint vota an sola proposita; quia in dubiis benignior pars amplexanda *Reg.* 36. *Juris* in 6°.; 2°. vota *conditionata,* nisi conditione jam impleta renovata sint; nam si non sunt renovata, etiam impleta conditione a gravissimis DD. inter reservata non numerantur; 3°. vota non Deo, sed sanctis, e. gr. B. M. V., facta. — Ob II^{um}. defectum non sunt reservata: 1°. vota ingrediendi aliquam *congregationem,* amplectendi ordinem *strictiorem;* 2°. vota castitatis *temporaneæ* vel *partialis,* e. gr. non nubendi; 3°. vota peregrinandi Romam etc., non quidem ad visitanda limina, sed e. gr. ad invisendam Imaginem B. M. V. de Perpetuo Succursu etc. — Deinde licet substantiæ horum votorum sint reservatæ, tamen non accidentia, e. gr. peregrinandi Compostellam *pedibus.*

17. Ad materiæ de voto intelligentiam quæritur *quid operetur valida dispensatio?* Certum est apud omnes cessare per hunc actum Superioris obligationem voti. At obligatio potest cessare sive per actum *legislatoris* qui destruit vel suspendit virtutem legis, vel per actum auctoritativum *judicis,* qui declarat juridice et efficaciter pro tali persona, et pro tali re vinculum legis non verificari. Hinc etiam judex dicitur cum veritate absolvere reum ab actione legis. Semper vero requiritur causa, non solum ad liceitatem, sed etiam ad valorem dispensationis. Nam si dispensatio nihil est nisi judicium, res per se patet; sin autem relaxatio legis est, causa debet adesse, quia Inferior in lege Superioris non dispensat nisi exsistente legitima causa.

18. His præmissis duplex est doctorum sententia. Alii cum *Paludano* in 4. d. 38. q. 4. art. 4. tenent dispensationem reduci ad actum quo *declaratur* materiam voti non esse amplius Deo gratam,

et ratio est quia cum vota intercedant directe inter Deum et hominem voventem, constituunt legem inter Deum et ipsum voventem. Votum igitur producit jus favore Dei. Quare auctoritas Ecclesiæ proprie dispensare in voto non potest seu non potest destruere vinculum quod exsistit vi voti. Quare melius est si dicatur Superiorem ecclesiasticum auctoritative judicare, seu denuntiare talibus in adjunctis et circumstantiis versari hominem in quibus Deus votum ejus seu opus, vel promissam rem non acceptat, ac proinde locum esse cessationi voti. Quare in iis quæ a vovente proponuntur, Superior proprie legem voti non abrogat, sed judicium fert super causis seu circumstantiis quæ ab eodem vovente proponuntur.

19. At alii auctores cum *Lessio: De justitia et jure* lib. 2. c. 40. Dub. XVII. nn. 112. et sqq. docent, dispensare in voto nil aliud esse quam relaxare voti vinculum, et tollere ejus obligationem condonando homini Dei debitum, quod erga Deum vovens contraxit. Probant autem in Ecclesia adesse hanc potestatem: 1°. ex perpetuo usu Ecclesiæ quæ debita fidelibus condonavit contracta erga Deum ex voto, juramento et similibus; 2°. ex *Paulo* 2ª. ad *Cor.* II. 10. ubi scribit 'ego quod donavi, si quid donavi, in persona Christi'; 3°. ex verbis Christi *Matth.* XVI. 19. »Tibi dabo« etc. et *Matth. XVIII. 18.* »Quæcumque« etc. Quæ verba sunt generalia et intelligi possunt de omni vinculo quod homo potest contrahere erga Deum; 4°. ex ratione; si enim Deus dedit Ecclesiæ potestatem solvendi a vinculo culpæ et pœnæ, cur non etiam a voto? Auctoritas *Lessii* plurimi facienda et rationes allatæ maximi ponderis sunt. Unde hanc secundam sententiam priori præferendam esse censemus. Auctoris reverentiâ hoc reliquimus; at quis non videat, *Lessium* præsupponere id quod debet probare.*)

*) Argumenta a *Lessio* prolata nimis generalia sunt; quæ certissime noverant Auctores contrariæ sententiæ; nihilominus *S. Thomas* in *Summa Theol.* 2. 2. q. 88. a. 10. o. dicit: „Authoritate Superioris dispensantis fit, ut hoc quod continebatur sub voto, non contineatur in quantum determinatur in hoc casu hoc non esse congruam materiam voti. Et ideo cum prælatus Ecclesiæ dispensat in voto, non dispensat in præcepto juris naturalis vel divini, sed *determinat* id quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ quæ non potuit omnia circumspicere"; similiter *S. Bonaventura* 4. D. 38. a. 1. q. 3. — Audiamus etiam *Benedictum XIV.* de obligatione juris divini disserens quoad residentiam

Titulus XXXV.

De statu monachorum et canonicorum regularium.

1. Cum in præcedentibus titulis actum sit de votis in genere et de ingredientibus religionem, in præsenti titulo specifice agitur de observantia trium votorum solemnium quæ in *religione approbata* emittuntur. Dicitur »in religione approbata« quæ complectitur et statum monachorum et statum canonicorum *regularium* i. e. illorum canonicorum qui regulam S. Augustini (sive Chrodegangi Metorum episcopi) vota solemnia emittendo profitentur. De observantia trium votorum pauca sunt hic tractanda ceteris ad theologiam moralem remissis; deinde sermo erit de clausura regulari.

I. De voto *castitatis.* Solemnitas votorum dimetienda est ex effectibus præcipue voti castitatis, c. un. *De voto* (III. 15) in 6⁰. Differentia inter votum perfectæ et perpetuæ castitatis *simplex* et *solemne* in eo consistit ut licet utrumque omnem actum contrarium prohibeat etiam virtute religionis, licet utrumque irritet sponsalia futura necnon prohibeat matrimonium, solum tamen solemne etiam dirimat matrimonium superventurum et dissolvat matrimonium ratum, non consummatum; Tridentinum: 24. sess. 9. cn. *De matrimonio.*

2. II. Votum *obedientiæ* efficit, ut professus vota sive solemnia sive simplicia teneatur ad obediendum singulis Superioribus *secundum regulam*; inquantum transgressiones cadant sub peccato, videatur in Summa Theol. *S. Thomæ* 2. 2. q. 186. a. 9. — In nonnullis regulis, præcipue sanctimonialium, præscribitur vel enixe commendatur manifestatio conscientiæ. Quæritur utrum manifestatio conscientiæ cadat sub præcepto obedientiæ? Suo jam tempore Cardinalis *Bizzarri* in sua *Collectanea* scribere potuit (pag. 832. n. 4.): »S. C. EE. et RR. minime solet approbare aperitionem conscientiæ Superiorissæ, sed tantum permittitur, ut sorores, si velint, pandere possint defectus in regulæ observantia, et progressus quoad virtutes. De aliis enim ab eis agendum est cum proprio confessario'. — At abusus qui jam irrepserant vel irrepere minabantur, S. P. *Leo-*

Episcoporum: „Romanum Pontificem", ait, „dum tacitam dispensationem a residentia materiali concedit, non eos quidem a legis Divinæ vinculo absolvere, sed *interpretando* definire, Divinam legem eos in casu de quo agitur, ob adjunctas rerum circumstantias, nequaquam adstringere." in *Syn.* l. 7. c. I. n. 7.

nem XIII. adduxerunt, ut conscientiæ manifestationem prorsus e medio tolleret decreto generali S. C. EE. et RR. quod incipit »*Quemadmodum*« d. 17. Dec. 1890. hujus quoad nostram quæstionem tenoris: »I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum piarum Societatum, Institutorum *mulierum* sive votorum simplicium sive solemnium, nec non *virorum* omnimode *laicorum*, etsi dictæ Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam ajunt *specialissimam*, in eo scilicet, quod cordis et conscientiæ intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio injungit Moderatoribus ac Moderatricibus hujusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus præfatæ dispositiones omnino *deleantur* penitusque *expurgentur*. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam *immemorabiles*.

II. Districte insuper prohibet memoratis *Superioribus* ac *Superiorissis*, cujuscumque gradus et præeminentiæ sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, præcepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad hujusmodi manifestationem conscientiæ sibi peragendam; *subditisque* e converso præcipit, ut Superioribus majoribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant: et, si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

III. Hoc autem minime impedit, quominus subditi *libere ac ultro* aperire suum animum Superioribus valeant, ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.«

Exinde patet: Nunquam posse *adigi* vel *pertrahi* vel *adduci* ullo modo sorores quaslibet votorum sive simplicium sive solemnium aut fratres regiminis mere laici ad manifestandam Superioribus laicis quibusvis conscientiam, posse vero easdem sorores aut eosdem fratres pandere Superioribus conscientiam propriam *libere* et *ultro*.

3. In eodem decreto »*Quemadmodum*« cavetur etiam de alio capite, sc. utrum cadat sub obedientia regulari receptio Ss. Eucharistiæ, i. e. num et quoties S. Mensa Domini frequentanda vel S. Communio sit omittenda. — Nonnullæ enim regulæ continent *catalogum* dierum hebdomadis, quibus S. Eucharistia sumenda est; in nonnullis tribuitur Superioribus facultas »dirigendi subditos

quoad peculiares pœnitentias ac alia pietatis opera, quæ *facultas* per abusionem extensa in id etiam exstitit, ut eis ad S. Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint vel omnino interdum prohibuerint.«

Duo tantum spectant secundum decretum cit. ad Superiores regulares: 1°. Possunt prohibere sumptionem S. Communionis in casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem Confessionem Communitati *scandali* fuerit aut *gravem externam* culpam patraverit *donec ad Pœnitentiæ Sacramentum denuo accesserit.* — 2°. Habent jus, ut quotiescunque unus ex subditis licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris (sc. quam in regula concessa) ac etiam quotidianæ Communionis, ab ipso subdito certiores de hoc fiant; necnon ut, si justas gravesque causas se habere reputent contra frequentiores hujusmodi Communiones, manifestent — manifestare autem etiam debent — Confessario cujus judicio acquiescendum omnino erit. — Ceteræ de recipienda Ss. Eucharistia dispositiones solummodo ad Confessarium sive ordinarium sive extraordinarium spectant.

Quare calendarium sive catalogus dierum Communionis nihil præbet nisi *monitum*, ut omnes ad s. Synaxim curent diligenter se præparare et accedere diebus in propriis Regulis statutis. Communionem frequentius vel rarius quam hisce in calendario statutis diebus permittere, *solius est Confessarii*, S. C. EE. et RR. d. 4. Aug. 1888 et in dicto decreto d. 17. Dec. 1890 nn. V. et VI.

4. Hoc decretum »Quemadmodum« non respicit omnes ordines et congregationes, sed tantum Societates et Instituta mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, necnon virorum omnimode laicorum.

Quare »Puellæ Charitatis« comprehenduntur in dicto decreto publicatione et vigilantia juxta earum institutionem ac privilegia Superiori Generali Congregationis Missionis, quando sunt exemptæ, reservata, S. C. EE. et RR. d. 14. Apr. 1891 ad I^um^. — Congregationes virorum non comprehenduntur per se, licet præter paucos sacerdotes multi in eis inveniantur fratres laici; sic non tanguntur decreto »Quemadmodum« Salesiani, Lazzaristi etc. Quodsi Congregationes sive Ordines sunt naturæ *mere laicalis,* uti Fratres Scholarum Piarum, legi sunt subjecti; — cit. resp. d. 14. Apr. 1891 ad II^um^.

5. III°. De observantia voti *paupertatis solemnis.* Qua in re animadvertimus indifferens esse an religiosum institutum possidendi

sit capax, vel ex eleemosynis et oblationibus manualibus vivat, semper enim *singuli* religiosi ex virtute emissi voti paupertatis possidere prohibentur. Ex quo sequitur, nullum religiosum etiam cum licentia Superioris habere posse proprie dictum *peculium*, quia abdicatio proprietatis adnexa est essentialiter regulæ monachali c. 6. h. t. Peccat ergo contra votum paupertatis religiosus qui etiam de Superioris licentia non quidem juridice, sed affectu et effectu tamquam sua retinet bona immobilia, vel census aut præstotiones ordinarias sive in usum fructum, sive in usum, sive in administrationem privatam, sive in privatum commodum. Ita ex sensu c. 2. h. t. ita etiam ex Trid. c. 2. sess. 25. *De Reg.* et ex Const. *Clem. VIII. 'Nullus omnino'* quæ renovata fuit ab *Urbano VIII.* in sua Const. 28.

At relate ad *administrationem* animadverti potest 1°. sub hac prohibitione non comprehendi *œconomum* seu confratrem qui bona monasterii ex commissione et ad nutum Superioris et in commodum monasterii administrat cit. c. 2. Conc. Trid. sess. 25. *De Reg.* et cit. c. 2. h. t. 2°. Pariter religiosi ex licentia vel expressa vel præsumpta Superioris non prohibentur retinere *res mobiles sibi necessarias* et iisdem rebus uti, easque impendere in suos usus honestos et moderatos. Trid. in c. 2. sess. 25. *De Reg.* 3°. Si sermo sit de *legatis* relictis personæ regulari sive in bonis immobilibus, sive in annuis reditibus, hæc legata cedunt monasterio si capax sit possessionis. Hinc peccaret contra votum paupertatis tamquam proprietarius religiosus ille qui horum bonorum vel annuorum redituum administrationem susciperet et in proprios usus converteret, vel in toto, vel in parte. Notandum hic est etiam rescriptum S. C. EE. et RR. d. 15. Jan. 1897 ad episcopum *Zamorensem* (in Hispania), ex quo hæc deducuntur: *Solemniter* professa (professus ex pari ratione) indiget *Apostolica facultate,* ad juridicas gestiones per procuratorem instituendas ac perficiendas pro hæreditate sibi ac proprio nomine capienda ita tamen ut *Monasterio acquirat.* Pro casibus urgentibus Episcopus delegatur ad triennium ut possit concedere dictam facultatem.

4°. Idem dicendum de *livellis,* seu de annuis præstationibus quæ ex constitutionibus aliquorum monasteriorum præsertim Sanctimonialium fiunt pro singulis personis. Hæc scilicet livella debent a Superiore recipi et in capsa communi conservari. Expendi autem potest pecunia livelli a Superiore in usus necessarios personæ reli-

giosæ, quod vero superest, cedit in bonum monasterii. Cæterum persona cui livellum solvitur de licentia superioris aliquod in eleemosynam vel in parvas donationes potest erogare. At hac in re sequens facienda est animadversio.

6. Quamvis perfecta vita communis non sit de essentia status regularis, tamen S. Sedes in votis habuit, ut ea observaretur. *Pius IX.* vero decreto edito d. 22. Aprilis 1841 hæc quæ sequuntur præscripsit per organum S. C. EE. et RR. Videlicet 1°. 'In omnibus Novitiatus domibus *vita perfecte communis* introducatur, et quæcumque indulta, privilegia, exemptiones familiæ illius individuis antea concessa derogata censeantur. — 2°. In domibus professorii, educationis et studii *perfecta constitutionum observantia*, potissimum de paupertate revocetur. — 3°. In qualibet domo statuatur *ærarium* seu *capsa communis* cum solitis cautelis, in qua a religiosis omnibus non obstante quolibet privilegio deponenda erit pecunia, cum nil eis penes se retinere licitum sit præterquam quod constitutiones respectivæ permittant'. Qua dispositionum gradatione optime intelligitur quid ad sensum S. Congr. distinguendum sit. Tres siquidem ibi innuuntur leges ceu conditiones religiosi status essentiales observandæ 1°. *ærarium commune* seu capsa depositi in *omnibus* domibus collocanda, quin tamen aut exactæ vitæ communis aut perfecta constitutionum observantia urgeatur. 2°. *Perfecta constitutionum observantia* præscindendo tamen ab exacta vita communi, quam forte Constitutiones non præscribant: quod non omnes indiscriminatim urget, sed *domus* tantummodo *Professorii, educationis et studii.* 3°. Perfectius Religiosorum *tyrocinium* atque institutio quibus *vita perfecte communis* absolute præscribitur.

Præ oculis haberi possunt responsiones datæ ab eadem S. Congregatione ad postulata Fr. Joannis Decii Labois S. Congr. *de Somascha* qui petierat: 1°. 'An Religiosi qui in domibus professis congregationis *communem vitam* sponte professi sunt, et observant a Superioribus pro libitu transferri possint in domus in quibus illa vita non observatur? — 2°. An Religiosus semel *abstractus* ab vitæ communis observantia et in domum illam non profitentem translatus in posterum ad eandem vitam communem capessendam a Superioribus *cogi* possit? — 3°. An majores ordinis Superiores qui vitam communem non profitentur, domus in quibus illa vita communis observatur, in locum residentiæ sibi eligere et ibi com-

morari possint? Ex audientia Sanctissimi d. 1. Octob. 1852 Sanctissimus propositis dubiis rescribendum mandavit: Ad 1m *Negative.* Si vero aliqua gravis causa concurrat, recurrat ad S. C. pro *temporanea* translatione. Ad 2m Quoad *futurum* provisum in primo: relate vero ad *præteritum* si translatio fuit provisoria, *affirmative.* Secus *hortandos* esse. Ad 3m *Negative,* nisi vitam communem profiteantur'.

7. Quoniam vero in nonnullis regionibus legislationes civiles post suppressos ordines regulares, singulos religiosos considerare cœperunt ceu totidem cives juris possidendi capaces, hinc S. Sedes speciales instructiones edidit pro conscientiarum directione. Sic habemus instructionem d. 1. Dec. 1820 pro regularibus *Belgii* confirmatam a *Leone XIII.* d. 31. Julii 1878. Sic etiam pro *Italia* habemus instructionem S. Pœnitentiariæ dd. 28. Junii 1866 et 18. Aprilis 1867, quas superius summarie retulimus.*)

8. Religiosus vero qui voto paupertatis sive quoad possessionem, sive quoad administrationem vel usumfructum aut usum juxta datam explicationem contraierit, dicitur esse proprietarius, et pœnis canonicis religiosorum proprietariorum subjicitur. Nempe 1°. qui inventus est proprietarius, *privatur voce activa et passiva per biennium* c. 2. sess. 25. *De reg. in Tridentino.* 2°. Ex c. 2. h. t. removeri potest *a communione altaris.* 3°. In c. 3. h. t. post admonitionem regularem *expellendum* esse dicitur e monasterio. 4°. Religiosus qui in morte cum proprietate bonorum contra regulam sui ordinis repertus fuerit, quin eidem proprietati renuntiaverit, præsertim monitus a Superiore, *caret sepultura ecclesiastica* cc. 4., 2. 6. h. t. Religiosus insuper proprietarius subjicitur pœnis *peculiaribus* comminatis in constitutionibus proprii ordinis.

9. Ad materiæ complementum sciendum est: Paupertatem religiosam respicere quidem dominium bonorum extrinsecorum et excludere superflua et curiosa, minime vero respicere illa ornamenta quæ *præscribuntur* sive in Rubricis librorum liturgicorum sive in decretis S. R. C., e. gr. decreta ejusdem S. C. circa materiam paramentorum; S. R. C. d. 17. Dec. 1888 in una Ordinis *Capuccinorum.*

---

*) Acta S. Sedis hac de re in extenso referuntur in bene merito „*Monitore Ecclesiastico*" qui editur Conversani (prov. Bari): vol. I. pag. 299. et vol. IX. part. 2. pg. 268.

10. Veluti appendicis loco aliquid dicendum remanet de regularibus qui legitime et habitualiter extra claustra commorantur. Et primo quidem

I°. *De Regularibus qui ad Episcopatum promoventur.* Quæritur utrum et quomodo Episcopus regularis teneatur proprii ordinis regulam observare.

1°. In decreto Gratiani refertur c. 1. C. 18. q. 1. ubi legitur: '*Statutum* est . . . ut Monachus, quem canonica electio a jugo regulæ monasticæ professionis absolvit, et sacra ordinatio de monacho Episcopum facit, veluti legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vindicandi potestatem habeat . . . Posteaquam (vero) Episcopus ordinatur, ad altare (idest ad Ecclesiam) ad quod sanctificatur et titulatur, secundum sacros canones quod acquirere potest, restituat'. Ex tenore hujus canonis duo sequi videntur 1°. virum regularem promotum ad Episcopatum non amplius teneri ad *observantiam regulæ* cui sese per professionem solemnem obligaverat; 2°. virum regularem quidquid acquirit post promotionem ad Episcopatum, non sibi, sed *Ecclesiæ* suæ acquirere. Hæc secunda conclusio uti certa retenta est, et retinetur, adeo ut, nisi Episcopus regularis indultum testandi obtineat a S. Sede, non possit de bonis suis per actum ultimæ voluntatis disponere. Solummodo huic Episcopo DD. facultatem tribuunt ut ex Summi Pontificis licentia ob ipsam promotionem *præsumpta,* possit reditus mensæ episcopalis et aliorum bonorum quæ fortasse acquisivit, in licitos et honestos usus impendere, prout exigit dignitas episcopalis. Quam rem ita exprimit *S. Thomas* in 2. 2. q. 88. art. 12. ad 4um: Episcopus regularis 'nihil debet habere tamquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiæ'. Unde *quoad substantiam* Episcopus regularis tenetur voto paupertatis, licet in illius observantia aliquo modo differat a simplici religioso. Quoad votum *castitatis perpetuæ,* ridiculum esset leve etiam dubium movere.

11. Relate vero 2°. ad votum *obedientiæ* dicendum est, illud in se inspectum non resolvi per promotionem personæ ad Episcopatum, sed ejus observantiam urgeri non posse, quia Episcopus non habet amplius Superiorem regularem cui subjiciatur. Sed si Episcopus a sua Ecclesia *recesserit* sive ob privationem, sive ob renunciationem, sive quia non possit aut nolit residere in diœcesi

redire debet ad claustra religiosa, et subesse Superioribus, et regulas observare tenetur.*) Ita ex Decreto *Alex. VII.* mox cit.

12. Quid vero dicendum 3°. *de observantia regulæ* ordinis religiosi? Non infimæ notæ auctor *Andreuccius: De Episcopo titulari* part. 3. n. 163. docet Episcopos regulares ad regulæ observantiam teneri ex *sola decentia et honestate,* et id probare conatur ex c. 1. C. 18. q. 1. superius relato. At *S. Thomas* in 2. 2. q. 185. a. 8. ad 1um explicans canonem hunc 1., hæc habet: 'Ille qui de Monacho fit Episcopus, absolvitur a jugo monasticæ professionis non quantum ad omnia, sed quantum ad illa quæ officio pontificali repugnant'. Quare DD. communiter tenent religiosum ad episcopalem vel Cardinalitiam dignitatem evectum, substantialiter religiosum permanere. Conf. *De Lugo: Resp. Moral.* lib. 5°. dub. 12.

13. Huic theoriæ adhærens *Alex. VII.* in decreto d. 26. Julii 1662 super residentia Episcoporum confirmato a *Clemente XI.* ann. 1715 et extenso ad Episcopos regulares in Vicarios Apostolicos, administratores et visitatores deputatos 'decernit insuper et declarat Sanctitatis suæ mentem nequaquam esse, eosdem Episcopos, si regulares fuerint, ab obligationibus professioni regulari, quam emiserunt, adnexis per adeptionem dignitatis, ac muneris episcopalis ullatenus absolvere ac eximere nisi quatenus ejusdem muneris, ac curæ pastoralis exercitio impedimenti sit'. Accessit Constitutio »*Custodes*« *Benedicti XIII.* d. 7. Martii 1725 ubi hæc habentur: 'Statuimus, atque sancimus, ut ex monastico, regulari et mendicantium instituto ad episcopalem seu quamcumque aliam dignitatem et S. R. E. Cardinalatum jam evecti et in posterum evehendi, universis et singulis suæ regulæ officiis et obligationibus quæ pontificale sive cujusque alterius dignitatis aut Cardinalatus officium minime impediunt, perpetuo subsint . . . ac proinde sui monastici ordinis, sive alterius regulæ mendicantium insignia et propria indumenta lanea suoque peculiari colore distincta, rasilem quoque . . . coronam præferant quibus antea . . . ex solemni sua professione . . . tenebantur, a cujus professionis obligatione . . . neutiquam absolvuntur . . . Propterea hujusmodi Episcopis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus et mandamus ut omnia et

---

*) Id quod fecit B. *Albertus Magnus*, magister S. Thomæ, qui abdicato annuente *Urbano IV.* episcopatu Ratisbonensi ad fratres Prædicatores regredi festinavit.

singula præsentibus literis nostris hactenus recensita undequaque observare non differant. Si vero . . . hoc agere contempserint, vel neglexerint, eos pœna suspensionis ab exercitio pontificalium ipso facto incurrenda tamdiu innodatos declaramus donec . . . relaxationem . . . meruerint obtinere'. Exceptio firmans regulam se nobis offert in concessione purpuræ — annuente S. P. *Leone XIII.* — Primati Regni Hungariæ a S. C. super negotiis ecclesiasticis extraord. d. 14. Jan. 1892 facta, dictus enim Primas Franciscus Claudius Vaszary regulam S. Benedicti est professus; similiter non multo antea Primas Germaniæ Franciscus de Paula Eder, Archiepiscopus Salisburgensis, ejusdem Ordinis fuerat dispensatus.

14. Tandem teste Card. *Bizzarri* in *Collectanea* pag. 773 proposito dubio 'An et quomodo Episcopus regularis teneatur ad observantiam regulæ suæ professionis' Sacra Congr. EE. et RR. d. 6. Maji 1864 respondit '*Affirmative* ad præscriptum Const. *Ben. XIII.* incip. *Custodes:* nempe Episcopus Regularis tenetur observare regulas suæ religionis, quæ materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observationes dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem, ita tamen ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illæ conveniant'. Hæc resolutio probata fuit eadem die 6. Maji 1864 a *Pio IX.* s. m. Ex hisce omnibus optime noscitur quænam sit obligatio circa regulæ observantiam qua Episcopi religiosi tenentur.

15. II°. *De Religiosis qui ex Indulto Apostolico vivunt in sæculo.* Indultum quod dicitur *sæcularisationis* solet concedi vel *ad tempus,* vel *in perpetuum.* Religiosus qui *ad tempus* ex concessione S. Sedis degit extra claustra, remanet verus religiosus et quidem aliquando indultum conceditur sub conditione retinendi *habitum* proprii ordinis, aliquando autem conceditur licentia dimittendi vestem regularem. Hac vero in secunda hypothesi religiosus debet sub vestibus sæcularibus aliquam partem religiosi habitus singularis gestare. In utroque autem casu religiosus ita dimittitur ut tempore quo moratur extra claustra, subjiciatur Ordinario *in vim etiam voti solemnis obedientiæ.* Hinc quoad istos religiosos ratio vitæ regularis parum immutatur et bona quæ congregant, cedunt propriæ religioni, quemadmodum patet ex resolutione d. 19. Januarii 1829 Congr. spe-

cialis deputatæ a *Leone XII.* et approbata a *Pio VIII.* d. 26. Junii ejusdem anni. — Si autem sermo sit de religiosis *in perpetuum* sæcularisatis, istis conceditur indultum manendi in sæculo quoad vixerint in habitu *presbyteri sæcularis,* si sint in *sacris* ordinibus constituti, vel in habitu *decenti,* si sint tantum clerici, vel conversi. Sequens vero clausula injungitur: 'Retento interius aliquo sui regularis habitus signo . . . ita tamen ut substantialia votorum suæ professionis cum statu compatibilia observet, et sub obedientia Ordinarii *etiam in vim voti religiosi* vivat'. Quod si agatur de religiosis laicis vel etiam de clericis, qui in sacris ordinibus non sint constituti, additur alia clausula: *firmo voto castitatis.*

16. In ordine ad hujusmodi indultum merito adnotat Card. *Bizzarri* in *Collect.* pag. 774-775: 1°. Perpetuo sæcularisatos considerari ceu personas *perpetuo abscissas* a sua familia regulari. 2°. Istos sæcularisatos teneri ad observandum votum *castitatis,* et ad observanda *substantialia* aliorum votorum. 3°. In indulto non injungi sæcularisatis *observantiam regulæ* ordinis religiosi. Quare si in professione præter tria vota communia, religiosus quartum votum emisit ex. gr. votum abstinentiæ a carnibus, post sæcularisationem substantialiter illud observare debebit, non vero debebit observare jejunia quæ a regula præcipiuntur, sed non fuerunt objectum specificum voti. Et ratio est quia vota directe obligant personam et per consequens eandem comitantur etiam post egressum a religione: e contra præcepta regulæ obligant personam, quatenus ad regularem familiam pertinet. Igitur post egressum legitimum personæ ab ordine religioso, cessat quoad personam illam obligatio præceptorum regulæ ordinis propriæ. 4°. Quoniam perpetuo sæcularisati servare debent votum paupertatis in substantia, hinc ipsos posse utique bona, si quæ possident, in honestos et licitos usus adhibere, et præsertim in propriam sustentationem erogare, at eorundem bonorum *verum dominium* non habent, ac per consequens *sine licentia S. Sedis* de iis libere, præsertim causa mortis, disponere nequeunt, sed cedunt Cameræ spoliorum ut supra vidimus in tit. *De pecul. Cleric.* (III. 25). 5°. Sæcularisatos absque indulto Sedis Apostolicæ assequi non posse *beneficia* ecclesiastica. Continent enim verum jus percipiendi suosque faciendi fructus temporales.

De lege clausuræ.*)

17. Nomine clausuræ venit *totum illud spatium quod muris seu septis monasterii clauditur.* Hanc clausuram utpote maxime conducentem ad observantiam regulæ monasticæ vehementer tuetur lex ecclesiastica. Primo loco agemus de clausura *monialium,* deinde *virorum.* Et quoniam infringi potest lex clausuræ sive per *egressum* monialium e monasterio, sive per *ingressum* personarum extranearum: hinc primo agemus de egressu monialium e monasterio.

A. De clausura monialium:

18. I. *De egressu monialium.* De hoc egressu agit c. un. h. t. in 6°. quod renovatum est a Conc. Trid. in c. 5. sess. 25. *De Regul.* In istis locis decernitur 1°. *Episcopum obligari sub gravi* ad procurandam observantiam legis clausuræ ubi clausura adest, et ad eam restituendam, ubi fuerit violata. 2°. Decernitur ut in monasteriis sibi subjectis Episcopus auctoritate *propria,* in exemptis vero procedere possit auctoritate *Apostolica.* 3°. Ut Episcopus possit contra inobedientes et contradictores *censuras* et alias *pœnas* decernere, quacumque appellatione postposita et invocare etiam brachium sæculare. 4°. Ut nulla ex monialibus possit *egredi* ex monasterio post professionem, etiam ad breve tempus, nisi ex aliqua legitima causa approbanda ab Episcopo.

19. Hæc vero causa probari debet ab Episcopo in scriptis etiam in monasteriis exemptis ita ut licentia Superioris regularis monasterii non sufficiat. Quare in monasteriis exemptis concurrere debet licentia superioris regularis et Episcopi. Ita in Const. *S. Pii V. Circa Pastoralis,* et in alia Const. subsequenti *Decori* d. 1. Febr. 1570. In hac insuper Const. *Decori* causæ egressus monialium a monasterio ad tres reducuntur: 1°. *magnum incendium;* 2°. *lepram;* 3°. *epidemiam.* Porro ex declaratione S. Congr. EE. et RR. mensis Sept. 1720 Archiepiscopo *Avenionensi* transmissa, patet sub appellatione epidemiæ venire non solum pestem, sed omnem *morbum contagiosum,* quo aliqua *monialis* laborat. Unde monialis hæc ne alias inficiat, egredi potest e monasterio. Quare epidemia generalis in civitate vel oppido, et timor ne morbus propagetur, et

*) De frequenti accessu et colloquio laicorum ac clericorum, præcipue regularium, jam vidimus in tit. 1. h. t. III. nn. 13. et sqq., pg. 4. sqq.

moniales etiam afficiat, causa egressus monialium a monasterio esse non potest. Conf. Card. *Bizzari* in *Collect.* pag. 345. Si quæratur utrum taxative vel demonstrative tantum fuerint hæ causæ designatæ, variant DD., sed ex praxi S. C. EE. et RR. patet causas præfatas fuisse *demonstrative* designatas, i. e. in ceteris casibus semper requiritur licentia S. Sedis, ita ut ne immemorialis quidem consuetudo contraria suffragetur uti decidit S. C. Inq. d. 22. Dec. 1880. Ad egressum igitur monialis requiruntur duo: 1. *causa*; 2. *forma*. Si causa est ex designatis in Const. *Decori*, requiritur approbatio Episcopi sola in scriptis danda in monasteriis *non-exemptis*, in *exemptis* requiritur præterea licentia Superioris regularis. Si causa non est ex designatis, sola S. Sedis auctoritas potest concedere egressum. Cfr. *Benedictum XIV.* in *Syn.* l. 9. cp. 15. n. 8.

20. Quod si illegitime egressa fuerit monialis, decernit Pontifex pœnam excommunicationis Papæ reservatæ tum in ipsam egredientem, tum in concedentes licentiam, concomitantes, receptantes. Porro ex declaratione S. C. Conc. in *Comen. et Licien.* d. 16. Sept. 1709 hanc excommunicationem incurrit monialis ascendens *supra tectum* Monasterii; censetur enim esse extra ambitum et limites clausuræ. Insuper *S. Pius V.* in eadem Const. contra monialem illegitime egredientem et superiores vel præsidentes illegitime concedentes licentiam, decernit pœnam privationis ipso facto incurrendam officiorum et administrationum, necnon pœnam inhabilitatis ad illa officia et administrationes, et ad alia hujusmodi obtinenda. In Const. autem *Apostolicæ Sedis* renovatur pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ simpliciter reservatæ contra »moniales exeuntes e clausura extra casus et formam a S. Pio V. in Const. *Decori* præscriptam«.

21. Verum animadvertunt DD. ex defectu licentiæ non incurri descriptas pœnas quoties *periculum est in mora,* et res ulteriorem dilationem non patitur juxta regulam c. 3. *De verb. sign.* (V. 12) in 6°.: 'ab omni lege extrema necessitas est exempta'.

22. II°. *Ingressus* in monasterium monialium interdicitur in c. un. h. t. in 6°. *inhonestis* personis absolute, et *honestis* nisi rationabilis et manifesta causa verificetur, et adsit præterea licentia Superioris. Conc. Trid. in cit. c. 5. sess. 25. *De Reg.* sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibet ingressum in monasteria monialium omnibus cujusque generis, conditionis et sexus et ætatis

absque licentia Episcopi *vel* superioris in scriptis obtenta. Hæc porro qualitas disjunctiva quoad monasteria exempta sublata est a decreto S. C. Concilii approbato ab *Urbano VIII.* d. 13. Nov. 1620. Hinc Episcopi *et* Superioris simul licentia requiritur, nisi consuetudo ferat ut a solo Ordinario exposcatur licentia, ex alio decreto approbato ab eodem Pont. d. 21. Maji 1630. Conferatur *Benedictus XIV.* in *Syn. Diœces.* l. 13. cp. 12. n. 23.

23. Porro excommunicationem latæ sententiæ superius dictam reservarunt Papæ Const. *'Ubi gratiæ' Greg. XIII.* d. 13. Junii 1575 et Const. »*Monialium*« *Pauli V.* d. 10. Julii 1602. In hisce Const. pœna excommunicationis expresse statuitur contra quoscumque etiam marchionali et ducali dignitate fulgentes, qui prætextu privilegiorum, quæ revocantur, septa monasterii ingrediuntur. Insuper gravissimæ pœnæ excommunicationis et privationis dignitatum, officiorum et beneficiorum latæ sententiæ, et inhabilitatis decernuntur contra *superiores* immediatos conventus *introducentes* quascumque personas. Constit. autem *Apostolicæ Sedis* n. 6°. renovat excommunicationem l. s. simpliciter reservatæ S. Sedi contra »Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria ingrediendo absque legitima licentia pariterque eos introducentes vel admittentes«.

24. Excommunicatio tangit personas omnes, cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, violantes clausuram monialium aut ingrediendo aut introducendo aut admittendo:

Ergo 1) personas introducentes vel admittentes infantes: sive pueros sive puellas *usum rationis non habentes;* nam dicitur *cujuscunque* ætatis, etiam in Tridentino, cit. c. 5. *Mattheuccius* vero in *Official. Curiæ* cp. 32. n. 22. plura decreta S. Congr. offert quæ in hoc sensu loquuntur;

2) *Puellas educandas* ratione jam utentes vel *famulas* ingredientes necnon personas easdem introducentes vel admittentes nisi de licentia S. Sedis quæ implicite data intelligitur in approbatione instituti monialium educationi inservientium. Ex Encyclica *Benedicti XIV.* »*Per binas*«, d. 24. Jan. 1747 ad Epp. *Portugalliæ.*

3) Personas cujuscunque generis aut conditionis, etiam cardinalitia dignitate fulgentes; Const. »*Salutare*« *Benedicti XIV.* d.

3. Jan. 1742 §. 3., etiam Legatos a Latere, Nuntiosque ad Regem et Imperatorem vel reipublicæ præsidem, ex eadem Const. »*Salutare*«.

25. *Immunes* excommunicationis vero sunt — generaliter loquendo — quicunque necessitate quadam cogente clausuram ingrediuntur; specialiter:

1°. *Prælati* tum *sæculares* sive Episcopi, sive Cardinales, tum *regulares* ingrediantur monasterium in causis necessariis, et cum paucis personis senioribus et religiosis, ex Const. *Gregorii XIII.* »*Dubiis*«, d. 23. Dec. 1581. Ex Const. *Alex. VII. Felici* d. 20. Oct. 1664 prælati regulares non possunt ingredi claustra monasterii monialium sibi subjecti a) nisi *semel* in anno ex causa visitationis faciendæ per seipsos, complendæque *una die*, post solis ortum ad solis occasum. Visitatio autem *personalis* facienda est ad crates extra claustra monasterii. b) Si *pluries* in anno ingredi debeant Monasterium, debent id agere cum Episcopo, ac persona ecclesiastica ab eodem deputanda.

2°. *Confessarii* sive ordinarii sive extraordinarii possunt ingredi solummodo ad conferenda Sacramenta *infirmis* monialibus, vel ad animæ commendationem, et debent secum adducere socium maturæ ætatis et probatæ vitæ. Hæc associatio non requiritur nisi in Confessario *regulari*, cfr. *Ferraris* in *Bibliotheca* v. »Moniales« art. 5. n. 63. et S. C. EE. et RR. d. 29. Maji 1846 argumento *a fortiori*. Notandum hic est Confessarium ad alium finem, etiam honestissimum, monasterium ingredi nequire neque ingressu legitimo abuti posse. Sic »non licet Confessario ingredi monasterium sub prætextu *sepulturæ* tradendi cadaver alicujus monialis aut officia funeralia peragendi; consuetudo contraria tolerari non debet nisi de licentia Ordinarii in singulis casibus«; S. C. EE. et RR. d. 2. Mart. 1855.

3°. Ratione *necessitatis* possunt ex sola licentia Abbatissæ ingredi monasterium *medici*, *chirurgi*, *operarii* et *opifices* adhibitis tamen semper præscriptis cautelis, e. gr. ut »eligantur viri probati tam ætate quam bonis moribus« S. C. EE. et RR. d. 20. Nov. 1584; ne commorentur intra clausuram ante solis ortum neve post ejus occasum, cfr. *Pignatelli* tom. 6. Cons. 185. n. 102. etc. — *Pennacchi*: *Commentaria* in Const. *Apostol. Sed.*: Appendix XX. pag. 726, ubi plures enumerantur casus.

4°. »*Imperatores* et *Imperatrices*, *Reges* et *Reginæ* eorumque *Filii* et *Filiæ* cum sua decenti *comitiva*« secundum *Ferraris*: *Bi-*

bliotheca v. »Moniales« art. III. n. 53. cum 9 DD. quos citat. Probatur autem hæc assertio: a) *reg.* 81. *juris* in 6°: »*In generali* concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter *in specie* concessurus«, sc. e converso »In generali *prohibitione*« etc.; b) argumento a sensu contrario ex Constitutionibus RR. PP.; nominantur enim ibi dignitates marchionalis et ducalis in Const. *Pauli V.* supra cit.; nominantur dignitates Episcopi, Cardinalis, Nuntii ad Regem vel Imperatorem in Const. *Bened. XIV.* »*Salutare*«*;* at dignitas imperatoria vel regia minime nominatur; licet nominari et possit et debeat. Ergo c) »Accedit declaratio Cardinalium«, ut ait *Reiffenstuel,* »apud Hyacinthum *Donatum,* tom. IV. tract. IV. q. 2 et tom. I. tract. IV. q. 49., dicens, quod per Const. *Gregorii XIII.* non derogetur facultati personarum de regia stirpe intrandi clausuram«.

Novissimis temporibus nova conversandi instrumenta sunt inventa, inter quæ non ultimum tenet locum instrumentum quod »*Telephonum*« vocant. Utrum et quibus sub conditionibus liceat uti hoc instrumento in monasteriis cum clausura, ostendit nobis responsum S. C. EE. et RR. ad Episcopum *Canarien.:* »Vigore specialium facultatum a Ss^{mo} Domino nostro concessarum S. C. EE. et RR., Episcopo oratori facultatem benigne tribuit super præmissis (sc. ut domus Confessarii monialium Cisterciensium longe distans *telephono* conjungi possit cum monasterio eorundem monialium), attenta necessitate (quia contingere possit ob distantiam, moniales e vita cedere sine religionis adjutorio) ad effectum Vicarium dumtaxat advertendi, juxta preces providendi, præscriptis debitis cautelis ne aliquod inconveniens oriatur; ac præcipue ut in actu advocandi per enunciatum medium Vicarium, duæ adsint ex probis et senioribus Monialibus quæ verba audiant: super quibus Episcopi conscientia onerata remaneat; contrariis quibuscunque non obstantibus. Romæ d. 20. Martii 1895. — I. Card. *Verga,* Præf.

26. Ad hujus materiæ complementum animadvertimus clausuram aliam esse *papalem,* aliam *episcopalem.* Clausura papalis locum habet in Monasteriis monialium, in quibus adest solemnitas votorum, adeo ut positis votis solemnibus, clausura de jure subjiciatur protectioni, et tutelæ S. Sedis. Const. *S. Pii V. Circa pastoralis officii* et S. C. EE. in *Policastrensi* d. 6. Dec. 1839. *Collect.* Card. *Bizzarri* pag. 96. At non desunt exempla domorum religiosarum votorum *simplicium,* quibus ex speciali dispositione S. Sedis

imposita est lex clausuræ *papalis. Collect.* loc. cit. quæ præter sorores in diœc. *Policastren.,* Salesianas votorum simplicium *Rhegii* Calabriæ commemorat. — In genere autem clausura *episcopalis* locum habet in domibus religiosis votorum *simplicium,* quoties ab Episcopo alicui ex istis domibus clausuræ lex fuerit præscripta. Differentia autem inter papalem et episcopalem clausuram in eo posita est, ut in papali clausura S. Sedes tantum, non autem Episcopus dispensare possit, dum episcopalis clausura *ab Episcopo dependet.* Quare posita clausura papali Episcopus tantum in casibus expressis in jure dispensare potest, in aliis requiritur licentia S. Sedis, tum quoad egressum monialium, tum quoad ingressum personarum extranearum in monasterium. Non Papalis, sed Episcopalis tantum clausura exsistit in illis monialium monasteriis in quibus, licet ad veras religiones pertineant, ob temporum circumstantias vota non emittuntur nisi simplicia, uti in *Gallia,* in *Bavaria,* in *America Septentrionali;* cfr. responsum S. Pœnitentiariæ d. 23. Jan. 1821 quoad monasteria in Gallia.

27. Moniales quæ ob calamitates politicas constringuntur ad exsulandum remotæ a monasterio, non omittunt hac translocatione *solemnitatem* votorum i. e. 1⁰. *singulæ* remanent moniales in stricto sensu; 2⁰. etiam *institutum* ipsarum remanet religio propria ita ut novæ sodales cum votis item *solemnibus* aggregari valeant. S. C. EE. et RR. in *Ruremonden.* d. 22. Martii 1895 ad Ium et IIum; item in *Birmingamien.* d. 25. Julii 1896. Ad liceitatem translocationis requiri S. Sedis licentiam ex dictis supra n. 19. patet; data autem hac licentia specialis aggregandi non est opus.

De clausura virorum.

28. Clausura virorum *quoad egressum* ex Const. *Nullus Clementis VIII.* super reformatione regularium consistit in eo ut nullus religiosus e septis monasterii absque licentia superioris, et accepta benedictione exire audeat. Contravenientes gravi pœna etiam carceris arbitrio superioris plectuntur. Animadvertunt vero DD. sufficere licentiam rationabiliter *præsumptam* Superioris, nec egressum sine licentia si fiat absque contemptu et scandalo lethalis peccati reitatem secumferre. Quisque autem intelligit nos hic non loqui de fugitivis et apostatis qui certe rei sunt *gravis* culpæ.

29. Clausura monachorum quoad ingressum in eo sita est, ut in monasteriorum septa mulieres omnes ingredi prohibeantur etiam

prætextu cujuscunque privilegii concessi ante *S. Pium V.* et *Gregorium XIII.* Nam revocantur hæc privilegia ab istis Pontificibus, a *S. Pio V.* in Bulla *Regularium personarum* d. 24. Oct. 1566 et subsequente ejus declaratione *Decet Romanum Pontificem* d. 16. Jul. 1570, a *Greg. XIII.* in Const. *Ubi Gratiæ* d. 13. Jun. 1575., præcipue vero a *Benedicto XIV.* in Const. *Regularis disciplinæ* d. 3. Jan. 1742. Ex quibus Constitutionibus patet omnes et singulas mulieres sive ex prætextu privilegii, sive absque titulo privilegii ingredientes, et ipsos religiosos introducentes incurrere pœnam excommunicationis latæ sententiæ; religiosos istos insuper introducentes mulieres incurrere pœnam privationis officiorum quæ habent, inhabilitatem ad alia obtinenda, nec non suspensionem a divinis. De hac suspensione tacet Const. *Apostolicæ Sedis,* quæ tamen inter excommunicationes simpliciter reservatas R. Pontifici sub n. VII. recenset excommunicationem contra 'Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliosque eas admittentes'. Ex ipso textu hujus excommunicationis eruitur exceptiones quas supra memoravimus, hic a fortiori valere; nam

1°. deest »cujuscunque ætatis«; ergo excommunicationem non incurrunt nisi feminæ *jam puberes* violantes etc. i. e. saltem 12 annos natæ, item neque Superiores aliique nisi feminas in tali ætate jam constitutas admittentes.

2°. deest »cujuscunque generis ac conditionis;« ergo Imperatrices, Reginæ per se non tanguntur; at *Benedictus XIV.* in Const. »*Regularis disciplinæ*« cit. agnoscit etiam privilegia alia a Summis Pontificibus in forma Brevis concessa quæ autem permittunt tantum aditum per claustra ad Ecclesiam finis religiosi causa.

Titulus XXXVI.

De religiosis domibus ut Episcopo sint subjectæ.

1. In sensu tituli arg. cc. 4. et 9. h. t. sub appellatione *domus religiosæ* venit *locus pius erectus auctoritate Episcopi licet non consecratus:* scilicet monasteria, xenodochia pro peregrinis, nosocomia pro infirmis, domus pro puerorum vel puellarum educatione, confraternitates, congregationes et in genere loca pia ad caritatis vel religionis opera exercenda, quæ fuerint auctoritate Episcopi instituta. Ex ipsa rubrica tituli quæ sensum habet determinatum et ex cc. 3., 6., 7. et 8. h. t. de jure communi Episcopus, qui

nativo jure moderatur opera caritatis et religionis in sua diœcesi, præest religiosis domibus; seu religiosæ domus subjiciuntur jurisdictioni Episcopi. Hæc vero subjectio consideratur 1°. relate ad *erectionem* et quidem a) erectionem ipsorum *Ordinum* vel *Congregationum*, b) erectionem singularum *domorum religiosarum*; 2°. relate ad modum exsistendi seu *regimen* earum.

I. De fundatione novorum Ordinum sive Congregationum.

2. Antequam hic ostendatur quomodo erectio et probatio novi alicujus Instituti religiosi procedat, præmittendum esse oportet jus decretalium circa hanc rem. — Jure decretalium hæc statuta erant: In c. 9. h. t. *prohibetur* quominus *novæ instituantur religiones* et habitus assumatur in nova religione non adprobata. Hanc legem renovavit *Gregor. X.* in c. un. h. t. in 6°. et expresse reservavit S. Sedi adprobationem novorum institutorum religiosorum. Faciunt etiam ad rem Clem. 1. h. t. et Extrav. »*Ratio recta*« inter comm. h. t. necnon cap. un. h. t. inter Extrav. *Joann. XXII.* Ex quibus constitutionibus sequitur, nullum amplius institutum religiosum de novo institui posse ut jura et privilegia regularium habeat in Ecclesia nisi assentiatur Apostolica Sedes.

Ex his decretis apparet, non solum erectionem religionum proprie dictarum a Sedis Apostolicæ licentia dependere, sed etiam omnium aliorum Institutorum religiosorum. At contraria consuetudine factum est — non obstante *S. Pii V.* Const. »*Circa pastoralis*« an. 1566 quæ omnes præsertim mulierum absque clausura familias e medio tollere et sublatas esse voluit — ut sensim sine sensu cresceret numerus Institutorum votorum simplicium quæ sub Episcopi sive Ordinarii potestate religiosam vitam saltem inciperent id quod Sedes Apostolica non solum tolerabat, sed expresse approbat, imo requirit. Exemplum ex multis a quo hæc desumi possunt, habes in novissimo decreto S. C. EE. et RR. quod d. 13. Julii 1896 approbat ac confirmat Institutum votorum simplicium Fratrum a Charitate »*Bigi*« nuncupatorum. Approbatio et confirmatio Apostolica enim fundatur in literis commendatitiis respectivorum Antistitum, sc. eorum in quorum diœcesibus jam domus istius Piæ Societatis exsistebant.

3. Via qua proceditur a pia unione aliquot virorum vel mulierum usque ad adprobationem Sedis Apostolicæ solemnissimam, sc. qua verus Ordo cum votis *solemnibus* creatur, hæc est:

Ut pia Unio quæ tribus votis paupertatis, castitatis, obedientiæ ad perfectionem tendit, fiat *publici* juris, necessaria omnino est agnitio et approbatio quædam Ordinarii loci, qui examinet regulam novam ac constitutiones, quas aut reprobat aut immutandas in partibus aut corroborandas sua auctoritate censet. Si utilem se præstat hæc pia Societas, non solum in diœcesi fundationis, sed fortasse etiam in alias permissu Ordinariorum respectivorum se diffundit. Hæc extensio admonet Superiores Societatis, ut approbationem petant Sedis Apostolicæ de qua audiendus est cl. Cardinalis *Bizzarri* in sua *Collectanea,* Appendix I[a]., pg. 828:

»Quando petitur approbatio alicujus instituti, debent exhiberi literæ commendatitiæ *Antistitum locorum,* in quibus domus repeiuntur. Preces remittuntur Episcopo diœcesis, in qua prima fundatio, vel domus princeps sita est, ut referat de fine seu scopo, de fundatione, de numero domorum, fratrum vel sororum, de mediis substentationis, deque utilitate, progressu, aliisque similibus.*)

Si institutum recenter erectum fuerit, unam vel alteram domum dumtaxat habeat, nec opportunæ constitutiones adhuc concinnatæ fuerint, *laudatur* finis seu scopus fundatoris, vel finis seu scopus instituti pro qualitate circumstantiarum.

Post congruum tempus, si institutum satis diffusum fuerit, uberes fructus retulerit, et Ordinarii locorum illud commendaverint, *decretum laudis instituti* conceditur, et aliquando etiam decretum approbationis, præsertim si constitutiones efformatæ fuerint, nec in substantialibus graves difficultates præseferant: quod tamen approbationis decretum ordinarie ad aliud tempus solet differri. Communicantur vero animadversiones circa constitutiones.

Constitutiones autem non approbantur, nisi per congruum tempus experientia comprobatæ fuerint, et ad tramites animadversionum reformatæ. *Approbatio,* ut plurimum conceditur per modum *experimenti,* ex. gr. ad triennium, vel quinquennium, et deinde, nisi aliquid obstet, decretum *definitivum* approbationis constitutionum tribuitur.

In decretis commendationis vel approbationis, sequentes formulæ adhibentur.

*) Aliquando inquirendum est de doctrina, quam alicujus Instituti Alumni profitentur; atque etiam curandum, ut directoria, aliaque hujusmodi licet tantum manuscripta S. C. exhibeantur, ex quibus cognosci potest, quo spiritu Superiores, et Alumni ducantur.

Præmissa narratione procemiali quoad erectionem, finem, vota, auctoritatem Superioris, vel Moderatricis generalis, concluditur:

1) *SSmus D. N.* etc. *Attentis litteris commendatitiis Antistitum locorum, scopum seu finem fundatoris (vel instituti) præsentis decreti tenore summopere laudat, atque commendat.*

2) *SSmus D. N.* etc. *Attentis etc. præfatum institutum uti Congregationem votorum simplicium, sub regimine Moderatoris, (vel Moderatricis) Generalis, salva Ordinariorum jurisdictione ad præscriptum sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum, præsentis decreti tenore amplissimis verbis laudat, atque commendat, dilato ad opportunius tempus constitutionum examine.*

3) In decreto approbationis instituti, verbis, *laudat, atque commendat,* subrogantur, *approbat, atque confirmat.*

4) *SSmus* etc. *suprascriptas constitutiones, prout in hoc exemplari continentur, ad triennium (vel quinquennium) per modum experimenti approbat, atque confirmat.*

5) Si vero concedatur definitiva approbatio Constitutionum, auferuntur verba, *ad triennium* etc. *per modum experimenti.*

In hujusmodi vero negotiis expediendis omnia debent referri Summo Pontifici; quin imo Sanctissimus D. N. *Pius* PP. *IX.* in audientia habita die 22. Septembris 1854, mandavit, ut in posterum supplicationes pro laudatione vel approbatione alicujus instituti, et constitutionum confirmatione, antequam quidquam a S. Congregatione agatur, Summo Pontifici referantur. (Vide *Burdigalen. super instituto Sororum Doctrinæ Christianæ.)*«

4. Cum ordinaria approbatione piorum Institutorum neque *exemptio* data est a potestate Ordinariorum neque confirmatio alicujus Ordinis *veri ac proprii.* Ut verificetur utrumque, specialis de hoc declaratio fieri debet et expressa, ideo jura et privilegia specialia non se extendunt amplius ac latius quam specialiter concessa probantur.

Inter instituta votorum simplicium quæ exemptione gaudent, eminent: Congregatio Clericorum Excalceatorum Ss. Crucis et Passionis D. N. J. Chr. quos »*Passionistas*« vocant, vi Rescripti S. C. EE. et RR. d. 21. Sept. 1771; Congregatio Ss. Redemptoris, vulgo »*Ligoriani*«, »*Redemptoristæ*« vi Brevis Apostolici *Pii VI.* d. 21. Aug. 1789, item vi Brevis »*Qui sicut*« *Pii VII.* d. 9. Jan.

1807, tandem vi resolutionis S. C. EE. et RR. d. 16. Sept. 1864.*) — Inter Congregationes mulierum votorum simplicium specialibus prædita est privilegiis Institutum *Puellarum Caritatis*, saltem ubi domus exsistunt Patrum missionis, »Lazaristarum«; S. C. EE. et RR. d. 14. Apr. 1891 ad I^um^. — Singularem plane mutationem expertus est Ordo *Equitum Teutonicorum* ex Brevi S. P. *Leonis XIII.* d. 16. Mart. 1886: Cum nihil fuerit innovatum aut immutatum quoad *sacerdotes* Teutonici Ordinis, *equites* tamen ejusdem Ordinis ex illo tempore *simplicia* emittunt vota. Nihilominus obtinent eadem jura, privilegia, officia quæ antea obtinebant sc. quando nuncupabant *solemnia* — sarta omnino tectaque Ordinis Teutonici natura ac religiosa institutione.

Si jam approbatio Congregationum, ut sint vera instituta *religiosa*, a multis DD. jure merito Summo Pontifici reservantur, a fortiori approbatio Ordinum propriorum Sum. Pontifici reservari debent. At veræ Religiones, veri Ordines non sunt nisi qui in approbatione uti tales expresse designantur cum solemnitate votorum. In hac approbatione Summum Pontificem motu proprio atque etiam contra intentionem Fundatorum posse tribuere solemnitatem votorum cum clausura Papali per se patet et accidit revera nonnunquam.

5. Uti approbare ac confirmare Ordines religiosos necnon Congregationes religiosas spectat ad Summum Pontificem (et quidem exclusive etiam Congregationes saltem strictioris sensus), sic etiam supprimere vel penitus vel ex parte et in alios commutare eosdem Ordines easdemque Congregationes, est Summi Pontificis exclusive. Si Ordo quis penitus suppressus est, omnia jura, privilegia, obligationes e medio sunt sublata; sodales autem Ordinis adiguntur ad eam conditionem amplectendam quam indicat suppressionis instrumentum. — Plura exstant suppressionis Ordinum exempla: Sic *Clemens V.* d. 22. Martii 1312 »non sine cordis amaritudine et dolore, non per modum definitivæ sententiæ, sed per modum provisionis seu ordinationis apostolicæ *Templi Ordinem* et ejus statum, habitum atque nomen irrefragibili et perpetuo valitura sustulit sanctione« etc. Sic alius *Clemens* sc. *XIV.* subscripsit Brevi

*) Plura cfr. in libro cui titulus „*Archiv für kath. Kirchenrecht*“, latine „Archivium Juris Ecclesiastici Catholici“ editoribus *von Moy*, dein *Vering*, nunc *Heiner*. Vol. 17. (11.) Pag. 452. *Acta S. S.* I. 98.

»*Dominus ac Redemptor noster*«, quo supprimebatur *Societas Jesu* d. 21. Julii 1773 (publicatum d. 16. Aug. 1773). Attamen *Societas* dicta non tota est sublata, sed permittente S. Sede in *Russia* vitam degebat in dies reflorentem usque dum a *Pii VII.* d. 7. Aug. 1814 sit restituta. — Præter hos etiam Ordo *Jesuatorum*, fundatus a B. Joanne Columbino, suppressus est a *Clemente IX.* an. 1668; moniales vero ejusdem Ordines ob strictiorem observantiam non suppressæ, usque ad an. 1872 in Congregatione Jesuatarum perdurabant. — S. P. *Leo XIII.* ut unioni singulorum Ordinum e. gr. Cisterciensium *Trappistarum* an. 1892, *Benedictinorum* (»Nigrorum«) an. 1893, enixe favet, sic inprimis ramos Ordinis S. Francisci, quibus unus præerat minister Generalis, in unum coagmentare semper cordi habebat. Quod et fecit bulla »*Felicitate quadam*« d. 4. Oct. 1897, qua integris remanentibus Ordinibus *Conventualium* necnon *Capulatorum Observantes*, *Reformatos*, *Excalceatos* seu *Alcantarinos*, *Recollectos* in unum *Ordinem Fratrum Minorum* collegit. Dicti Ordines simpliciter sunt (vel fuerunt) suppressi vel in alios mutati.

At tres religiones positive suppressas esse constat ita ut qui ausus fuisset eas iterum excitare, incurreret ipso facto pœnam excommunicationis. Tales sunt 1°. religio *Beguinarum* olim in Alemania exsistens, de qua agit Clem. 1. et Extrav. com. »Ratio recta« h. t., quæ posterior tamen non omnes Beguinas exstinxit, sed pravas tantum ita ut etiam nostris temporibus, præsertim in Belgio, Beguinæ exsistant. 2°. Institutum Fraticellorum seu Fratrum de paupere vita, *Beguinorum* seu *Bizocorum*, de quo agit Extrav. *Joann. XXII.* »Sancta Romana« h. t.; 3°. Congregatio *Jesuitissarum*, de qua in Bulla '*Pastoralis Romani*' *Urbani VIII.* an. 1631. Pœnam excommunicationis *non* renovavit *Pius IX.* in Const. *Apostolicæ Sedis.* Hisce Institutis reprobatis accenset cl. Professor *Sebastianelli* (in suis *Prælectionibus Juris Canonicis:* De Personis, Romæ 1896, pg. 373.) Instituta *duplicia*, sc. »in quibus viri et mulieres insimul non cohabitant, sed unum idemque efformant Institutum, et licet mulieres habeant propriam Superiorissam et viri proprium Superiorem, Superiorissima generalis monialium subjecta est Superiori generali virorum regularium«. Adducto deinde exemplo Congregationis »*de Picpus*« (via publica in urbe Parisiorum) dictæ sic concludit: »Instituta monialium affiliatione quadam conjuncta Institutis virorum pariter ad scandala

præcavenda Ecclesia reprobavit. Cfr. *Coll.* Card. *Bizzarri* p. 166.« Ex hisce dictis sequi videtur: *duplicia* Instituta (in exposito sensu) generaliter esse prohibita; at hoc minime verificatur; nam S. C. EE. et RR. d. 2. Junii 1893 ipsa confirmavit ejusmodi institutum duplex, sc. Congregationem »*Filiarum Sapientiæ*« (»Filles de la Sagesse«) et annexam Congr. *Societatis Mariæ* (»Missionariorum Maristarum«) agnita facultate Superioris Maristarum in Filias Sapientia. Prohibitio ergo locum habere non videtur nisi in casibus *particularibus*, uti etiam videri potest in rescripto S. C. EE. et RR. d. 11. Apr. 1862 ad VI^um^. (*Coll.* Card. *Bizzarri* pg. 167.)

II. De erectione domorum singulorum Ordinum.

6. Generaliter statuendum est: Erectio, seu fundatio, aut ædificatio locorum religiosorum fieri debet cum *interventu auctoritatis Episcopi* c. 4. h. t. Hinc privatus homo poterit motu proprio erigere hospitale, sed religiosus locus non erit, nec immunitate aliisque privilegiis locorum piorum gaudebit, nisi Episcopi auctoritas intercesserit. Ita communiter DD. Aliquid vero dicendum de locis religiosis pertinentibus ad instituta *Regularium*. De erectione novorum monasteriorum statuit Trid. c. 3. sess. 25. *De Regul.* erigi eadem non posse I°. sine *Episcopi*, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia. Accesserunt decretum *Clementis VIII. Quoniam*, d. 23. Junii 1603, Decretum *Greg. XV. Cum alias* d. 17. Aug. 1622 et *Urbani VIII. Rom. Pont.* d. 28. Aug. 1624. Ex his Constitutionibus deprehendimus 1°. *novam* erectionem monasteriorum, domorum, collegiorum, aut conventuum *cujuscumque* ordinis religiosi sive mendicantium sive non, perfici non posse absque *licentia Episcopi* loci et servata *forma sacrorum canonum* non sufficit licentia Vic. Generalis (absque speciali mandato), neque Vic. Capitularis, S. C. EE. et RR. d. 16. Febr. 1633. Si secus fiat erectio a Superioribus regularibus, contra ipsos decernitur pœna privationis vocis activæ et passivæ, officiorum inhabilitatis et etiam excommunicationis. 2°. Episcopus audire debet *omnes interesse habentes*. Solet ad hunc effectum affigi ad valvas Ecclesiæ decretum ut omnes novam erectionem faciendam cognoscant, et querelas si quas habeant contra illam moveant. Ad personas interesse habentes pertinent: a) *alii religiosi* locum ipsum vel regionem ad 4000 passuum distantiam incolentes exceptis duobus, sc. primo quando incolas novi monasterii facile sustentari constat,

secundo quando erigitur monasterium Societatis Jesu privilegio *Gregorii XIII.*; b) *parochus loci* qui præcipue audiri debet quoties jura parochialia erectione novi monasterii minuenda vel mutanda essent; c) *incolæ loci* quando erigitur monasterium mendicantium; d) etiam *Gubernium civile* præsertim cui *S. Sedes* aliqua in hac re jura concessit; cfr. Concordatum cum *Bavariæ* Regno d. 5. Junii 1817 art. VII.; Conc. *Austriacum* 1855 art. 28. 3°. Episcopus antequam consentiat, tenetur perpendere an saltem 12 *religiosi* ali possint, et sustentari in monasterio sive ex reditibus, sive ex oblationibus et eleemosynis fidelium. — II°. Si quæratur utrum necessaria sit licentia etiam *S. Sedis* dicendum est eam certe requiri pro Italia et Insulis Adjacentibus. Ex Constitut. »*Instaurandæ*« *Innoc. X.* d. 15. Oct. 1652 *Benedictus XIV. De Syn. diœc.* lib. 9. c. 1. n. 9. docet communem sententiam esse et a tribunalibus adoptatam, requiri hanc licentiam etiam extra Italiam et Adjacentes Insulas pro erigendis *monasteriis,* pro *hospitiis* vero sufficere auctoritatem Episcopi. Cfr. etiam S. P. *Leonis XIII.* Const. *Romanos Pontifices,* d. 8. Maji 1881.

Ad monialium monasteriorum erectionem utrum licentia *S. Sedis* requiratur necne, scripta lex non exsistit, sed praxis hoc fert, ratione potissimum clausuræ. Ipsa S. C. EE. et RR. distulit quæstionis hujus solutionem in celebri *Ruremonden. Dubii quoad vota solemnia Ursulinarum* d. 22. Martii 1895 ad III^{um}.

Quidquid postulatum est usque modo de licentia S. Sedis, non valet nisi pro monasteriis Ordinum cum votis *solemnibus.*

III. De domibus religiosis inquantum Episcopo sint subjectæ.

7. Religiosa instituta ex superius dictis in tria genera debemus distinguere, sc. a) religiosa instituta ab *Episcopo* vel *Ordinario* approbata; b) religiosa instituta a *S. Sede* approbata quidem, exemptione vero non donata; c) religiosa instituta privilegio *exemptionis* a S. Sede ditata.

Si sermo sit de religiosis locis spectantibus ad duo genera institutorum religiosorum priora, ergo *non exemptorum,* ratione subjectionis duo præsertim Episcopo competunt: jus *visitandi* eas, et jus *exigendi* quotannis ab administratoribus *rationem administrationis* rerum gestarum, cc. 8. et 9. sess. 22. *De ref. Tridentini.*

Quoad domos institutorum a se vel prædecessore agnitorum et approbatorum mutationes quidem facere potest, sed illas tan-

tum quæ conveniunt juri naturali, divino-positivo, ecclesiastico universali; nam Ordinarii approbatio non est nisi quædam *præliminaris.*

Hinc bene constituto regimine alicujus piæ Congregationis regimen singularum domorum Superiori Congregationis relinquere potest et debet; hoc desumitur ex responso S. C. EE. et RR. d. 9. Apr. 1895. ad Episcopum *Canarien.:* »Superiorissas Generales in casibus de quibus agitur, uti jure suo, et sufficere ut eædem Superiorissæ, ratione dumtaxat *convenientiæ,* Episcopum loci de dictis dispositionibus *certiorem reddant.*« Interrogaverat enim Episcopus: »Utrum Superiorissæ Generales . . . saltem illæ quarum Institutum approbationem a S. Sede adhuc desiderat, quoties aliquam Sororem ex una in aliam domum alterius diœcesis *transferre,* vel Superiorissam *subalternam instituere,* sive ab officio *absolvere* velint, rem cum Ordinariis, in quorum diœcesibus domus istæ inveniantur conferre *debent,* illorum *confirmationem* obtinere' saltem *assensum;* vel illos de re *conscios* facere?«

In hac quidem quæstione sermo est tantum de illis Congregationibus *Episcopalis* approbationis quæ se extendebant jam ad *plures* diœceses; at facile hoc applicatur etiam Congregationi *Episcopalis* approbationis in *una* diœcesi exsistenti; nam »ubi eadem ratio, eadem debet esse et legis dispositio;« nisi in prima approbatione Episcopus omnia ista e. gr. translationem Sororum confirmare etc., sibi reservaverit.

8. Jam gressum facimus ad Congregationes *Apostolicæ* approbationis non exemptas; nam dicenda de his analogice etiam Congregationibus *Episcopalis* tantum approbationis applicari queunt. — Regulariter tenor approbationis circa jura Ordinariorum hic est: »Sanctitas Sua . . . recensitum Institutum uti Congregationem votorum simplicium sub regimine Moderatricis Generalis (Modera toris), salva Ordinariorum jurisdictione ad formam ss. canonum et constitutionum Apostolicorum approbavit et confirmavit« etc., e. gr. Congregatio dicta de »*Divina Pastora*«, sic confirmata est d. 23. Aug. 1897.

Quænam est dicta Ordinariorum jurisdictio?

Distinguendum est inprimis inter Congregationes mulierum et Congregationes virorum.

I. *Quoad Congregationes mulierum.*

Prænotandum est Ordinario competere quidem potestatem *jurisdictionalem*, minime vero *dominativam*.

Vi suæ potestatis jurisdictionalis potest: 1⁰. *visitare* singulas domos in sua diœcesi constitutas; — 2⁰. *inspicere* in disciplinam quatenus se prodit respectu gubernationis diœcesis, e. gr. ratione scandali, fidei etc.; 3⁰. potest dare licentiam in erigenda nova domo (vide superius dicta, juxta quæ *Ordinarii* licentia sufficit); 4⁰. potest et debet intervenire in assumenda femina ad novitiatum necnon in admittenda novitia ad professionem; cujus voluntatem explorare debet; 5⁰. potest et debet intervenire in eligenda Superiorissa Generali, nisi constitutiones a Sede Apostolica aliter disponunt, cujus electionem dirigit et confirmat; 6⁰. potest requirere administrationis rationem. Dicta sub nn. 4⁰., 5⁰., 6⁰. solum ad Ordinarium domus matricis spectant; dicta sub 4⁰. et 5⁰. per se patent; at quoad 6ᵘᵐ. dubitari posset, utrum Episcopo non competat jus poscendi rationem singularum domorum.

Certe Ordinario loci competit hoc jus quoad domos *autonomas* sc. quæ superiorem domum non agnoscunt, ex Const. *Inscrutabili* an. 1622 *Gregorii XV.* — Quoad illas vero domos quæ rationem reddere debent Superiorissæ Generali in domo matrici in alia diœcesi constituta, Ordinarius domus filialis administrationis rationem postulare nequit, hoc decidit S. C. EE. et RR. in celebri causa *Nanceyen.* d. 27. Martii 1896, postquam Mentem suam jam d. 27. Apr. 1894 eidem Episcopo rescripsit. Mens autem hæc erat: »non posse Moniales *Boni Pastoris* obstringi ad hujusmodi libros exhibendos (sc. administrationis), ex eo quod singula monasteria quolibet anno respectivarum domorum Superiori generali rationes reddunt, quæ postquam ab Ordinario domus *principalis* approbatæ fuerint, statis temporibus a Constitutionibus præfixis ad S. C. EE. et RR. transmittuntur.«

Vidimus jam: in quibusdam regionibus, e. gr. in *Gallia,* sorores religionum *proprie* talium vota dumtaxat *simplicia* nuncupare. De hisce idem statuendum quod in casu præcedenti, nisi S. Sedes subjectionem earum sub aliquo Superiore Regulari agnoverit.

9. II. Quoad *Congregationes Virorum.* Congregationes virorum eodem modo oriri, explicari, crescere solent ac Congregationes mulierum. Quare dicta de illis applicanda sunt etiam his. Etiam approbatio a S. Sede eisdem verbis dari solet, sc. S. Sedes Insti-

tutum tale votorum *simplicium* sub regimine Moderatoris Generalis *salva Ordinariorum jurisdictione ad formam ss. canonum et apostolicarum constitutionum,* approbavit et confirmavit.

Hoc tantum valet quando *Constitutiones* non sunt approbatæ; nam si Constitutiones sunt approbatæ, hæ circumscribunt jura Superiorum ad interna et externa; quare Ordinarii his constitutionibus contrarium decernere nequeunt. — Ceterum exemptio non in omnibus Congregationibus habet eandem amplitudinem; quare inspiciendæ sunt singularum Congregationum et approbatæ Constitutiones et privilegia ipsis specialiter concessa. Videatur Card. *Bizzarri* in sua *Collect.* pp. 474—480.

10. III. In specie autem de religiosis locis *spectantibus ad familias religiosas seu regulares* hæc scitu necessaria sunt: Jure decretalium quamvis exemptio jam inducta erat, tamen adhuc vigebat principium 'omnia loca pia esse sub Episcopi potestate nisi contrarium probaretur', seu nisi probaretur exemptio. Exemptio enim non concedebatur in genere ordinibus religiosis, sed domibus singulis. Principium generale sumitur ex cc. 1., 4., 6. h. t., exceptio præsertim in c. 8. h. t. exhibetur. At ex c. 8. sess. 25. *De Reg.* in Tridentino exempta sunt tamquam ex regula generali *omnia monasteria regularium ordinum a S. Sede approbatorum saltem in congregationem redacta.*

11. Accessit deinde regula statuta in decretis de celebratione Missæ S. C. Concilii d. 21. Junii 1625 §. 14. editis auctoritate *Urbani VIII.,* et est, ut Monasteria omnia, Conventus, domus, congregatio regularium sive intra sive extra Italiam seu ultra mare et ultra montes nullibi recipiantur, nisi præter alia requisita in singulis ejusmodi locis 12 saltem religiosi degere et ex reditibus vel ex consuetis eleemosynis competenter ali et sustentari possint, alioquin monasteria et loca hujusmodi post illam epocham seu post diem 21. Junii 1625 recipienda, in quibus 12 religiosi sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non habitaverint, intelliguntur subjecta esse visitationi, correctioni atque omnimodæ jurisdictioni Ordinarii. Conf. *Fagn.* ad c. 1. *De instit.* (III. 7) n. 52. Animadvertendum vero est per hanc subjectionem potestati Ordinariorum parvos Conventus *non* fuisse *subtractos* a jurisdictione prælatorum regularium, ceu resolutum fuisse refert *Fagnan. com.* in c. 4. *De off. ord.* (I. 31) n. 41. Hinc in negotiis expediendis datur cumulativa potestas Ordinariis et prælatis regularibus.

12. *Exceptiones:* 1ª. exceptio verificatur in monasteriis erectis *ante decretum Urbani VIII.* De ipsis in genere valet dispositio Tridentina in c. 8. sess. 25. *De Reg.*, ut si fuerint *in congregationem redacta,* scilicet si conjuncta simul sint ita ut superiores communes in provincia habeant et capitula triennalia possint celebrare, *exempta* remaneant ab jurisdictione Episcopi. — In specie vero relate ad monasteria *Italiæ* et *Insularum Adjacentium* servandæ sunt Constitutiones *Inn. X. Instaurandæ,* data Idib. Oct. 1652, et alia *Ut in parvis,* d. 10. Febr. 1654. In prima Constitutione Pontifex suppressit plura monasteria seu conventus in quibus *ob redituum tenuitatem* tot sustentari non poterant religiosi quot necessarii fuissent ad observantiam disciplinæ regularis. In altera duo statuit: 1°. *restituit* quosdam conventus suppressos in 1ª Constitutione, sed vult ut quoadusque reditus non sufficiant ad sustentandos commode et revera cum effectu non sustententur 12 religiosi, conventus, et religiosi subjiciantur jurisdictioni Ordinarii, tamquam S. Sedis delegati. 2°. In conventibus seu monasteriis non suppressis per primam Const. decernit Pontifex ut saltem *6* religiosi probatæ vitæ alantur quorum 4 saltem sint *sacerdotes* maturæ ætatis. Quod si id quandocumque non verificetur, decernit Pontifex religiosos subjici ipso jure visitationi, correctioni et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii. Animadvertit præterea per hanc suam Const. se noluisse derogare decreto *Urbani VIII.* d. 21. Jun. 1625.

2ª. exceptio respicit *Italiam* ex tempore quo leges Ecclesiæ catholicæ, specialiter Ordinibus religiosis infensæ ferri solebant, et locum habet quoad *ecclesias regulares et domos quas tenent religiosi ex quibus saltem unus sit sacerdos, in ternario numero simul habitantes.* S. Pœnitentiaria enim mandato Sum. Pont. d. 18. Apr. 1867 disposuit sub n. III.: »Decernit præfatas (Regularium) domos, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint Regulares quorum unus ad minus sit Sacerdos, jurisdictioni Ministri provincialis fore subjectas, easque regendas esse per peculiarem Superiorem ibi constituendum.« — Responsum vero d. 12. Sept. 1872 ejusdem S. Pœnitentiariæ dictum privilegium respectu exemptionis sic interpretabatur: »Prædictas (sc. quas tenent regulares in ternario numero simul habitantes) ecclesias ac domos, necnon religiosos ibidem degentes eadem immunitate gaudere a jurisdictione Ordinarii qua antea fruebantur.«

Postremo S. C. EE. et RR. ipsa ejusmodi immunitatem agnovit in rescripto dato ad Eppum *Neritonen.* d. 26. Martii 1897, cujus tenor est: Ad I. *Pro locis ad quæ extenduntur Instructiones S. Pœnitentiariæ d. 18. Apr. 1867, et durantibus præsentibus adjunctis: Affirmative,* sc. *S. Pœnitentiariæ* responsum d. 12. Sept. 1872 derogavit omnino decreto Innocentii X. *Ut in parvis* cum declarationibus suis, ita ut quocumque respectu minime Ordinarius visitare nunc possit ecclesias et domus, etiam ubi non adsunt *sex saltem Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus sint sacerdotes maturæ ætatis.* — Ad II^am^. quæstionem, sc. Quomodo Episcopi se gerere debeant, si certi tutique sint, in aliquibus ecclesiis et conventibus, de quibus est verbum, non omnia recte ac ordine procedere, respondit: *Satis provisum per S. Concilium Tridentinum Sess. XXV, Cap. 14 de Reform. si Regulares delinquant extra claustrum vel domum; si vero delinquant intra claustra, Episcopus moneat Superiorem Regularem, et quatenus ipse non provideat, recurrat ad hanc Congregationem EE. et RR.*[1]

3^a^. exceptio verificatur in regularibus *missionariis,* præsertim in *Britannia,* in residentiis missionis commorantibus, de qua exceptione conferatur Constitutio S. P. *Leonis XIII.* d. 8. Jul. 1881 incipiens »*Romanos Pontifices*« §. »Ad regularium exemptionem«.

13. De *exemptione ipsa* sermo jam erat in alio loco, sc. in l. I. tit. 31. nn. 186—187 (pag. 164 sqq.) et in l. I. tit. 11. nn. 47—48. (pag. 143) et iterum sermo redibit in tit. 39. h. l. nn. 19. et sqq. — Pauca sunt adjungenda in forma aliquarum quæstionum:

Quæritur I^0^. *Quibus e fontibus fluat exemptio Regularium.*

Generaliter tractanda est quæstio hæc in l. V. tit. 33. quando sermo erit *de privilegiis.*

Privilegia — uti videbimus — fluunt ex triplici fonte: a) ex concessione Summi Pontificis; b) ex præscriptione legitima; c) ex communicatione privilegiorum. Si triplicem hunc fontem respectu *exemptionis* consideremus, dicendum est:

Privilegium exemptionis Regularium acquiri potest quidem primo et secundo modo, sc. concessione Summi Pontificis — et præscriptione; posterius arguitur ex dictis in l. II. tit. 26. *De præscriptionibus* n. 8. (pag. 214.), minime vero *communicatione privilegiorum,* nisi hæc communicatio *speciali* concessione tributa sit. — In religionibus propriis non requiritur specialis mentio de

exemptione, nam quandocunque aliquod institutum approbatur uti religio propria, cum hac approbatione regulariter censetur simul concessum privilegium exemptionis. Aliter res se habet in Congregationibus; nam istæ exemptione non gaudent nisi *quando* et *in quantum* eis fuit concessa speciali modo a S. Sede. Hinc adagium: In religionibus propriis præsumptio stat pro exemptione intra limites a jure concessa, in congregatione vero præsumptio militat *contra* exemptionem et istæ debent et exsistentiam et extensionem certis argumentis probare; Card. *Bizzarri* in sua *Collectan.* pag. 478. et 796—802., præcipue pag. 798, ubi agitur de exemptione etc. Congregationis *Ss. Redemptoris* et ubi multi et graves citantur AA.

14. Quæritur II^{0}. *ad quas personas se extendat privilegium exemptionis?*

Nullum dubium movetur quoad *professos* neque quoad *novitios;* agitur hic potius de ceteris personis in monasterio vel sub custodia etc. Regularium commorantibus.

Pertinent ad personas exemptas: 1^{0}. *familiares* datis tribus conditionibus a Concilio *Tridentino* requisitis, sc. ut locis exemptis actu serviunt et intra eorum septa ac domos resident subque eorum obedientia vivunt, sess. 24. cp. 11. *de Ref.* et Const. »*Circumspecta*« d. 25. Nov. 1580. *Gregorii XIII.;*

2^{0}. *oblati* (»confratres«) sub iisdem (ut sub n. 1^{0}.) conditionibus necnon ut proprietatem extra monasterium prorsus reliquerint et habitum aliqualiter mutaverint; cfr. *Benedictum XIV.* in *Syn.* l. 6. cp. 3. n. 4.;

3^{0}. alumni *religiosi*, i. e. adolescentes qui ad studia et exercitia incumbunt sub disciplina regularium intentione se suo tempore essė ingressuros eandem religionem vel Congregationem, positâ tamen conditione, ut »*continui* sint *commensales.*« Cfr. Const. *Clementis X.* d. 21. Jul. 1670 *Superna* §. 4.

Minime vero pertinent ad personas exemptas:

a) *Tertiarii extra* monasterium degentes, *Fagnanus* in *Comm.* ad c. 12. *De pœnit. et remis.* (V. 38) nn. 64. et sqq.

b) Neque alumni *sæculares;* nam quando unquam verificantur conditiones a Tridentino requisitæ circa ejusmodi alumnos ita ut revera *de familia* religiosorum possint considerari. Attamen etsi revera concurrerent dicta requisita, S. C. EE. et RR. sæpius decidit illos qui vere non sunt familiares quamvis continuo degant intra septa Monasterii subjici juribus parochialibus, e. gr. in *Asten.* d.

27. Nov. 1717; in *Parmen.* d. 21. Julii 1848 (*Bizzari* in *Collect.* pg. 617. et sqq.) — Argumenta eorum qui etiam sæculares alumnos exemptos credunt, nostram magis confirmare videntur sententiam; nam privilegia aliquibus religiosis, e. gr. Benedictinis, Theatinis, Congregationi de Somascha, specialiter data extendi ad alios religiosos minime queunt juxta dicta in num. præcedenti et fortasse testantur exemptionem a jure communi non esse concessam.

c) Neque hospites, infirmi etc. curæ Regularium subjecti quamvis continuo degant intra septa Monasterii, per se sunt exempti, nisi Regulares exhibeant *specialia* quoad hos privilegia.

Sic e. gr. *S. Pius V.* an. 1567. *Barnabitis* aliqua jura quoad hospites concessit; Fratres autem de Misericordia *S. Joannis de Deo* magna privilegia quoad infirmos ab ipsis receptos a Sum. Pontificibus impetrarunt, cfr. bullam *S. Pii V.* d. 8. Aug. 1571. »*Salvatoris nostri*« §§. I.—II.; bullam *Pauli V.* d. 16. Martii 1619 »*Romanus Pontifex*« etc. necnon responsum S. C. EE. et RR. d. 1. Apr. 1892 in *Matriten.*

15. *Quær. III°. quomodo Regularibus, præsertim Mendicantibus competat jus quæstuandi?*

Supra vidimus necessariam esse Episcopi licentiam ad erigendam quamcunque domum novam alicujus Ordinis, Congregationis, Instituti. Hæc licentia præsupposita circa jus quæstuandi hæc sunt statuenda:

1) Si domus erecta fuit Regularium *qui ex Institutione aut facultate Sedis Apostolicæ eleemosynas quæritare aut mendicare possunt,* non tenentur regulares illius domus ab Ordinario licentiam eleemosynas per Diœcesim quærendi petere quia hæc licentia eis tacite ab Ordinariis impertita censetur, S. C. EE. et RR. d. 6. Oct. 1597 ad Eppum *Casalen.* — Nihilominus fratres quæstuantes licentiam Superiorum suorum Ordinario monasterii debent ostendere, quotiescunque eleemonsynam quærere pergunt *extra monasterii locum;* ex Const. »*Exponi nobis*« d. 8. Julii 1717 *Clementis XI.*

At si *extra diœcesim* eleemosynas emendicare vellent, ab Ordinario dictæ diœcesis, ubi illorum monasterium non exsistit, *consensum* obtinere debent. S. C. EE. et RR. d. 11. Mart. 1892 in *Gerunden.*

2) Quando autem religiosi sive Ordinum sive Congregationum eleemosynas quæritare intendunt, qui *hoc jure neque vi propriæ*

Constitutionis neque vi Apostolicæ Concessionis gaudent, veniam *Apostolicæ Sedis* impetrare debent, quoties eorum Constitutiones sunt approbatæ ab eadem S. Sede; præterea licentiam obtinere debent *semper* ab *Ordinario loci*, nisi forte Apostolica Sedes expresse et specialiter juribus Episcopi sive Ordinarii derogaret idquod nunquam præsumi potest.

16. 3) Respectu *monialium* proprie talium multas regulas statuere superfluum est quia lege clausuræ tenentur; longe aliter res se habet quoad *sorores* Congregationum, nam abusus et incommoda quæ in hac re fortasse deploranda erant, S. Sedem adigerunt, ut normam specialem daret pro sororibus quæstuantibus quæ prætereunda non est; quare Decretum S. C. EE. et RR. d. 27. Mart. 1896 huic Commentario inserendum putavimus:

»Singulari quidem protectione et auxilio dignas semet exhibent mulieres illæ, quæ in piis religiosisque Institutis Deo se devovent ut in proximorum bonum longe lateque opera misericordiæ exerceant nedum directe, sed stipem etiam iisdem operibus sustentandis quæritantes, atque egregiam eapropter humilitatis, patientiæ, charitatis aliarumque virtutum laudem præ se ferentes. Cum tamen hoc colligendarum eleemosynarum ministerium præ muliebri quæritantium indole ac hodierna humanæ societatis conditione periculis haud vacet nisi opportunis cautelis communiatur, S. C. EE. et RR. nonnullis Episcopis petentibus, re diligenter et mature perpensa, hæc quæ sequuntur statuit ac decrevit.

I. In votorum simplicium Institutis opus quæritandi eleemosynas alumnæ non aggrediantur nisi *in spiritu fidei,* quod stipem non sibi quærant sed ipsi Christo Jesu, memores verborum ejus: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Præterea *Ordinarios locorum,* etiamsi eorum territoria *pertranseant,* obsequio, reverentia et devotione prosequantur tamquam parentes et patronos, quos adeant cum fiducia pro consilio, auxilio ac præsidio in qualibet necessitate.

II. Iisdem votorum simplicium Sororibus non liceat eleemosynas quærere sive intra diœcesim in qua ipsæ resident, sive extra, *sine licentia Ordinarii loci respectivæ residentiæ.*

III. Stipem quæsituræ extra diœcesim respectivæ residentiæ licentiam obtinere insuper debent ab Ordinario loci *in quo eleemosynam quæritare desiderant.*

IV. Nihil tamen impedit, quominus Superiorissæ, nulla petita licentia, ad sublevandam domuum vel piorum Operum, quibus præsunt inopiam, possint eleemosynas undequaque sponte oblatas *accepto habere,* vel etiam per literas impetrare ab honestis ac benevolis personis quibuscumque, usquedum a legitimo superiore rationabili ex causa non prohibeantur.

V. Ordinarius loci, in quo exstat domus Sororum quæritare volentium, licentiam eis non concedat, 1°. si de vera domus vel pii operis *necessitate* sibi non constet; 2°. si quæritatio commode fieri possit per *alios* ab ipsomet Ordinario designandos. Si autem necessitati occurri valeat per quæritationem in loco, in quo Sorores resident, vel infra propriam diœcesim, Ordinarius licentiam eisdem non impertiatur eleemosynas colligendi *extra* diœcesim.

VI. Utraque licentia tradatur *gratis* et *in scriptis,* in qua quilibet Ordinarius leges et conditiones imponere poterit, quas pro locorum, temporum et personarum adjunctis magis opportunas in Domino judicaverit. Licentia vero Ordinarii piæ Sororum domus contineat literas vel commissorias ad parochos aliasve prudentes personas pro Sororibus quæritantibus intra diœcesim, vel commendatitias ad Ordinarios aliarum diœcesium pro Sororibus extra propriam diœcesim quæritantibus. In literis commissoriis mandetur parochis aliisve probis personis, ut consiliis et meliori qua possunt opera præsto sint Sororibus, earum agendi rationem invigilent, et si quid in eis minus rectum resciverint, statim ipsi Ordinario referant. In commendatitiis exorentur Ordinarii locorum, ut in sua quisque diœcesi Sorores ad quæritandum admissas protegat ac adjuvet ac si sibi subditas eas haberet.

VII. Quisque loci Ordinarius Sorores *ex aliena diœcesi* advenientes ad eleemosynas colligendas non admittat, nisi prius eædem licentiam proprii Ordinarii sibi exhibuerint. Sororibus vero hujusmodi licentiam exhibentibus ipse suam, si lubeat, impertiatur licentiam quæritandi in propria diœcesi. Ubi autem Sorores, etiamsi utraque licentia præditæ, in eleemosynarum quæstu *male se gerant,* statim in propriam domum eas redire Ordinarius jubeat, opportunisque etiam mediis si opus fuerit compellat.

VIII. Superiorissæ, præsertim extra locum ubi domus habent nunquam ad eleemosynas quærendas mittant Sorores, nisi *binas ætate et animo maturas,* intra diœcesim non ultra *mensem,* extra

diœcesim non ultra *duos menses*, et semper ea pecuniæ summa instructas qua, inopinato quocumque casu cogente, possint statim domum redire. Sorores quæritantes semper et ubique ea qua decet, modestia eniteant, virorum familiaritatem et sermones inutiles caveant; clamores, tabernas aliaque loca incongrua evitent; nec in domibus longiorem moram faciant, quam sit necessarium pro exspectandis eleemosynis. Singulæ nunquam incedant, neque ab invicem separentur, nisi necessitate impellente. Iter facientes, si commode fieri poterit, utantur *via ferrea;* sed quantum possunt, de nocte, neque ab uno loco discedant, neque ad alium perveniant. De suo adventu futuro præmoneant illum, cui datæ sunt Episcopi literæ; eique cum pervenerint se sistant precesque adhibeant, ut intercedat pro invenienda hospitalitate apud aliquod pium fœminarum Institutum, vel saltem apud aliquam honestam mulierem, nunquam vero in domo ubi possint in aliquod periculum offendere.

Matutinas ac vespertinas *preces* non omittant: quotidie de mane aliquam ex vicinioribus ecclesiis petant, ibique Sacro assistant: singulis hebdomadis Pœnitentiæ et Eucharistiæ *sacramentis* reficiantur. Ante solis ortum et post occasum eleemosynas per loca non quæritent. Elapso tempore ad quæritandum eis præfixo, sine ulla mora ad propriam Superiorissam recto tramite remigrent. Eleemosynas numquam arroganter vel tamquam debitas postulent, sed breviter et humiliter sua et piorum Operum exposita inopia, si quid sponte offertur accipiant, secus patienter divinæ Providentiæ confidant. Alias normas opportunas, quæ a propria Superiorissa dari poterunt, adamussim observent.«

17. Aliud misericordiæ opus exercetur a sororibus votorum simplicium, sc. auxilium graviter ægrotantibus præstandum. Etenim consuetudo interdum fert, ut sorores votorum simplicium adeant *parentes* vel *fratres* in casu gravis infirmitatis illorum ad hoc ut eis assistant, et apud illos *solas* remaneant quamdiu infirmitas duraverit. Tolerandane est hæc consuetudo? S. C. EE. et RR. d. 26. Aug. 1896 hoc dedit responsum: »Cum agatur de Instituto votorum *simplicium diœcesano* et *sine clausura,* consuetudo de qua in precibus, dependet a prudenti Ordinarii arbitrio, *præscriptis* tamen debitis *cautelis.*«

Titulus XXXVII.

De capellis monachorum et aliorum religiosorum.

1. Nomine capellæ in jure venit altare, aut oratorium, aut etiam ædicula sacra a templo sejuncta vel eidem adnexa. In sensu tituli nomine capellæ venit *ecclesia curata seu parochialis unita monasterio.*

2. Hæc unio quæ dicitur etiam *incorporatio*, potest esse *non pleno jure* scilicet ut ajunt quoad *temporalia* tantum. Per hanc unionem Ecclesia parochialis non mutat statum, sed permanet Ecclesia parochialis *sæcularis*, nec regitur per regularem, aut per vicarium, sed per clericum sæcularem et perpetuum parochum instituendum ab Episcopo a quo pendet plene quoad administrationem curæ animarum. Duo sunt in casu jura monasterii 1°. ut participet de *fructibus* beneficii; 2°. ut *nominet* clericum instituendum. De hac specie agit c. 1. h. t.

3. Secunda species unionis fit *pleno jure* et est quando titulus parœciæ transfertur in monasterium, ita ut monasterio vel ejus capiti competat administratio curæ animarum. Hæc unio *mutat* statum beneficii et ex sæculari illud facit regulare. Regitur autem per Vicarium qui potest esse etiam sæcularis quique destinatur a Superiore Monasterii, vel ab eo qui ratione officii habet titulum parœciæ. — Debet vero probari ab *Episcopo* quia cura animarum in diœcesi pendet ab Ordinario. Hinc Vicarius quoad ea quae ad curam et administrationem sacramentorum pertinent, subest jurisdictioni, correctioni et visitationi Episcopi c. 11. sess. 35. *De Reg.* Potest vero removeri vel a Superiore regulari, vel ab Episcopo, qui rogat Superiorem regularem, ut eum removeat.

Si de parochia a Regularibus plena jure administrata *dismembratur* alia, hæc nova non est necessario regularis neque regulares jus ad eam possident, sed ab Episcopo legitime est conferenda; arg. Const. *Leonis XIII.* »Romanos Pontifices« d. 8. Maji 1881 et resp. S. C. Negotiorum Extraord. d. 16. Nov. 1896.

4. Tertia species unionis ea est quæ fieri dicitur *plenissimo jure* et tituli sæcularis quodammodo exstinctiva, quæque locum habet cum non solum titulus parochiæ transfertur in monasterium regularium, sed ipse *populus* eximitur a jurisdictione Episcopi, et subjicitur prorsus monasterio. Per hanc unionem constituitur terri-

torium separatum, et *Ecclesia nullius.* In hac parœcia unita monasterio nihil potest Episcopus, sed parochus tum quoad institutionem, tum quoad correctionem et visitationem, tum quoad remotionem pendet a Superiore seu Abbate regulari Monasterii. De his parœciis unitis Monasteriis loquitur Tridentinum in 2ª parte decreti c. 11. sess. 25. *De Regul.* Cfr. etiam tit. *De institutionibus* (III. 7) nn. 19—23.

5. Si quæratur in dubio quænam præsumatur facta unio, respondemus præsumi eam qui minus derogat juribus Episcopi, qui fundatam habet intentionem in jure pro libertate exercitii regiminis spiritualis in sua diœcesi.

6. Quia in præcedentibus nn. de cura animarum a Regularibus administrata in certis stationibus, i. e. in parochia vel vicaria sive perpetua sive temporanea, agebatur, nunc aliquid dicendum videtur generaliter de cura animarum respectu virorum Regularium.

Præmittendum inprimis est, si hic sermo est de Regularibus, eos tantummodo intelligi, qui gaudent privilegio *exemptionis;* item præmittendum est curam animarum in Regulares exercendam regulariter spectare ad Regulares, in sæculares pertinere ad Episcopum vel Ordinarium et ad eos quibus idem Episcopus vel Ordinarius potestatem tribuit. *Tridentinum*, sess. 25. cp. 11. *De Reg.;* Const. *Leonis XIII.* d. 8. Maji 1881 quæ incipit »*Romanos Pontifices,*« ubi Summus Pontifex hoc decernit: »In præsenti Ecclesiæ catholicæ apud *Britannos* conditione declarare non dubitamus Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii jurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes, præterquam in casibus a jure nominatim expressis, et generatim in iis quæ concernunt *curam animarum* et *sacramentorum administrationem.*«

Materiam non ad curam animarum in genere extendemus, sed ad administrationem sacramenti *Pœnitentiæ* restringendam censuimus, quia de aliis huc spectantibus alio loco sermo fit. Totam ejusmodi materiam dividimus in duas quæstiones: I. Quarum personarum confessiones excipere valide et licite possint *Regulares* et quo jure. II. Quando et quo jure Regularium confessiones possit excipere sacerdos sæcularis vel regularis, sed alterius familiæ?

Personæ de quibus in I°. quæritur, possunt esse vel Regulares proprii Ordinis vel Sæculares vel Regulares non propriæ familiæ,

de quibus ultimis loquemur in II[a]. quæstione; restat ergo ut pauca dicamus de Sacr. Pœnitentiæ a Regularibus administrando 1⁰. Regularibus confratribus; 2⁰. Sæcularibus. — Sit ergo

7. I. *Quo jure Regulares valide et licite absolvere possunt confessiones Regularium confratrum?*

Nullum dubium est Regulares valide et licite absolvere posse Regulares confratres, quotiescunque *deputati* fuerint ad hoc a Superioribus Ordinis vel Congregationis propriæ, positis videlicet generaliter requisitis ad validam et licitam hujus Sacramenti administrationem. Etenim in illa deputatione includitur et approbatio et jurisdictio et deputatio dominativa. Arg. cp. 11. sess. 25. *De Reg. Tridentini* Conc. — Quæ personæ intelligendæ sint sub »Regulares confratres«, jam supra vidimus, sc. non solum professi, sed et novitii et familiares. — Horum vero familiarium confessiones etiam a confessariis ab Ordinario proprio deputatis posse excipi docent DD. — Utrum etiam *novitii* a confessariis ab Ordinario tantum approbatis absolvi possint, controvertitur; ratio interna et externa *affirmativæ* sententiæ favet; cfr. *Dissertationem de Confessariis Regularium* conscriptam a P. Jos. *Putzer*, C. Ss. R. Ilchestriæ 1897., pag. 5. sub b)

Ceterum modus quo in singulis Ordinibus et Congregationibus exemptis sacerdotes approbantur et jurisdictione donantur, non in omnibus idem est, quare e. gr. Superior Generalis C. Ss. Redemptoris d. 25. Febr. 1895 lit. circulares dedit, quibus instruantur ejusdem Congregationis sodales, »quousque se extendat aut quamdiu duret jurisdictio Sacerdotum ejusdem Congregationis qui a suis Superioribus ad audiendas *Congregatorum* confessiones deputati fuerint.« Similiter in ceteris Familiis exemptis rem ordinatam esse præsupponitur; quare ordinationes Superiorum in re præ oculis haberi debent.

8. II. *Quo jure Regulares exempti valide et licite absolvere in Sacr. Pœnitentiæ possunt personas sæculares?*

Præmittimus ea quæ dubio rationabili non sunt subjecta:

1. Nullus confessarius Regularis *licite* excipere potest confessiones Sæcularium, licet ab Ordinario loci et approbatione et jurisdictione sit instructus, *absque deputatione vel consensu* saltem tacito et in casu necessitatis præsumpto sui Superioris, patet ex *Tridentino* sess. 25. cp. 4. *De Reg.*

2. Nullus Regularis *valide aut licite* excipere potest confessiones Sæcularium, licet a Superiore suo instructus sit et appro-

batione et jurisdictione et deputatione, *absque approbatione Ordinarii loci* cui subjecti sunt Sæculares; *Tridentinum*, sess. 23. cp. 15. *de Ref.* et thes. 14. ab *Alexandro VII.* proscripta: »Satisfacit præcepto annuæ confessionis qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato« et multæ SS. PP. Constitutiones.

3⁰. Regularis Episcopali facultate instructus semper *valide* absolvit Sæculares, licet *non* sit *approbatus* juxta leges proprii Ordinis, licet agat *Superiore invito,* licet *suspensus* sit ab audiendis confessionibus Sæcularium a suo Superiore. S. C. EE. et RR. d. 2. Martii 1866 ad dubia I.—IV. incl.

Ex allegata responsione concludunt nonnulli DD.: Sacerdotes Regulares *posse* præter approbationem etiam jurisdictionem in Sæculares accipere ab Episcopo et hac instructos jurisdictione absolvere Sæculares *valide,* nam dictos Regulares *illicite* agere, vidimus jam sub n. 1.

9. 4⁰. Quæ dicta sunt usque nunc, declarationibus S. Sedis extra dubium sunt posita. At operæ pretium est, hic adjungere quæstionem quæ a diversis diverse solvi consuevit.

Auctores quidam librorum Theologiæ Moralis, etiam novissimi temporis, hanc propositionem ponunt quasi indubitatam: »Regulares exempti jurisdictionem ad audiendas confessiones tum suorum tum *sæcularium* accipiunt *immediate a Papa.*« *)

Utrum hæc propositio saltem indubitata sit, paucis inquiremus. Duo præmittenda sunt: 1⁰. Jurisdictio respectu Sacramenti Pœnitentiæ in Sæculares Regularibus tribui nequit nisi aut a Summo Pontifice aut ab Ordinario loci, i. e. Episcopo vel Prælato *Nullius.* Atqui ubi sunt diœceses vel etiam vicariatus cum Vicariis Apostolicis deputatis »cum iis facultatibus quibus Ordinarii in suis civitatibus et diœcesibus utuntur,« præsumptio militat pro jurisdictione Ordinariorum loci, sc. ut quicunque exercent jurisdictionem sive externi sive interni fori, hoc faciant aut cum institutione authorizabili aut cum delegata potestate dictorum Ordinariorum loci. — Quisquis ergo se gaudere jurisdictione in Sæculares immediate a Papa tributa contendit, id probare debet. Si ergo Regulares contendunt, se gaudere jurisdictione in Sæculares quoad

*) Cfr. *Gury:* Comp. II. n. 557.; *Sabetti*: Theol. mor. n. 774.; *Lehmkuhl:* Theol. mor. II. 379. n. IV.; *De Varceno:* Comp. theol. mor. edit. V. tom. II. pag. 154. etc.

forum sacramentale immediate a Summo Pontifice data, *hoc probent necesse est.*

2°. Cum in præcedentibus, tum in sequentibus sermo fit de *approbatione.* Quid sit approbatio, explicari debet; nam non semper idem hæc vox significat. — Distinguamus ergo approbationem in strictiori et ampliori sensu. »Approbatio in se (*strictioris* sensus) nihil aliud dicit, nisi testimonium auctoritativum quo aliquis sacerdos declaratur aptus qui jurisdictionem sacramentalem exercere possit.« Approbatio vero in *latiori* sensu comprehendit et approbationem strictioris sensus et jurisdictionem i. e. potestatem delegatam regendi subditos. Hæc distinctio firmiter memoria tenenda est; nam nunc in strictiori, nunc in latiori sensu sumitur; quare si non bene distinguatur, confusio creatur.

Hisce præmissis quæstionem ipsam solvendam aggredimur:

10. I. Ante Conc. *Tridentinum* jurisdictio (fori Pœnitentiæ) in Sæculares Regularibus immediate a Papa *nunquam* fuit *absolute* concessa:

Tres sunt super eadem re Romanorum Pontificum Constitutiones: *Bonifacii VIII., Benedicti XI., Clementis V. Bonifacii* Constitutio »Super Cathedram«, sublatâ Constitutione *Benedicti XI.*, a Concilio *Viennensi* (an. 1311.), auctoritate *Clementis V.* restituta fuit hisce verbis: »Dudum a *Bonifacio* Papa *VIII.* prædecessore nostro infrascriptâ editâ decretali, *Benedictus* Papa undecimus prædecessor noster aliam illius revocatoriam promulgavit quæ quia (ut probavit effectus) nedum pacis ab auctore ipsius speratæ fructum non attulit, quinimo discordiæ pro qua sedanda processerat, fomentum non modicum ministravit: nos eam omnino cassantes, aliam a præfato Bonifacio editam . . . innovamus, subjicientes tenorem illius qui dignoscitur esse talis: *Bonifacius* etc. »Super Cathedram« etc., ut in Extr. com. 2. *De sepulturis* (III. 7). In tribus his Constitutionibus hæc nostram quæstionem concernentia respectu Fratrum Minorum et Prædicatorum continentur: Non posse istos Regulares sæcularium Confessiones excipere, *sine licentia, gratia et beneplacito Episcopi.* — Quodsi Episcopi *sine causa* jurisdictionem dare dictis Regularibus recusarent, iidem nihilominus possent Sacramentum Pœnitentiæ, *auctoritate Apostolica,* sæcularibus ministrare.«

Non de approbatione strictioris sensus in hisce Constitutionibus agitur, sed de jurisdictione; nam »licentia, gratia, beneplacitum«

non indicant judicium idoneitatis, sed evidenter voluntatis actum qui tribuit facultatem. Hoc luce meridiana clarius redditur ex Const. *Benedicti XI.*, juxta quam approbatio in sensu strictiori revera impossibilis erat. Deinde licet dictus *Benedictus XI.* in Const. »*Inter cunctas*«, sc. in Extr. com. 1. *De privilegiis* (V. 7) potestatem Episcopi in subditos proprios respectu sacramenti Pœnitentiæ inter omnes plurimum restrinxisset, nihilominus eandem jurisdictionem non absolute favore Regularium sustulit, sed conditionatim tantum. At Extravag. »Inter cunctas« brevem ducebat vitam; nam *Clemens V.*, uti vidimus, in Conc. generali eam cassavit, 8 annis post promulgationem ejusdem Const. »Inter cunctas«.

Conclusio: Secundum jus decretalium fratres Minores et Prædicatores tunc solum a Summis Pontificibus in *una* diœcesi jurisdictionem ipso facto recipiebant, quando Prælati (Ordinarii loci) hujusmodi exhibere licentiam recusarint alicui communitati toti; cfr. Clem. »Dudum« 2. *De sepult.* (III. 7).

11. II. Concilium *Tridentinum* in cp. 15. sess. 23. *De ref.* hæc statuit: »Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et *approbationem,* quæ gratis detur, obtineat privilegiis et consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.«

Punctum quæstionis versatur in explicatione verbi »approbationem«. Qui adhærent sententiæ a Papa immediate procedere jurisdictionem Regularium in Sæculares, illud »approbationem« sumere debent in strictiori sensu. In latiori autem sensu: sc. de approbatione strictius sumpta *simulque* jurisdictione, illud intelligere et probare nobis liceat.

1°. Ratio petitur ex obvia explicatione ipsius cp. 15. Nam Concilium ad confessiones sæcularium audiendas præter potestatem in ordinatione acceptam nihil requirit nisi *approbationem* obtentam. Firmatur hoc alia consideratione: Presbyteri enim regulares presbyteris sæcularibus in audiendis confessionibus sæcularium omnino æquiparantur. Atqui pro presbyteris sæcularibus requiritur et sufficit approbatio Episcopi; ergo et pro regularibus. — Magis adhuc firmatur hæc explicatio ex cp. 11. sess. 25. *De reg.* ubi S. Synodus

hæc statuit: »In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personæ tam regulares quam sæculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quæ ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, *jurisdictioni*, visitationi et correctioni episcopi, in cujus diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem *consensu*, ac prævio examine per eum aut ejus vicarium faciendo.« Regulares presbyteri sæcularibus etiam in hoc capite æquiparari, non est negligendum. Cfr. *Monacelli: Formulare legale practicum;* tom. II. app. I. dec. 40. nn. 17—19.

2°. Ratio petitur a Constitutionibus Summorum Pontificum quæ propius definiunt dictam approbationem.

Prætermissis multis Summorum Pontificum constitutionibus necnon SS. RR. Congregationum decisionibus, unum *Benedictum XIV.* qui præcipua ex decretis prioribus complectitur, non quidem »in sua Institutione 86. ut doctorem privatum »disserentem« (*Lehmkuhl: Theol. mor.* II. n. 382.), sed ut Summum Pontificem in aliqua Constitutione exponentem et statuentem audiamus, sc. in sua Constitutione »Apostolicum ministerium«, d. 30. Maji 1753: §§. 7. et sqq. ubi nostram quæstionem quasi *ex professo* tractat: (Bullarium B. XIV., tom. 3. pars II°.; Prati 1847. pag. 95.)

»§. 7. Nullus Sæcularis Sacerdos pœnitentiæ Sacramentum administrare potest, qui actualis Parochus non exsistat, vel idoneus ad id in præmisso examine repertus non fuerit, quod Ordinarius Loci, ubi Confessiones excepturus est, de eo habere potest. Idem et *Regularibus* Sacerdotibus edicitur, quoties velint Sæcularium Confessiones audire, quemadmodum ad literam decernitur a Concilio Tridentino sess. 23. cap. 15. *de Reformat.* quo in loco derogat Sacrum Concilium privilegio cuicumque, et consuetudini immemorabili, quæ contrarium præseferet, inquiens: *privilegiis, et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Idque eo vel magis, quod a Summo Pontifice *S. Pio V.* ea in Constitutione, cui initium est *Romani Pontificis* 133. Bullarii Romani tom. 2. declaratum est, prædictam Concilii Tridentini sanctionem ad omnes quoscumque Regulares extendi, vel Mendicantes, vel non Mendicantes, quamvis Lector, atque Magister in Sacra Theologia præfulgeat, et potestas Sæcularium Confessiones excipiendi illi facta

fuerit a suis Superioribus Regularibus. Sancto *Pio V.* omnino consonat *Urbanus VIII.* in Constitutione, quæ incipit: *Cum sicut accepimus* 92. Bullarii tom. 4., per quam amplissime rescidit privilegium quodcumque alias Regularibus attributum, cujus *prætextu* Sæcularium Confessiones exciperent, priusquam examen sustinuerint, et *consensum* ab Ordinario Diœcesano impetraverint. Ac ne Regularium Familiæ, quæ nisi expresse nominentur, se minime comprehendi putant, ab eadem Constitutione immunes se jactarent, eas nominatim, et singulas recensendas optimum duxit. Ultimo tandem Sum. Pont. *Clemens X.* edita Constitutione *Superna* 7. in Bullario Romano tom. 6. §. 4. ita firmavit: *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.*

§. 8. Quare si insistamus Canonicis institutis, quæ superius numeravimus, nullum afferri potest impedimentum Ordinario, quominus examen indicat Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, per quos Pœnitentiæ Sacramentum in Locis ipsius Jurisdictioni subjectis administrandum est; Regulares, inquam, in examen vocare potest Ordinarius, si velint Sæcularium Confessiones excipere. At vero quoniam Missionarii, et inprimis Regulares, longa et difficilia suscipiunt itinera, relictis Cœnobiis, in quibus versantur, ut in *Angliam**) ad obeundas Missiones se conferant, ne dubietas admissionis ad Confessiones audiendas in subeundo examine, illos ab Apostolico munere deterreat, cavebunt in posterum, antequam relinquant Monasteria, in quibus degunt, et in Angliam tendant, cavebunt, inquam, examen ad Confessiones Sæcularium audiendas subire coram Ordinario, et Examinatoribus Loci, in quo situm est Monasterium, et consequi testimonium, quo idonei declarentur; quod insuper poterit indicari Vicariis Apostolicis, in Anglia commorantibus per Literas Ordinarii, qui ad examen eos excepit, et peritos, idoneosque judicavit. Quod si cuiquam ex Regularibus commodius, atque itineri opportunius videretur Bruxellis ante Apostolicum Nuncium propriæ scientiæ periculum facere, id erit eorum in libitum; cum utraque ratione duplex auferatur incommodum; unum scilicet, ne Regulares animum mentemque dimoveant a Missionibus Angli-

*) De Missionariis in Angliam mittendis et missis agit dicta Constitutio.

canis, eo timore, ne a Vicariis Apostolicis non admittantur ad Sæcularium Confessiones excipiendas; alterum vero, ne iidem Vicarii destituantur auctoritate adprobandi illos, qui *intra limites suæ Jurisdictionis* Pœnitentiæ Sacramentum velint administrare. Etenim *duos omnino actus complectitur adprobatio, quorum primus ad intellectum, alter spectat ad voluntatem.* Proprium enim est intellectus, debita, ac necessaria scientia in Examinato deprehensa, illum Confessionis muneri obeundo aptum existimare. At nonnisi voluntatis est, facultatem Confessionum audiendarum liberam, plenamque facere, sententiamque de eo proferre, qui Adprobatori subjicitur. Primum itaque ab Examinatore præstatur; cujus fidei, et integritati innititur, atque acquiescit, qui Confessiones audiendi facultatem, in limitibus, et confiniis sibi assignatis, impertitur. Alterum immediate peragitur ab ipsomet Superiore, cujus est prædictam facultatem concedere.

§. 9. His itaque constitutis, cum Regularis examinatus jam, et idoneus judicatus, uti diximus, sese offerat Vicariis Apostolicis, cumque id perpendi minime debeat tanquam urbanitas aliqua, seu cæremonia; cum insuper Vicarius Apostolicus *opportunam facultatem elargiri* intelligat ad suscipiendas Fidelium Confessiones, qui ditione sua continentur: absoluta penitus hac ratione controversia omnis judicari deberet.«

Verum est *Benedictum XIV.* hoc pro Britannia quidem statuisse, at non statuit quasi *particulare* Britannorum jus, sed ut generale jus applicatum rebus in Britannia ecclesiasticis; cfr. eundem *Benedictum* in *Syn. Diœcesana* l. 9. cp. 16. nn. 7. et 8. necnon l. 5. cc. 4. et 5. ubi sermo est *de reservatione casuum*, inprimis in cp. 5. nn. 6. et 7.

12. Tandem nostris temporibus tota quæstio, si fieri poterat, clarius adhuc illustrabatur et accuratius resolvebatur responso S. C. EE. et RR. ad Procuratorem Generalem Ordinis Prædicatorum d. 2. Martii 1866. Ut totum hujus responsi momentum bene possit perpendi, causa quæ quæstiones inducebat, proponatur oportet. Procurator generalis enim querebatur quod his non obstantibus (sc. privilegiis quibusdam) apud aliquos opinio invaluit non posse superiores Regulares subditos suos suspendere ab audiendis sæcularium confessionibus *ea ratione, quod potestas jurisdictionis non recipitur a Superioribus Regularibus, sed ab Episcopo vel Ordinario;* unde contempta Superiorum auctoritate, et sola facul-

tate ab Ordinario obtenta, Sacramentum Pœnitentiæ administrant. Quibus præmissis, ne Sacramentum *nullitati* exponatur, quinque ponebat dubia sequentia, sc.

»I. An Religiosus non approbatus juxta leges proprii Ordinis »a suo Superiore, vel ipso invito, sum sola facultate Ordinarii, *valide* »excipiat confessiones sæcularium.

»II. An Superiores Regulares, jurisdictionem habentes, possint »suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus sæcularium »etiam ex informata conscientia. Et quatenus affirmative;

»III. An valeat suspensio oretenus, et absque scripto enunciata.

»IV. An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est »innodatus, sit valida. Et quatenus negative;

»V. An qui hujusmodi absolutionem attentat, irregularitatem »incurrat.«

»S. C. EE. et RR. re discussa, die 2. Martii 1866, respondere »censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative; ita tamen, ut Religiosus suspensus illicite, non vero invalide, confessiones excipiat.

Ad III. Affirmative, cum feratur per modum præcepti particularis.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Provisum in præcedentibus.

Ex decisis clarissime sequitur Regulares sacerdotes posse excipere sæcularium confessiones sola facultate Ordinarii loci instructos *valide;* ut licite agant, necessaria est deputatio Superioris Regularis ex Tridentino cp. 4. sess. 25. *de Reg.* Ultimum effugium interclusum non fuisse videtur illis qui a Superioribus (non ab Episcopo) derivant jurisdictionem in Sæculares, at certe angustissimum, fortasse nullum; nam ex quæsito et responso ad V^{um}. aliud concludi potest. Quæsitum erat V. »An qui hujusmodi absolutionem attentat, irregularitatem incurrat? Ad V. Provisum in præcedentibus.« — Si de irregularitate hic agitur, per se patet non eam esse quæ oritur ex *usurpatione ordinis,* sed illam quæ præsupponit *malum usum* potestatis ordinis, sc. usum *in censura* Dato non concesso, Regularem sacerdotem posse a suo Superiore revera jurisdictionem in sæculares accipere, necessario posset etiam suspendi ab hac jurisdictione et hæc suspensio revera esset *censura,* licet particularis. — Quando ergo Regularis suspensus ab audien-

dis confessionibus confessiones nihilominus audiret et absolveret, licet instructus sit jurisdictione ex alia parte ita ut valide agat, necessario incurreret irregularitatem ex malo, sc. in censura, usu ordinis potestatis. — At cum S. C. EE. et RR. in V. responso remittat ad præcedentia responsa, non obscure indicat: irregularitatem non incurri, quia censura propria non adest; censura autem non adest, quia jurisdictionis concedendæ potestas deest; nam Superior prohibere potest Regularem non vi potestatis jurisdictionis, sed vi potestatis *dominativæ.*

Ex his omnibus saltem id deducitur, propositionem Regulares accipere jurisdictionem ad audiendas sæcularium confessiones non ab Episcopo, sed mediantibus Superioribus a Papa *non esse indubitatam;* imo facile dixerit quis *minus probabilem.*

At objicies: nonne *periclitatur* exemptio Regularium, si jurisdictionem in sæculares non a Superioribus et a Papa, sed ab Ordinario diœcesano recipiunt?

Resp.: Exemptio non est aliquid absolutum, sed relativum, i. e. exemptio non amplius se extendit quam canones et constitutiones Summorum Pontificum statuerunt et statuunt. Ceterum subjectio quam perhorrescunt regulares, est tantum mediata et prorsus libera. Si enim jurisdictionem, administrantes Sacramentum Pœnitentiæ, exercere volunt in subjectos alicujus Prælati, hic Prælatus debet esse, qui instruat eos necessaria potestate. Cfr. *Monacelli* Francisci: *Formularium legale practicum* (Venetiis 1736) tom. I. tit. 9. form. VII.; tom. II. in append. dec. S. Rotæ; dec. 40. nn. 17—19 etc.

13. Altera quæstio cui non ab omnibus idem respondetur, hæc est: *Quomodo* potest Episcopus Regularibus dare approbationem (latioris sensus) in sæculares?

Distinguamus oportet totam alicujus monasterii communitatem et singula communitatis hujus individua. 1°. Episcopus nequit in confessionibus sæcularium excipiendis sine causa recusare *totam communitatem;* Clem. 2. »Dudum« *De sepulturis* (III. 7). Si revera recusaret, illicite quidem ageret, at Regulares nequaquam possent valide excipere confessiones sæcularium absque facultate speciali S. Sedis; nam etsi valere adhuc Clem. »Dudum« in suo vigore concederemus, tamen huic capiti derogatum esse Tridentino c. 15. sess. 23. *de Ref.* saltem quoad approbationem strictioris sensus jam vidimus. — Si approbatio latius sumpta Regularibus ab Episcopo jam tributa est, »nullatenus posse omnibus simul unius

conventus regularibus confessionibus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, confessiones audiendi *facultatem«* *Clemens X.* in Const. *Superna* d. 21. Jul. 1670 statuit; idquod S. C. EE. et RR. denuo applicavit in causa *S. Deodati* d. 13. Febr. 1896 his verbis: »Episcopus *S. Deodati tenetur* ad redintegrandum in casu Canonicos Lateranenses *Mattincuriæ* commorantes in facultatem audiendi confessiones et prædicandi in sua diœcesi.« Nihilominus si Regulares suspensi confessiones sæcularium excipere auderent, invalide agerent ex rationibus supra relatis.

2⁰. *Quoad singula Regularium individua.* — Episcopi possunt *recusare* aliquem Sacerdotem Regularem in approbatione ad confessiones sæcularium excipiendas, etiam causa recusandi cum Regularibus non communicata, Clem. »Dudum« citata. A fortiori possunt approbationem quidem concedere, sed *restrictam* quoad personas, tempora, loca, »prout iisdem Ordinariis magis expedire videbitur,« attamen ad ejusmodi restrictionem requiritur causa, quam Regularibus revelare minime tenentur, Const. *Superna* §. 4. Generalis regula pro concedenda approbatione est, ne regulares confessarii aut meliorem aut deteriorem partem quoad confessiones sæcularium haberent præ confessariis sæcularibus, Clem. »Dudum« citata. Quare si sæculares confessarii ante 30. ætatis annum completum pro confessionibus *virorum* tantum approbantur vel ad certum temporis spatium, e. gr. annum, biennium, et regulares confessarii cum iisdem restrictionibus possunt approbari; *Monacelli:* Formularium legale practicum, l. I. tit. IX. form. VII. ubi confessarius regularis ad *sex menses* invenitur approbatus; *Benedictus XIV.* in cit. Constitutione *»Apostolicum Ministerium«;* de qua etiam infra, et in *Syn. Diœc.* l. 9. cp. 16. nn. 7. et 8.

»Illos autem religiosos,« ait *Clemens X.* in cit. Const. *Superna,* »qui ad confessiones audiendas *idonei generaliter* reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque et indistincte absque ulla limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum in diœcesi propria esse admittendos.« . . .

Regulares vero ita generaliter prævio examine approbatos ab ipsomet episcopo (secus autem, si ab ejus vicario aut ab antecessoribus episcopis) *approbatos* non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi seu *licentias* illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa quæ ipsas confessiones concernat, de qua autem

respondere debet tantum coram Sede Apostolica. Ita *Clemens X.* in cit. Const. *Superna* §§. 4.—6.; *Benedictus XIV.* in Const. »*Apostolicum*« §. 9. et in *Syn.* l. 9. cp. 16. n. 7.

Propositio *Alexandri VII.* quam *Benedictus XIV.* teste *Cabassutio* citat posteriore loco, sc. »Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare,« quæ ab *Alexandro VII.* declaratur »*falsa, temeraria, scandalosa* et *erronea,*« non videtur respicere approbationem Regularis *generaliter idonei* ab Episcopo dandam vel datam, sed interpretanda est de potestate Episcopi in hac materia generali et absolute sumpta quam in superius dictis explicavimus.*)

14. III. *Quid requiritur in sacerdote extraneo ad audiendas confessiones Regularium?*

Diximus in sacerdote *extraneo*, sc. vel *sæculari* vel *regulari alterius* familiæ; loquimur prius de sacerdote sæculari, deinde de dicto regulari; de regularibus confessariis *propriæ* familiæ sermo erat sub n. I. n. 7.

A. Præter ordinem sacerdotalem requiritur pariter ac in casibus superius tractatis approbatio quæ »duos actus complectitur quorum primus ad intellectum, alter ad voluntantem spectat,« sc. approbationem in sensu strictiori et jurisdictionem. — Jurisdictionem fori conscientiæ in Regulares, sive sacerdotes, sive clericos, sive laicos, tribui debere, saltem cum facile haberi possit confessarius Regularis, a Superioribus Regularibus nullum dubium exsistit; arguitur ab exemptione Regularium, ex Tridentino, c. 11. sess. 25. *De reg.*, denique prætermissis aliis ex responso S. C. EE. et RR. d. 23. Sept. 1881 in causa *Patrum Missionis*, hujus tenoris: »Absque licentia superioris membrum Congregationis Missionis« — quæ exemptione gaudet — »confessionem sacramentalem valide non peragit apud sacerdotem externum approbatum, dum facile habere posset sacerdotem confessarium etiam in Congregatione.« — Superiores qui facultatem concedunt, sunt regulariter etiam *locales*, nisi propriæ alicujus Ordinis Constitutiones aliter disponunt, S. C. EE. et RR. d. 3. Junii 1864.

---

*) Cfr. Propositiones ab *Alexandro VII.* proscriptas d. 10. Jan. 1659. apud *Scavini: Theol. moralis univ.;* editio 7. Mediolani 1857. tom. I. pag. 556.

Idem asserendum videtur quoad Regulares itinerantes qui socio carent. Si ergo confessarii sæculares aliquem regularem absolvunt, explicite vel implicite recipere videntur jurisdictionem in eum a Superiori Regulari. At quid est de necessitate approbationis, sc. potestne homo regularis sibi in confessarium eligere sacerdotem sæcularem, qui approbatione caret?

Resp. Claritati consulere volentes præmittimus: 1⁰ hic non est sermo de membris Congregationum *non exemptarum;* nam ejusmodi religiosi absolvi possunt saltem valide a quocunque sacerdote approbato. 2⁰ Neque loquimur de articulo vel periculo *mortis.* Solum loquimur de Regularibus exemptis qui aut permissionem a Superioribus receperunt confitendi sacerdoti extraneo aut itinerantes socio idoneo carent.

Hisce præmissis sententia nostra hæc est: Regulares exempti confessiones suas cum licentia Superiorum peragere non possunt nisi apud sacerdotes *approbatos* ab Ordinario loci. Probatur hæc sententia rationibus et externis et internis.

15. I. *Rationes externæ:* 1. Instructio S. C. Concilii, approbata ab *Innocentio XI.* d. 22. Febr. 1679, omnino vetat confessionem, etiam venialium tantum peccatorum, apud sacerdotem *simplicem,* extraordinaria facultate Episcopis in contrafacientes etiam regulares attributa.*)

Nolumus quidem ex hac Instructione strictam desumere probationem, attamen mentem revelat Sedis Apostolicæ. — Quod dicta Instructio generaliter præscripsit, id *Benedictus XIV.* in sua Const. »*Quod communi*« d. 30. Mart. 1742 pro fratribus Ordinis *Capuccinorum* requisivit. Etenim Capuccini statutum *communi auctoritatis juri* innixum habebant, juxta quod ipsi etiam longe a domo proprii Ordinis aliqua commorantes, nemini nisi proprii Ordinis confessario confiteri neque a quoquam alio licite et valide absolvi possent. Malis exinde facile provenientibus *Benedictus XIV.* remedium præbuit indulgendo, ut omnes fratres dicti Ordinis legitime a conventibus et hospitiis Ordinis absentes libere et licite possent ac valerent quemlibet Presbyterum Sæcularem ab Ordinario Loci, vel Regularem a suo Superiori Regulari *ad sacramentales confes-*

*) Canones et decreta Conc. Tridentini edita a Richter et Schulte cum resolutionibus S. C. Concilii. Lipsiæ 1853. — Ad sess. 13. de Eucharistia n. 1. (pag. 68. in fine.)

siones excipiendas approbatum adire et confiteri peccata ab eisque absolvi etc. Quæritur: Statuitne hoc sc. ut adirent tantum *approbatum* confessarium, *Benedictus XIV.* ideo quia omnes singulorum Ordinum regulares approbatum tantum adire poterant confessarium an quia Capuccinos *speciali* volebat obligare dispositione? Nulla neque formalis neque materialis ratio suadet alterum i. e. specialem dispositionem circa Capuccinos; ergo prius tenendum est. Si regulares tunc temporis privilegio gaudebant, confitendi apud sacerdotem etiam simplicem, quare dictus Summus Pontifex Capuccinos *sine ulla clausula derogante* eodem privilegio privavit, Capuccinos inquam, quos, ait ipse *Benedictus XIV.*, propter egregias qualitates »*plurimi* facere pergimus et *paternæ benignitatis* testimoniis complectimur.« — At si dubium revera superesset, prorsus evanescere debet responsione celeberrima S. C. Concilii, d. 18. Nov. 1769. in *Hildeshemen. (Hildesien.),* quam integram, quia tanti momenti, transcribere non omittimus.*)

»Usus invaluit in civitate *Hildesimen.,* ut nonnulli Regulares ad civitatem ipsam pluribus infra annum vicibus accedentes, ibique per aliquot dies commorantes, soleant sibi eligere presbyterum sæcularem ab Episcopo non approbatum, qui eis sit a confessionibus, quamvis non desint, qui vel ex sæcularibus, vel ex Regularibus, propriaque cujusque Ordinis familia, de Episcopi vel Prælati Regularis licentia confessionem excipiant. Id minime ferri posse censet Episcopus; sed in re tam gravi ne quidquam decernat inconsulta Sede Apostolica, pro eximia in eam opinione ac reverentia, dubia, quæ in calce exhibentur, declaranda proponit.« Dubia autem fuerunt sequentia:

I. »An tales Confessiones *licitæ* sint in casu.«

II. »An ignorante Episcopo *validæ* fuerint.«

III. »An Episcopo sciente et contradicente *in posterum* per»agendæ, validæ futuræ sint in casu.« Sacra Congregatio, re mature perpensa, respondit: »*negative in omnibus et amplius.*«

Prima quæstio erat: »An tales confessiones licitæ sint in casu?« Ad verbum »tales« Cardinalis *Bizzarri* ex relatione Episcopi *Hildeshemen.* adjungit hanc parenthesim: An tales (factæ nempe a Regularibus Sacerdoti simplici etiam *de licentia suorum superiorum)*

*) Invenies in A. S. S. I. pag. 677. not. 1.: in *Coll.* Card. *Bizzarri* pag. 777.; apud *Richter* et *Schulte* c. l. pag. 206. n. 5.

licitæ sint? Episcopus enim retulerat: *usum* fuisse non tantum subditorum, sed etiam *Superiorum*. Resultat ergo ex allegata responsione: confessiones Regularium peractas etiam de licentia Superiorum apud presbyterum sæcularem ab Episcopo non approbatum non solum esse illicitas, sed etiam invalidas. — Notandum est: 1°. hanc responsionem omnes tangere Regulares; nam et interrogationes et responsum non respiciunt certum Ordinem. 2°. Verum est regulares in casu copiam habuisse confessariorum approbatorum, etiam proprii Ordinis, sed hoc nihil importat; nam Superiores — exceptis Capuccinis — possunt etiam dispensare in hoc casu, i. e. permittere ut subditi adeant sacerdotes extraneos. 3°. Id quod desiderabatur solum, erat Episcopi approbatio cujus ob defectum confessiones et illicitæ et invalidæ erant.

Hæc decisio S. C. Concilii d. 18. Nov. 1769 denuo illustrata atque applicata est in resolutione S. C. EE. et RR. in causa *Ordinis Eremitarum S. Augustini* d. 3. Junii 1864 (A. S. S. I. pag. 672., *Bizzarri* in *Coll.* pag. 775): »Quidam Regularis utens facultate obtenta a *Priore* sui Conventus, confitetur sacerdoti *sæculari*, et quidem approbato:

I. Quæritur an valide. Et quatenus affirmative: Utrum *Prior* possit jure subditis suis hanc facultatem concedere necne.« — S. C. EE. et RR. re in examen revocata d. 3. Junii 1864 respondere censuit: »In Ordine Eremitarum S. Augustini, affirmative ad utrumque, *dummodo Sacerdos fuerit ex approbatis ab Ordinario loci:* pro aliis Ordinibus standum eorum Constitutionibus et statutis.« Ad intelligentiam hujus responsi notetur: In memorata causa Ordinis S. Augustini *principale* quæstionis momentum non fuisse versatum circa *approbationem* sacerdotis sæcularis, cui confiteri volebant regulares, sed circa potestatem Superiorum *localium*, Priorum scilicet in Ordine S. Augustini, utrum hi *locales* quoque Superiores possent concedere facultatem confitendi sacerdotibus extraneis. Nihilominus S. C. expressam clausulam adjungere non prætermisit de approbatione, »dummodo Sacerdos fuerit ex approbatis ab Ordinario loci«. Regulæ quidem Ordinis S. Augustini nihil cavent de approbatione. Prior autem conventus S. Mariæ in Silva facultatem ad approbatos solummodo dare solebat et hoc S. C. EE. et RR. expresse requirebat, applicans responsionem S. C. Concilii in *Hildeshemen.* casui nostro — ut patefaciunt »Ea quæ ex officio adjiciebantur« (A. S. S. I. pag. 677.) Nonnulli utique DD. objiciunt:

dictum responsum non valere nisi pro Ordine S. Augustini. At hoc verum est quoad partem dispositivam *principalem,* sc. respectu potestatis Prioris permittendi confessarium extraneum, minime vero quoad partem dispositivam *incidentalem* idquod jam ex eo patere potest, quod statuta Eremitarum S. Augustini nequaquam cavent de approbatione.

Alii autem concedunt quidem dispositionem S. C. Concilii valere quidem pro omnibus regularibus, sed solummodo in casu ubi facultas confitendi apud sacerdotem sæcularem tribuitur regulari qui apud suos commoratur minime vero pro *itinerante* vel *longe a conventu Ordinis commorante;* e. gr. *Jos. Putzer: Dissertatio de confessariis religiosorum exemptorum.* Ilchestriæ 1897.; pag. 10. et 14. Immerito prorsus; nam ubi eadem ratio, eadem debet esse et legis dispositio. Rationem autem hanc esse parem conditionem commorantis et ubi copia confessarii regularis adest et ubi deest, inferius videbimus, cum sermo erit de rationibus internis. Hic ad corroborandam nostram sententiam pauca adjungimus: Tempore jubilæi Regularibus conceditur facultas eligendi Confessarium extraneum, sed nullum alium nisi *approbatum ab Ordinario loci.* Item Regularibus in Italia suppressis S. Pœnitentiaria concessit ut a suis Provincialibus vel Generalibus impetrare possent indulgentiam eligendi sibi quemcunque sacerdotem in confessarium, *dummodo esset ex approbatis ab Ordinario loci;* S. Pœnitentiaria, d. 18. Apr. 1867. n. XII.

16. Ex his omnibus apparet sacerdotem a regularibus de licentia Superiorum sive expressa sive tacita electum in *Confessarium* debere esse *approbatum ab Ordinario loci;* — sententiam autem contrariam quam vocat *S. Alphonsus* communissimam et veriorem (in *Theol. mor.:* De pœnitentia n. 575) probabilitate carere. Nam s. Doctor opinionem suam confirmavit probationibus *saltem dubiis.* Provocat enim 1°. ad concessiones *Sixti IV.* et præsertim *Innocentii VIII.* qui dixit: »Nos igitur . . . Fratribus hujusmodi, quos itinerari et per eorum superiores mitti contigerit, ut si aliquem presbyterorum *idoneum* ex professoribus dicti ordinis habere non possint, quemcunque alium presbyterum *idoneum* et discretum religiosum vel sæcularem eligere valeant, qui confessiones eorum audire . . . licite possit.« At hujusmodi concessiones *Sixti IV.* et *Innocentii VIII.* suntne *genuinæ?* In bullariis tales constitutiones reperire frustra laboravimus; dein nonnulli non *Innocentii VIII.* (1484—1492), sed

Innocentii VII. (1404—1406 durante nefasto schismate) concessionem citant. *Sixtus IV.* autem revera edidit Const. »*Sacri Prædicatorum*« d. 26. Julii 1479 circa privilegia Ordinum *Prædicatorum* et *Fratrum Minorum,* ubi §. 6. tangit etiam sacramentum Pœnitentiæ, et post 10 dies — quis crederet — novam Constitutionem de eodem objecto edidisset. At dato, non concesso concessiones illas non esse spurias, quid probant? Nostram sententiam confirmant.

In citata (a S. Alphonso n. 575.) Constitutione *Innocentii VIII.* requiritur ad excipiendas regularium confessiones in sacerdotibus et proprii Ordinis et extraneis *idoneitas.* Atqui idoneitas hæc in sacerdotibus proprii Ordinis non est privata, fundata in judicio confitentis, sed *publica et juridica* i. e. consistens in approbatione Superiorum; hoc omnes, etiam regulares, concedunt. Ergo etiam in *extraneis* sacerdotibus non sufficit privata idoneitas, sed requiritur *publica,* sc. fundata in judicio Superiorum. Certe enim esset contra regulas hermeneuticæ scientiæ, si sine sufficiente ratione idem verbum »idoneus« in eadem propositione sumeretur in diverso sensu. Cfr. c. 2. *De pœnitentiis* (V. 10) in 6°. et Clem. 2. *De sepulturis* (III. 7) atque *Clericatum: De Pœnitentia,* Dec. 39. per tot., inprimis in n. 5.

Provocat 2°. *S. Alphonsus* ad jus quod ante Tridentinum vigebat, juxta quod »quilibet poterat confiteri cuique simplici sacerdoti.« — Hoc, saltem tam generalibus verbis, frustra asseri facile probatur; nam Constitutiones *Joannis XXII., Benedicti XI., Clementis V.* quas supra exposuimus, præsupponunt approbationem saltem Superiorum regularium.

Si quis autem desiderat probationes quibus demonstratur veritas contrariæ sententiæ, ampliores, consulat *Fagnanum* in c. »Omnis« 12. *De pœn. et remiss.* (V. 38) vel *Clericatum: De Pœnit.* Dec. 39. nn. 9. et sqq. et inveniet satis superque. Ceteræ S. Alphonsi rationes non indigent refutatione, quia impugnant tantum objectiones quasdam; sed adjungendum censemus S. Alphonsum responsionem S. C. Concilii in *Hildeshemen.* ignorasse, saltem probaliter.

Sufficiunt externæ rationes, pauca dicenda sunt de internis.

17. II. Rationes internæ. »Ars artium regimen animarum« ait *S. Gregorius Magnus* in Reg. past. offic. c. 1. Sed animæ reguntur præcipue in Sacramento Pœnitentiæ. Nonne jam jus naturale »hypotheticum«, uti vocant, requirit, ut ad tantum munus non assumantur nisi viri *probati,* sc. viri ordinis sacerdotalis et neces-

saria jurisdictione præditi quibus publica auctoritas tribuit testimonium idoneitatis? Diximus *publica* auctoritas; nam Prælati illos debent probare et idoneos declarare, quos sibi adsciscunt in regimine animarum. Ideo Concilium *Tridentinum* sess. 23. cp. 15. *de Ref.* expresse requirit ad confessiones *sæcularium* audiendas approbationem, quatenus includit judicium auctoritativum de idoneitate et jurisdictionem, non quod judicium de idoneitate auctoritativum fuerit aliquid novi, sed quia approbationi (latioris sensus), sc. jurisdictioni fundatæ in idoneitatis judicio, obstare videbantur privilegia Regularium. Approbationem enim strictioris sensus semper fuisse necessariam, ratio et historia ecclesiastica docet, cfr. dicta superius. — Sed si revera Tridentinum exegisset primum approbationem Ordinarii loci pro omnibus excipiendis *sæcularium* confessionibus, nonne a minore ad majus concludere liceret necessariam esse approbationem pro *regularium* confessionibus excipiendis. Nonne regulares sunt electa Ecclesiæ turba hominum ad perfectionem tendentium? Si ergo pro gregariis militibus regendis requiritur approbatio, quanto magis pro egregiis? Si deinde pro monialibus et sororibus religiosis — utique *etiam* ex alia ratione — requiritur extraordinaria approbatio, quare pro viris religiosis dirigendis non saltem ordinaria? Ipsi regulares AA. momentum hujus rationis persentiunt ideoque requirunt, ut ipsi regulares confessuri judicent de *idoneitate* judicis, cui se subjiciant: i. e. debent inprimis inquirere utrum sacerdos idoneus sit necne et dein soli idoneo peccata sua confiteri. — Hoc judicium de idoneitate in plerisque casibus secure ferri nequit. Etenim sacerdos qui ad confessiones excipiendas destinatur, debet esse videns, sc. præditus et scientia et probitate vitæ; nam si »cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent,« *Matth. XV.* 14. Sed quomodo *sacerdos* regularis in itinere constitutus tempus acquiret examinandi sacerdotem; quomodo *clericus* regularis? Quid demum dicendum de *laicis* regularibus, nam etiam ad istos extenditur privilegium; nonne absurdum est judicare laicum hominem de idoneitate sacerdotis cui ut judici postea se subjiciat; nonne hoc menti illius decreti »*Quemadmodum*« directe contrariatur?

Si denique Superiores regulares omnes subditos confessariorum munus suscepturos ante jurisdictionem approbare tenentur, quare illi sacerdotes hac approbatione indigeant quibus juxta ipsorum auctorum saltem regularium sententiam jurisdictionem iidem

Superiores extraordinarie tribuunt. At objiciunt: Nequeunt examinare et inquirere; ergo neque approbare. Respondetur: Nequeunt examinare et inquirere *per se*, at possunt stare judicio auctoritativo Ordinarii loci ejusque approbationem acceptare suamque reddere. Verum Regulares quidam in causa suorum privilegiorum pro quibus dimicant uti »pro aris et focis« *(Clericatus)* aciem quam alias admiramur, aliquantulum amittunt.

Sapientissime igitur Sedes Apostolica disposuit, ut omnes sive regulares sive sæculares adirent sacerdotem *approbatum ab Ordinario loci.*

18. B. Huc usque tractavimus quæstionem respectu sacerdotis *sæcularis* et perspeximus illum approbatum esse debere ab *Ordinario loci;* remanet quæstio de sacerdote regulari, sed alienæ familiæ; e. gr. Membrum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci confiteri vult apud sacerdotem Carmelitam. Quæritur a quonam approbatus esse debeat: ab Ordinario loci an a Superiore regulari (generali, provinciali, locali)? — Audiamus de hoc cl. Cardinalem *Bizzarri* in cit. *Coll.* pag. 778 in nota. »In indultis, quæ S. C. EE. et RR. et S. Pœnitentiaria concedit Regularibus eligendi Confessarios extra suum Ordinem hæc formula adhibetur »*Indulget Religioso viro Oratori, ut quemcumque Confessarium sive sæcularem, sive Regularem, dummodo sit ex approbatis* ab Ordinario loci, *sibi eligere possit*« . . . et in nulla alia ex recentioribus concessionibus Apostolicæ Sedis diversam formulam inveni, si excipias Const. »*Quod communi*« d. 30. Martii 1742 pro Cappuccinis, qua in §. 2. declaratur, ut quilibet ex Ordine Cappuccinorum sive Sacerdos, sive Conversus cum debita licentia extra claustra degens, si nullum ex dicto Ordine Confessarium reperiat, confiteri possit peccata sua *cuilibet Sacerdoti sæculari ab Ordinario loci approbato,* et etiam Regulari, *dummodo approbatus sit a suo superiore Regulari ad sacramentales confessiones excipiendas.*«*)

*) Indultum a Bened. XIV. concessum sæ. mæ. Pius PP. IX. ampliavit per literas Apostolicas in forma Brevis diei 28. Septembris 1852 ita ut Capuccini eligere sibi possint extraneum Confessarium ut supra etiam in casu, quo adsit *unus tantum Sacerdos Capuccinus* ad confessiones approbatus; indulgens insuper, ut a Confessario extraneo possint *obtinere sacramentalem absolutionem etiam quoad casus per statuta Ordinis reservatos, incursasque proinde censuras præstita tamen obligatione se statim ut primum licuerit superiori suo regulari præsentandi, atque iterum super casibus, et censuris hujusmodi absolutionem ab ipso impetrandi.* — Iterum indultum *Benedicti XIV.* et *Pii IX.* am-

Rationem, cur quoad *Capuccinos* confitentes in sæcularibus confessariis approbatio *ab Ordinario loci,* in regularibus (alienæ familiæ) autem approbatio *a Superioribus* requiratur, econtra quoad *ceteros regulares* confitentes approbatio non solum in sæcularibus, sed etiam in regularibus confessariis tribui debeat *a solo Ordinario loci,* cfr. e. gr. dispositionem S. Pœnitentiariæ d. 18. Apr. 1867. n. 12., hanc rationem declarare non est nostrum; innuere aliquid liceat. Respectu Capuccinorum praxis sic explicari posse videtur: Superior solummodo in casu itineris vel absentiæ ab aliquo Ordinis ejusdem conventu jurisdictionem in fratrem, e. gr. itinerantem, Capuccinum confert sacerdoti a dicto fratre electo, agnita tamen et adoptata prius approbatione eidem sacerdoti sive ab Ordinario loci, si sæcularis, sive a Superioribus proprii Ordinis, si regularis sit, tributa. — Altera praxis quoad ceteros regulares explicatur sic ut approbatio a Superioribus religiosis data sit mere *personalis,* sc. pro cœtu certi alicujus conventus vel Ordinis tributa, cum approbatio ab Episcopo data sit quasi *territorialis* i. e. complectatur quicunque in diœcesi Episcopi vel Ordinarii legitime confiteri possunt; cfr. Const. *Benedicti XIV.* d. 5. Aug. 1744. quæ incipit »*Apostolica Indulta.*« §. 6. — Satis superque dictum esse putamus de approbatione et jurisdictione quoad *viros* religiosos, pauca dicenda remanent quoad *mulieres* religiosas. Sit igitur

De approbatione et jurisdictione respectu monialium et sororum piarum.

19. IV. Sorores religiosæ (moniales) sunt vel Summo Pontifici vel Episcopo (Ordinario loci) vel Superioribus religiosis immediate subjectæ. Primæ classis sorores ab Episcopo guber-

pliavit S. P. *Leo XIII.*; etenim benigne annuit ac propterea facultatem tribuit P. Ministro Generali Capulatorum indulgendi, ut Religiosi sui Ordinis libere peccata sua confiteri possint cuicunque Confessario *rite adprobato* in omnibus juxta preces, dummodo de suorum Superiorum licentia extra claustra degant vel iter peragant, non autem pro iis qui ex industria vel *in fraudem legis* itinera arripiant. Ex S. C. EE. et RR. d. 5. Apr. 1897. — Preces autem id petebant, ut unusquisque ex fratribus Minoribus Capuccinis qui de suorum Superiorum licentia, quacunque ex causa extra Conventum inveniatur atque copiam Confessariorum (saltem duos) non habeat, libere peccata sua confiteri possit cuicunque Confessario rite adprobato, ab eoque absolvi etiam a reservatis in Ordine et ab incursis proinde censuris: *atque religiosus ita absolutus ultra non teneatur regulari suo Superiori se præsentare ad novam obtinendam super reservatis et censuris absolutionem.*

nentur »tamquam S. Sedis delegato«, alterius ab Episcopo ordinario jure, tertiæ sub cura regularium sint et custodia; Tridentinum in sess. 25. *De reg.* cp. 9. Hisce præmissis quæritur: I⁰. quis approbationem strictioris sensus tribuat pro dictis monialibus et sororibus. Respondetur: Confessarium monialium *omnium*, etiam Regularibus subjectarum debet approbare Ordinarius loci; *Gregorius XV.* in Const. »*Inscrutabili Dei*« d. 5. Febr. 1602., §. 5.

Ex responsionibus S. C. Concilii (quæ inveniuntur in Bull. Rom. tom. V. p. 5.) hæc facultas approbandi quæ competit Ordinariis locorum definitur accuratius ita ut ab excipiendis monialium Regularibus subjectorum confessionibus etiam quoad valorem excludantur: 1⁰. non solum subditi regulares, sed et *Superiores* (ad VII. et VIII.), 2⁰. confessarii qui solum pro *sæcularibus* approbati fuerunt (ad IX.); 3⁰. confessarii approbati pro *uno* tantum monasterio quoad *cetera* monasteria (ad X.); 4⁰. confessarii *extraordinarii* pro una vice approbati quoad ceteros supervenientes casus (ad XI.); 5⁰. confessarii approbati quidem, sed ab Episcopo approbatione *privati* postea (ad XII.). — Ex hisce concludimus: Episcopus in approbandis confessariis monialium et mulierum religiosarum plena quidem facultate gaudere, minime vero absoluta eo sensu, ut arbitrarie possit procedere, sed in utendo ea semper memor sit »rationis reddendæ in districto Dei judicio.« Approbatio pro confessario ordinario danda est absolute ad triennium vel prorsus recusanda. Ad tempus triennio brevius dari non licet, decidit S. C. Concilii d. 4. Maji 1696 apud *Lucidi,* tom. 2. pag. 224.

20. Jurisdictio non semper ab Ordinario tribui potest et si potest, non semper eodem modo. — Ordinarius loci tribuit jurisdictionem ex *ordinaria* potestate confessario monialium immediate ipsi Ordinario subjectorum, ex *delegata* potestate confessario monialium immediate S. Sedi subjectarum. — Si vero moniales Superioribus regularibus sunt immediate subjectæ, ipsi Superiores sunt qui confessariis jurisdictionem tribuunt; Tridentinum, cp. 9. sess. 25. *De reg.* et S. C. Concilii in *Vercellen.* d. 23. Aug. 1631. — Attamen hoc notandum est penes Episcopos facultatem esse amovendi confessarios, quando Superiores regulares neglexerint monitionem ab Episcopo de aliquo confessario ex rationabili causa amovendo factam; S. C. Concilii in responsionibus contentis in Bull. Rom. tom. V. p. 5., resp. XII. — *Lucidi*: *De visitatione ss. liminum,* vol. II. pag. 222. (editio IIIª. Romæ 1883.)

21. Et approbatio et jurisdictio debet esse *specialis* pro monialibus, non sufficit generalis, sc. pro omnibus personis sæcularibus. Pro regularibus hoc clare mandat *Clemens X.* in Const. *Superna* d. 21. Jul. 1670, §. 4. »Et generaliter approbatos ab episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones *monialium* sibi subjectarum, sed egere quoad hoc *speciali* episcopi approbatione. Atque approbatus pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii minime potest audire confessiones monialium alterius monasterii. Itidemque confessarios extraordinarios, semel deputatos atque approbatos ab episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.« S. C. Concilii autem hanc *specialem* approbationem requisivit iteratis vicibus ita in *Olomucen.* d. 7. Jun. 1755 ad XI., in *Colonien., Monasterien.* etc. (Bull. Rom. Cont. tom. I. p. 72.)

Pro confessariis *sæcularibus* per se patet et revera omnes Episcopi et locorum Ordinarii in instrumento approbationis (lat. sens.) expresse moniales excludunt.

Specialem approbationem itemque specialem jurisdictionem esse de valore confessionis, jam supra vidimus; notandum tamen est, hoc de *communi* jure non valere nisi quoad *moniales* proprii sensus. Respectu *sororum* religiosarum quæ privilegio solemnium votorum non gaudent, totum dependet a voluntate Ordinarii loci.

Posse autem requirere Ordinarios locorum etiam pro confessariis sororum sine *solemnibus* votis approbationem *specialem* resultat ex mente Sedis Apostolicæ in decretis etiam novissimis cognoscenda necnon ex universali praxi omnium fere Ordinariorum locorum. Quæ specialis approbatio utrum ad *licite,* an etiam ad *valide* excipiendas dictarum sororum confessiones sit necessaria, iterum a voluntate eorundem Ordinariorum dependet. Attamen Ordinarii possunt permittere vel in perpetuum vel ad tempus sororibus *sine clausura* ut accedant ad parochos et ceteros animarum curatores in ecclesiis ibique confiteantur et absolvantur ut ceteri fideles, arg. ex dec. S. C. EE. et RR. in *Oregonopolitan.* d. 20. Jul. 1875. Sorores omnes, etiam moniales proprie dictæ, si a monasterio non precario modo, sed revera absunt, possunt confiteri cuicunque sacerdoti ab Ordinario loci ad confessiones audiendas gene-

raliter approbato. S. C. EE. et RR. d. 26. Aug. 1852 et d. 22. Apr. 1872 ad III^{um}.: »Sorores de quibus agitur posse peragere extra piam propriam domum sacramentalem confessionem penes *quemcunque* confessarium ab Ordinario approbatum.«

Uti specialis approbatio requiritur ad confessiones monialium excipiendas, ita specialis quoque approbatio necessaria est pro singulis monasteriis excepto casu non frequenti quo confessarius approbatus esset pro monialibus alicujus diœcesis universis — ita ut approbatus pro uno monasterio ex eo non censeatur approbatus pro alio etiam ejusdem Ordinis, S. C. Concilii in *Olomucen.* ad XII. d. 7. Jun. 1755.

22. *De qualitatibus confessarii ordinarii monialium* etc. Præter approbationem (lat. sens.), de qua in nn. superioribus, requiruntur in confessario ordinario hae conditiones:

1°. Confessarius sit *unus* pro singulis monasteriis; ergo non statuantur *plures* confessarii pro uno monasterio vel domo religiosa; *Benedictus XIV.* expresse in Const. »*Pastoralis curæ*« d. 5. Aug. 1748 postulat tanquam »consultissimam et veteris disciplinæ auctoritate roboratam legem«: »Pro singulis Monialium monasteriis *unus* dumtaxat confessarius deputetur.«

Sed neque unus pro *pluribus* monasteriis statuatur nisi necessitate aliter cogente; a S. C. EE. et RR. enim d. 4. Mart. 1591 »abusus declaratur quod confessarius monialium sit constitutus *ad vitam* vel *plurium* monasteriorum«; idem arguitur ex responso ejusdem S. C. EE. et RR. d. 17. Martii 1893 ad III. in *Pisana.*

2°. Confessarius ordinarius constituatur neque ad brevius neque ad longius tempus quam regulariter ad *triennium.* Diximus »non ad *brevius* tempus«; nam si confessarii ordinarii mutatio fieret sæpe nimis, etiam unitas directionis spiritualis periclitaretur. Nihilominus PP. Cassinenses et Dominicani approbantur ad biennium tantum, teste *Lucidi* l. c. tom. II. pag. 187. -- Sed magis prohibetur approbatio ad tempus triennio *longius.* Multæ resolutiones S. C. EE. et RR. restringunt ad triennium approbationem tamquam legem ab omnibus sequendam; sic in *Comen.* d. 4. Martii 1591; in *Veronen.* d. 15. Febr. 1593., in *Neapolitana* d. 26. Nov. 1602, in *Mechlinien.* d. 10. Mart. 1634. Hæc ultima resolutio inprimis notetur; nam in ea prohibetur approbatio ultra triennium non obstante *quacunque etiam immemorabili consuetudine.* Jure merito; nam lex de mutando confessario monialium ordinario fun-

datur in lege naturali ideoque absolute spectata, præscribi contra eandem legem nequit. Cfr. dicta a *Benedicto XIV.* circa initium Const. *Pastoralis Curæ.*

Si monialium confessarius ultra triennium confessiones earundem monialium excipere easdemque absolvere pergeret, absolutiones ejusmodi non solum illicitæ, sed etiam *invalidæ* essent, quotiescunque specialis approbatio et jurisdictio vel a jure vel ab Ordinario etiam quoad valorem requiratur. — At si *consensu Ordinarii* hoc faceret, absolutiones essent illicitæ, non tamen invalidæ. Certe *Ordinarius* illicite extenderet approbationem, ultra triennium; sed et confessarius absolveret illicite; nam ante Const. »*Apostolicæ Sedis*« ipse confessarius incurrebat suspensionem ab audiendis confessionibus; cfr. *Ferraris: Biblioth.* v. »Moniales.« art. V. n. 19. et resolutiones S. C. EE. et RR. ibidem citatas. — Dispositio de mutando quolibet triennio confessario ordinario non solum tangit monasteria, sed etiam domos religiosas, communitates, instituta, conservatoria omnia, in quibus membra confiteri solent apud *unum confessarium ordinarium* non exceptis iis domibus religiosis quarum sodales sæpe sæpius de una domo translocantur in aliam, uti accidere solet e. gr. in *Puellis Charitatis.* S. C. EE. et RR. in *Tridentina* anno 1846 et in *Oregonopolitana* d. 20. Julii 1875. Ex dictis construi potest axioma: *Ubi mulierum communitates habent unum confessarium ordinarium, ibi valet lex de eodem mutando quolibet triennio.*

Verum ex hac dispositione oritur nimia in praxi difficultas: Ubinam inveniuntur sacerdotes alii qui confessariis ordinariis post triennium substituantur nostris temporibus, quibus domus religiosæ Congregationum novarum et novissimarum in quolibet — ut ita dicam — Diœcesis angulo pullulant, et præsertim iis locis ubi unus vel ad summum duo vel tres sacerdotes, aliquoties non provectæ ætatis curam animarum exercent? — *Unum* remedium nobis præbet Cardinalis *Bizzarrii* in *Collect.* pag. 14. not. 1) his verbis:

»Cum aliquando ex peculiaribus rerum adjunctis evenire possit, ut confirmatio ad aliud triennium non solum utilis, sed et necessaria sit, hinc eadem S. C. audito Ordinario, et Sanctimonialibus capitulariter per secreta suffragia, in casibus particularibus confirmationem indulget ad secundum, ac etiam ad tertium triennium, ea tamen conditione, ut pro confirmatione ad secundum triennium consensus duarum ex tribus partibus Monialium concurrat; et pro

confirmatione ad tertium triennium omnium consensus accedat. Ordinarius vero de probitate vitæ, et prudentia Confessarii referre debet, et S. C. certiorem facere de necessitate, vel saltem utilitate confirmationis.« — Ex hisce patet: S. Congregatio EE. et RR. ipsa sibi *reservat* jus confirmandi confessarium ordinarium ultra triennium. Verum hoc non impedit, quominus cum Episcopis saltem remotioribus, communicet hanc facultatem. — Ut vero legitime dari possit hæc prorogatio, requiritur duplex testimonium Ordinarii cum de probitate et prudentia confessarii, tum de votis sororum. Sorores *cum voce activa* enim versus finem primi triennii capitulariter de prorogatione confessarii secreto votare debent. Si vota affirmativa non attingant numerum duarum ex tribus ($\frac{2}{3}$) partibus votorum omnium, confirmatio dari non debet. *Idem* servandum est post elapsum secundum triennium (sc. post 6 annos) *excepto* numero votorum quæ *omnia* concurrere debent. — *Alterum* remedium est, ut sorores Congregationum gaudeant libertate accedendi ad sacerdotes omnes animarum curatores in ecclesiis, nam tunc obligatio trienii non urget, S. C. EE. et RR. d. 20. Jul. 1876 in sæpe citata *Oregonopolitana.*

3⁰. In confessario monialium requiritur *ætatis maturitas, Benedictus XIV.* in Const. »*Pastoralis curæ*« n. 9., hæc maturitas in confessariis ordinariis accuratius definitur ad *40 annos* a S. C. EE. et RR. in *Venetiarum* d. 2. Maji 1617 et d. 6. Junii 1620 (*Ferraris: Pr. biblioth.* v. »monialis« art. V. n. 40; *Lucidi: De visitatione ss. ll.* t. II. pag. 188 editio 3ª.). Notari debet hanc ætatem 40 annorum pro confessariis monialium in sensu *stricto* præscribi, sed etiam pro confessariis sororum ex Congregationibus ætatis maturitas, in quantum fieri potest, est respicienda. — Si ceteræ qualitates sacerdotem commendant ad munus confessarii monialium, super defectu ætatis impetrari potest indultum Apostolicum. Tanti momenti munus docet per se ipsum præter ætatis maturitatem a fortiori requiri scientiam, prudentiam, zelum vitamque exemplarem, *Lucidi* l. c. II. pag. 188.

4⁰. *Regulares* excluduntur a munere confessarii monialium *Episcopo* subjectarum. Regula S. C. EE. et RR. in quæstione hæc est: »Nequeunt, generali regula, Ordinarii locorum pro confessariis *ordinariis* Monialium Episcopo immediate subjectarum, designare regulares sine venia S. Congregationis;« practice applicata fuit hæc regula in *Pisana* d. 17. Mart. 1893 ad I. et II. — At quando

deficiunt sacerdotes sæculares idonei, indultum Apostolicum facile conceditur, ut assumantur etiam regulares, S. C. EE. et RR. in *Urbinaten.* d. 5. Sept. 1727., in *Venetiarum* d. 11. Maji 1618 et 7. Juli 1620 apud *Lucidi* c. l. tom. II.

In monasteriis regularibus immediate subjectis non expresse præcipitur, ut regularis ejusdem Ordinis in confessarium *ordinarium* assumatur, licet fortasse ordinarie fiat, sed vel ejusdem vel diversi Ordinis regularis vel sæcularis sacerdos assumi potest.

5⁰. Excluduntur a munere confessarii ordinarii monialium (in sensu stricto): *Vicarii generales,* cfr. resolutiones S. C. EE. et RR. apud *Lucidi* c. l. t. II. pag. 189. et responsum ejusdem S. Congr. in *Pisana* d. 17. Martii 1893 ad III^{um}., ubi mentem suam S. Congr. Archiepiscopo sic aperit: »Non expedire quod Vicarius generalis excipiat confessiones Religiosarum in via *ordinaria,* ne aliæ exemplum capiant ad petendos confessarios particulares; quod esset contra normas juris communis.« — Excluduntur deinde *parochi* et *canonici* quotiescunque eorum munus principale munere accessorio notabile caperet detrimentum; *Lucidi* c. l. tom. II. pag. 190. nn. 155—157. Analogice dicta valent etiam quoad sorores Congregationum; nihilominus ob ingentem talium institutorum numerum parochi vix vel ne vix quidem excludi possunt.

23. *Quæ munera competant confessario ordinario monialium.* Confessario monialium ordinario competit jurisdictio in moniales earumque novitias et quascunque personas ipsius curæ a Prælato commissas idque in foro conscientiæ tantum. Regula generalis est ut præ oculis habita religiosarum mulierum conditione atque fine quo tendere debent, easdem sic dirigat, ut confessarius ad confessiones generaliter assumptus dirigit animas sibi commissas. Quare confessarius est cui fit *manifestatio conscientiæ,* non Superioribus vel Superiorissis. Ipse deinde est, qui frequentiam accessuum ad s. mensam dirigit, ut supra l. III. tit. 35. nn. 2. et 3. jam vidimus ex decreto »*Quemadmodum*« S. C. EE. et RR. d. 17. Dec. 1890. — Alia munera ecclesiastica, e. g. celebrandi missam conventualem, conferendi sororibus periclitantibus s. viaticum et extremam unctionem, concionandi, non competunt confessariis nisi per accidens, sc. in quantum sunt etiam officiatores vel capellani. — Unum vero officium spectat exclusive ad *confessarium ordinarium* sororum religiosarum etiam cum votis simplicibus tantum, sc. dandi monialibus et ceteris personis quæ unum habent confessarium

Apostolicam Benedictionem in articulo mortis S. C. Indulg. d. 23. Sept. 1775 (Decreta authentica. Ratisbonæ apud Pustet. 1883. n. 237. ad 9um.) et in *Aurelianen.* d. 2. Dec. 1868.

24. *De confessario extraordinario.* Unitati directionis et libertati conscientiarum consulere semper volebat et adhuc vult Ecclesia. Ideo unum confessarium ordinarium dedit monialibus ceterisque piarum Congregationum mulieribus, at simul constituit, ut mutaretur quolibet triennio ille confessarius ordinarius, necnon præter ordinarium singulis communitatibus feminarum religiosis dedit unum saltem vel plures conf. extraordinarios.

Tria sunt circa hanc materiam universalis juris decreta præcipua: 1) *Tridentini* in c. 10. sess. 25. *De reg.;* 2) *Benedicti XIV.* in Const. »*Pastoralis curæ*« d. 5. Aug. 1748; 3) *Leonis XIII.* per organum S. C. EE. et RR. decretum »*Quemadmodum*« d. 17. Dec. 1890. n. IV. — Ultimum decretum, in quantum nostram respicit materiam est tenoris sequentis:

»Præterea, firmo remanente quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino præscribitur in Sess. 25. cap. 10. *de Regul.,* et a s. m. *Benedicto XIV.* statuitur in Constitutione quæ incipit *'Pastoralis curæ':* Sanctitas Sua Præsules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis Confessarium, quoties ut propriæ conscientiæ consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut ægre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriæ Diœceseos, in quibus mulierum Communitates exsistunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento Pœnitentiæ recurrere eæ facile queant.« Claritati rei consulere volentes totam de confessario extraordinario materiam in 3 capita dividimus: I. Confessarius extraordinarius quando *debet* offerri? II. *Quis* illum concedit? III. *Quot* et *quales* confessarii extraord. constitui debent?

25. I^{0}. »Præter ordinarium confessarium alius extraordinarius ab episcopo et aliis superioribus bis aut ter in anno *offeratur,* qui omnium confessiones audire debeat,« sic Tridentinum cit. 10. sess. 25. *De reg.* Verbum »offeratur« dubium relinquere videtur utrum *debeat* an *deceat* offerri.

At S. C. Concilii jam 20. Sept. 1642 in *Saluzen.* decrevit »Episcopum non posse, immo *teneri* offerre«; *Benedictus XIV.* in

Inst. 67. Unde patet: Confessarius extraordinarius debet offerri 1°. omnibus monialibus ne una quidem excepta saltem *bis* in anno, non ut omnes et singulæ moniales vel piæ feminæ confiteantur, hoc enim non præcipitur, sed ut omnes et singulæ superiorissæ, professæ, novitiæ, ceteræque personæ ad communitatem pertinentes *se sistant* coram eodem confessario extraordinario ejus salutaria saltem monita excepturæ. Attamen si confiteri velint, debet excipere earundem confessiones extraordinarius confessarius, *Benedictus XIV.* in cit. Const. *Pastoralis curæ* §. 3. — Negligentiam Episcopi supplebit Major Pœnitentiarius, Regularium Superiorum ipse Episcopus, S. C. Concilii d. 23. Aug. 1631. et *Benedictus XIV.* c. l. — Potest autem Episcopus vel Prælatus Regularis ter quaterve per annum extraordinarium confessarium mittere in monialium monasterium; sic *S. Franciscus Salesius* in Ordinem Visitationis B. M. V. praxim invexit quater in anno concedendi conf. extraordinarium. Hæc quidem deputatio saltem bis in anno fieri debet, ac ter quaterve potest absolute, sc. absque ullis precibus ac supplicationibus monialium vel piarum feminarum. Sed præterea quoque nonnunquam potest et debet concedi idem confessarius ad preces singularum monialium. Jam *Benedictus XIV.* statuit plures casus ejusmodi.

Legi possunt in sua Const. »*Pastoralis curæ*«, sc. in casu gravis infirmitatis, in casu insuperabilis reluctantiæ, denique in casu spiritualis profectus et consolationis. At eos fusius explicari non expedit, quandoquidem S. C. EE. et RR. in decreto »Quemadmodum« ulterius progressa est, ita ut *Benedicti XIV.* casus jam in hoc novissimo indulto inclusi reperiantur. Etenim Præsules Superioresque extraordinarium confessarium etiam singulis sororibus offerre possunt et debent, »quoties ut propriæ conscientiæ consulant ad id adigantur.« — Fortasse objicies: Hac ampla concessione patet abusibus porta. Potest patere, concedo; debet patere, nego; nam S. C. EE. et RR. debitis cautelis circumdedit hanc concessionem, at huic objectioni melius respondetur in n. II.

26. II°. Quis confessarium extraordinarium concedit? Quatuor vel saltem tres personæ concurrunt in hac concessione: a) Episcopus; et Prælatus regularis; b) Superior domus; c) ipse confessarius extraordinarius, — hi 4 vel ceteri 3 dempto Prælato regulari. Deputatio juridica enim confessarii *extraordinarii* spectat ad eos-

dem Prælatos ad quas spectat deputatio *ordinarii:* ergo ad Ordinarium loci (approbatio) et Prælatum regularem (jurisdictio) aut ad Ordinarium loci solum (approbatio et jurisdictio). Prioribus sæculis deputatio extraordinaria fiebat regulariter singulis vicibus, S. C. Concilii in *Ariminen.* d. 27. Jan. 1748. Sed jam *Benedictus XIV.* in cit. Const. *habitualem* conf. extraordinarii indicat deputationem. Quæ *habitualis deputatio* tamquam regula ut servetur, mandat decretum »*Quemadmodum*« n. IV.; cfr. etiam responsum S. C. EE. et RR. d. 17. Aug. 1891 ad III^{um}. — Si forte nullus extraordinarius confessarius sit constitutus — id quod non est laudandum —, in singulis casibus sacerdos electus a moniali debet approbari et jurisdictione donari.

b) Superior regularis etiam concurrit, uti vidimus. Monialis vel soror religiosa adeat enim oportet Superiorissam eidem declarans se velle confiteri apud confessarium extraordinarium N. N. vel apud sacerdotem N. N. qui munere confessarii nullo modo pro monialibus fungitur. Potestne Superiorissa vel Superior denegare sorori petenti licentiam? Superior vel Superiorissa sc. persona »quæ domui religiosæ præest sive vir sive femina« (S. C. EE. et RR. d. 17. Aug. 1891 ad I^{um}) nequaquam potest licentiam denegare, immo ne rationem quidem petitionis inquirere neque id ægre ferre demonstrare potest, cit. decr. »*Quemadmodum*« n. IV., licet videat rationem petitionis esse fictam vel in sola imaginatione exsistentem; uti S. C. EE. et RR. in cit. *Malacitana* d. 17. Aug. 1891 ad II^{um}., monere tamen potest subditos »non posse extraordinarios confessarios petere, nisi ad id adigantur ut propriæ conscientiæ consulant«.

c) Ex hisce vidimus remedium abusibus qui accidere possunt, usque modo conveniens non esse paratum. Quis igitur est qui malam petitionem confessarii extraordinarii repellit? — Id præstare potest et debet ipse *confessarius extraordinarius;* nam S. C. EE. et RR. d. 1. Febr. 1892 interrogationi II^{a}. »Confessarii adjuncti, si quando cognoscunt non esse probabilem causam ad ipsos recurrendi, an teneantur in conscientiis ad declinandam confessionum sororum auditionem?« respondit II. *Affirmative.* — Mala autem petitio sororis est, si petit inani vel pravo motivo permota necnon quoties ejusmodi petitionibus periculum inducitur ne dispositio Ecclesiæ de *uno* confessario monialium in irritum cadat.

Ad confessarium extraordinarium spectant certe principales partes, nihilominus etiam Ordinarius se ingerere potest et debet in hac causa monendo moniales et sorores ejusmodi, dispositionem articuli IV. Decreti Quemadmodum *exceptionem tantum legi communi constituere pro casibus dumtaxat veræ et absolutæ necessitatis, quoties ad id adigantur, firmo remanente quod a S. Concilio Tridentino et a Constitutione s. m. Benedict. XIV. incipiente* Pastoralis curæ *præscriptum habetur.* — Si ergo soror quædam petit confessarium extraordinarium jam deputatum, adeat Superiorem domus, voluntatem eidem patefaciens. Qui accerset confessarium extraordinarium et hic edoctus de motivo petitionis aut rejicit aut accipit pœnitentem cavendo ne nimis sæpe id fiat. — Si confessarii extraordinarii omnino non sunt deputati, prius sacerdos a sorore electus approbatione et jurisdictione donari necessarium est.

27. III. *Quot et quales sacerdotes deputari debent in confessarios extraordinarios.* — 1) Secundum decretum »*Quemadmodum*« n. IV. *plures* deputari maxime convenit, ut ex ipsis sorores eligant, S. C. EE. et RR. d. 17. Aug. 1891 ad III^{um}. Nonnunquam Ordinario loci ob sacerdotum idoneorum penuriam impossibile erit plures quam unum deputare, præsertim pro innumeris novarum Congregationum domibus filialibus. Si saltem unus constituitur, id accedentibus præcipue rationibus sufficere videtur. — 2) Confessarius extraordinarius iisdem qualitatibus moralibus præditus esse debet quibus ordinarius, sed servata proportione. Sic ætas 40 annorum in extraordinariis non rigorose requiritur; sic parochi, canonici etc. facilius ad munus extraordinarii conf. admittuntur; sic regulares facilius deputari possunt in conf. extraordinarios monialium Episcopo subjectarum et viceversa. — In monasteriis autem regularibus subjectis deputationi conf. extraordinarii ex clero sæculari vel ex alia familia regulari ita favetur, ut Superior regularis sit *obligatus* ad deputandum saltem semel in anno confessarium extraordinarium aut sæcularem aut diversæ familiæ regularem, *Benedictus XIV.* in Const. »*Pastoralis curæ*« circa medium. — Notandum in fine hujus tractatus est quidquid quoad conf. extraordinarium dictum fuit de monialibus, valere de *omnibus communitatibus* unum confessarium habentibus.

Titulus XXXVIII.

De jure patronatus.

1. Vocabulo *patroni* latini scriptores usitantur ad significandum defensorem vel provinciæ, vel civitatis, vel particularis causæ. Scriptores vero ecclesiastici præsertim post sæc. 12. patronos appellarunt fundatores Ecclesiarum aut beneficiorum et eos, qui ab ipsis causam habuerunt. Ex officio defensionis eosdem appellarunt *advocatos*, quamvis stricto sensu distinguerent advocatos et patronos ita ut patronus ille esset qui in omnia jura concessa fundatori succederet, advocatus vero qui succederet in officium defensionis ecclesiæ vel beneficii. Ita arg. c. 9. h. t.

2. Inspecta historia patronatus, inspectoque jure cuique patrono communi, jus patronatus definitur '*Jus seu potestas nominandi, vel præsentandi superiori ecclesiastico clericum promovendum ad beneficium vacans, competens fidelibus ob fundationem, ædificationem et dotationem Ecclesiæ*'. Ex definitione duplex eruitur patronatus qualitas 1°. ut consideretur ceu *vinculum juris* a pluribus æquiparatum *servituti,* quo limitatur et circumscribitur potestas Episcopi in collatione Ecclesiæ vel præbendæ vacantis. Hinc clericus si fuerit idoneus, promovendus est ad beneficium vacans. Quare actus institutionis quo superior beneficium clerico præsentato confert non liberalitatis, sed necessitatis actus dicitur. 2ª. Qualitas est ut nempe patronatus sit jus *spirituale;* nam ordinatur ad collationem beneficii et personam legitime designat, quæ ex institutione Superioris officium, et stationem sacram occupet et exerceat. Hinc ex tit. *De simonia* (V. 3) scimus patronatum non posse nec vendi, nec emi, quin incidatur in simoniam. Porro quisque novit simoniacam labem contrahi quoties vendatur, aut pretio comparetur, vel quod gratiæ *Dei* donum est, vel quod *ecclesiastica* constitutione sacrum est. Nonnisi ergo ex privilegio et concessione Ecclesiæ in laicis residere potuisset patronatus.

3. Definitio proposita deducta est ex principali jure quod patronis competit. At ut conceptus juris patronatus plenius tradatur ab aliis doctoribus sequens proponitur juris patronatus definitio. Videlicet '*Jus quoddam singulare certis in honoribus commodisque consistens, cui etiam certa onera cohærent, concessum iis qui bene-*

ficia vel Ecclesias fundarunt, ædificarunt, et dotarunt vel etiam iis qui ab iisdem causam habent'.

4. *De variis speciebus juris patronatus.*

Jus patronatus inprimis dividitur in *activum* et *passivum*, nam directe et proprie quidem consistit in jure præsentandi clericum; at factum est ex usu Ecclesiæ ut institutor beneficii posset etiam designare genus personarum, vel ex aliqua familia, vel ex certa gente aut loco, quæ personæ si essent idoneæ, deberent a patrono necessario præsentari Episcopo ad assequendum beneficium. Hoc jus ut quis præsentari debeat, appellarunt DD. passivum patronatum, dum patronatum proprie dictum seu jus præsentandi appellarunt patronatum activum. Hinc divisio est in jus patronatus *passivum* et *activum*. Porro jus patronatus proprie dictum idest activum varias habet divisiones: 1ª Divisio est ut aliud sit *ecclesiasticum*, aliud *laicale*, aliud *mixtum*.

5. *Ecclesiasticum* est illud quo prædita est Ecclesia vel dignitas ecclesiastica, non vero persona. Scilicet est illud quod adnexum est alicui Ecclesiæ, vel præbendæ, vel officio sacro ita, ut jus habeat præsentandi ad beneficium patronatum clericus qui ad Ecclesiam illam pertineat, vel habeat præbendam aut officium. Quare jus nominandi procedit ex titulo *ecclesiastico*. -- *Laicale* illud est quod patrono competit ex titulo *civili*, ex. gr. ex successione in aliqua familia. Nec officit si accidentaliter exerceatur ab aliquo clerico. Nam si ex titulo laicali clericus acquisivit jus præsentandi, jus patronatus non desinit esse laicale.

6. *Mixtum* jus patronatus est quod *simul* competit ex titulo *ecclesiastico* et ex titulo *laicali*, ex. gr. si ad aliquod beneficium jus habeat nominandi Parochus alicujus Ecclesiæ, et individuum alicujus familiæ.

De qualitate hujus patronatus est ut in particularibus casibus sequatur regulam vel patronatus *laicalis* vel *ecclesiastici*, prout magis uni quam alteri faveat jus. Excipitur casus quo ex conventione *alternative* præsentet clericus et laicus.

Jus patronatus competens *universitatibus* laicalibus laicale est, et etiam laicale est quod competit *confraternitatibus* seu sodalitiis laicorum. Nam quamvis opus pium compleatur a confratribus, tamen hoc opus a laicis personis perficitur, nec sodalitium haberi potest ceu capitulum, et congregatio ecclesiasticarum personarum.

7. 2°. Jus patronatus dividitur in *personale* et *reale*. *Personale* est quod in rem non concipitur, sed vel certæ personæ, vel certo personarum generi conceditur, ex. gr. filiis et descendentibus filii in infinitum. — *Reale* illud est quod alicui competit intuitu certæ rei vel certi juris *realis*, ita ut semper transeat in quemcunque possessorem ejusdem rei vel juris ex. gr. si adnexum sit castro, villæ aut fundo vel officio alicui.

8. 3°. Dividitur Jus patronatus *activum* et hic etiam *passivum* in *hæreditarium, familiare, gentilitium* et *mixtum*. *Hæreditarium* est quod relinquitur hæredibus sive testatis, sive intestatis. Hinc si filius se abstineat a paterna hæreditate, vel extraneus hæres hæreditatem repudiet, eo ipso amittunt jus patronatus. Si unus vel alter repudiaverit hæreditatem, jus patronatus accrescit aliis hæredibus adeuntibus hæreditatem. Repudiantibus omnibus, hæreditas dicitur *jacens*. Ex beneficio prætorio seu a judice datur hæreditati jacenti curator. *Curator* datus exercet jus patronatus. Non idem vero dicendum de exsecutoribus testamentariis; nam cum adsit hæres testamentarius, hic erit patronus. Filius cui relicta sit portio legitima, cum honoretur post *Justinianum* titulo hæredis, consequitur cum aliis hæredibus jus patronatus hæreditarium. Non ita vero hæres in re *certa* quia comparatur legatario. Exceptio duplex est 1°. si jus patronatus sit *reale*, et adnexum fundo illi hæredi relicto; 2°. si aliis hæredibus repudiantibus hæreditatem, hic totum assem hæreditarium assequatur.

9. Jus patronatus *familiare* ab aliquibus confunditur cum *gentilitio* et dicitur esse illud in quod succedunt, qui sunt de familia fundatoris, vel alterius familiæ cui sit relictum. Verum pragmatici distinguunt familiam in *extensivam*, et *contentivam*. *Extensivam* dicunt eam, quæ ab institutore *genita* est, et ab eo veluti a communi stipite, vel proxime vel remote descendit, seu quasi extenditur. — *Contentivam* appellant eam, quæ non solum institutoris filios et nepotes, sed etiam *collaterales* ejus complectitur. Quapropter familiare proprie dicitur jus patronatus quod comprehendit familiam quæ a fundatore vel a primo patrono instituto descendit. Gentilitium erit si comprehendet etiam familiam contentivam, seu collaterales idest gentem institutoris patronatus, vel personæ cui relictum est jus patronatus. Quare erit familiare jus patronatus si institutor dicat: relinquo jus patronatus omnibus masculis descendentibus ex masculis meis vel filii. Erit vero gen-

tilitium si dicat: jus nominandi habeant omnes de mea domo et eorum successores. In hoc utroque jure patronatus non attenditur hæreditas, sed solummodo vinculum sanguinis.

10. Porro jus patronatus familiare et gentilitium regulariter comprehendit solos *masculos* succedentes ex masculis. At aliquando concipitur ita ut comprehendat quoscumque successores, quare etiam a feminis acquiritur. Quo in casu *descendentale* vel *lineale* dici potest jus patronatus eo quod omnes lineas etiam cognatorum comprehendat. — Aliquando concipitur ita ut complectantur solos agnatos scilicet masculos descendentes ex masculis, et feminas immediate per masculos institutori conjunctas. Quo in casu *agnatitium* dicitur jus patronatus. Quid si in hoc jure patronatus deficiat linea masculina? Pragmatici dicunt admitti in subsidium masculorum feminas. Nam institutor licet prædilexerit masculos de masculis, tamen non abhorruit a masculis de feminis sibi vinculo sanguinis conjunctis. Hoc vero ex *præsumptione:* hinc si contrarium voluisse institutorem pateat, excluduntur. Ex. gr. si dixerit beneficium, deficiente linea designata, fore liberæ collationis, vel si ultimo de agnatis dederit substitutum.

11. *Mixtum* jus patronatus participat simul de *hæreditario*, et de *familiari:* illud scilicet est ad quod obtinendum requiritur simul qualitas successionis sanguinis et successionis hæreditatis. Ex. gr. si testator dicat: relinquo jus patronatus Titio et ejus hæredibus et successoribus. Animadvertendum denique est jus patronatus familiare, gentilitium et mixtum, etiam si fuerit relictum sub forma primogeniali in ultimo gradu lineæ contemplatæ transire in hæreditarium, et proinde ultimum possessorem posse de eo disponere per actum ultimæ voluntatis nisi contraria appareat voluntas institutoris, qui scilicet vel voluerit in casu exstinctionis lineæ liberam fore Ecclesiam vel substitutum dederit. Egregie hæc posterior divisio illustratur in causa *Syracusana* d. 10. Dec. 1892 a S. C. C. decisa.

De modis, quibus acquiritur jus patronatus.

12. Considerari possunt modi quibus primum constituitur et exsistere incipit jus patronatus qui appellari possunt A. modi *originarii* et modi quibus in alios transferetur jus patronatus jam exsistens quique possunt dici B. *derivati.*

13. A. Modi *originarii* ad acquirendum jus patronatus alii dici possunt *ordinarii*, alii autem *extraordinarii*. I°. Modos originarios simulque ordinarios qui nempe ex institutione patronatus derivant exhibet versiculus *'Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus'*. Hinc triplex est titulus primarius juris patronatus nempe fundatio, ædificatio seu constructio et dotatio Ecclesiæ. Ecclesiam *fundasse* dicitur qui fundum seu aream, aut terræ spatium concedit ut ibi ædificetur Ecclesia.

14. *Ædificasse* ecclesiam dicitur qui *ex consensu Ordinarii* propriis sumptibus eam construxit. Arg. c. 33. C. 16. q. 7. et c. 25. h. t. Qui vero absque Ordinarii consensu Ecclesiam construxit cum illicite egerit arg. c. 9. *De consecr.* D. 1., non acquirit jus patronatus. -- Quid vero dicendum de eo, qui *restituit* Ecclesiam collapsam vel collabentem? Pro acquisitione juris patronatus ædificanti æquiparatur qui penitus destructam Ecclesiam iterum ex Episcopi consensu excitat, quamvis utatur præexistentibus lapidibus et cæmentis arg. c. 7. *De Judæis* (V. 6). Non vero jus patronatus acquirit qui in aliqua parte collabentem restituit quamvis diversis et successivis temporibus per partes totam renovaverit Ecclesiam. — *Dotasse* Ecclesiam dicitur qui sufficientes reditus tum pro decente ornatu Ecclesiæ tum pro sustentandis ministris adsignavit c. 31. C. 16. q. 7.

15. Adnotandum vero est, acquiri jura patronatus non solum ex tribus hisce titulis in *eadem* persona *simul* concurrentibus, sed acquiri etiam si in tribus personis *distinctis* concurrant. Hoc in casu tres erunt patroni: quisque ex proprio titulo. Hinc unus esse poterit patronus fundatione, alius ædificatione, tertius dotatione. Ratio est quia canones distincte unumquemque titulum exhibent ut sufficientem ad obtinendum jus patronatus. Nec officit locutio Tridentini in c. 12. sess. 14. *De Ref.* 'Nemo nisi Ecclesiam, beneficium aut Capellam fundaverit et construxerit etc. . . ., jus patronatus obtinere poterit'. Nam particula copulativa habet sensum disjunctivum juxta communem sententiam.

At non sufficit unus titulus ad acquirendum jus patronatus si reliqui tituli neque in aliena persona concurrent. Sic ex. gr. ædificator non fit patronus nisi adsit alius qui dotet Ecclesiam.

16. II°. Originarii quidem tituli, *extraordinarii* tamen sunt: *privilegium* et *præscriptio*. Relate ad privilegium non sufficit concessio Episcopi; nam argumento c. 9. sess. 25. *De Ref.* abrogata

in genere censentur jura patronatus concessa ex privilegiis. Hinc solus Rom. Pontifex potest ob plenitudinem potestatis conferre jus patronatus titulo privilegii.

17. Etiam præscriptio esse potest titulus acquisitionis juris patronatus, et est quidem *originarius,* si præscribatur jus contra Ecclesiam *liberam,* erit *derivatus* si contra exsistentem *patronum* fiat præscriptio. De 1ª. specie præscriptionis agit Tridentinum in c. 9. sess. 25. *De Ref.* et distinguit inter personas privatas et potentes. Pro civibus et personis privatis in genere, ut acquirant jus patronatus contra Ecclesiam liberam, requirit tempus *immemoriale,* et frequentiam actuum præsentationis. Doctores tenent sufficere *binas* præsentationes continuas. – Pro *potentioribus* personis a quibus nempe solet plerumque jus patronatus acquiri ex usurpatione, præter alia ad immemorialem præscriptionem probandam requirit Tridentinum ut saltem ostendatur authenticis scripturis per 50 annos locum habuisse et cum effectu continuas præsentationes. Nomine potentium personarum veniunt principes, imperantes, barones, duces locorum et etiam communitates et universitates. Quoniam ad præscribendum jus patronatus contra Ecclesiam liberam requiritur præscriptio immemorialis, hinc non desunt qui dicant præscriptionem non constituere modum originarium acquirendi jus patronatus. Nam immemorialis præscriptio præsumere facit titulum. Unde præscriptio in casu est indicativa tituli originarii.

18. Si sermo sit de præscriptione juris patronatus 2º. *contra præexsistentem patronum* in Ecclesia non libera, præscriptio regitur juxta normam aliorum jurium in re exsistentium. Hinc contra privatam personam cum titulo colorato præscriptio inducitur per decennium inter præsentes, per spatium viginti annorum inter absentes. Si autem probari non potest titulus coloratus, requiruntur 30 anni. Quod si patronatus possideatur a Monasterio, Ecclesia, vel aliis locis piis, ad hoc jus præscribendum requiritur quadragenaria præscriptio.

19. B. Modi *derivati* translationis et acquisitionis juris patronatus sunt 1º. *successio hæreditaria,* 2º. *alienatio.* Successione hæreditaria cum universitate bonorum in hæredes sive ex testamento sive ab intestato transit jus patronatus, quod fuit proprium defuncti, nec eo mortuo ministerio juris in alium transire debebat, c. 7. h. t. et Clem. 2. eod. Si plures sint hæredes licet pro inæ-

qualibus partibus, succedunt omnes in jus patronatus defuncti quod in solidum possident; arg. c. 1. h. t. et Gloss. ibi. Scilicet vel *alternis* vicibus nominant vel si simul nominent ille præsentatus censebitur, qui *majorem* numerum vocum patronorum obtinuerit.

20. Animadvertendum vero est aliquando successionem fieri in *capita,* aliquando in *stirpes.* In capita successio verificatur cum plures jure proprio eidem personæ succedunt, quæ habuerat jus patronatus. In hac specie singula hæredum suffragia idem valent, ita ut qui plura retulerit suffragia, censeatur nominatus. — In *stirpes* vero successio perficitur 1°. cum duabus personis habentibus jus patronatus in solidum succedant distincti hæredes; 2°. cum patri habenti jus patronatus succedant filii, et nepotes ex filio præmortuo. Cum successio fiat in stirpes, est locus juri repræsentationis, seu non computantur voces juxta numerum individuorum, sed in relatione ad auctorem quem repræsentant. Hinc ex. gr. si ad patris hæreditatem duo filii admittantur, et tres nepotes ex filio præmortuo suffragia seu voces nepotum pro una voce computantur, seu pro ea quam habuisset eorum genitor si vixisset. Hoc principium distincte traditur in Clem. 2. h. t. ubi dicitur: 'Plures ab uno ex patronis Ecclesiæ relicti hæredes, vocem dumtaxat unius habebunt in præsentatione rectoris'.

21. *Alienatio* juris patronatus tribus modis perficitur 1°. *donatione,* 2°. *permutatione.* 3°. *venditione.*

Jus patronatus personale et hæreditarium *potest* donari. Dixi hæreditarium: nam familiare, et gentilitium donari non possunt. In utroque enim donatio cederet in præjudicium libertatis Ecclesiæ et futurorum vocatorum, qui suo tempore succedunt, et veniunt nomine proprio. At ex c. un. h. t. in 6°. si donetur Monasterio, Ecclesiæ vel in genere loco pio, non requiritur consensus Episcopi, ex sensu autem contrario hic consensus requiritur, si fiat donatio in favorem *privatæ* personæ licet sit clericus. Excipiunt DD. donationem factam ab uno patrono reliquis *compatronis.* Nam arg. Clem. 2. h. t. possunt libere compatroni inter se convenire et disponere de nominatione alternative facienda.

22. *Permutatione* etiam acquiritur jus patronatus 1°. quoties *res* inter se permutentur in quibus adnexum est jus patronatus dummodo nulla æstimatio incidat in jus patronatus, ne labes simoniaca contrahatur c. 5. *De rer. permut.* (III. 19); 2°. quoties absque intuitu rei alicujus unum *jus* patronatus cum alio jure patro-

natus permutatur. Hoc vero in 2. casu arg. cit. c. 5. *De rer. permut.* requiritur *Ordinarii consensus.*

23. *Venditione* potest acquiri jus patronatus. At nemo dixerit jus patronatus sive personale sive reale posse vendi *per se* sumptum: nam Simonia esset. Ex c. 16. h. t. deprehendimus hanc alienationem esse *irritam* ipso jure. Ex Tridentino autem c. 9. sess. 25. *de Ref.* eruitur tum emptorem tum etiam venditorem *amittere* jus patronatus, et si non alii quidem sint patroni innocentes, Ecclesia libera redditur. Insuper ex eodem loco Tridentini vendentes subjacent excommunicationi, et interdicto fer. sent. et pretium acceptum non sibi retinere nec emptori restituere possunt, sed in bonum Ecclesiæ illius, quæ passa est injuriam, erogare debent.

24. Quomodo ergo per venditionem *potest* alienari, et vicissim acquiri jus patronatus? Ex c. 7. h. t. scimus jus patronatus reale per *translationem rei* in alium transire. At in pretio rei præfiniendo fieri nequit computatio juris patronatus, ne jus spirituale pretio comparetur.

25. Venditioni rei æquíparatur datio aut alia proprie dicta alienatio. Immo DD. tenent in emphyteutam, et feudatarium jus patronatus transire cum universitate bonorum vel prædio particulari quoties jus patronatus inseparabiliter conjunctum est cum universitate rerum, vel prædio illo quod conceditur in feudum vel emphyteusim.

26. *Quibusnam possit competere jus patronatus.*

Ut quæstio resolvatur, duo elementa juris patronatus consideranda sunt. 1°. Illud institutum esse in signum *grati animi* Ecclesiæ erga fundatores, constructores et dotem constituentes Ecclesiarum, vel Beneficiorum. 2°. Quamvis consideretur ceu proprie dictum jus spirituale præsentandi clericum c. 16. h. t., tamen actum præsentationis non exhibere proprie dictam jurisdictionem, sed solum referre potestatem offerendi superiori Ecclesiastico *efficaces preces* quas nempe superior, si legitimæ fuerint, non potest despicere; idest non potest clericum idoneum intra terminos juridicos præsentatum respuere. Ex 1ª. consideratione sequitur competere jus patronatus non posse illis, quos non præsumitur gratos sibi Ecclesia experiri. Hinc Judæi, pagani, et infideles sunt incapaces juris patronatus *personalis* obtinendi. Ita DD. communiter. — »Tolerantiæ apicem« attingit ideoque minime in exemplum trahenda est concessio S. C. Inq. d. 21. Dec. 1873 facta Episcopo

Nitrien. (in Hungaria), ut loco *Judæi* cui ex fundo acquisito competeret juspatronatus reale, mandatarius *catholicus,* etiam Episcopo gratus, nominare possit ad patronalia beneficia, ex concurrentibus quos episcopus ante probaverit; in *Archivo* Juris Eccl., tom. 37. pag. 363.

27. Pariter *hæretici* de jure communi excluduntur a jure patronatus. Non enim merentur gratitudinem Ecclesiæ cui tamquam hostes adversantur. Ita *Abbas* in c. 25. h. t. et communiter DD. Hisce non obstat praxis quæ in Germania ex temporibus pacis Westphalicæ (1648) inolevit; nam dicta praxis non est consuetudo, sed tantummodo tolerantia. *Reiffenstuel* in h. t. n. 44. *Excommunicati* autem *vitandi* quoad usum juris patronatus repelluntur a jure. Cum enim censura sit pœna medicinalis quæ cessat cessante per reconciliationem contumacia, hinc ipsum jus patronatus non amittitur, sed solum suspenditur durante excommunicatione. Addunt vero auctores servandam esse institutionem præsentati ab excommunicato, si ejus nominationem acceptavit Ordinarius. Ratio est quia collatio tituli proprie ex institutione concessa a Superiore derivat. Ex 1ª. et 2ª. animadversione sequitur omnes prorsus fideles posse jus patronatus habere, sive clericos, sive laicos, sive masculos, sive fœminas, sive legitimos, sive illegitimos, sive puberes, sive impuberes. Nam cum ex una parte jurisdictionem non secumferat patronatus, et ex altera cum in genere loquantur canones de omnibus qui juris spiritualis ex concessione Ecclesiæ capaces sunt; ratio nulla est cur aliquis ex supradictis si gratitudinem Ecclesiæ promereatur, privandus sit jure patronatus.

28. At pro *infantibus* vel *furiosis* præsentat pater, tutor aut curator prout postulat diversa conditio. Pupillus minor, vel filius familias rationis compotes post septennium ætatis, si sint patroni præsentant absque auctoritate tutoris, curatoris, aut patris.

29. *De juribus quæ competunt, vel non competunt patronis; necnon de oneribus relativis.*

Sit I°. loco sermo de iis quæ patrono *prohibentur* a jure. Patronus sive laicus sive Ecclesiasticus quacunque dignitate fulgeat non potest 1°. *occupare* bona, jura, fructus, et reditus Ecclesiæ seu beneficii etiam prætextu donationis suppositæ personæ. Quod si fecerit, subjicitur anathemati quoadusque Ecclesiæ vel beneficiato omnia integre non restituerit, et absolutionem ab Apostolica Sede non fuerit assecutus; privatur insuper ipso facto jure patronatus.

Ita Trid. sess. 22. *de Ref.* c. 11. Id quod S. C. Concilii practice applicavit contra gubernium Italicum in causa *Panormitana* d. 16. Febr. 1889. Unde patroni non possunt sese ingerere quacumque ex causa etiam prætextu consuetudinis cujusque in perceptione fructuum, proventuum et obventionum beneficii. *Trid.* sess. 25. *de Ref.* c. 9.

2°. Ex c. 3. sess. 24. *de Ref.* sese immiscere non potest *visitationi* ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus, nisi quatenus id eidem patrono competat ex institutione, ac fundatione scilicet ex *lege fundationis* beneficii.

3°. Poterit quidem patronus ab Ecclesia, vel beneficiato exigere pensionem modicam impositam in *limine fundationis* cum consensu Episcopi quæ pensio dicitur *census antiquus,* at etiam sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ non poterit censum *novum* imponere, neque hæc impositio sustinetur ex consensu qui forte præstitus fuit a rectore Ecclesiæ, vel possessore beneficii; nam uti nullius roboris contractus hujusmodi censetur c. 23. h. t.

4°. Relate ad *personam* clerici præsentati, et instituti in beneficio nullam habet patronus potestatem, et jurisdictionem. Hinc non potest clericum a beneficio removere c. 4. h. t.

30. Nunc II°. ad partem positivam quæsiti.

Competit patrono jus *clericum præsentandi ad Ecclesiam vel beneficium vacans* cc. 8. et 9. h. t., quod jus licet non importet veram collationem Ecclesiæ vel beneficii, tamen si clericus præsentatus sit idoneus, non potest a superiore Ecclesiastico rejici, aut alteri non præsentato posthaberi, ita ut collatio aliter facta ab Ordinario collatore, spreta nominatione patroni nulla sit, aut saltem irritanda ad querelam patroni c. 14. h. t. et c. 32. C. 16. q. 7. Excipitur Ecclesia conventualis sive sæcularis, sive regularis in qua est eligendus prælatus. Nam in hisce Ecclesiis prælatus eligitur a capitulo: facta autem electio honestatis et gratitudinis causa patrono communicatur, non ut eam confirmet aut infirmet sed ut, si velit, coram Ordinario, a quo danda est confirmatio, possit electionem ex justis causis oppugnare. Ita DD. arg. cc. 25. h. t. et 14. *De Elect.* (I. 6) circa finem.

31. Circa præsentationem plures institui possunt quæstiones. Et 1°. quidem animadvertendum est præsentationem fieri legitime ab eo, qui est in *possessione* juris nominandi ita ut si postea lis moveatur, et possessor juris in causa deficiat ejus adversarius in

futurum nominet: at non poterit irritare nominationem jam factam ante litem c. 19. h. t. Hinc jus nominandi a DD. consideratur ceu fructus possessionis. Comprobatur hæc DD. doctrina resolutione S. C. Concilii in *Novarien.* d. 30. Maji 1891 ubi jus præsentandi adjudicatum est possessori salvo partium jure agendi in petitorio super pertinentia patronatus coram curia episcopali. Quare si quæratur in specie juris patronatus realis adnexi alicui prædio concesso in emphyteusim vel usumfructum an directarius vel usufructuarius nominabit, vel potius dominus directus, et proprietarius DD. cum glossa in id. c. 19. respondent *usumfructuarium* et *utilistam* jus nominandi habere. Idem vero non est dicendum de colono, aut de prædii conductore. Nam possessio fundi in adsignatione culturæ vel in locatione prædii remanet penes dominum fundi.

32. Quæritur an qui acquisivit dominium utile alicujus prædii in quo adest jus patronatus reale, possit præsentare *seipsum* vel *consanguineos* seu *filios, nepotes* etc.

Videtur tenenda *negativa* sententia ex cc. 6. et 26. h. t. At rite intelligenda sunt hæc capita. *Caput 6.* agit de specie in qua quis quocumque modo comparet jus patronatus, seu etiam comparando prædium cui adnexum est jus patronatus reale in eum *scopum* ut possit suos filios, vel nepotes præsentare ad Ecclesiam vel Beneficium, et decernitur hunc esse privandum jure ipso præsentandi. Excluso igitur casu acquisitionis fundi, vel dominii utilis in hunc scopum potest quis nominare suos filios, vel nepotes. Caput vero 26. h. t. agit de nominatione sui ipsius ad prælaturam vel personatum et negat posse quemcumque sese nominare ad *tale* beneficium. Ratio est quia nominatio videtur præ se ferre indicium superbiæ, et vani ambitus. Ergo si sit beneficium simplex etiam in sensu canonum antiquorum, poterit patronus seipsum præsentare, et quidem in libro decretorum S. C. Conc. pag. 361. reperitur resolutio S. Congr. in causa *Nullius*, d. 14. Dec. 1630. adprobata ab *Urbano VIII.* in qua indulgetur patrono, ut possit præsentare *seipsum* ad canonicatum et præbendam vacantem de suo jure patronatus.

Cæterum Doctores concedunt patrono ut possit etiam beneficium quod prælationem habeat sui juris patronatus acceptare, quoties absque præsentatione eidem hoc beneficium a superiore offeratur. Cessat enim ratio prohibitionis c. 26.

33. Quæri potest quosnam possit patronus præsentare?

Respondetur eos tantum qui *actu* sunt *digni*, et *habiles* ad beneficium obtinendum. Nam cum per præsentationem quis ex parte patroni collocetur in conditione juris obtinendi beneficium necesse est ut capax sit ejusdem beneficii. Exercitium juris quod actu expletur supponit subjectum idoneum, in quo exerceatur. Hinc invalida est præsentatio *laici illegitimi*, vel aliter irregularis sive ob defectum ætatis sive ob defectum conditionis etc. Nec valet quod brevi post præsentationem in sufficiente ætate constituatur, vel ad clericalem tonsuram promoveatur.

34. Quid vero si patronus præsentaverit *indignum* aut *inhabilem?* Patronus *Ecclesiasticus* qui scienter præsentaverit indignum, privatur pro ea vice jure præsentandi et fit locus liberæ collationi beneficii arg. c. 2. *De suppl. negl. Præl.* (I. 10). Ratio est quia præsentatio fit a clerico intuitu officii sacri quod possidet, hinc non minori pœna dignus videtur clericus patronus in nominatione indigni quam elector, qui nomine Ecclesiæ eligit pariter indignum. Qui autem scienter indignum eligunt, privantur pro ea vice jure electionis c. 7. §. 3. *De elect. et electi pot.* (I. 6). Nec patronus Ecclesiasticus facti pœnitens potest aliam personam in locum indigni præsentare. Nam ipse non habet jus variandi. Scilicet patronus Ecclesiasticus licet possit plures simul præsentare superiori ita ut hic eligat quem velit, tamen non potest successive plures nominare. Quodsi ignoranter patronus Ecclesiasticus præsentaverit indignum, poterit iterum alium præsentare qui sit idoneus. — At patronus *laicus* si indignum præsentaverit, poterit alium nominare c. 4. *De off. Jud. Ordin.* (I. 31) atque id saltem ex jure variandi quod habet c. 29. h. t. Ratio diversi juris est quia laicus patronus non censetur esse satis expertus circa ea quæ sunt juris Ecclesiastici. At diffitendum non est validas esse rationes quibus magnæ notæ DD. tuentur etiam laicum patronum præsentantem scienter indignum privari pro ea vice jure nominandi. Præsumitur enim voluisse spernere leges et honorem ordinis Ecclesiastici. Cf. *Fagn. comm.* in c. 4. *De offic. ord.* (I. 31) n. 39. ubi refert etiam judicium rotæ Romanæ.

Concordant vero DD. in hypothesi præsentationis indigni, nisi patronus laicus intra terminum utile quadrimestris alium clericum dignum nominaverit, *posse* beneficium libere ab Ordinario conferri.

35. Quæritur *intra quod tempus præsentatio fieri debeat?* Patronus Ecclesiasticus habet *semestre* utile ad præsentandum cc. 22. h. t. et 1. eod. in 6°. Laicus vero habet *quadrimestre* cc. 3. et 27. h. t. et c. un. eod. in 6°. In patronatu autem *mixto* uterque patronus habet semestre. Uti enim vidimus, mixtus patronatus sequitur quod est magis favorabile. Elapso inutiliter tempore sive semestrali sive quadrimestrali, beneficium pro ea vice redditur liberæ collationis. At sciendum est 1°. tempus hujusmodi decurrere non a die vacationis, sed a die habitæ *notitiæ certæ* vacationis, arg. c. 5. *De conc. præb.* (III. 8); 2°. tempus hoc non decurrere *legitime impedito* arg. cit. c. 5. *De conc. præb.* (III. 8); 3°. tempus hujusmodi esse *continuum* seu computari de die ad diem.

36. Quæritur quomodo procedere debeat præsentatio, *quando plures sunt patroni.*

Resp. Si patroni componant *capitulum* seu corpus morale, nominatio est actus capitularis, et procedit juxta formam electionis, seu ille erit nominatus in quem concurrat major, et sanior pars suffragiorum. Ita communiter DD. arg. cc. 28. et 36. *De Elect.* (I. 6).

37. Si autem jus præsentandi pluribus competat *uti singulis,* videndum est utrum concurrant in *capita,* vel in *stirpes.* Si in capita, qui plura retulit suffragia, ille est nominatus. Si clerici præsentati *æqualia* vota susceperint, distinguendum est inter jus patronatus Ecclesiasticum et laicale. Si primum, poterit Episcopus *libere* cui vult conferre beneficium. Nam ex una parte nemo ex præsentatis jus habet, et ex altera patronus Ecclesiasticus variare non potest. Si alterum, ante quadrimestre completum conferre beneficium non potest Episcopus; nam variare potest intra hoc tempus laicus patronus. Elapso vero quadrimestri confert Ordinarius beneficium libere cui vult ex præsentatis. — Quodsi plures concurrant in *stirpes*, consideranda non sunt suffragia uti singula, sed prout referunt *suffragium auctoris* a quo procedunt, et quem repræsentant actuales patroni. Hinc in jure patronatus lineali, si plures sint lineæ, voces computantur in stirpes, seu una vox et unum suffragium computatur pro unaquaque linea, licet in una sint pauciores, in altera plures personæ, quæ suffragium ferunt. In eadem vero linea voces computantur in capita. Hinc a DD. hoc jus patronatus unius lineæ resolvitur in gentilitium. Card. *de Luca* Dis. 32. De Jur. Patr. n. 2.

38. Quo posito quid dicendum si in eadem linea adsint personæ, aliæ quidem proximiores stipiti: aliæ autem remotiores? DD. distinguunt inter jus patronatus *gentilitium*, in quo institutor respexit ad graduum distinctionem, quo in casu jus patronatus appellant *graduale*, et jus patronatus *familiare* seu *gentilitium simpliciter*. Exemplum prioris esset, si institutor dixerit: proximiores de mea familia præsentandi jus habeant. Exemplum secundi esset si institutor jus nominandi relinqueret filiis, et descendentibus ac successoribus suis, nulla facta distinctione graduum. In priori specie seu in graduali jure patronatus proximior in gradu excludit remotiores. In altera specie juxta theoriam *Federici de Senis* quicunque adsunt actu descendentes in linea vel in familia jus habent nominandi ad Ecclesiam vel beneficium vacans. Hinc, si adsint pater, et filii, patruus et nepotes, omnes simul concurrunt ad præsentandum clericum et quidem unusquisque concurrit proprio jure, idest habet distinctum suffragium.

39. Quid vero si *lis moveatur* in præsentatione et interim tempus utile ad nominandum *dilabatur?* Antiquitus in c. 1. h. t. ex Conc. *Gabilonensi* an. 813. et in c. 2. eod. ex Conc. *Triburiensi* an. 895. regula statuta erat ut dissidentibus patronis in præsentatione rectoris, Ecclesia exspoliaretur reliquiis et clauderetur, donec discordia perduraret. At immutatio inducta est ab *Alex. III.* in c. 3. h. t. cui cohærent cc. 12. et 27. h. t. Scilicet si enascatur controversia inter compatronos nec lis terminetur intra quadrimestre vel intra semestre pro diversitate juris patronatus, ecclesiam conferet Episcopus. At hæc regula odiosa visa est in jure, nam contradicit principio constituto in cc. 41. *De elect. et elect. pot.* (I. 6) et 2. *De concess. præbend.* (III. 8) ut scilicet tempus decurrat quidem negligentibus, non vero legitime impeditis. Profecto lite pendente patroni censentur legitime impediti ad præsentandum. Quare regula devolutionis ad Episcopum juris providendi Ecclesiam de rectore, beneficium de possessore stricte est accipienda. Quare 1°. non procedit hæc regula si quæstio fiat *inter patronum et Episcopum* qui contendat pro libertate Ecclesiæ contra patronum. Quo in casu pendente lite Episcopus non potest etiam post semestre aut quadrimestre utile rectorem Ecclesiæ destinare, sed œconomum constituet in eadem Ecclesia quoadusque lis fuerit finita. c. 4. *De off. jud. ord.* (I. 31); 2°. Non potest Episcopus libere conferre beneficium quoties quæstio non est inter compatro-

nos, sed inter *nominatos* quis præ aliis prælationis jure gaudeat. Hoc in casu etiam poterit Episcopus ad officii sacri adimplementum vicarium constituere. Satis de jure præsentandi.

40. Alia jura quæ patronis competunt sunt vel *honorifica* vel *lucrativa*. *Honoris jura* præsertim sunt 1°. jus *processionis*, de quo agitur in canonibus 26. et 27. C. 16. q. 7. et c. 25. h. t. Antiquitus patrono ad Ecclesiam diebus solemnioribus advenienti obviam occurrebat clerus. At hic mos disparuit, et ceu tradit Pontificale Romanum et notavit Card. *Hostiensis*, servatur solummodo pro regibus et principibus magnæ potentiæ. Aliis autem patronis conceditur jus ut in processionibus partem habeant honorificam. 2°. Honor *sedis*, ut nempe in Ecclesia sedem habeat distinctam; 3°. honor *thurificationis*, idest thuris recipiendi in functionibus solemnioribus, 4°. jus habendi *sepulturam* in Ecclesia vel capella juris patronatus. Potest insuper patronus honoris et memoriæ causa in Ecclesia vel capella proprium signum seu *stemma* apponere.

41. Jura *lucrativa* duo sunt. 1°. Ut patronus vergens ad paupertatem ex Ecclesiæ sui patronatus fructibus *sustentetur*, deducta prius congrua portione pro rectore. Ita c. 25. h. t., cc. 29. et 30. C. 16. q. 7. Hæc sustentatio ab Ecclesia præstatur non solum ipsi patrono qui Ecclesiam fundavit, sed etiam ejus filiis, et hæredibus ad quos transit jus patronatus. Infertur hoc ex c. 30. C. 16. q. 7. ad quem appellat *Clem. III.* in c. 25. h. t. et tenuit sæpe Rotæ tribunal. 2°. Jus percipiendi *censum antiquum* seu pensionem impositam in limine fundationis c. 23. h. t.

42. Onera patronorum duo sunt 1°. onus *restaurandi vel reparandi Ecclesiam*. Hoc onus ita urget patronum ut possit eidem intimari ut vel restauret Ecclesiam vel jus patronatus amittat. De modo, quo teneatur hoc onus patronis adimplere, sermo erit in titulo *De Eccl. ædif. vel rep.* (III. 48); 2°. onus *vigilantiæ et defensionis*. Vigilantiæ quidem quia licet patronus nullam habeat iurisdictionem circa personam clerici et bona Ecclesiæ patronatus ex c. 3. sess. 24. *De Ref.* tamen ex c. 31. C. 16. q. 7. tenetur advigilare ut administratio bonorum rite procedat, et intentio fundatoris observetur, et in casu negligentiæ vel culpæ doli, poterit patronus ipsum rectorem honeste admonere, et si nihil admonitione proficiat rem Episcopo vel judici ecclesiastico denuntiabit. Onus autem defensionis urget patronum; nam ideo in cc. 23. et 24. dicitur habere advocatiam seu curam defensionis Ecclesiæ. Tenetur

ergo pro viribus patronus sive simul cum rectore sive eo negligente solus tueri jura Ecclesiæ vel beneficii, non quidem propriis expensis, sed expensis beneficii. Scilicet si præter operam suam aliquid impendat, poterit exposcere ut indemnis reddatur.

43. *De modis, quibus amittitur jus patronatus.*

I⁰. Ex facto *criminoso;* II⁰. ex facto *honesto* patronorum; III⁰. ex *casu.* Ex I⁰. capite amittitur jus patronatus 1⁰. per crimen *hæreseos* seu *apostasiæ,* et *schismatis.* Nonnulli dicunt patronum amittere jus, si fiat *excommunicatus vitandus.* At ut animadvertimus, hoc in casu potius suspenditur exercitium ejus in jure præsentandi quoadusque sese cum Ecclesia non reconciliaverit, aut quoadusque præterlapsum non fuerit tempus utile ad reconciliationem obtinendam, quo elapso excommunicatio transit in anathema et per sententiam judicis excommunicatus privatur omnibus juribus. 2⁰. Amittitur per *cædem* aut *mutilationem rectoris* aut alterius clerici Ecclesiæ juris patronatus factam ab ipso patrono vel ex ejus mandato c. 12. *De pœnis* (V. 37). 3⁰. Amittitur per crimen *simoniæ.* Videlicet amittit jus patronatus qui simoniace vel vendit vel emit jus patronatus c. 6. h. t. et c. 9. sess. 25. *Trid. de Ref.* 4⁰. Privatur patronus jure suo si sese *ingesserit* in fructuum perceptione aut temerario ausu bona beneficii aut Ecclesiæ patronatæ *occupaverit. Trid.* l. c. 5⁰. Si contra canonicas sanctiones *per prohibitum titulum* in alium præsumpserit transferre jus patronatus cit. c. 9. sess. 25. *De Ref.*

44. Ex facto *honesto* aut saltem *non criminoso* patroni amittitur jus patronatus: 1⁰. per *liberam cessionem* juris alteri legitime factam, vel per explicitam renunciationem in favorem Ecclesiæ c. 1. h. t. in 6⁰. Hæc vero renunciatio vel cessio fieri potest, quando non obstet præjudicium tertii. Hinc ex. gr. jus patronatus personale quod genti et familiæ alicui spectet, non potest a patre dimitti etiam pro filiis; nam filii veniunt nomine proprio. 2⁰. Amittitur jus patronatus *tacita renunciatione.* Triplex casus a DD. exhibetur *a)* si patronus patiatur Ecclesiam vel beneficium *incorporari* alteri Ecclesiæ, vel beneficio liberæ collationis, vel monasterio, quin ullam fecerit juris patronatus reservationem. Unio enim cum sit plenissima per se tendit ad exstinguendum titulum præexistentem c. 8. *De Const.* (I. 2). *b)* Si patronus qui jus habet præsentandi rectorem in Ecclesia, patiatur Ecclesiam fieri *conventualem,* seu erigi in *collegiatam,* vel in *monasterium* cui præficien-

dus sit prælatus. Arg. c. 20. h. t. Nam non amplius habet locum præsentatio, sed electio prælati quæ facta a capitulo honestatis causa nota solummodo fit patrono. *c)* Amittitur *præscriptione* contraria seu per continuum nonusum longi aut longissimi temporis, dummodo saltem hoc longi vel longissimi temporis spatio binis vicibus continuis non præsentaverit patronus. Ita doctores communiter. Quemadmodum enim alii, ita etiam ipsa Ecclesia potest præscribere contra patronum.

45. 3°. *Ex casu* amittitur jus patronatus 1°. si *exstinguatur familia* vel *linea* in qua residet, nisi alia persona, et alia linea personarum substituta fuerit ab institutore; 2°. si *ecclesia destruatur* vel *pereat dos* et reditus deficiant, nec reviviscit jus patronatus licet rursus ædificetur Ecclesia vel dos constituatur, nisi prior patronus ad reædificandam Ecclesiam vel dotandam concurrerit. Qua in re opportunum est referre quæstionem d. 27. Julii 1861 propositam et resolutam in S. C. Conc. sub tit. *Tiburtina Restaurationis Eccl. Parochialis.* Templum parochiale juris patronatus deformatum, squalore sordidum, et ruinosum erat. Deficientibus reditibus Ecclesiæ et congruo Parochi propositum est dubium 'An patronus teneretur restaurare Ecclesiam parochialem in casu?' Et responsum est: '*Affirmative præfixo patrono termino trium mensium ad perficiendas reparationes, quo inutiliter elapso esse locum amissioni juris patronatus*'. Ergo quando reparationes necessariæ sunt in Ecclesia nec alius sit qui ex legitimo titulo teneatur easdem exsequi, auctoritas ecclesiastica potest præfigere tempus patrono ad eas perficiendas, quo inutiliter elapso censetur patronus decidisse a suo jure. Consonant aliæ resolutiones in *Tiburtina Reparationis Eccl. paroch.,* d. 15. Dec. 1827 et in *Nursina,* d. 25. Sept. 1858 in quibus terminus patrono præfigitur vel ad reficiendam Ecclesiam, vel ad renunciandum juri patronatus.

Titulus XXXIX.

De censibus, exactionibus et procurationibus.

1. Census, si generice sumatur, significat *quidquid regulari præstatione solvitur.* Communis vero hoc vocabulum sumitur ad indicandum *jus quod alicui competit percipiendi annuam pensionem ex re alterius utili vel fructifera super qua dicitur fundatus census.* Census hoc sensu acceptus alius est *reservativus*, alius *con-*

signativus. *Reservativus* est cum quis in alium transfert rem suam quoad dominium directum et utile, reservata sibi annua pensione super eadem re. *Consignativus* obtinet quando dominus alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem super fructibus naturalibus, vel civilibus rei propriæ, retento sibi dominio tam directo quam utili. Leges et conditiones quibus census hic consignativus ad vitandam usurarum suspicionem debeat constitui, determinantur a *S. Pio V.* in celebri Const. *Cum onus*, d. 19. Jan. 1569. At non de hoc censu loquitur titulus.

2. Census in sensu tituli definitur: '*Pensio aliqua annua quæ ex proventibus ecclesiasticis, ab ecclesiis, monasteriis et aliis locis piis solvitur Superioribus, Prælatis, Patrono, vel alteri personæ præsertim in recognitionem subjectionis, aut etiam ex alio justo titulo Episcopi auctoritate recognito*'. In genere ergo solutio census est argumentum *dependentiæ*. Hinc ceu principium edicit c. 2. h. t.: 'Ideo tributa præstatis quia hæc est probatio subjectionis.' At sola solutio census non evincit plene Ecclesiam quæ solvit, esse subjectam personæ vel Ecclesiæ quæ censum percipit. Nam ex alio etiam titulo potest solvi census. Sic ex. gr. ex c. 23. *De Jure patr.* (III. 38) solvitur modica pensio statuta ex Episcopi auctoritate in limine fundationis. Sic ex c. 8. *De privilegiis* (V. 33) solvitur census Episcopo in signum obtentæ exemptionis ab ejus auctoritate. Census alius *antiquus* dicitur, alius *novus*.

3. *Antiquus* est qui imponitur Ecclesiæ vel beneficio in ipsa fundatione vel in consecratione Ecclesiæ. *Novus* est qui ab initio non fuit impositus, sed imponitur post fundationem vel consecrationem Ecclesiæ, beneficio post ejus legitimam erectionem. Uterque vero potest esse vel *perpetuus* vel *temporaneus*, prout ad certum tempus imponitur vel absque temporis consideratione.

4. *Quinam imponere possunt census?*

1°. *Rom. Pontifex* qui juxta c. 2. *De præb.* (III. 4) in 6°. et Clem. 1. *Ut lite pent.* (II. 5) liberam habet dispositionem ecclesiasticorum, potest imponere censum sive antiquum sive novum, sive temporaneum sive perpetuum. 2°. *Episcopus*, vel qui habet jurisdictionem quasi-episcopalem, potest imponere censum antiquum seu in fundatione et erectione Ecclesiæ vel beneficii, vel in consecratione Ecclesiæ c. 7. h. t. Potest etiam censum imponere cum concedit de consensu Capituli aliquam Ecclesiam a sua jurisdictione dependentem et eam ab oneribus episcopalibus eximit c. 6. *De*

relig. domib. (III. 36). Hic census habetur ceu indicium *acceptæ libertatis.* 3°. Antiquum censum moderatum potest ex auctoritate Episcopi imponere patronus in limine fundationis beneficii, ex c. 25. *De jure patronatus* (III. 38), in quo supponitur posse patronum exigere censum impositum in limine fundationis cum Episcopi consensu. At neque Episcopus, neque patronus potest augere censum antiquum semel impositum quamvis augeantur vires et facultates Ecclesiæ vel beneficii c. 7. h. t. quia pro Episcopo census est solummodo signum subjectionis vel indicium concessæ libertatis, non vero pensio proportionata fructibus, quæ fructibus auctis crescere debeat, et viceversa, patronus autem ex facta concessione bonorum suorum Ecclesiæ vel beneficio cessavit esse dominus, ac proinde nullum jus habet in augmento facultatum seu redituum Ecclesiæ vel beneficii.

5. Quid vero dicendum *de novo censu?*

Non potest Episcopus aut alius prælatus *novum perpetuum censum* imponere Ecclesiis aut beneficiis cujuscunque generis cc. 3. et 7. h. t. et Clem. un. *De suppl. negl. prælat.* (I. 5). Neque si Ecclesiam eripuerit de manibus laicorum c. 9. h. t. Potest vero Episcopus 1°. ex justa causa *clerico,* cui confert beneficium, imponere censum non perpetuum, sed personalem, scilicet duraturum ad vitam ejusdem clerici in favorem alterius clerici, vel alicujus Ecclesiæ, juxta ea quæ de pensionibus dicta sunt in titulo 12. h. l. 2°. Censum *temporaneum* potest etiam Episcopus imponere in casibus a jure definitis. Ex. gr. in favorem *vicarii temporanei* quem constituit in subsidium Parochi titularis non amplius sufficientis ad sustinenda onera parochialia c. 6. sess. 21. *De Ref.* 3°. Ex c. 7. ejusd. sess. potest beneficiis et Ecclesiis *pro reparationibus* in sacro templo perficiendis et præsertim in Cathedrali Ecclesia. Tandem ex c. 18. sess. 23. *De Ref.* potest Episcopus novum censum quoadusque necessitas postulaverit Ecclesiis et beneficiis imponere pro erectione *seminarii diœcesani.* Hæc in genere de censibus, nunc in specie

6. *De Cathedratico, seu synodatico.*

Cathedraticum est *pensio certa singulis annis solvi solita Episcopo in signum subjectionis, et in honorem cathedræ Episcopalis.* Dicitur etiam *synodaticum,* quia solvi consueverat in Synodis Episcopalibus, quæ singulis annis celebrabantur. Quod debeat Episcopo solvi cathedraticum, patet ex cc. 9. et 20. h. t. Hoc insuper

jus inter Episcopalia jura adeo est privilegiatum ut nec Episcopus possit illud in totum remittere, nec contraria licet immemoriali consuetudine præscribi possit. Nam est signum subjectionis, et honoris debiti cathedræ Episcopali. Ita expresse traditur in c. 2. h. t. et c. 8. Conc. *Romani* sub *Benedicto XIII.* an. 1725. Potest vero præscribi quantitas hujus census. Conf. *Bened. XIV. De Syn.* l. 5. c. 6. et c. 7. Solvitur vero ab omnibus Ecclesiis vel beneficiis vel capellis sæcularibus, immo etiam a parochis, beneficiis et capellis Regularium, monasteriis pleno jure unitis et non specialiter exemptis; quamvis iisdem præsint regulares c. 16. *De off. Jud. Ord.* (I. 31). Non solvitur autem a Monasteriis, vel Ecclesiis regularium in quibus ipsi regulares sacra peragunt; eximuntur enim a jurisdictione Episcopi, et a lege diœcesana c. 1. *De statu Mon.* (III. 35). Nec obstat aliquando Ecclesiam fuisse Episcopo subjectam; nam quoad hunc censum respicitur status *actualis* Ecclesiæ. Juxta canones quantitas Cathedratici erat duorum solidorum, seu solvebatur in annua summa 20 juliorum Romanor. c. 1. C. 10. q. 3. et c. 16. *De off. Jud. Ord.* (I. 31). Plurimum vero valet hac in re locorum consuetudo. Animadvertendum tamen est servandam esse ab Episcopis moderationem in determinanda taxa sub titulo Cathedratici. Nam potius quam ad lucrum Episcopi constitutus est a jure hic census in recognitionem subjectionis et honoris erga Cathedram Episcopalem. Hinc *Bened. XIII.* in cit. loco statuit cathedraticum excedere non debere duos solidos seu julios 20, et quasdam classes Beneficiorum et Ecclesiarum designans voluit ut hac moderatione imponatur scilicet: 1. Quibus sunt reditus infra decem scuta 2 julii. 2. Quibus infra quinquaginta, julii 5. 3. Quibus infra centum julii 10. 4. Quibus ultra centum et in quacumque alia majori summa julii 15. Ab Ecclesiis ubi plures de massa communi participant, ab omnibus in communi julii 20 exiguntur, salvis tamen consuetudinibus Ecclesiis, et Episcopis magis favorabilibus.

De exactionibus.

7. Exactio est pensio quam vi legis diœcesanæ ex reditibus Ecclesiasticis justa de causa extraordinarie acquirit Episcopus. Quod ut intelligatur, sciendum est a Canonistis juxta c. 18. *De off. Jud.* (I. 31) et Glossam ibi. potestatem Episcopi dividi in legem *jurisdictionis*, et in legem *diœcesanam*. Lex jurisdictionis consistit

in *dando* seu in collatione ordinum, beneficiorum, et officiorum, in ferendis sententiis et absolvendis fidelibus a culpis; lex diœcesana consistit in *recipiendo* et versatur circa illas exactiones quas Episcopus a suis subditis potest exquirere, et assequi. Exactiones ergo obtinet Episcopus vi legis diœcesanæ.

8. Præcipuum locum inter exactiones tenet *subsidium charitativum* de quo in c. 6. h. t. et definitur: *Exactio extraordinaria, et moderata ob manifestam, et rationabilem causam cum charitate a subditis expostulata.* Licet ex charitate postuletur, tamen *obligat* revera subditos, qui si inviti fuerint, possunt cogi ad hoc subsidium solvendum. Solvitur vero ab omnibus Ecclesiis, et beneficiis sæcularibus, a beneficiatis etiam regularibus non exemptis e reditibus *superfluis*. Solvitur autem in taxa moderata imponenda pro consuetudine locorum juxta normam seu proportionem quæ servatur in exigendis procurationibus, de quibus infra. Exprimitur hæc norma in extrav. un. h. t. (III. 10) inter comm. Exigitur autem ab Episcopo vel ab eo qui jurisdictionem habet Episcopalem, non vero ab inferioribus prælatis, qui habent etiam jurisdictionem ordinariam quemadmodum jure Decretalium erat Archidiaconus, Archipresbyter etc. ceu expresse docet c. 6. h. t. In similitudinem Episcoporum DD. tenent Abbates, et Superiores ordinum, qui possidendi capaces sunt posse saltem ex consuetudine vel privilegio a monasteriis subsidium charitativum exigere.

9. Huc referri potest pia institutio Ecclesiastica præstandi *Romano Pontifici* charitativum subsidium denarii seu *oboli S. Petri.* Hic mos primum introductus fuit in *Anglia,* dein extendebatur ad *Daniam, Sueciam* et *Norvegiam.**) De hoc subsidio charitativo denarii S. Petri agit c. 12. h. t. in quo compescuntur abusus Archidiaconorum qui præerant exactionibus hujus tributi necnon c. 15. *De præscriptionibus* (II. 26), ex quo erui potest Episcopos fuisse collectores denariorum S. Petri. Nostra ætate ob spoliationes, quas S. Sedes passa est, ex instinctivo quodam motu fidelium hoc sub-

*) *Inas* enim rex Saxonum Occidentalium regnum suum, ut scribit Polydorus Vergilius l. 4. Histor. Anglicæ pag. 118., Romano Pontifici vestigale fecit singulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in singulas domos impositis circiter an. 728. — *Offa* Merciorum rex ad regnum suum extendit hunc denarium, quem auxit Athulphus rex, qui totius fere insulæ imperium obtinuit. In Anglia colligebatur Obolus s. Petri usque ad tempus *Henrici VIII.*

sidium charitativum in usum revocatum est; at nulli legi subjicitur, et totum ex pia liberalitate fidelium pendet.

De procurationibus.

10. Procuratio est *præstatio eorum quæ Episcopo, aliisque prælatis actualem diœceseos visitationem obeuntibus cum notario, et decenti comitatu sunt necessaria ad competentem victum, et habitationem facienda ab illis quos visitant.* Præstanda est procuratio quia Episcopus censetur hospes in Ecclesia quam visitat ac proinde sustentari debet.

11. Quæritur primo loco *quænam sit quantitas procurationis præstandæ.* In cc. 6. h. t. et 23. h. t. temperantur abusus, qui obrepserant, Episcoporum et aliorum prælatorum visitantium Ecclesias diœceseos, cohibetur luxus et ambitio, et pro ratione illorum temporum præcipitur moderatio in comitatu et in victu. Conc. Trid. in c. 3. sess. 24. *De Ref.* præcipit ut Episcopus visitans diœcesim, contentus sit modesto comitatu et equitatu, et quam celerrime, debita tamen cum diligentia visitationem absolvat. Interim vero caveat ne inutilibus sumptibus cuicunque sit gravis et onerosus. Insuper adhærens dispositionibus cc. 1. et 2. h. t. in 6°. Tridentinum prohibet ne Episcopus visitans aut quisque suorum nomine et causa procurationis pro visitatione præter victualia frugaliter moderateque præstanda, quidquam aliud recipiat, nec munus quidem quod offeratur. Quodsi quis de facto aliquid recipere præsumpserit, is præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta c. 2. h. t. in 6°. mulctetur: idest Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi subjiciuntur interdicto ingressus in Ecclesiam, inferiores vero suspensione ab officio et beneficio quoadusque non restituant. Has vero censuras non renovavit Const. *Ap. Sedis.* Nec eis prodest condonatio facta ab illis quibus restitutio facienda est. Immo decernit Tridentinum istos transgressores posse subjici aliis pœnis in Synodo provinciali statuendis.

12. Quæritur an procuratio possit ab Episcopo recipi *in pecunia.* In c. 1. §. 5. h. t. in 6°. cui consonat c. 2. eod. expresse id interdicitur. At hanc dispositionem correxit *Bonifacius VIII.* in c. 3. ejusd. concessitque ut, volentibus visitatis, Episcopus visitans possit procurationem in pecunia accipere. Hanc dispositionem suam fecit Tridentinum in loc. cit., item S. C. Concilii in *Potentina* d. 10. Jan. 1705.

13. Sciendum præterea est ex resolutione S. Congregat. d. 19. Sept. 1682, rel. a *Bened. XIV. De Syn. diœc.* lib. 10. c. 10. n. 6. et ex alia *S. Marci* d. 16. Jan. 1723 posse quidem Episcopum Ecclesias plus quam semel in anno visitare, ab eadem vero Ecclesia semel tantum in anno procurationem posse percipere. Quod si una die plures visitet Ecclesias Episcopus quamvis unaquæque par esset, et sufficiens ad præstandam procurationem, non potest tamen nisi *unam* accipere c. 3. h. t. in 6⁰. Animadvertendum tandem est ex Tridentini dispositione in cit. c. 3. sess. 24. neque semel in anno posse exigi procurationem in illis locis, seu provinciis ubi *consuetudo* est ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud percipiatur a visitatoribus. Hunc vero textum Tridentini de consuetudine generali diœceseos, non vero de consuetudine alicujus Ecclesiæ particularis interpretata pluries est S. C. Conc. Ita in *Aquipendien.* d. 21. Apr. 1787 et in *Nursina* d. 8. Maji 1824. Conf. *Petella: Canones et decr. Concilii Tridentini cum resolutionibus S. Congr.* ad c. 3. sess. 24. *De Ref.* n. 13.

14. Quæritur *a quibus solvitur procuratio?*

Solvitur ab omnibus Ecclesiis, beneficiis, oratoriis publicis et monasteriis, quæ non sint exempta ab jurisdictione Episcopi arg. cc. 16. *De off. ord.* (I. 31) et 23. h. t. Omnia enim hæc subduntur Episcopi visitationi.

Non solvitur vero procuratio 1⁰. ex c. fin. h. t. ab oratoriis *privatis* seu quæ non sunt erecta auctoritate Episcopi in privatis domibus; 2⁰. ab Ecclesia quæ ab hac solutione eximitur *ex privilegio Pont.* c. 17. h. t.; 3⁰. ab Ecclesia vel beneficio censu paupere dotato arg. c. 11. §. 4. *De Rescr.* (I. 3) in 6⁰.; 4⁰. ab hospitalibus, vel aliis *locis piis* charitatis operibus destinatis ex resolut. S. Congreg. relata a *Fagnano* in *Comm.* c. 24. h. t. Etenim non convenit ut Episcopus detrahat partem redituum, qui sublevandis miseris personis destinantur; 5⁰. non solvunt Cathedralis et Ecclesiæ vel loca pia civitatis in qua est Sedes episcopalis. Nam Tridentinum in sess. 24. *De Ref.* c. 3. ait procurationem pro tempore et necessitate esse habendam, quæ necessitas recipiendi victualia non videtur urgere in civitate ipsa episcopali; quemadmodum etiam S. C. Conc. pluries respondisse refert *Fagn.* in *Comm.* c. 24. h. t. n. 15. Hinc videtur fuisse derogatum c. 24. h. t.

15. Quæritur *a quibus procuratio recipiatur?*

Procuratio recipitur ob visitationem, hinc illi recipiunt procurationem *qui jus visitandi habent.* Et quidem 1°. *Romanus Pontifex* jus habet visitandi totam Ecclesiam. Repræsentatur autem a *Legatis* a latere, et a *Nunciis.* Hinc in c. 23. h. t. istis solvendæ esse dicuntur procurationes. At tractu temporis factum est, ut visitatio hæc legatorum et Nunciorum Apostolicorum cessaverit, et insuper inolevit consuetudo, ut Legati et Nuncii sustentarentur ab ipsa Apostolica Sede.

2°. In c. 6. h. t. tribuitur 1°. *Archiepiscopis* jus visitandi totam provinciam, hinc etiam recipiendi procurationes. Verum sciendum est ex c. 1. h. t. in 6°. non posse Archiepiscopum visitare diœcesim alicujus suffraganei nisi antea absolverit visitationem totius suæ diœceseos. Cui conditioni et aliam addidit Tridentinum c. 3. sess. 24. *De Ref.* ut nempe non possit visitare diœcesim suffraganei nisi prius causa cognita et probata in Concilio Provinciali. 2°. Ex eodem c. 6. *Cardinales* visitabant Ecclesias tituli proprii. At post Const. *Romanus Pontifex Innoc. XII.* 5. Kal. Oct. 1692 hoc jus desiisse dicendum est. Nam Cardinalibus in suis titulis in quibus adest clerus, reservata est facultas seu jurisdictio in iis dumtaxat quæ concernunt servitium chori. Quam Constitutionem interpretatus *Pitonius*: *De Controv. Patron.* Alleg. 41. n. 51. ait jurisdictionem episcopalem Cardinalium cessasse in suis titulis non solum in populum, sed etiam in clerum, et concedi Cardinalibus solum jurisdictionem domesticam et extrajudicialem illius generis quæ competit vicariis vel Archipresbyteris Capitulorum, mulctando nempe delinquentes per subtractionem distributionum et fructuum et vocis in capitulo.

16. 3°. *Archidiaconi* etiam et *Archipresbyteri* vel *Decani* jure decretalium jus habebant visitandi c. 6. h. t. Archidiaconus autem Episcopo impedito quolibet triennio totam visitabat diœcesim c. 1. *De off. Archid.* (I. 23). At huic juri derogatum est a Tridentino in c. 3. sess. 24. *De Ref.* ubi præcipitur visitationem complendam esse per *Episcopum,* aut eo impedito per suum *vicarium generalem* vel alium *visitatorem deputandum.* Archidiacono quidem, Archipresbytero et aliis inferioribus reservatur facultas per seipsos tantum visitandi eas Ecclesias quas soliti fuerant visitare, assumpto tamen notario de Episcopi consensu et cum onere infra mensem rationem reddendi Episcopo de visitatione peracta.

17. 4°. *Vicarius* etiam *capitularis* visitat diœcesim; nam ipsi commissum est gubernium spirituale ejusdem diœceseos. Attendenda tamen est practica disciplina statuta per plures decisiones a S. C. Conc. de quibus *Bened. XIV. De Syn. Diœc.* lib. 2. c. 9. n. 6. et lib. 10. c. 10. n. 6. Scilicet aliis resolutionibus omissis d. 13. Sept. 1721 propositis dubiis: An Vicarius capitularis 1°. facere possit visitationem civitatis et diœceseos, 2°. an facere possit visitationem personalem capitularium? Responsum est ad primum et secundum: *Affirmative, dummodo elapsus sit annus a die ultimæ visitationis factæ ab Ordinario.* Et in *Ostunensi Procurationis* d. 28. Julii 1718 eadem Sacra Congregatio rescripsit vicario capitulari deberi tantum *medietatem* procurationum, quæ Episcopo solvi consueverant. Vicarius vero Capitularis non visitat loca et personas quas Episcopus visitat tamquam *Apostolicæ Sedis delegatus.*

18. 5°. *Episcopus* visitat diœcesim. In c. 3. sess. 24. *De Ref.* Tridentinum statuit ut Patriarchæ, Primates, Metropolitani, Episcopi per seipsos, aut si fuerint impediti, per Vicarium generalem, aut visitatorem quotannis visitare non prætermittant totam diœcesim, aut saltem ejus partem majorem, ita ut si nimis ampla sit, biennio visitatio compleatur. In c. 8. sess. 7. *De Ref.* expresse ait Tridentinum Episcopum teneri ad visitandas Ecclesias omnes singulis annis. Animadvertit vero *Berardi: Jus can. univ.* diss. 4. c. 3. hanc legem annualis visitationis posuisse Tridentinum, quia renovaverat legem annualis celebrationis Synodi diœcesanæ in qua Synodo consulendum erat necessitatibus et utilitatibus Ecclesiarum quibus providendum esse intellexerat visitando diœcesim juxta c. 16. *De off. Jud. Ord.* (I. 31). At quemadmodum commodum non fuit ubique quotannis celebrare Synodum diœcesanam, ita etiam ab annua visitatione cessatum est: neque visum est id repugnare menti Patrum Tridentinorum, qui in c. 3. sess. 24. *De Ref.* et ipsi tempus visitationis ubi causa legitima subesset, ad triennium prorogarunt.

19. Visitat vero Episcopus *Ecclesias omnes sæculares,* et auctoritate *Apostolica* etiam quomodocumque *exemptas* c. 8. sess. 7. *De Ref.* Hinc 1°. Ecclesias sæculares diœceseos *Sedi Apostolicæ immediate subjectas,* earumque prælatos quasi episcopalem - auctoritatem habentes, potest Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, cujus cathedralis Ecclesia sit proximior, visitari nisi loci prælatus Episcopum in provinciali concilio elegerit, cui subsit quoad

visitationem c. 9. sess. 24. *De Ref.* 2°. Capitula *Cathedralis* et *aliarum Ecclesiarum,* eorumque personas. 3°. Ecclesias parochiales etiam *unitas monasteriis* Regularium tum quoad locum, tum quoad personas curam animarum exercentes, in iis quæ ipsam animarum curam respiciunt. Excipiuntur vero Monasteria in quibus Abbates generales aut capita ordinum Sedem ordinariam principalem habent c. 11. sess. *De Reg.*

20. 4°. Visitat etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus beneficia omnia commendata sive sæcularia, sive regularia etiam *exempta* c. 8. sess. 21. *De Ref.* 5°. Visitat etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus hospitalia, collegia quæque, atque confraternitates laicorum, pia loca quomodocumque appellantur, licet ad laicos pertineant et sint exempta c. 8. sess. 22. *De Ref.* Visitat etiam confraternitates erectas in Ecclesiis exemptis Regularium. Quid vero dicendum de monasteriis et Ecclesiis Regularium? Mihi videtur distinguendum esse inter monasteria et conventus intra Italiam et insulas adjacentes, et monasteria et conventus extra Italiam positos. Si de his sermo est, adhuc jus Tridentinum valet. Hinc — a) visitat Episcopus etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus monasteria, et Ecclesias regularium commendata in quibus non viget regularis observantia c. 8. sess. 21. *De Ref.* — b) Visitat Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus monasteria Regularium, quæ cum aliis in provincia vel vicinis provinciis non fuerint erecta in congregationem ut capitula celebrent et designent superiores et visitatores particularium conventuum c. 8. sess. 25. *De Reg.* — c) Visitat Episcopus monasteria et conventus erectos post emanationem decreti *Urbani VIII.* d. 21. Junii 1625 in quibus 12 religiosi non possint sustentari, et actu non sustentantur. Ex cit. decreto Urbani VIII. non visitat Episcopus monasteria, in quibus verificentur conditiones de quibus sermo est in Tridentino exposito casu. Nec visitat monasteria exempta quæ subsunt totius ordinis capiti, licet in illis non adsit regularis observantia arg. c. 20. sess. 25. *De Reg.* Nec visitat Monasteria regularium exempta, fundata ante decretum Urbani VIII. quæ non subsint supremo capiti Ordinis dummodo in illis vigeat regularis observantia. Nam in c. 8. sess. 21. *De Ref.* facultas datur Episcopo solum quoad monasteria commendata in quibus non vigeat regularis observantia. Quoad monasteria Italiæ præter ea quæ statuit Tridentinum in citatis locis et Urbanus VIII. in cit. decreto, attendenda

est etiam correctio inducta per decretum *Ut in parvis Innoc. X.* d. 10. Febr. 1654. Scilicet Episcopus visitabit Ecclesias regulares et monasteria illa, quæ ex citatis omnibus capitibus juris a sua jurisdictione non sunt exempta, non visitabit vero quæ sunt exempta. Porro quæ visitat virtute decreti *Innoc. X. Ut in parvis* visitat tamquam Sedis Apostolicæ delegatus. Quæ vero sint, vel non sint exempta in sensu supradictorum jurium jam vidimus in titulo *De religiosis domibus* (III. 36). Animadvertimus vero ex decreto *Alex. VII.* d. 5. Junii 1664 Episcopum non posse procurationem exigere a monasterio quod visitat virtute decreti *Ut in parvis Innoc. X.*

21. Insuper Episcopus potest absque tamen jure procurationis visitare oratoria et Ecclesias positas *in grangiis* monasteriorum etiam prorsus exemptorum a sua jurisdictione et visitatione c. 27. h. t. Grangiæ sunt cellulæ vel parvæ domus in possessionibus seu prædiis monachorum, in quibus aliquis vel aliqui monachi commorantur agros colendi causa. Hinc qui inter eos præest administrationi bonorum temporalium, dicitur cellularius, quasi præses cellularum. In cellulis aderat oratorium.

Tandem Episcopus quoad clausuram visitat jurisdictione ordinaria monasteria monialium sibi subjecta, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus exempta et etiam subjecta capitibus ordinum regularium c. 5. sess. 25. *De Reg.* in *Trid.*

22. Ad complendam vero hanc materiam, observamus 1°. scopum visitationis esse sanam *doctrinam*, pulsis hæresibus, inducere, bonos *mores* tueri, malos corrigere, populum cohortationibus ad religionem, pacem et innocentiam accendere; c. 3. sess. 24. *De Ref.* 2°. Ex c. 10. sess. 24. *De Ref.* habemus Episcopum in iis quæ ad visitationem et correctionem morum pertinent jus et potestatem habere etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatum, ea omnia ordinandi, moderandi, puniendi et exsequendi juxta canonum sanctionem quæ illi necessaria videbuntur pro sua prudentia et emendatione subditorum, nec decreta Episcopi hac in re posse ullo modo etiam per appellationem ad Sedem Apostolicam suspendi aut eorum exsecutionem impediri; cfr. l. II. tit. 28. n. 87.

Titulus XL.

De consecratione ecclesiæ vel altaris.

1. Nomine *Ecclesiæ* in titulo venit ædes vel domus cultui divino deputata in qua fideles conveniunt ad ipsum cultum præstandum. *Altare* est sedes seu locus in quo sacrificium offertur. Aliud est *fixum*, aliud *portatile*. Fixum est quod consecratur tamquam adhærens suæ basi, portatile quod consecratur distincte et absque relatione ad basim. Hinc de loco ad locum asportari potest. Loquimur I°. de concecratione Ecclesiæ; II°. de consecratione altaris.

I°. Consecratio Ecclesiæ definitur: '*Dedicatio solemnis Ecclesiæ ad honorem Dei facta, a legitimo Ministro per unctionem chrismatis, et præscriptam verborum formam cum intentione canonica*'. Ecclesia ad fidelium pietatem excitandam ritus quosdam instituit qui appellantur sacramentalia, et eo diriguntur ut ex opere operantis fidelibus producant divinam gratiam. Ritus consecrationis Ecclesiæ institutus est ad imitationem Sacramenti ordinis. Hinc consecratio dicitur esse actus ordinis, at eo sensu quia ex institutione Ecclesiæ sacer minister dedicans cultui divino locum imitatur consecrationem personæ in sacra ordinatione. Quare etiam dicitur in consecratione adesse intentio canonica seu intentio ministri deputandi locum ad cultum divinum juxta Ecclesiæ institutionem.

2. Differt consecratio a *benedictione*. Hæc enim fit cum *aqua lustrali* in pavimento certis adhibitis precibus, et committi potest etiam *presbyteris*, dum consecratio *chrismatis unctione* fit, et minister validæ consecrationis est solus *Episcopus*, et quidem ut licita sit, debet fieri ab Episcopo ordinario loci, qui potest alteri Episcopo munus consecrandi Ecclesiam committere c. 9. h. t. At extraneus Episcopus, si irrequisito Episcopo loci, consecrat Ecclesiam, suspenditur ab usu pontificalium c. 5. sess. 6. *De Ref.* et 2. sess. 14. *De Ref.* Necnon cessare debet per annum a celebratione Missarum c. 28. C. 6. q. 1. Hæc pœna suspensionis a celebr. missæ renovata non est in Const. *Apostolicæ Sedis.*

3. *Presbyter* vero solum ex privilegio Pontificis potest consecrationem Ecclesiæ perficere. Quod et videmus concessum a *Paulo III.* d. 18. Dec. 1542. atque *Pio IV.* d. 9. Febr. 1562. Abb. Ludovico, et successoribus ejus in Monasterio *Einsidlensi* quoadusque certæ

rerum circumstantiæ manerent; cfr. *Benedictum XIV.* in *Syn. Diœc.* l. 13. cp. 15. n. 3. — Alias jam vidimus jus consecrandi Altaria spectare ad Em. Cardinales ecclesiarum titulares, non ad Cardinalem Urbis Vicarium, ex decreto specialis Congregationis confirmato a S. P. *Leone XIII.* d. 30. Jan. 1879; l. I. tit. 31. n. 38. — Inde apparet quidem, Cardinales charactere episcopali insignitos hanc altarium consecrationem per se posse peragere; at quæritur quid sit de Cardinalibus ordinatione sacra tantum presbyteris vel etiam solum diaconis. Nihil hac in re expresse a S. Sede definitum scimus, attamen facile concludi potest, Cardinalibus ordinatione presbyteris cum jure consecrandi altaria generaliter adjudicato facultatem intrinsece et tacite esse factam consecrationem perficiendi per *seipsos*, minime vero Cardinalibus charactere diaconali tantum ornatis; nam presbyter a Summo Pontifice ad perficiendas ss. unctiones (excepto sacramento Ordinis) jurisdictione donari potest, nullatenus autem diaconus. Quare Cardinalis sacramentali ordine diaconus licet jus habeat consecrandi altaria proprii tituli, non potest tamen id per se ipsum, sed Episcopum ad consecrationem delegare debet.

4. Ritus consecrationis Ecclesiæ in Pontificali Romano præscribitur, cujus ritus pars essentialis est ut liniantur sacro chrismate duodecim cruces in pariete Ecclesiæ insculptæ vel depictæ et forma verborum proferatur. De hac unctione præcipit Pontificale Romanum in tit. *De ecclesiæ dedicatione seu consecratione* circa initium: »Item depingantur in parietibus Ecclesiæ intrinsecus per circuitum 12 cruces, circa decem palmos super terram, videlicet 3 pro quolibet ex 4 parietibus.« — *Depingi* debent cruces, ut perpetua exstet consecrationis memoria; ideo fortasse melius adhibetur modus, ubi commode fieri potest, signandi locos inunctos *lapidibus marmoreis* in forma crucis sectis. Quotiescunque ergo factum consecrationis constat, cruces depictæ vel insculptæ in perpetuum remanere debent in parietibus. Quando autem cruces depictæ vel insculptæ tractu temporis disparuerint aut vi erasæ, evulsæ, destructæ fuerint, unctiones in parietibus non erunt renovandæ, sed cruces iterum depingendæ vel sculpendæ erunt in testimonium peractæ consecrationis, arg. ex resolutionibus S. R. C. in *Lauden.* d. 28. Jun. 1879, in *Senien.* d. 5. Maji 1882, in *Nitrien.* d. 13. Jul. 1883, in *Barchinonen.* d. 16. Jan. 1886. — Secundum rubricam Pont. Rom. cruces disponendæ essent in 4 parietibus

ecclesiæ: 3 cruces in singulis parietibus. Attamen hæc rubrica non est præceptiva, sed quomodo agi *possit*, innuit. Et revera non raro cruces depinguntur in 2 parietibus lateralibus, quem usum S. R. C. agnoscit, e. gr. in *Mechlinien.* d. 31. Aug. 1867. De præcepto est ut Episcopus consecrans etiam missam celebret, at ob rationabilem causam fieri potest ut alius pro consecrante celebret. Episcopus antequam procedat ad consecrationem debet certior fieri de sufficienti *dote* Ecclesiæ c. 8. h. t. In quo etiam Regi Hungariæ imponitur onus dotandi Ecclesiam quam fecerat consecrare. Immo ex c. 9. *De donat.* (III. 24) deducitur ipsum Episcopum consecrantem, qui sciat Ecclesiam esse absque dote, teneri ad eam dotandam. Ecclesia consecrari potest quoties de novo erigitur vel quoties ex certis documentis non potest probari eam fuisse consecratam cc. 16. et 18. *De consecr.* D. 1. At si certo est consecrata, non potest iterum consecrari nisi antea fuerit exsecrata c. 20. *De consecr.* D. 1.

5. Ratio est, quia consecratio a sacris canonibus censetur velut adhærere parietibus Ecclesiæ ad similitudinem characteris qui animæ fidelis consecrati imprimitur. *Exsecratur* autem Ecclesia quoties *parietes vel totaliter, vel majori ex parte simul et non successive destructi* denuo construantur. »Pariter si parietes interiores ex toto vel majori parte sint igni simul et non successive exusti, et devastati vel abrasi, *licet non corruant* c. 20. De consecrat. D. 1.« Multi alii DD. dictum c. 20. *De cons.* D. 1. explicabant uti auctor noster, sc. etiam de casu quo parietes *licet non corruissent*, tamen exusti, devastati vel abrasi fuissent. At novo et novissimo tempore S. R. C. semper contrarium tenebat. Dummodo lapides cæmentati firmi stent, nihil refert utrum *crusta* sive *opus tectorium* deciderit aut totaliter aut ex majori parte annon; ita S. R. C. omissis aliis in cit. *Senien.* et *Modrussen.* d. 5. Maji 1882 et in *Tridentina* d. 26. Jun. 1894; in decreto d. 19. Maji (8. Jun.) 1896 ad II^um^.; in *Nicoteren. et Tropien.* d. 9. Aug. 1897. ad I^um^. In decreto citato d. 8. Jun. 1896 sub n. II^0^. statuitur: »Ecclesia consecrata remanet, quamvis in ejus parietibus opus tectorium sit renovatum.« Ex hac constanti decidendi S. R. C. praxi cit. c. 20. *De consecr.* D. 1. explicari debet et facile explicari potest; nam verba huc spectantia »ab igne exustæ« intelligenda sunt de tali incendio ut etiam muri destructi sint vel saltem destrui debeant. — Ecclesia pariter exsecrata censetur si parietes in longitudine,

latitudine vel altitudine *pro majori parte* amplientur. Nam post hanc constructionem antiqua cessasse et nova Ecclesia quodammodo constructa censetur. Non iteratur vero consecratio si vastetur pavimentum vel lamina aut tectum decidet et renovetur c. 6. h. t. Nam consecratio censetur parietibus adhærere. — Hic quæri potest num consecratio ecclesiæ *valida* sit, quando consecratio altaris simultanea aut sit omissa aut invalide peracta. Resp. *Valida* est consecratio; sed non licita nisi habeatur Apostolica dispensatio, quamvis aliqua vel omnia Altaria jam consecrata reperiantur; ideoque servandus omnino est ordo Rituum Pontificalis Romani, ut integritas consecrationis perficiatur, S. R. C. decretum d. 19. Maji 1896, quam S. P. *Leo XIII.* ratum habuit et confirmavit d. 8. Jun. 1896 ad I^{um}.; cfr. etiam responsum ejusdem S. C. d. 22. Apr. 1891 in *Engolismen.*

6. Præter casum exsecrationis Ecclesiæ, seu amissionis consecrationis et novæ consecrationis considerant sacri canones casum *pollutionis* et *violationis* Ecclesiæ. Dicitur polluta et violata Ecclesia cum in ea ponantur *actiones manifestæ, et adeo turpes vel indecentes ut censeatur injuria illata fuisse loco sacro,* et indignus *reputetur* cultus divini celebratione. Quod manifesta seu publica debeat esse actio ad violandam Ecclesiam patet ex eo quod Ecclesia ob actionem indigna redditur cultu sacro *ex fidelium æstimatione,* ex opinione communi.

Polluitur vero Ecclesia 1°. ex c. 4. h. t. et c. un. h. t. in 6°. per voluntariam et graviter culpabilem *effusionem sanguinis* in Ecclesia causatam seu ex vulnere in ipsa Ecclesia inflicto; 2°. per *homicidium voluntarium et injuriosum* in Ecclesia causatum c. 19. *De consecr.* D. 1. et c. 4. h. t.; hoc homicidium verificatur etiam quoties *capitis sententia* in Ecclesia, licet alioquin justa, exsecutioni mandatur arg. c. 2. *De immunitate Ecclesiarum* (III. 23) in 6°.; item verificatur in *suicidio* positis conditionibus. 3°. ex c. 4. h. t. et c. un. h. t. in 6°. per voluntariam et illicitam *seminis* humani *effusionem,* sive simplici pollutione id fiat, vel fornicatione aut adulterio, sodomia etc.; 4°. si in Ecclesia sepeliatur excommunicatus vitandus, vel hæreticus notorius aut non baptizatus ex c. 7. h. t. et ex tit. *De sepulturis* (III. 28). n. 26. (pag. 258.) Notandum est responsum S. R. C. in *Tolentin.* d. 27. Febr. 1847. hujus tenoris: »Num Ecclesia consecrata quæ *militaribus* stationibus et excubiis per biduum inservivit, censenda sit profanata ac pro-

pterea indigeat reconciliatione a Pont. Rom. præscripta? — Resp. *Ad cautelam esse reconciliandam;«* similiter ob diuturnam opificum in ecclesia mansionem in *Nicoteren.* d. 9. Aug. 1897 ad II[um].

7. Animadvertendum est iisdem modis quibus Ecclesia polluitur, pollui etiam *cœmeterium,* immo ex c. un. h. t. in 6°. habemus, polluta Ecclesia, censeri etiam violatum cœmeterium unitum Ecclesiæ non viceversa. Neque cœmeterium adjacens alteri, sed muris separatum non est pollutum altero polluto. Ecclesia non violatur ex aliis criminibus licet sint graviora et violantur solum Ecclesiæ consecratæ vel benedictæ, non vero oratoria in quibus ex privilegio Missa celebratur. Nam strictæ interpretationis res est.

8. Principalis effectus violationis Ecclesiæ est ut sub pœna peccati lethalis, non vero irregularitatis prohibeatur in Ecclesia polluta administratio sacramentorum, custodia Eucharistiæ, celebratio divinorum officiorum, sepultura christianis necnon ipsa consecratio Ecclesiæ, c. ult. h. t. Immo si polluatur Ecclesia tempore Missæ nec canon inceptus est, Missa continuari nequit. Ita *Rubrica Missalis* in tit. *De defectib. in Ministerio ipso occurrentibus.*

9. Ecclesia »etiam non consecrata« polluta olim, sc. ante tempus *Innocentii III.,* censebatur interdum exsecrata, ergo prius consecrata *reconsecrari* debebat arg. ex c. 20. *De cons.* D. 1. et c. 4. h. t. i. e. ex integro textu epistolæ *Innoc.* ad Archiepiscopum *Compostellanum,* cp. 73. libri X. Verum *Innocentius III.* rescripsit: »Manente ecclesia et altari, ipsa (Ecclesia) poterit *reconciliari* per aquam, cum vino et cinere benedictam«; hæc reconciliatio debet fieri protinus, ait c. ult. h. t. Reconciliatio fit adhibitis ritibus in Pontificali descriptis; eaque fit ab Episcopo, si Ecclesia polluta erat consecrata, nec potest committi simplici presbytero nisi delegatione Apostolica c. 9. h. t. Si autem fuerat solummodo *benedicta,* reconciliatio fit a simplici sacerdote, nulla etiam expostulata venia ab Episcopo ex textu claro c. ult. h. t.

De consecratione altaris.

10. Ex c. 31. *De cons.* D. 1. habemus: 'Altaria si non fuerint lapidea, non consecrantur'. Hinc altare debet esse *lapideum* saltem in parte superiori in qua ponitur hostia cum calice, quemadmodum desumitur ex *rubrica Miss. XX. De præp. altar.* ubi dicitur 'vel saltem ara lapidea similiter ab Episcopo consecrata et

in eo inserta. Ara lapidea debet continere hostiam, et majorem saltem partem calicis' *ead. rubr. Miss.* Unde non minor uno palmo. Ara i. e. materia illa plana ubi reponitur hostia et calix in Missæ sacrificio, rite construi debet ex *uno et integro* lapide juxta canonicas præscriptiones, S. R. C. in *Eugubin.* d. 29. Aug. 1885.; lapis autem artificialiter ex pluribus lapidibus efformatum non est materia apta neque ad *licitam* neque ad *validam* consecrationem; decr. S. R. C. d. 8. Jun. 1896 ad III[um]. Hoc valet de altaribus et *fixis* et *portatilibus; portatilia* — ut jam nomen insinuat — minora sunt, ex uno lapide constructa quæ de uno in alium locum facile possunt portari; *fixa* vero cum basi firmiter debent conjungi quæ conjunctio vocatur *stipes* altaris. Variis autem modis hæc conjunctio fieri potest, dummodo hic *stipes et ipse* lapideus est ita quidem ut communiter putari ac facile probari possit totus lapideus, S. R. C. in *Senien.* d. 14. Dec. 1888. ad I[um]. Quare non licet consecrare altare cujus nucleus (sc. stipitis) quamvis lapideus, undique tamen tectus sit lateribus quibus super inducta est crusta marmorizata, S. R. C. ibidem ad II[um]. Attamen consecratio ejusmodi altaris, sc. cujus mensa constat ex uno integroque lapide, cujus tamen stipes non totus lapideus est, valida censetur, S. R. C. in *Gnesnen.* d. 8. Jun. 1894. quia uti consecratio talis quasi portatilis altaris consideratur. Indulget vero Apostolica Sedes, ut altari jam consecrato addantur stipites lapidei, atque unctiones præscriptæ in angulis private iterentur ut mensa cum iisdem stipitibus conjungatur; S. R. C. cit. loco.

Præter requisita respectu aræ et stipitis requiritur præcipue in altaribus et fixis et portatilibus: *confessio,* sc. *sepulchrum* ubi recluduntur reliquiæ ss. Martyrum, ut offeratur corpus Domini eucharisticum super corpus ejusdem Domini mysticum, 1. *Cor.* VI. 15. 19., *Eph.* V. 30. ita ut quodammodo impleatur visio prophetæ Novi Testamenti in *Apocal.* VI. 9. De quo sepulchro altaris pauca sunt notanda:

1°. Reliquiæ sint ss. Martyrum, ex Pontificali Romano, quibus tamen adjungi possunt reliquiæ sanctorum Non-Martyrum. — Reliquiæ sint primariæ, ex corporibus sanctorum, non ex veste, utensilibus etc. — Reliquiæ sint numero plures; nihilominus S. R. C. d. 16. Jan. 1888 in una *Ordinis Minorum S. Francisci de Observ.* peractæ jam cum *unica* reliquia consecrationis sanationem defectûs benigne impertivit præsupposito tamen quod ejusmodi altaria facile

rursus consecrari nequirent. — Pro consecratione altaris reliquiæ adeo sunt necessariæ, ut consecratio absque reliquiis sit invalida et iterari debeat; S. R. C. in *Lamacen.* d. 29. Apr. 1887. ad I[um].; in cit. *Ordinis Minorum* d. 16. Jan. 1888.

2°. Hæ reliquiæ in sepulchro reponendæ *sigillo* muniri debent. Nonnunquam quæ præscripta sunt de necessitate sigilli, confunduntur. Agitur enim hic de *duplici* sigillo: unum est sigillum Episcopale quo muniendum est *vas* ubi reconduntur reliquiæ jam vigilia diei consecrationis; alterum est *lapis* vel *coperculum* quo ipsum sepulchrum mediante cæmento recludi debet. De priore loquitur Pontificale hisce verbis: »Pontifex parat Reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti et mundo vasculo, cum tribus granis thuris; ponit etiam in eo chartulam de pergameno, scriptam sub hac forma (sequitur forma), *sigillans* ipsum vasculum diligenter.« Alterum sigillum ponere sive firmare sepulchrum lapide chrismato pertinet ad ritus ipsius consecrationis altarium, de quo sigillo loquitur *Alexander III.* in c. 1. h. t. Attendi debet aliqua differentia inter requisita ad consecrationem altaris fixi et consecrationem altaris portatilis. In consecratione altaris fixi *duplex sigillum* præscribitur; econtra in consecratione altaris portatilis secundum sigillum i. e. coperculum firmatum præscribitur, cum sigillum Episcopale *possit* adhiberi ad arbitrium Episcopi; S. R. C. in *Vivarien.* d. 28. Febr. 1880 ad II[um]. — Coperculum sepulchri debet esse *ex naturali lapide,* S. R. C. in una *S. Joannis in America* d. 15. Dec. 1882. Ergo cæmentum solum pro clausura adhibitum minime sufficit; in *Arichaten.* d. 28. Julii 1883.

11. Altaria consecrat *solus Episcopus* nec simplici sacerdoti potest consecrationem committere nisi solus Romanus Pontifex arg. c. 3. h. t. Quod de consecratione altaris dictum est, etiam dici debet de consecratione *calicis* et *patenæ* quæ nempe a solo Episcopo perfici potest. Idem pariter dicendum de benedictione *campanarum.* Ratio est quia intervenit unctio et fit per modum *consecrationis.* Qui ritus a sacris canonibus reputatur actus ordinis episcopalis in sensu superius exposito.

12. Pariter *paramenta* et *vestes* ad Missam pertinentes benedicuntur ab Episcopo. At ita reservatur Episcopo benedictio, ut facile ex rationabili causa facultatem benedicendi concedere ipse possit etiam simplici sacerdoti.

13. Valida consecratio iterari nequit, quia censetur altare retinere consecrationem donec exsecretur. *Exsecratur* autem altare seu amittit consecrationem 1°. per fractionem *lapidis* superioris seu diminutionem substantialem ejusdem; cc. 1. et 3. h. t. — Invalida quoque censebatur a S. R. C. consecratio altaris, »cujus materia erat ex materia tam fragili, ut in actu ejus consecrationis quarta ejus pars esset abrupta et divisa; hoc enim non obstante posteriores cæremoniæ perfectæ sunt et unctiones in 4 angulis *potioris* partis, conjunctim cum stipite«, in *Gnesnen.* d. 8. Jun. 1894. ad II^{um}. — Si ara altaris quæ in actu consecrationis ex uno integroque lapide constabat, postea casu aliquo in duo vel plura frusta *diffracta* cæmentaria tamen arte quasi in unum denuo lapidem firmetur, hoc non obstante exsecratum censendum est ex decreto S. R. C. d. 19. Maji (8. Junii) 1896 ad III^{um}. — Exsecratur altare 2°. si frangatur aut removeatur *sigillum* seu lapis qui superpositus custodit reliquias sanctorum arg. c. 1. h. t., licet reliquiæ cum sigillo Episcopali prorsus intactæ manserint S. R. C. d. 23. Jun. 1879 in *Polycastren.* ad II^{um}. — Dicitur »si *removeatur* sigillum sepulchri«; hoc autem non verificatur, quando coperculum de novo cæmento firmatur, ex responsis ejusdem S. C. in *Lucana* d. 3. Sept. 1879 ad II^{um}. et in una *Ordinis Cistercien.* d. 25. Sept. 1875. 3°. Altare fixum consecratum amittit consecrationem si lapis seu tabula superior *amoveatur* c. 3. h. t.; cfr. etiam S. R. C. in *Lucan.* d. 3. Sept. 1879 ad I^{um}.

14. *De privilegio altaris portatilis.* Privilegium hoc in eo consistit ut quis extra locum benedictum, vel oratorium possit ubicumque in privatis domibus lapideam tabulam rite consecratam in altaris formam componere, ibique Missam celebrare. Ex c. 12. *De priv.* (V. 7) in 6°. hoc privilegium habebant *Episcopi.* Istis æquiparati sunt S. R. E. *Cardinales.* Ex c. 30. *De Privil.* (V. 33) concessa est eadem facultas *nonnullis regularibus.* At Conc. Trid. sess. 22. in decret. *De observand. et vitand. in celebr. Miss.* cavet ne Episcopus patiatur quemquam Missam celebrare *extra Eccl.* in altari portatili. Cum vero in eodem decreto tribuant Patres Episcopo facultatem procedendi etiam contra regulares in iis quæ spectant ad Missæ sacrificium, hinc inferunt DD. per hoc decretum Tridentinum fuisse regularibus sublatum privilegium altaris portatilis concessum iisdem ante Concilium. Episcopus vero potest etiam censuris compellere Regulares hac in re contravenientes.

S. Conc. in *Toletana* d. 4. Junii 1672. At eadem S. Congr. censuit a Tridentino non fuisse derogatum privilegio Episcoporum et Prælatorum Episcopis superiorum. Ex lib. XII. Decretor. pag. 120.

15. Verum ad compescendos abusus qui irrepserant *Clem. XI.* in decreto d. 15. Dec. 1703 declaravit Episcopis et prælatis his majoribus etiam Cardinalibus nullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus *laicis* etiam in propria diœcesi erigere altare, ibique Sacrosanctum Missæ sacrificium celebare. Cum autem hoc decretum videretur prohibere usum altaris portatilis Episcopis etiam visitantibus diœcesim, vel iter facientibus, hinc *Innoc. XIII.* in sua Const. *Apostolici Ministerii* et *Bened. XIII.* cit. Const. declararunt prohibitionem *Clem. XI.* non esse intelligendam de domibus etiam laicorum in quibus Episcopi forte occasione sacræ *visitationis*, vel *itineris hospitio* excipiantur; item quando Episcopi in casibus a jure permissis vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia absentes a domo propriæ ordinariæ visitationis, moram faciant in aliena domo per modum similis habitationis, in his etiam casibus licita erit altaris erectio ad effectum prædictæ celebrationis non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis. Cui dispositioni denuo confirmatæ decreto *Urbis et Orbis* S. R. C. d. 19. Maji 1896, quod S. P. *Leo XIII.* ratum habuit d. 8. Jun. 1896., accessit novum privilegium, sc. ut »etiam fideles omnes Missam aut ab Episcopo ipso aut a sacerdote in commodum et cum permissu ipsius Episcopi sive in propriæ habitationis Oratorio sive super ara portatili, ubicunque degant, celebratam audientes, quoties opus fuerit, *præceptum* Ecclesiæ *adimpleant.*«

Titulus XLI.

De celebratione Missarum et Sacramento Eucharistiæ et divinis officiis.

1. Relinquimus partem theologicam de Eucharistia prout est sacramentum, et prout est sacrificium. Pariter partem canonicam de Sacramento Eucharistiæ remittimus ad titulum *De Custodia Eucharistiæ* (III. 44). Hinc restringimus tituli materiam ad celebrationem Missarum et ad divina officia.

Et quoad primum quærimus 1°. loco: *Quoties in anno teneatur sacerdos Missam celebrare.* In c. 9. h. t. *Innocentius* pœna suspensionis plectit eos qui vix *quater* in anno celebrant. Hinc DD.

inferunt esse præceptum ut saltem quater in anno celebret Sacerdos, seu die Nativitatis et die Resurrectionis et Epiphaniæ Domini necnon die Pentecostes. Qua in re animadvertendum est *Cajetanum* Cardinalem in *Comm. ad S. Thomam* docuisse hoc præceptum de Missæ celebratione quater saltem in anno esse sub levi, *Sanctum* vero *Pium V.* jussisse expungi hanc opinionem ab illis commentariis. Hinc opinio hæc teneri non potest. Conc. vero Trid. c. 14. sess. 23. *De Ref.* Episcopo intimat ut curet ut sacerdotes saltem diebus *dominicis* et *festis solemnioribus*, si autem parochi sint, tam frequenter ut muneri suo satisfaciant, missas celebrent. Certe sacerdotium non est simplex honor dignitatis et potestatis favor, sed etiam est onus, et officium juxta illud *Pauli* ad *Hebr.*: V. 1: 'Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur etc. ut offerat sacrificia pro peccatis'. Tenetur ergo Missam celebrare presbyter et Episcopus curare debet ut presbyter hoc officium adimpleat. Ajunt vero DD. hanc curam Episcopi non actum, sed habitum respicere, scilicet providebit Episcopus, ne habitualiter sacerdotes omittant celebrationem Missæ contra mentem Tridentinorum Patrum expressam in c. 14. sess. 23. *De Ref.*

2. Animadvertendum est hanc curam non posse Episcopum exercere adhibitis *pœnis* et *censuris*. Non expedit enim timore pœnarum adigere clericum ad Missam celebrandam. Hinc cum quæreretur a S. C. Concilii 'An hoc (munus curandi etc.) Episcopus facere debeat solis adhortationibus et admonitionibus, an vero possit monere sub pœnis et censuris ut legitime non impediti debeant celebrare', d. 25. Febr. 1617 censuit non posse ex c. 14. sess. 23.; *Giral. comm.* ad c. 1. h. t.

3. Quæritur *an Sacerdos possit eadem die pluries Missæ sacrificium offerre?* Ante ætatem *Alex. II.* (an. 1061—73) lege speciali interdicta non erat iterata missæ celebratio in eadem die. Verum ad comprimendam avaritiam Sacerdotum plurimorum, qui simoniace ordinati missas quotidie lucri captandi causa ingeminabant, canonem edidit *Alex. II.* qui refertur sub c. 53. *De cons.* D. 1. in quo statuit pro lege generali *unam* dumtaxat celebrandam esse Missam a Sacerdote qualibet die. Hanc legem renovarunt *Innoc. III.* in c. 3. h. t. et Honorius III. ejus successor in c. 12. h. t. In quibus cc. animadvertimus adhiberi vocem *sufficit* vel *sufficiat* unam missam celebrare, sed ex *sensu* capitis

apparere hoc verbum exprimere prohibitionem, ne plures missæ celebrentur.

4. At ex antiquissima consuetudine et ex c. 3. h. t. excipitur dies *Nativitatis Domini* in qua die in Ecclesia Latina 3 missas licet celebrare. Glos. in c. 3. *rationem* adsignat. Sciendum insuper est sacerdotes hac triplici celebratione posse tribus obligationibus satisfacere S. C. Conc. *Nullius* d. 18. Apr. 1654. lib. 19. Decr. p. 3336. Si dies Nativitatis Domini excipitur valet adhuc lex generalis prohibens pluries ab eodem Sacerdote in die Missas celebrari; nisi adsit *privilegium* vel *necessitas.*

Et quoad I°. *privilegium* scimus in regno *Aragoniæ,* seu in ipsa Aragonia et in ditionibus Valentiæ, Catalaniæ et Majoricæ disciplinam viguisse, ut in die commemorationis omnium fidelium defunctorum sacerdotes Regulares tres missas possent celebrare, sæculares vero duas. Acceptis precibus a regibus Hispaniarum et Lusitaniæ rebusque mature perpensis *Ben. XIV.* in Const. *Quod expensis* dd. 21. et 26. Aug. 1748 concessit omnibus sacerdotibus sive sæcularibus sive regularibus regnorum *Hispaniarum* et *Lusitaniæ* privilegium celebrandi tres missas in die commemorationis omnium fidelium defunctorum. Ad removendam vero omnis avaritiæ maculam nihil innovans circa consuetudinem Regni Aragoniæ recipiendi 2 vel 3 eleemosynas, statuit Pontifex ut in aliis regionibus in quibus privilegium trinæ celebrationis concedebat, præter unius Missæ eleemosynam nil aliud sacerdotes pro aliis duabus missis perciperent, nec possent duas alias missas applicare in satisfactionem oneris antea assumpti. Quoad vero sacerdotes qui in Regno Aragoniæ duas tantum missas poterant celebrare, et ob novum indultum præsentis Constitutionis tertiam possunt Missam celebrare; Pontifex vetat illos pro hac tertia missa eleemosynam recipere.

5. Alia exceptio II°. est *necessitas* de qua in cit. locis juris c. 53. *De consecr.* D. 1. et c. 3. h. t. Antiquitus plures necessitates admittebantur. At hodie post Epistolam »*Declarasti Nobis*« *Benedicti XIV.* ad Episcopum *Oscensem* d. 16. Martii 1746 *unicus casus necessitatis* admittitur, nempe quando unus presbyter ministrat seu præest duabus Ecclesiis inter se valde dissitis, neque alius est sacerdos, qui in alterutra Ecclesia celebret Missam; »item quando una tantum sit Ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest«; *Benedic-*

tus XIV. c. 1. et Instructio S. C. de Prop. Fid. d. 24. Maji 1870. n. 10. Quo in casu binationis post primam Missam Sacerdos debet jejunium servare. Cessante vero necessitate cessat in Parocho hujusmodi facultas binas Missas celebrandi. Quamvis hæc facultas a jure communi concessa sit ac proinde proprie dicta *dispensatio* Episcopi non requiratur, tamen necesse est ut Episcopus rem cognoscat et veniam præbeat. Ipse enim est verus *Judex necessitatis.* Ita *Bened. XIV.* in cit. *Epistola ad Ep. Oscensem*; *Instructio* S. C. de Prop. Fide d. 24. Maji 1870.

Animadvertimus tandem non semper verificari conditiones veræ et proprie dictæ necessitatis, sed utique habere potest locum *dubia* vel *aliqualis* necessitas. Ut possint Episcopi in hoc casu dispensationem concedere binationis Missæ in eadem die, obtineant necesse est indultum ab *Apostolica Sede.* Cum enim sit dispensatio a jure communi, excedit facultates episcopales. Quæ exposuimus, novissimo responso S. C. Concilii ad Episcopum *Malacitanum* d. 10. Maji 1897 denuo fuerunt comprobata.

6. Si quæstio proponitur, utrum — præter diem Nativitatis Domini et privilegium regnis Hispaniæ et Lusitaniæ concessum — unquam concedatur uni sacerdoti *trinare,* sc. tres ob necessitatem populi et penuriam sacerdotum missas celebrare, dicendum est, hanc facultatem tamquam abusum semper consideratam esse a Sede Apostolica; argumento relationis Archiepiscopi *Mexicani* ad S. Sedem: »Admonitus fui«, ait, »ut iste abusus tres Missas prædictis diebus (de præcepto) celebrandi penitus exstirparetur«. Nihilominus idem Archiepiscopus urgentissimam ad Summum Pontificem fecit instantiam, ut dignaretur concedere hanc extraordinariam facultatem. Et revera ob gravissimas causas et speciales circumstantias rescripsit S. C. Concilii d. 28. Martii 1896: »*Pro gratia* (sc. *trinandi) ad quinquennium, in forma et terminis rescripti d. 20. Dec. 1879, facto verbo cum Sanctissimo.*«

Mens autem (aliis verbis *forma et termini)* rescripti d. 20. Dec. 1879 hæc erat: »Ut ultra 3. missam nullam nullaque de causa iterationem permittas; necnon ut, concessionis tempore durante, ea qua præstas prudentia ac sollertia res componere satagas ad tramites disciplinæ *vigentis,* qua sc. plebis necessitati audiendi Sacrum satis consulatur per binationem«. Hoc indultum est prorsus extraordinarium neque unquam in exemplum trahendum, cfr.

rescriptum S. C. Conc. d. 6. Juli 1893 ad Episcopum *S. Jacobi* (in *Costarica*).

7. Hucusque tractavimus de facultate celebrandi sæpius in die, cui quæstioni annectenda est altera: Utrum liceat pro singulis missis etiam acceptare singula stipendia vel satisfacere certis obligationibus?

I. Raro accidet, ut sacerdos binandi facultate præditus prorsus liber sit ab *obligatione* applicandi, e. gr. pro populo, pro fundatoribus etc., nihilominus accidere possunt casus; quare prius ad hoc respondendum censuimus. Nunquam — absque specialissimo privilegio — potest sacerdos qui binandi facultate gaudet duo stipendia accipere pro duabus missis uno die celebratis; c. 53. *De cons.* D. 1.; *Bened. XIV.* in epistola *Declarasti* et in Const. *Quod expensis* d. 21. Aug. 1748. §. »Applicationem«. Diximus *absque specialissimo privilegio;* nam S. Sedis raro quidem in hac re dedit dispensationem; sic Archiepiscopus *Friburgen.* a S. Sede gratiam impetravit, ut sacerdotes ejusdem Archidiœceseos etiam pro 2ª. missa accipere possent stipendium ea tamen conditione, ut hoc 2ᵘᵐ. stipendium transmitterent ad ipsum Archiepiscopum pro sustentatione et educatione candidatorum sacerdotii; cfr. causam *Friburgen.* tractatam d. 14. Apr. 1894 penes S. C. Concilii. — Alterum exemplum dictæ gratiæ specialis commemoratur in epistola circulari S. C. de Prop. Fide d. 15. Oct. 1863 (rel. in *Instructione* sæpe nominata ejusdem S. C. sub n. 8.), »ut justa et gravi causa intercedente Sacerdotes aliquarum Missionum (venia suorum Ordinariorum) etiam pro secunda missa in eodem die celebranda stipendium percipere possint et valeant«.

Specialis ergo privilegii Apostolici casu excepto nunquam licet pro secunda missa quando facultas binandi datur, *secundum* stipendium accipere. Hac autem dispositione minime excluditur, quominus pro *labore externo* e. gr. longo itinere, aliquid recipiatur, S. C. Concilii in *Monasterien.* d. 11. Jun. 1845.; in *Treviren.* d. 23. Mart. 1861.; in *Aprutina,* d. 20. Febr. 1886.

II. Sæpius accidit, ut sacerdos sit *obligatus* ad applicandum saltem unam missam, e. gr. pro populo. — Obligatio ad applicandum potest provenire aut ex caritate vel fidelitate aut ex justitia. Obligatio ex justitia hic non intelligitur de obligatione ex dato

aliquo stipendio, sed ex aliquo officio, e. gr. parochi, canonici, beneficiati etc. Inprimis notandum est in utroque casu sc. in obligatione ex caritate etc. et in obligatione ex officio omnem prorsus remunerationem *actualem* excludi non spectata remuneratione *habituali* quæ ex munere parochi etc. provenit. Hoc præmisso dicendum est: 1⁰. Quotiescunque sacerdos binandi facultate pollet, officio *ex caritate* vel *fidelitate* semper potest satisfacere, licet pro altera missa stipendium acceperit vel ex officio alteram missam applicaverit; S. C. Concilii in *Nanceyen.* — *Tullien.* et *Nemausien.* d. 14. Sept. 1878. et in *Vivarien.* d. 5. Martii 1887 ad I^{um}. »An sacerdos qui ex statutis sodalitatis cui nomen dedit, tenetur missam celebrare pro sodali defuncto, possit ad satisfaciendum huic oneri, secundam missam in die binationis applicare in casu?« S. C. C. in dicta *Vivarien.* respondit: *Affirmative.*

2⁰. Aliter res se habet quando sacerdos applicare tenetur saltem unam missam pro munere suo, e. gr. missam parochialem. Cum altera missa potest quidem officio caritatis satisfacere, minime vero obligationi ex aliquo stipendio enatæ. At quæritur: Potestne sacerdos qui pro munere suo unam missam applicavit, etiam alteram missam applicare, ut satisfaciat secundæ obligationi ortæ ex altero munere. Certum est parochum qui duas administrat parochias, non solum *posse* in casu binationis unam missam pro uno parochiano populo applicare, et alteram pro altero, sed etiam *debere*; cfr. dicta in tit. *De parochis* (III. 29) nn. 15. et sqq. (pag. 273). Idem statuendum videtur, si quis sacerdos ad applicandum tenetur ex alio munere, e. gr. beneficiati; hoc erui potest ex celebri causa *Friburgen.* d. 14. Apr. 1894. Quæsitum fuit: »Utrum oneri, sacerdoti E. tamquam beneficiato incumbenti, quavis dominica applicandi *pro fundatoribus,* satisfacere possit per secundam missam quam præter missam *parochialem,* pro parochia Andelshofen applicandam, celebrat« (dictam parochiam beneficiatus E. administrandam ab Archiepiscopo acceperat)? Cui quæsito S. C. C. respondit: »Vigore etc., attentis etc. pro gratia *ad cautelam* ad triennium, si tamdiu etc.« — S. Congregatio ex professo decidere noluit quæstionem, attamen verbo »ad cautelam« non obscure indicat, dictum beneficiatum ad instar parochi cum duabus parochiis distinctis posse duplici oneri duplice missa satisfacere. Verum in omni casu S. C. consulebat tranquillitati conscientiæ, tribuendo specialem gratiam in quantum opus erat.

Porro duplex obligatio applicandi ex munere urgere debet *pro die binationis*; nam si ejusmodi obligatio secunda non urget pro illo die, missam applicare non licet ad hanc intentionem.

Si e. gr. parochus die festo ubi obligatio applicandi pro populo urgebat, interveniente legitimo impedimento non poterat applicare, nequaquam proximo die festo ejusdem obligationis potest unam missam applicare, ut satisfaciat obligationi *occurrenti*, alteram, ut satisfaciat obligationi *translatæ*, S. C. Concilii in *Vivarien.* d. 5. Martii 1887 ad IIum.

8. Ad materiam tituli potest etiam referri quæstio *de reductione onerum Missarum.* Super hac re adest dispositio Conc. Trid. in c. 18. sess. 25. *De Ref.* Accessit decretum S. C. Concilii auctoritate *Urbani VIII.* vulgatum quodque refertur a *Reiffenstuel* in h. t. n. 30. In hoc decreto præsertim constituitur non posse Episcopum nec in diœcesana Synodo, aut superiores regulares in capitulis generalibus reducere onera Missarum, quamvis reditus tenues sint, et stipendia sint incongrua pro singulis missis, sed reductionem expetendam esse ab *Apostolica Sede.* Prohibet pariter decretum ad damnabile lucrum removendum, ne presbyter qui pro celebratione Missæ eleemosynam accipit, Missam faciat ab altero celebrare, *retenta sibi parte eleemosynæ.* Hæc prohibitio intelligi non debet de beneficiario, qui ex lege fundationis non impediatur quominus per alium possit celebrationi Missarum satisfacere. Hic enim potest sibi retinere quod superest tradita prius celebranti sacerdoti *congrua* eleemosyna.

De officio divino.

9. Nomine *divini officii* veniunt horæ canonicæ. Recitatio officii in Ecclesia latina pro clericis majoribus et beneficium ecclesiasticum possidentibus est de præcepto in c. 9. h. t. ubi *Innoc. III.* præcipit in virtute sanctæ obedientiæ ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote. De publica et solemni recitatione divini officii egimus in tit. *De Clericis non residentibus* (III. 4). *S. Pius V.* in Const. *Ex proximo* 12. Kal. Oct. 1571 statuit ut quicumque beneficium ecclesiasticum obtinuit, si post sex menses a consecutione beneficii legitimo impedimento cessante officium divinum non dixerit, fructus beneficii amittat pro rata temporis omissionis officii.

10. Cum recitatio officii divini pertineat ad cultum publicum, hinc determinatio horarum et forma specifica hujus orationis pendet tota ab ecclesiastica constitutione. Antiquitus Ordinarius loci moderabatur recitationem officii. Hinc ortæ sunt diversæ normæ diversæque formæ hujus publicæ orationis. Sed ad uniformitatem inducendam, necnon ad removendum periculum, ne hæretici in publicis orationibus errores suos introducerent, approbatio divini officii *ad Apostolicam Sedem* reservata est; quæ in novis proponendis officiis particularibus solet absolute præcipere ut in illa forma recitentur, et quandoque adjicit etiam clausulam non valere recitationem secus factam.

Titulus XLII.

De baptismo ejusque effectu.

1. Licet de materia, forma, subjecto, ministro, intentione etc. ex professo theologi loquantur, nihilominus nonnulla maximi momenti in hac materia ad jus canonicum spectant quæ breviter tangemus. Sermo erit I°. de baptismo; II°. de ejus effectibus. Quoad ipsum baptismum aliqua respectu *ministri, subjecti, iterationis, loci, temporis* notabimus. Sit ergo

I. 1°. *De ministro baptismi.* Distinguamus oportet ministrum *solemnitatis* et *necessitatis.* Valide baptizare posse omnem hominem, dummodo cetera requisita ad valorem ponantur, inter omnes constat. At in conferendo baptismo necessitatis ordo quidam est observandus ita ut ille qui corpori Christi eucharistico et mystico est propior, ceteris præferatur nisi vel respectus *scientiæ* vel *decentiæ* aliud suadeat. — Minister *solemnitatis* ordinarius est sacerdos, extraordinarius diaconus; quoad liceitatem requiritur, ut sacerdos sit parochus vel delegatus a Parocho vel ab Ordinario loci. Si quæratur, utrum diaconus solemniter baptizans sine licentia Parochi vel Ordinarii fiat irregularis, eum non fieri irregularem, licet graviter peccet, nostra sententia est, quam probabimus in tit. *De clerico non ordinato ministrante* (V. 28).

2. Loquimur 2°. *de subjecto baptismi.* Omnis homo nondum baptizatus *valide* baptizari potest, sive sit infans sive adultus, dummodo adultus habeat saltem habitualem intentionem. *Licite* baptizantur adulti, quando convenienter sunt *dispositi.* Ad hanc dispositionem requiruntur tria: fides nempe, pœnitentia et intentio

illum percipiendi; attamen non eodem modo hæc tria requiruntur, etenim prima et secunda conditio pertinent ad liceitatem tantum, intentio vero etiam ad valorem. Ergo si certum est ultimam conditionem deesse, nullo modo baptizari potest adultus; si dubium adest de intentione in adulto et nunc baptizari debet, baptizandus est sub conditione: »*Si capax es*«. — Deinde si certo deficiunt fides et pœnitentia, licet intentio necessaria adsit, non licet baptizare adultum, juxta responsum S. C. Inq. d. 25. Jan. 1703 ad Episcopum *Quebecensem*. Econtra si sacerdos certus quidem sit de intentione, sed dubius respectu fidei et pœnitentiæ in adulto, et tempus baptizandi urgeat, ob imminentem mortem, baptizari eum debet aut omnino sine conditione aut saltem sine conditione respectu *dispositionis*. Nam conditio quoad capacitatem etiam respectu *fidei* adjungi potest et debet, quoties prudenter dubitatur utrum mysteria de Deo uno et de Deo remuneratore (cfr. prop. 22. damnatam ab *Innocentio XI*. d. 2. Martii 1679) sufficienter intellexerit vel sufficienter credat necne; item quoties dubium vel certum est, baptizandum ignorare mysteria Ss. Trinitatis et Incarnationis D. N. J. Chr.; duo priora mysteria scitu esse *certo* necessaria necessitate medii, altera duo saltem *probabilissime*, nemo est qui ignoret; diximus *probabilissime;* nam etiam S. C. Inquisitionis adhæsit sententiæ, huic duplici responso dato d. 10. Maji 1703; cfr. *Analecta J. P.*, ser. 2. col. 1804. 1805.

Licitæ collationis baptismi subjecta sunt infantes parentum *catholicorum* qui »quamprimum fieri poterit deferendi sunt ad baptismum« (Rit. Rom.). Quando vero infantes parentum hæreticorum vel Judæorum vel gentilium licite baptizari possint, videri potest supra in tit. *De conversione infidelium* (III. 33) n. 5. pag. 320—321.

3. Hucusque sermo erat de hominibus jam in lucem editis, at quid dicendum est de infantibus in utero matris exsistentibus; possuntne valide et licite baptizari? Audiamus inprimis *Rituale Romanum* in tit. *De baptismo,* in parte: *De baptizandis parvulis:* »Nemo«, ait, »in utero matris clausus baptizari debet«. Sed si infans *caput* emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; et tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus hoc modo: »*Si non es baptizatus, ego te*

baptizo in nomine Patris etc.« — Duos in hoc loco distinguit casus Rit. Rom.: unum in quo infans partialiter (sc. in aliquo membro) natus est, alterum ubi infans omnino in utero matris clausus est; qui casus accuratius explicandi sunt.

a. Si caput infantis extra vias partus emissum est et periculum imminere creditur, infans in hoc membro baptizari debet *nulla adjecta conditione* nisi *de vita* quando prudenter dubitari possit, num infans adhuc vivat. Idem servetur si aliud membrum emissum est nisi quod conditio »Si capax es« adjici *possit.* — Quando infans sic baptizatus mortuus exierit, in loco sacro semper sepeliri debet. Quando autem vivus exierit, statim baptizari debet adjecta conditione »Si nondum es baptizatus« ut supra. — Si vero in capite jam emisso baptizabatur infans, amplius non debet baptizari neque sub conditione saltem ex circumstantia quod truncus infantis inter baptismum adhuc nondum editus erat; facile autem *aliæ* dubitandi rationes exsurgent, e. gr. de forma et materia in hisce necessitatibus valide applicata, quibus de rationibus poterit conferri conditionatim baptismus etiam hoc casu.

b. Loquimur de casu in quo infans neque totus neque in parte in lucem prodiit. Iterum subdistinguamus necesse est inter casum ubi infans adhuc *clausus* est et inter casum quo ipsum corpus infantis aliquo modo *attingi* potest. Si infans *omnino clausus* est, baptismus applicari nequit, neque corpori matris — idquod valere non solum hæretici olim somniabant, sed etiam matres eruditionis exsortes adhuc opinantur — neque in cutibus fœtum circumdantibus, »secundinis« dictis. Involutus est enim fœtus in utero matris tribus cutibus: deciduâ, amnio, chorio, quarum prima extrema ex utero matris, aliæ duæ interiores ex ovulo fœtus originem ducunt et quæ omnes crescente infante magis extenduntur. Certum igitur est fœtum baptizatum in deciduâ tantum non esse baptizatum; item baptismus amnio vel chorio tantum applicatus videtur saltem dubius.

Aliter res se habet quando infans in utero vel in vagina matris adhuc quidem est retentus, *certe* tamen aliquod corporis membrum potest *attingi* scissis vel diruptis secundinis. Potestne in hoc casu infans valide et licite baptizari? Respondetur: Non solum potest, sed etiam debet baptizari. — Nam objectiones ex ss. Patribus, inprimis e s. *Augustino* desumptæ solvi facile possunt; consulatur *Benedictus XIV.* in *Syn. diœces.* l. 7. cp. 5. nn. 4. et 5.

Si enim contenditur: Quod natum non est, renasci non potest, bene intelligatur et tota difficultas evanescit. Nam infans in utero matris respectu renascendi jam natus est i. e. jam vitam humanam, licet intrauterinam, ducit, jam homo viator est; etenim nasci significat non solum edi in lucem, sed etiam *oriri* et hoc quidem convenientius, idquod prætermissis classicorum locis concluditur ex *Matth.* I. 20 coll. cum *Joa.* III. 5.; utique in utroque loco S. Scriptura de »γεννηθῆναι« loquitur. Deinde dato quod nasci nihil significet nisi edi in lucem, explicari etiam in hoc sensu non ardue potest; etenim clausuræ jam sunt disruptæ ita ut corpus infantis videri et attrectari possit. *Debet* autem baptizari; nam in periculo mortis juvari debet homo auxiliis etiam solum probabilibus. — Baptizandus vero est infans ejusmodi cum conditione, saltem subintellecta »Si capax es«; nam præter quæstionem theoricam certe non paucæ exsurgunt difficultates practicæ. Et quando postea vivus editus est infans, denuo sub conditione rebaptizetur, etsi in utero supra verticem perfectissima methodo a perito ac probo medico sit baptizatus. Sic respondit S. C. Concilii ad Archiepiscopum *Mediolanen.* d. 16. Martii 1897: sc. dedit prius responsum d. 12. Julii 1794 hujus tenoris: »Fœtus in utero supra verticem baptizatus post ortum denuo sub conditione rebaptizetur.«

4. Jam vidimus nonnunquam baptismum iterari, imo iterari debere. Verum *absolute* iterare baptismum horrendum est crimen, de quo sermo erit in tit. *De Apostatis et reiterantibus baptisma* (V. 9). Attamen quia interdum dubium restat circa materiam, formam, intentionem, subjectum alicujus baptismi, nonnunquam baptismus iterari debet *sub conditione.* Hæc conditio se referre nequit ad licitam, sed solummodo ad *validam* collationem; quare conditio »Si capax es« in omnibus casibus esset apta, nisi Ecclesia ordinasset alias conditiones quæ propius rem exprimerent; sic *Alexander III.* in c. 2. h. t. in casu baptismi jam collati de cujus valore tamen dubitatur, ordinavit: Sic baptizatum esse baptizandum cum conditione »Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo«. Alia forma conditionata invenitur in Rit. Rom.: »Si tu homo es, ego te baptizo etc.« pro casu dubii utrum editum quid sit homo necne, e. gr. mola tantum. —

Præmissa hæc difficilia non sunt, at practica difficultate non caret quæstio: *Quando licet baptizari sub conditione?* Generali regula tenendum est: Tunc solum licere iterationem baptismi con-

ditionatam, quando adest *dubium prudens seu probabile.* Hoc dubium semper adesse censetur: 1. Quando baptismus confertur infanti in utero matris exsistenti; 2. quando baptismus confertur infanti non in capite, sed in alio corporis membro quod tunc solum extra matris uterum est emissum. In his duobus casibus baptismus nulla ampliore investigatione facta potest et debet sub conditione iterari, at in ceteris casibus nunquam generaliter est judicandum, sed factum particulare stricte examinandum.

Hisce generaliter dictis haud inutile censemus aliquas proponere quæstiones:

I. *Quid faciendum est de infantibus expositis?* Infantes expositi qui versantur *in periculo mortis, statim* sub conditione baptizandi sunt, ne tempore super investigatione consumpto amittant æternam beatitudinem. — *Extra mortis periculum* valet rubrica Rit. Rom.: »Infantes expositi et inventi, si re diligenter investigata, de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur.« Sufficit ad testandum baptismum unus testis omni exceptione major ex c. 112. D. 4. *De cons.;* minime vero sufficiunt conjecturæ vel indicia; e. gr. rudimenta fidei a puero exposito cognita, S. C. Concilii in *Ripana;* scheda cum testimonio baptismi collo infantis alligata, eadem S. C. Concilii in causa *Urbis* d. 18. Dec. 1723 apud *Prosperum Lambertinum* (Benedictum XIV.) in *Inst. 8.* ad finem.

5. II. *Quid judicandum est de baptismo ab obstetricibus collato?* Idem judicandum est — generaliter loquendo — ac de baptismo ab alia femina collato, excepto quod obstetrix melius fuerit instruenda et regulariter melius est instructa et necessaria doctrina et experientia. Egregie materiam tractat *Benedictus XIV.* in *Syn. Diœces.* l. 7. cp. 6. n. 4. et ex professo in cit. *Institutione 8.*

Quibus ex locis hæc concludi possunt: Improbandum est axioma quod amplectuntur nonnulli sacerdotes in cura animarum laborantes et quod etiam synodi diœcesanæ clero proponebant teste eodem *Benedicto XIV.* necnon *Benjamino Elbel* in sua *Theol. mor.* (edidit P. J. *Bierbaum,* O. S. Fr. 1895) in vol. III. parte 8. nn. 120—122.*) »*Iterum sub conditione baptizandi sunt infantes quicunque privatim fuere ab obstetricibus domi baptizati.*« Jure merito improbandum est; nam baptismus ab obstetricibus collatus

*) Nominat diœceses *Passavien. Mechlinien., Augustanam, Churien.*

validus esse *potest.* Ergo peccatum sacrilegii ille non effugiet qui absque prudenti et probabili dubitatione sub conditione rebaptizat, *Benedictus XIV.* in *Syn.* l. 7. cp. 6. n. 2. De irregularitate ex conditionata etiam rebaptizatione cfr. tit. *De Apost. et reiterantibus baptisma* (V. 9). Quare casus particularis semper perscrutandus est idquod fit et inquirendo de *facto* baptismi et ponderando *testimonii credibilitatem.* Ordinarie fit ut obstetrix debeat testificari sola de facto proprio. Si parocho exploratum est obstetricem esse *fide dignam,* ejusdem testimonio stari potest et debet; cfr. dicta superius, cit. c. 112. *De cons.* D. 4.; sin minus, rebaptizari potest sub conditione. — Testimonium autem obstetricis se extendere debet ad omnia quæ pertinent ad valorem baptismi, sc. ad valorem materiæ, et formæ et utriusque applicationem simultaneam ab una eademque persona cum intentione faciendi quod facit Ecclesia factam. Quodsi obstetrix fide digna omnia rite et adamussim sine animi perturbatione observasse, quantum fieri poterit, propriis verbis narraverit, parochus non poterit rebaptizare infantem ne sub conditione quidem; cfr. *Benedictum XIV.* in *Syn.* c. l. n. 4. At si in aliquo essentiali defecerit vel etiam si in actu baptismi se fuisse animo perturbatam retulerit, ratio prudens et probabilis adest dubitandi; ergo baptismus iterari potest et debet sub conditione. Tota res comprimitur in responso S. C. Concilii d. 29. Dec. 1682 (apud *Benedictum XIV.* in *Inst.* 84.): »Infantes ab obstetricibus baptizatos posse rebaptizari sub conditione in casibus particularibus, ubi *rationabile* dubium oritur circa validitatem Baptismi prima vice collati.«

Pro praxi hæc notanda sunt: Obstetrices inprimis servitii earum *initio* examinandæ vel docendæ sunt a propriis parochis circa ea quæ scitu necessaria sunt in conferendo baptismo et in adjuvandis puerperis morti proximis, deinde *singulis annis* saltem semel, in quantum fieri poterit. — Obstetrix de collato baptismo ne examinetur coram testibus, ne timore perdendi famam mulieris fortis proprios in conferendo baptismum defectus taceat. — Obstetrix moneatur, ut si fieri poterit, aliam personam fide dignam adhibeat testem baptismi; nam sic etiam rigidiori sententiæ satisfit apud *Bened. XIV.* in *Syn.* c. l. n. 4.

6. III. *Quid judicandum de baptismo ab hæreticis collato.* — Principia quæ superius generaliter et quæ adnexe in quæstione II[a]. quoad baptismum ab obstetricibus collatum specialiter fuerunt

enuntiata, etiam in nostra quæstione valent ita ut etiam hic singuli casus sint examinandi. Expresse hoc statuitur in responso S. C. Inquisitionis d. 20. Nov. 1878.*)

Propositæ *quæstioni* »An baptismus conferri debeat sub conditione hæreticis illis qui redeunt in sinum Ecclesiæ catholicæ a quocunque loco ipsi veniant et cujuscunque sectæ ipsi fuerint?« propositoque *casui* ex opere »Casus conscientiæ« quod edidit P. J. P. *Gury* (editio *Melitensis* 1878, pag. 393)**) hujus tenoris: »Sabellinus hæreticus, veniens ad parochum, petit instrui et admitti ad Ecclesiam Catholicam. Parochus vero eum instructum interrogat de suscepto baptismo, nec potest certum defectum invenire; hinc anceps hæret utrum illum sub conditione baptizare debeat, quod tandem, non absque magna anxietate, præstat. — R. Sabellinus rebaptizare *(sic! sed omnino legendum est rebaptizari)* potuit et debuit, ut fert mos generalis Ecclesiæ, quia notum est, hæreticos errare sæpius in baptismo conferendo; ergo prudenter hæretici ad veram fidem conversi communiter rebaptizari solent: — ergo hisce propositis S. C. Inq. respondit d. 20. Nov. 1878: *Negative.* Sed in conversione hæreticorum a quocumque loco, vel a quacumque secta venerint, inquirendum de validitate baptismi in hæresi suscepti. Instituto igitur in *singulis* casibus examine, si compertum fuerit aut *nullum* aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. — Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc *probabile dubium* de baptismi validitate supersit, tunc *sub conditione secreto* baptizentur. — Demum si constiterit *validum* fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei.« Item constituit eundem casum corrigendum esse juxta terminos dicti decreti. — Jam antea eadem S. C. Inq. mentem suam ostendit in Instructione circa professionem fidei ac absolutionem hæreticorum dum convertuntur, ad Episcopum *Philadelphiæ* d. 20. Julii 1859 sub n. I.

7. *De tempore baptismi* loquitur Rituale Romanum in tit. II. *De baptismo;* n. 27. Hic solum quæstio tractanda est, *quamdiu baptismus infantium possit differri.* »Nati infantes«, ait idem Rituale, »quamprimum fieri poterit, deferantur ad Ecclesiam, ne illis

*) Cfr. A. S. S. XI. pag. 605.
**) Editio *Ratisbonen.* 1865. II. n. 207. pag. 393.

Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis;« n. 15. Nulla exsistit lex generalis quæ tempus intra quod baptismus conferendus est, accurate definiat; ergo res legibus provincialibus vel diœcesanis relicta est; quamobrem etiam multas super hac materia invenimus particulares leges. Terminus circumstantiis diœcesis vel provinciæ aptus etiam sub peccato gravi, imo etiam sub censura præfigi potest, *Benedictus XIV.* in *Inst.* 98. n. 3., in *Syn.* l. 12. cp. 6. n. 7. Certe *S. Alphonsus* in *Theol. mor.* de baptismo n. 118. not. II⁰. nimis severus non est quando dilationem intra spatium 10 vel 11 dierum esse gravem negat — videlicet nulla exsistente severiore fortasse lege particulari. At *expressis* legibus opus non est illic ubi non secundum mundi studia delicata neque juxta mores hæreticorum, sed ex fide catholica vivitur.

8. Magis adhuc alienum a spiritu Ecclesiæ videtur conferre privatim domi sacramentum baptismi, seclusa necessitate; hoc revera redolet delicatum mundum. »Proprius Baptismi administrandi locus est *Ecclesia*, in qua sit Fons baptismalis, vel certe Baptisterium prope Ecclesiam«, Rit. Rom. c. l. n. 28., Clem. un. h. t. (III. 15). Duas exceptiones admittit hæc lex: 1) *Regum* aut *magnorum Principum* filii — id ipsis ita deposcentibus — in eorum Capellis seu Oratoriis, et in aqua baptismali de more benedicta, possunt baptizari; 2) in casu *necessitatis* baptismus domi conferri potest. Periculum de quo loquitur Clem. citata non solum verificatur quoad infantem, sed etiam quod personas infantem laturas juxta Glossam ad v. »periculum«. At alia necessitas exoriri potest eaque ex funestis nostris temporibus fidei spiritu in multis destitutis. Nonnulli enim parentes catholici infantem vel omnino non baptizari vel hæreticis baptizandum tradi præferrent quam ut deferant ad Ecclesiam, hoc honoris detrimentum falso opinantes, sæpe etiam accedente consuetudine vicinorum locorum. Unde Episcopi rationabilibus ex causis exceptiones pro suo prudenti arbitrio concedere possunt, S. C. Concilii in una *Castrimaris*, d. 20. Jan. 1894.; in *Augustodunen.* d. 14. April 1894.

9. II. Titulus noster inscribitur: De baptismo et *ejus effectu;* loquimur solum de effectibus baptismi externis. 1⁰. »Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei«, ait ipse Dominus apud *Joa.* III. 5. Hoc plenissime verificatur de introitu in regnum Dei externum i. e. præsentis temporis Ecclesiam. In hoc sensu baptismus susceptus est signum

visibile ingressus et receptionis in externam Ecclesiæ societatem, unde baptizatus obnoxius fit omnium obligationum (1. *Cor.* V. 12. 13.) et particeps omnium jurium hujus perfectæ societatis. Si igitur quis e. gr. baptismo flaminis jam esset sanctificatus, hoc non sufficeret pro ingressu in Ecclesiam, cfr. *act.* IX. 18; X. 44. et 48. Ex hisce patet: Baptismus si, quid efficiat quoad *jus ecclesiasticum*, spectamus, est fundamentum omnis juris activi et passivi pro individuo suscipiente.

2⁰. Specialis tamen effectus est *cognatio* quæ ex ejusdem sacramenti collatione resultat, et quæ *spiritualis* vocatur — attamen de hoc effectu sermo erit in tit. *De cognatione spirituali* (IV. 11).

Titulus XLIII.

De presbytero non baptizato.

1. Duplex quæstio proponitur in titulo. 1⁰. *An presbyterum non baptizatum juvent Sacramenta, quæ recipit.* In c. 2. h. t. agitur de quodam, qui non baptizatus, cum esset in opinione recepti baptismatis sacerdos ordinatus est, et deinde ex hac vita decessit. Cum dubitaretur an pro illo preces fundi possent, respondet *Innocent. III.* posse utique quia si non recepit sacramentum fidei, recepit tamen *fidem* Sacramenti. Igitur quoad salutem æternam presbytero non baptizato profuerant Sacramenta suscepta. At quid de Sacramento *ordinis?* In cc. 1. et 3. h. t. traditur presbyterum non baptizatum esse ordinandum. Ergo characterem sacræ ordinationis non recepit in priori ordinatione ante baptismum.

2. 2ª Quæstio est, *an aliis prosint Sacramenta quæ presbyter non baptizatus confert,* et magis generaliter quid dicendum de iis, quæ ipse peragit ceu sacer minister?

Si sermo sit de actibus qui ordinis et baptismi characterem *non supponunt,* valide et legitime eos conficit. Hinc *valide* baptizat et quidem etiam *licite,* si versatur in bona fide. Si sermo sit de actibus, qui procedunt prorsus ex charactere sacræ ordinationis, eos valide non perficit, quemadmodum etiam invalidi sunt actus qui procedunt *simul* ex virtute characteris seu ex virtute ordinis et ex jurisdictione. At ex doctrina divi *Thomæ* in 4. dist. 24. pie credi potest quod Christus summus sacerdos suppleat quantum ad ultimos effectus sacramentorum, saltem juxta desiderium et voluntatem fidelium Sacramenta suscipientium.

3. Quid dicendum est de actibus *meræ jurisdictionis?* *Valide* saltem exercere illos parochum contendunt nonnulli AA., inter quos etiam auctor hujus Commentarii, dummodo adsit error communis et titulus coloratus; nam supplet Ecclesia. Utrum vero hoc principium etiam in nostro casu applicari queat, non adeo certum videtur; nam agitur hic non de sacerdote vel clerico vel laico baptizato, sed de homine non baptizato, ergo *incapaci* jurisdictionis ecclesiasticæ. Hæc difficultas etiam respectu *matrimonii* non disparet.

Tridentinum in c. 1. sess. 24. *De ref. matr.* expresse requirit, ut præter duos vel tres testes matrimonio assistat parochus, ut validum esse et dici possit. Assistere quidem non est actus propriæ jurisdictionis, sed præsentia ad testificandum de actu matrimonii: attamen constitui in parochum pertinet ad jurisdictionem ecclesiasticam. Ergo etiam quoad matrimonium difficultas adest eaque quoad praxim saltem major quam in ceteris casibus; nam hic de *conditione sine qua non* ad *valide* conferendum sacramentum agitur. Tutius igitur esset sanationem petere actorum.

Titulus XLIV.

De custodia Eucharistiæ, chrismatis et aliorum sacramentorum.

1. In c. 1. præcipitur ut in Ecclesiis fideliter, adhibitis clavibus *Eucharistia* custodiatur. Confirmatur ex c. 6. sess. 13. *De Ref.* in *Trid.* Contra incaute custodientes *Innocentius III.* in c. 1. h. t. comminatur pœnam suspensionis 3 mensium; sub simili diligentia et pœna præcipitur custodia *S. Chrismatis.* Ex lege generali in Trid. c. 8. sess. 21. *De Ref.* Episcopus est vindex hujus custodiæ, qui potest etiam punire *regulares* et alios exemptos in hac custodia delinquentes ex resolutione S. C. EE. et RR. d. 8. Jan. 1724 approbata ab *Innoc. XIII.* in *Coll.* Card. *Bizzarii* pag. 34. Qui insuper regulares in suis Ecclesiis non possunt SS. Eucharistiæ Sacramentum exponere nisi ex *publica* causa ab Episcopo probata: ex causa autem *privata* possunt, sed dummodo non extrahatur a tabernaculo.

2. Lex quæ in c. 1. h. t. est de custodia Eucharistiæ et S. Chrismatis in omnibus Ecclesiis tangit solum Ecclesias *parochiales.* In aliis ecclesiis sæcularibus non parochialibus permanenter et ordi-

narie asservari nequit absque Sedis Apostolicæ beneplacito. S. C. Concilii in *Cajacen.* d. 12. Jan. 1630. Excipitur nisi habeatur consuetudo *immemorialis.* Ita S. C. Concilii d. 27. Apr. 1709. Asservari etiam potest permanenter in *Cathedrali* Ecclesia, extra tamen altare majus. S. C. EE. et RR. in *Lucensi* d. 10. Febr. 1579 (*Bizzarri* c. l. pag. 244.). Pariter ex c. 10. sess. 25. *De Reg.* in *Trid.* potest permanenter asservari Eucharistia in Ecclesiis monialium, non tamen infra chorum. Ad tempus potest in Ecclesiis non parochialibus asservari Eucharistia ex Episcopi licentia.

Ex Constitutione *Innoc. IV. Sub Catholicæ,* d. 6. Martii 1254 et *Clementis VIII. Sanctissimus,* d. 31. Aug. 1595 necnon *Benedicti XIV. Etsi patronalis* d. 26. Maji 1742. §. VI. n. 4. S. Eucharistia a *Græcis* renovanda est singulis octo vel quindecim diebus, a *Latinis* vero differenda non est renovatio ad quindecim dies sed quolibet octiduo, vel die dominica, vel feria quinta. S. R. C. in *Conchen.* d. 3. Sept. 1662.

TITULUS XLV.

De reliquiis et veneratione Sanctorum.

1. Priscis Ecclesiæ temporibus usque ad *Alex. III.* Episcopus in sua diœcesi expensis virtutibus et miraculis factis intercessione alicujus vita functi eidem publicum cultum tribuebat in sua diœcesi, et patronum cœlestem declarabat fidelium suorum; scilicet ei honores *beatificationis* concedebat. At vero solemnis *canonizatio,* qua præcipitur, ut cultus publicus tribuatur alicui sancto homini in universa Ecclesia, fuit semper causa major, et vel Concilio generali reservata juxta responsa *Urbani II.* et *Callisti II.* vel reservata Romano Pontifici ceu patet ex gestis *Benedicti VIII.* et *Benedicti IX.* Conf. *Benedicti XIV. De Servor. Dei Beatif. et Canoniz.* t. 1. lib. 1. c. 10. Primum exemplum solemnis canonizationis est canonizatio S. *Udalrici* Episcopi Augustani facta a *Joanne XV.* a. 993.

2. At in c. 1. h. t. *Alex. III.* prohibuit ne aliquis publica veneratione coleretur ullo modo absque auctoritate *Romani Pontificis* Quare etiam beatificatio servorum Dei facta est causa major Romano Pontifici reservata. Accesserunt decreta *Urbani VIII.* relata in ejus Const. *Sanctissimus* d. 13. Martii 1635 et in alia Const. *Cœlestis Urbis Hierusalem.* d. 5. Julii 1634.

Attamen error haud parvus esset, si quis crederet Episcopos et alios Prælatos episcopali jurisdictione insignitos nullam aut exiguam habere partem in conficiendis processibus beatificationis et canonizationis. Competunt enim ipsis nonnulla jure *ordinario*, nonnulla jure *delegato*. Facultas construendi Processus in materia Beatificationis et Canonizationis Ordinariis competit de jure decretalium, de jure Concilii Tridentini, et ex consuetudine. Sedes enim Apostolica non inquirit in sanctitatem Servorum Dei nisi post Processum *ordinarium*.

In hujusmodi Causis Ordinarius est Episcopus, in cujus diœcesi reperitur corpus Servi Dei, vel miracula contigerunt, vel testes examinandi degunt, cfr. *Januarium Trama* in *Manuali theorico-practico* pro conficiendis processibus etc. (Neapoli. 1876. pag. 339.) in cp. II. pag. 10.

3. In hodierna praxi plures distinguuntur processus, sc. *ordinarii* vel *apostolici*, prout auctoritate ordinaria vel apostolica conficiuntur; et triplicis sunt speciei. Prima est illorum, qui *ordinaria* auctoritate construendi sunt, id est Processus, quem *informativum* vocant, super fama sanctitatis vitæ, virtutibus et miraculis; vel Processus super fama martyrii et miraculorum. — Altera illorum, qui fieri *possunt* auctoritate ordinaria et auctoritate apostolica; id est Processus *super non cultu*, vel *super casu excepto* a decretis *Urbani VIII.* Si enim Ordinarius, qui confecit Processum *informativum*, alterum separatum Processum ante appositionem manus S. Sedis in Causa non confecerit vel *super non cultu*, quatenus Causa per hanc viam procedere debet, vel *super casu excepto*, si per aliam; hujusmodi Processus auctoritate apostolica construendi erunt, ut ad ulteriora in Causis procedatur. — Tertia demum species est illorum, qui semper auctoritate *apostolica* conficiuntur; nempe Processus super fama sanctitatis in genere, et Processus super virtutibus (vel martyrio) et miraculis in specie. Attamen ex decreto S. R. C. d. 28. Dec. 1868 notandum est ad approbationem cujuslibet ex casibus exceptis non deveniri, nisi præcesserit peculiaris Processus et prima sententia ab Ordinario ferenda. Qui plura de hisce causis et processibus in extenso cognoscere desiderat, consulat immortale opus *Benedicti XIV.: De Servorum Dei Beatificatione et de Beatorum Canonizatione;* cui vero opus est liber brevior, magna cum utilitate uti poterit *Ma-*

nuali a *Jan. Trama* composito, supra cit. cui adjungenda sunt aliqua decreta vel rescripta S. R. C. ex novissimo tempore.

4. *De reliquiis sanctorum* habemus c. 2. h. t. in quo præsertim tria prohibentur 1⁰. ne exponantur venales, scilicet ne exponantur *quæstus* causa. Consonat Tridentinum in decreto *de invocatione vener. et reliq. Sanct.;* sess. 25. In hoc decreto præcipit ut omnis quæstus turpis eliminetur. Hinc nec vendi nec emi possunt servorum Dei reliquiæ. Exceptio fit nisi redimi debeant e manibus infidelium vel hæreticorum. *Thesaurus: De pœnis eccl. v.* »reliquiæ« c. 1.

5. Præcipit 2⁰ loco c. 2. h. t. ne reliquias *de novo* inventas aliquis venerari præsumat absque prævia probatione Apostolicæ Sedis. At in cit. loco Tridentini Episcopo tribuitur facultas novas reliquias probandi. Quæ probatio Episcopi requiritur etiam si reliquiæ exponendæ sint in Ecclesiis regularium, quemadmodum patet ex decreto S. C. Conc. in *Viterb.* d. 25. Junii 1622 necnon in multis aliis, ut in *Olomucen.* d. 7. Junii 1755 quod ulterius decretum extensum est ad diœceses 6 a *Clemente XIII.* d. 11. Dec. 1758. Si vero jam sint repositæ, non potest Episcopus eas visitare. S. Congreg. in *Urbin.* d. 10. Martii 1663. Huc referri potest c. 27. *De consecr.*: D. 1. cujus virtute extrahi possunt et transferri ab Episcopo absque venia Romani Pontificis antiquæ reliquiæ quæ in capsis asservantur. Duo responsa hic notari debent: Alterum a S. R. C. datum in *Lauden.* d. 23. Julii 1892, alterum missum a S. C. Ind. et Rel. d. 20. Jan. 1896 ad Episcopum *Jacensem.*

S. Rit. C. enim vetuit thecas vestustas cum reliquiis quæ authentico documento carent, olim ad suppressa Monasteria spectantes, exponi in altari, simul declarans easdem exponi non posse etiamsi hoc ab immemorabili fiat. Econtra S. C. Ind. et Rel. respondendum censuit: »Reliquias antiquas conservandas esse in ea *veneratione* in qua *hactenus* fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel supposititias esse.« Hæc duo rescripta sibi contrariari nemo non videt, attamen secundo adhærendum esse censemus; nam 1⁰. S. C. Ind. et Rel. est, quæ quæstiones de reliquiis *nativo* jure perquirit et dissolvit, cfr. Syllabum facultatum concessum a S. P. *Leone XIII.* d. 31. Oct. 1897 eidem S. C. una cum Motu proprio »Christianæ Reipublicæ«, sub n. 1.; — 2⁰. etiamsi utraque Congregatio esset paris in hac causa decidenda

juris, tamen rescriptum posterius, in quantum contineat jus generale, derogaret rescripto priori. — Sed dato utrumque rescriptum facere jus in partes tantum, utrumque in suo speciali vigore perseverat; nam decisio fit ob speciales circumstantias.

Tandem in c. 2. h. t. præcipitur prælatis, ne permittant fideles in veneratione sacrarum reliquiarum decipi *falsis documentis.* Consonat Tridentinum in cit. loco, in quo etiam præcipit nemini licere ullo in loco vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam *insolitam* ponere *imaginem* nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse *nova miracula,* nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo.

6. Cæterum cum Concilium concedat Episcopo facultatem approbandi vel miracula, vel reliquias novas, non debet intelligi eo sensu quatenus possit Episcopus aliquem pro sancto declarare aut probare quoad cultum reliquias ejus, aut pariter probare authentica miracula alicujus servi Dei nondum in album vel Beatorum vel Sanctorum a Romano Pontifice relati. Sed facultas respicit vel miracula et reliquias servorum Dei, de quorum cultu et veneratione in Ecclesia legitima data est definitio; vel si respicit miracula et reliquias alicujus servi Dei de cujus beatificatione, aut Canonizatione adhuc actum non est apud S. Sedem, probatio Episcopi dirigi non potest in ordine ad cultum *publicum* Servo Dei exhibendum nisi in processu *informativo,* de quo supra.

7. Episcopus autem in his procedit uti Inquisitor ordinarius in sua diœcesi. Porro S. C. Inq. nonnunquam etiam novissimis temporibus judicia Episcoporum in hac materia suo supremo judicio rata habere et confirmare voluit vel ipsa per se judicium tulit. *Exemplis* assertum ostendamus: Responso d. 26. Aug. 1891 *imaginem* quæ repræsentat Ss. Cor Jesu solum i. e. sine corpore simul depicto, privata ex devotione permisit, in altaribus publicæ venerationi colendam exponi vetuit. — Item eadem S. C. d. 13. Jan. 1875. necnon d. 3. Apr. 1895. *imagines* ipsius B. Virginis quæ illam repræsentant expansis manibus stantem et puerum Jesum ante illius genua item stantem improbat et fidelium venerationi ac pietati proponi vetat, et ubi toleratæ fuerant, sc. tantum Issoduni, caute prudenterque removeri, et earum loco probatas restitui præcipit. — In dicto decreto *scriptores* quosdam reprehendit qui *novis* semper *devotionibus* student, deinde monitum generale decreto adjunxit hisce verbis: »Mandavit præterea Sanctitas Sua per hujusmodi publi-

»cationem monendos esse alios etiam scriptores, qui ingenia sua »acuunt, super iis aliisque id genus argumentis, quæ *novitatem* sa»piunt, ac sub pietatis specie insuetos cultûs titulos etiam per »ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant; »ac perpendant periculum, quod subest pertrahendi fideles in er»rorem etiam circa Fidei dogmata, et ansam præbendi Religio»nis osoribus ad detrahendum puritati doctrinæ catholicæ ac veræ »pietati.« — Hoc monitum denuo inculcatum est cum *nova precandi formula* S. Officio proponeretur probanda »formula sc. ad impetrandum quod omnes homines recognoscerent supremum Imperium Christi et Mariæ Immaculatæ super omnes creaturas,« et S. C. Inq. d. 12. Junii 1895 simul decrevit »Orationem de qua agitur non esse approbandam, neque inter fideles propagandam, neque indulgentiis ditandam.« — Nota etiam est damnatio visionariæ cujusdam mulieris in Gallia facta primum ab Episcopo *Carnutensi*, deinde a S. C. Inq. d. 4. Julii 1894., postremo iterum a S. C. Inq. d. 15. Apr. 1896. — Sic advigilant Episcopi, ne in suis diœcesibus, advigilat item S. Officium, ne in toto Orbe catholico fideles decipiantur argumentis quæ novitatem sapiunt.

Titulus XLVI.

De observantia Jejuniorum.

Jejunium dividitur in jejunium *naturale,* quod consistit in abstinentia ab omni cibo et potu a media nocte usque ad s. communionem et in jejunium *ecclesiasticum* quæ tria complectitur: 1. unicam refectionem; 2. abstinentiam a certis cibis; 3. horam refectionis certam.

1. Circa jejunium *naturale* notandum est hanc legem obligare *semper,* duobus casibus exceptis: 1⁰. *probabili mortis periculo,* quando sumitur uti viaticum; 2⁰. *dispensatione* accepta a *S. Sede.* Cum in prioribus sæculis dispensatio concedebatur solum Regibus et Principibus gravibus ex causis teste *Benedicto XIV.,* nostris temporibus S. C. Inq. libenter concedit facultatem etiam aliis devotis personis, clericis et laicis, servatis tamen conditionibus quibusdam. Præscribitur enim inter alia, ut *semel in mense* ante s. communionem per modum *potus* possit aliquid sumi. Sub voce »potus« non solum intelligitur liquidum stricte dictum, sed etiam liquidum in latiore sensu, sc. liquidum cui admixta est alia substantia firma,

ita tamen ut totum non perdat naturam liquidi. S. C. Inquisitionis Mens patefacta in *Abellinen.* d. 4. Junii 1893, iterum communicata d. 7. Sept. 1897.

2. Quoad jejunium *ecclesiasticum* nova ab eadem S. C. Inq. data est Ordinariis facultas, in decreto fer. IV. d. 5. Dec. 1895. hisce verbis concepto: »Supplicandum Sanctissimo ut Episcopis aliisque locorum Ordinariis concedere dignetur facultatem *anticipandi* die sibi benevisa atque ob gravissimas causas etiam *dispensandi* super lege jejunii et abstinentiæ, quando *festum* sub utroque præcepto servandum Patroni Principalis aut Titularis, vel solemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto *tempore quadragesimæ, diebus quatuor temporum* et *vigiliis* per annum jejunio consecratis; atque ut eadem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possint pro diebus, quibus *nundinæ* extraordinariæ, *magno* item *populorum concursu* habeantur.

Habita autem per R. P. D. Adsessorem S. O. relatione Sanctissimo Domino Nostro *Leoni* Papæ *XIII.*, idem Sanctissimus Dominus præsens decretum ratum habuit et confirmavit ac omnibus et singulis locorum Ordinariis facultatem, de qua agitur, *perpetuis futuris temporibus* concessit ac attribuit, facta tamen in singulis casibus mentione apostolicæ dispensationis.«

Die 18. Martii 1896 hoc decretum opportunis declarationibus S. Officii fuit illustratum in aliquibus capitibus. Occurrere debet dies *jejunii* et *abstinentiæ*, sc. fer. sexta vel sabbatum, cum die festo *duplicis præcepti;* his diebus accensendi sunt etiam dies solemnizati *per accidens*, e. gr. ob centenarium, ob peregrinationem etc. cit. decl. n. II. — Hæc autem facultas tantummodo ob concursum populi danda, verificatur tamen in concursu populi etiam *ejusdem* civitatis et loci; nn. I. et III. — Causa gravissima ex qua dispensare licet, adest quando periculum grave, sed *generale* timetur, ne abstinentia non servetur, n. IV. — Ex decreto generali d. 5. Dec. 1894. patet dies quadragesimæ, 4 temporum, vigiliarum quoad facultatem excipi; exceptio hæc ita est intelligenda ut Episcopi neque dispensandi neque anticipandi facultate gaudeant; n. V. Si Vigiliæ jejunio consecratæ transferuntur quoad jejunium in ferias VI. vel sabbata *Adventus*, etiam in hoc casu excipiuntur a dicta facultate ita ut neque dispensare neque anti-

cipare liceat, S. C. Inq. fer. IV., d. 15. Dec. 1897; hoc responsum a S. P. *Leone XIII.* d. 17. Dec. 1897 adprobatum fuit. Idem dicendum videtur, de ceteris feriis Adventus, e. gr. fer. IV. — Tandem quotiescunque gaudent Episcopi hac facultate, ex rationabili causa possunt *committere* Parochis, ut ipsi assignent diem in quo anticipari debeat abstinentia; rescriptum d. 18. Martii 1896. n. VI.

Titulus XLVII.

De purificatione post partum.

1. In c. un. h. t. declaratur non amplius vigere legem *Levit.* XII. qua mulieribus post partum præficiebantur certi dies quibus debebant abstinere ab ingressu templi, iisque expletis certum purificationis modum et situm observare tenebantur. At ex devotione in Ecclesia instituta est *benedictio* quæ *puerperæ* ante ingressum in Ecclesiam impartitur.

Hæc cæremonia instituta in gratiarum actionem pro incolumitate et pro prole suscepta, deinde etiam ut puerpera accipiat benedictionem et introducatur denuo in Ecclesiam. Licet levitica purificatio cum Vetere Testamento sepulta sit, tamen hæc benedictio speciem purificationis cujusdam præ se fert, cujus interiorem rationem affert *S. Thomas* in *Summa Th.* 2.2ae. q. 81. a. 3. ad IIum.

2. Hæc benedictio *de præcepto* non est, sed enixe commendatur. Attamen puerperæ quæ ex *legitimo* matrimonio pepererunt, *jus* habent ad hanc benedictionem, S. C. Concilii in *Wratislavien.* d. 18. Julii 1859, dummodo ipsæ sint catholicæ nec suam prolem acatholice fecerint baptizare (Conc. Provinciale *Coloniense* 1860 pag. 110) nulla habita ratione vitæ vel mortis infantis, S. R. C. d. 12. Sept. 1857 et d. 19. Maji 1896 in *Vincentina.* Casu quo infans decessit absque sacramento baptismi, oratio in fine non est immutanda, S. C. Rituum in eadem *Vincentina.* — Mulieres quæ *illegitime* pepererunt, *possunt* recipere, licet non habeant jus, hanc benedictionem, quæ danda est ex gravibus tantum rationibus.

3. Benedictio puerperarum non est jus parochiale ex decreto Urbis et Orbis S. R. C. d. 10. Dec. 1703 ad 6um. n. 2123. *(Decreta authentica* Cong. Ss. Rituum ex actis ejusdem collecta ejusque auctoritate promulgata sub auspiciis S. D. N. *Leonis* Papæ *XIII.* vol. I. ab a. 1588—a. 1705 nn. 1.—2162. Romæ ex typogr.

S. C. de Prop. Fid. 1898. pag. 471—473.; in editione Gardelliana n. 3670.). Quæsito 6°. sc. »An benedictiones Mulierum post partum, Fontis Baptismatis etc. sint de juribus mere parochialibus«? respondetur ad 6um.: *Negative.* Sed quia puerperæ legitimæ jus habent ad ejusmodi benedictionem, parochus est, qui eam præstare debeat. — »Benedictionem mulieris post partum fieri *debere* a Parocho si expetitus ipse fuerit; *posse* autem fieri *a quocunque* sacerdote, si expetitus ipse pariter fuerit in quacunque Ecclesia vel oratorio publico — certiore facto superiore Ecclesiæ,« S. R. C. d. 13. Junii 1893 denuo decidit.

Titulus XLVIII.

De ecclesiis ædificandis vel reparandis.

1. Cum ædificatio novæ Ecclesiæ secumferat onus eam conservandi et reparandi, hinc in jure non est considerata ceu res undequaque favorabilis et potius *reparatio* Ecclesiæ collabentis considerata est ceu favorabilior ipsa ædificatione: nam indecens prorsus est locum Deo dicatum derelinqui ac ruinis corrui.

2. Hinc ædificari non potest Ecclesia nisi quibusdam sub conditionibus. 1°. Requiritur *consensus Episcopi;* quodsi erigendum sit templum in loco exempto, requiritur venia *Romani Pontificis.* Ajunt vero DD. consensum *tacitum* sufficere. Juxta mentem canonum Episcopus vel per se vel per alium atrium seu aream definire debèt, ibique figere crucem et primum lapidem ponere. Ita c. 9. *De cons.*: D. 1. et Gloss. ibi necnon in *Pontificali Romano* ubi hæc inveniuntur:

»Nemo Ecclesiam ædificet priusquam Pontificis judicio locus et atrium designentur, et quid ad luminaria, quid ad rectoris, ministrorumque stipendia sufficiat, quidque ad Ecclesiæ dotem pertineat, definiatur; et per eum, vel ejus auctoritate per Sacerdotem, crux in loco figatur, et lapis primarius in fundamento ponatur. Pridie igitur lignea crux in loco, ubi debet esse altare, figatur. Sequenti vero die, lapis in Ecclesiæ fundatione ponendus, qui debet esse quadratus et angularis, benedici debet.«

Requiritur 2°. ut antequam procedatur ad ædificationem constet de sufficienti *dote* constituta ad fabricæ conservationem et divini cultus observantiam, nec non ministrorum sustentationem. Ita in cit. loc. Concordat jus civile in Nov. 67. c. 3. Requiritur

ut nemini *præjudicium* inferatur. De hac conditione sermo est cum agitur de erigenda nova parochiali Ecclesia intra limites alterius. De qua re jam actum est superius. Antiqua forma Ecclesiarum consuevit esse oblonga ut indicaret naviculam S. Petri quæ Ecclesiæ figura fuit. Ex *S. Clemente* et antiquis Patribus Altare majus ad orientem conversum solebat esse ut indicaret Christum, qui ad Orientem ascendit juxta illud *Davidis* Ps. 67. v. 34. 'Psallite Deo qui ascendit super cœlum cœli ad orientem,' et inde creditur esse venturus juxta illud *Matth.* XXIV. 27. 'Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem: ita erit et adventus Filii hominis.' At mos hic nullam inducit legem.

De reparatione ecclesiæ.

3. DD. conveniunt circa onus Ecclesiam reparandi, considerandam esse præ omnibus *consuetudinem* et *statuta locorum.* Nec statutis exstantibus nec consuetudine ex cc. 1. et 4. h. t. et ex c. 7. sess. 21. *De Ref.* in Tridentino deducuntur hæc principia. 1°. Reparanda est Ecclesia ex reditibus Ecclesiæ et fabricæ inter quos adnumerantur etiam fructus non percepti a negligentibus et a jure applicati fabricæ. Qua insuper in re pro *Italia* et *Insulis Adjacentibus* valet Const. *Bened. XIII. Pius et Misericors* V. idus Maji 1725 in qua præcipitur ut pro reparanda Ecclesia Cathedrali imponantur mediæ annatæ solvendæ ab omnibus clericis diœcesis cum beneficium quodcumque in diœcesi obtinent a Curia episcopali sive per liberam collationem sive per institutionem. Pro reparanda vero Ecclesia Collegiata solvendæ sunt mediæ annatæ a clericis provisis de beneficio in ipsa Ecclesia Collegiata. Excipiuntur beneficia curata quorum annui reditus non superant 100 scutata. 2°. His deficientibus in parte vel in toto, tenentur contribuere *rector* seu *parochus* et alii qui beneficia possident in Ecclesia reparanda. Hæc vero contributio fieri debet juxta c. 4. h. t. ex superfluis scilicet detractis pro sustentatione clerici cujus computatio relinquitur prædicti arbitrio judicis, habita ratione temporis loci et personarum. 3°. In horum defectu tenentur *patroni* et omnes alii qui fructus aliquos ex Ecclesia reparanda percipiunt. 4°. Tandem si Ecclesia est parochialis, *populus* seu *fideles* qui sacramenta percipiunt, tenentur in capita concurrere ad reparationes perficiendas, quos Episcopus opportunis remediis appellatione remota ad id præstare compellere potest. Si vero nullus adsit qui

ruinosam Ecclesiam possit reparare, ea destrui potest et ejus jura, fundi etc. ad matricem Ecclesiam vel si filialis non sit, transferuntur ab Episcopo ad viciniorem Ecclesiam, et in loco destructæ Ecclesiæ crucem collocabit, ut significetur ibi quondam fuisse Ecclesiam nec locus poterit converti in usus profanos sordidos. Ita Trid. loco cit. c. 7. sess. 21.

TITULUS XLIX.

De immunitate ecclesiarum, cœmeterii et rerum ad ea pertinentium.

1. Immunitas idem est ac libertas a munere seu ab officio et onere. Definitur communiter '*Jus quo loca, res vel personæ ecclesiasticæ a communi onere seu obligatione liberæ sunt et exemptæ*'. Hinc immunitas dici etiam potest *exemptio ecclesiastica* c. 7. h. t. Immunitas in sensu exposito non est repetenda ex concessione potestatis *civilis,* nam ex una parte semper penes omnes gentes vidimus loca sacra, res et personas divino cultui consecratas immunes fuisse, et quodammodo segregatas a communi commercio, et a legibus communibus, et ex altera parte nemo est, qui non videat indecens prorsus esse cultui divino ut communi censu habeantur eadem loca, res et personæ, quæ Deo inserviunt. At non omnis immunitas potest proprie deduci ex jure *naturali* aut *positivo divino.* Nam utrumque jus decentiam et convenientiam immunitatis utique insinuant, legem vero rigorosam non exhibent. Hinc origo immunitatis erit potius ex lege positiva Ecclesiæ quæ tamen fundatur in intentione juris naturalis et divini. Hinc Trid. c. 20. sess. 25. *De Ref.* eam constitutam fuisse ait *ex divina ordinatione* et *ex canonicis sanctionibus.*

2. Ex ipsa definitione patet triplicem esse immunitatem seu *localem, realem, personalem.*

Localis est jus Ecclesiæ in favorem religionis tamquam loci sacri seu ad pios usus auctoritate ecclesiastica deputati vi cujus juris in hoc loco sacro non licet exercere actus profanos repugnantes sanctitati et reverentiæ debitæ loco sacro; necnon conceditur libera commoratio ibidem ita ut non possit ab loco immuni violenter extrahi, qui eo confugit nisi auctoritas ecclesiastica veniam impertiatur. Competit vero hæc immunitas 1°. omnibus Ecclesiis consecratis, vel benedictis, licet hujusmodi Ecclesiæ sint *vio-*

latæ c. 9. h. t. 2°. locis Ecclesiæ *adhærentibus* uti sunt Sacristia, porticus, atrium Ecclesiæ c. 20. C. 17. q. 4. Quæ enim religiosis adhærent, religiosa sunt l. 43. ff. *De rei vindic.* 3°. Competit hoc jus *cœmeteriis* Ecclesiarum seu quæ ipsis Ecclesiis adhærent. Ita in c. fin. h. t. et c. 2. eod. (III. 23) in 6°.

3. Ob privilegium immunitatis ab actibus profanis prohibentur in locis designatis 1°. sub pœna excommunicationis causæ *criminales* in quibus agitur *de sanguinis effusione* vel *de pœna capitali.* Ita c. 5. h. t. 2°. Pertractari non possunt in iisdem locis *judicia* sæcularia, seu *civilia* sub pœna nullitatis actorum c. 2. h. t. in 6°. Non vero prohibentur a judicibus ecclesiasticis ecclesiastica judicia ibidem peragi, aut etiam actus extrajudiciales et exercitium jurisdictionis voluntariæ, si dirigantur ad fovendam pietatem et bonum religionis. 3°. Ex eod. c. 2. h. t. in 6°. prohibetur *contractuum* et negotiationum vel *nundinarum* exercitium. 4°. Læditur immunitas Ecclesiarum et aliorum locorum piorum si *per vim* effringantur portæ aut alio modo inferatur per violentiam injuria loco sacro. Quo in casu jure antiquo statuta erat excommunicatio latæ sententiæ c. 22. *De Sent. excomm.* (V. 39). At de hac pœna tacet Const. *Apostolicæ Sedis.* 5°. In genere prohibentur omnes actus, quibus turbatur cultus sacer, aut læditur reverentia debita religioni ex. gr. ludi theatrales; ex c. 12. *De vita et honestate Cler.* (III. 1). Sic ex c. 2. h. t. (III. 23) in 6°. prohibentur in rebus civilibus conciones, acclamationes et publica parlamenta; ex Trid. sess. 22. *De observand. et vitandis in celebr. Miss.* prohibentur fieri in Ecclesiis *musicæ profanæ* quæ nempe ad solam recreationem ordinantur. De hoc capite conferantur literæ encyclicæ S. R. C. d. 21. Julii 1897 cum annexo »Regolamento per la Musica sacra, confirmato a S. P. *Leone XIII.* d. 6. Julii 1894«. Hæc dicta sint de prima parte juris immunitatis.

4. Secunda pars consistit in libera commoratione quæ etiam dicitur *jus asyli,* eorum qui ad locum immunem confugiunt. Hoc jus competit locis hucusque descriptis, et insuper competit *parti exteriori* Ecclesiæ nempe tecto, scalæ, parieti externo. Competit etiam *cœmeteriis* separatis ab Ecclesiis si auctoritate ecclesiastica sint ad sepulturam fidelium deputata, necnon competit *Monasteriis* et conventibus religiosorum cum spatio clausuræ et omnibus *locis piis* et ad charitatis opera exercenda *auctoritate Episcopi erectis,* et deputatis. DD. tribuunt etiam jus asyli *palatio episcopali.*

5. Gaudere possunt jure asyli ex sacris canonibus omnes sive *baptizati* sive *non;* nam non est in bonum personarum, sed ob decorem religionis inductum est. Quam rationem etiam leges civiles agnoverunt et penes falsas religiones. Effectus hujus juris est ut reus a loco immuni extrahi invitus non possit, secus sit eodem loco restituendus. Quoniam vero quædam crimina, uti videbimus, excludunt hoc jus, hinc quando curia sæcularis exposcit reum, debet reus Episcopi auctoritate et præsente persona ecclesiastica ab eo deputata transferri in carcerem ab Episcopo determinatum ut interim informationes capi debeant ut de qualitate criminis cognoscatur. Si patet reum imputari de crimine excepto a jure asyli, Curia episcopalis tradit reum potestati laicæ sub obligatione tamen eundem restituendi quoties reus de crimine excepto sese purgaverit. Ita *Bened. XIII.* in Const. *Ex quo divina.* Cum immunitas localis sit de jure *communi,* in ea dispensare non possunt ordinarii. Hinc licentiam extractionis reorum concedere possunt solum in casibus exceptis. Solet a Summo Pontifice per organum S. Congr. Immunitatis concedi ad triennium quædam facultas ut liberius possint in hac materia procedere.

6. At *quæ crimina excludunt jus asyli?*

Casus hujusmodi ab auctoribus exponuntur, et deducuntur præsertim ex Const. *Greg. XIV.* »*Cum alias*«, *Clem. XII.* »*In Supremo*«, *Bened. XIII.* »*Ex quo divina*«, et *Bened. XIV.* d. 15. Martii 1750 *Officii nostri ratio* ubi ceteras nominatas complectitur. Præcipue vero excluduntur a jure asyli *latrones publici,* qui parant insidias ad viatores occidendos necnon *grassatores viarum.* 2°. Rei *homicidii* sive *proditorii* sive animo *præmeditato,* et deliberato commissi, necnon qui *mandatum, consilium, instigationem* aut *auxilium* cooperativum occisori præstiterint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium venerit. 3°. Qui *mutilationem* patrat in *Ecclesia* vel *cœmeterio* sive percussor sit in Ecclesia sive extra. 4°. *Rei læsæ majestatis* ob actionem pariter injuriosam in personam principis.

Animadvertendum est reum confugientem ad Ecclesiam jure asyli gaudere solummodo si *cesset* esse noxius, si enim eligeret locum sacrum ut tutius crimina patraret, excluderetur ab asyli beneficio.

7. Violantes leges asyli præter culpam sacrilegii incurrunt in pœnam excommunicationis latæ sententiæ, a qua absolvi ne-

queunt nisi restituant reum extractum violenter Const. *Greg. XIV. Cum alias.* In Const. *Apostolicæ Sedis* inter excomm. Romano Pontifici simpliciter reservatas sub n. 5. legitur contra 'Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes, aut ausu temerario violantes.' S. C. Inq. vero d. 22. Dec. 1880 respondit: »Lex asyli denuo statuta in his quoque regionibus (sc. ubi contraria consuetudine abrogata censebatur) est saltem quoad substantiam servanda.« Privantur etiam omni privilegio ecclesiastici confugii seu asyli. Tandem animadvertimus quoad modum observandi legem asyli plurimum valere consuetudinem locorum.

8. Immunitas *realis* in eo consistit ut bona *Ecclesiæ* et *clericorum* sint immunia seu *exempta a jurisdictione civili*, et ab oneribus et exactionibus in societate civili communibus. Si de rebus Ecclesiæ sermo sit, nemo est, qui non videat res consecratas vel benedictas esse prorsus exemptas a civili potestate, quia Deo sunt dicatæ, et quoad civiles effectus nullius esse censentur. Igitur sermo restringitur ad bona *temporalia* Ecclesiarum et clericorum. Nomine Ecclesiæ veniunt etiam monasteria et causæ piæ. Porro bona hæc quocumque ex titulo etiam civili ad Ecclesias vel clericos provenientia jure canonum reali gaudent immunitate ita ut etiam prohibeatur ipsis clericis quominus sese offerre aut præstare possint ad solvenda tributa, et exactiones regiæ potestatis administris. Quodsi vero Episcopus cum suo clero videat societatem civilem angustiis premi, ita ut vel necessitas vel magna utilitas verificetur, non prohibentur taxas sibi imponere ut civili gubernio auxilium præstent. Hæc habentur constituta in cc. 4. et 7. h. t. et in cc. 1. et 3. eod. in 6°. Quibus accesserunt c. un. eod. in Clem., Const. *Leon. X.* 5. Maji 1514 *Superna* §. 4°. necnon Bulla *Cœnæ* §. 18. et tandem Tridentinum in c. 20. sess. 25. *de Ref.* At sensim sine sensu factum est, ut, immutatis rerum adjunctis, Ecclesia toleraret communes impositiones civiles super bonis temporalibus Ecclesiarum vel clericorum sive patrimonialium sive beneficialium. Semper vero ut injuriosæ et læsivæ immunitatis Ecclesiæ considerantur leges illæ, quæ specialibus gravaminibus bona temporalia Ecclesiarum, vel clericorum subjiciunt. Quemadmodum esset lex quæ majus onus seu taxam imponeret alienanti bona sua, si in favorem et utilitatem Ecclesiæ alienaret, vel de iisdem disponeret.

9. Immunitas *personalis* in eo consistit ut clerici eximantur a jurisdictione cujusvis sæcularis potestatis. Hæc exemptio potest

considerari 1°. relate ad *leges civiles cujusque generis;* 2°. relate ad *judicia;* 3°. relate ad *munia publica subeunda.* Primam quæstionem absolvimus in tit. *De Constit.* (I. 2) nn. 35. et 36. — Secunda pertractatur in tit. *De foro competenti* (II. 2) nn. 1.–8. Breviter de tertia. Munia publica quæ possunt considerari sunt: munus *tutelæ,* exercitium *curiæ* et armata societatis defensio in *militia.* Ad primum subeundum cogi nequeunt clerici præsertim cum jure canonum clericis committitur solum tutelam vel curam suscipere suorum aut viduarum, et pupillorum seu miserabilium personarum ex sensu cc. 1. et 2. h. t. seq. — Secundum munus ob actualem rerum conditionem sub obligatione amplius non cadit, cum plurimi sint qui eligant curiæ inservire. — Tertium remanet munus seu officium militiæ quod clericis interdicitur in c. 2. h. t. Clerici enim militiæ Ecclesiæ jam mancipati sunt. Cui rationi et alia accedit quia nempe officia militis non aptantur lenitati et mansuetudini, quæ Clericorum propria est. Hinc injuriosa status clericalis et Ecclesiæ immunitatis esset lex, quæ clericos militiæ oneri subjiceret. Ergo summopere cum S. P. *Leone XIII.* (e. gr. in epistola ad Card. *Nina,* Status Secretarium d. 27. Aug. 1878. vel in encyclica *Humanum genus* d. 20. Apr. 1884.) dolendum est quod in nonnullis »catholicis« Civitatibus clerici et regulares legibus militaribus subjiciuntur. Quare Ss. Cc. Romanæ adigebantur ad dandas speciales cautelas et normas pro clericis et regularibus militiæ subjectis; cfr. app. ad l. I. tit. 11. pag. 154. et l. III. tit. 31. n. 21. pag. 300.

Titulus L.

Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

1. Rubrica tituli præceptiva est et refert præceptum Apostoli 2. *Tim.* II. 4.: 'Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus'. In c. 1. h. t. plures species negotiorum clericis interdicuntur de quibus actum est vel in tit. *De vita et honestate Clericorum* (III. 1) vel in titulis *De postulando* (I. 37) et *De procuratoribus* (I. 38) uti esset officium defensoris causarum et susceptoris aliorum negotiorum. Ex c. 2. h. t. clerici prohibentur esse ministri, et procuratores laicorum. Hisce obiter notatis pressius tituli dispositionibus inhærentes negotia clericis interdicta expli-

cabimus. 1°. Ex cc. 3. et fin. h. t. clericis et Religiosis interdicitur in scholis et universitatibus publicis*) *jus civile* et *physicam* idest *medicinam* audire et ex c. 9. clericis majoribus prohibitum est exercitium *artis chirurgicæ* quæ adustionem vel incisionem inducit. Ratio prohibitionis prioris partis ex conditione temporis eruitur, scilicet ex vitio clericorum et religiosorum qui plurimi facientes studia humanarum scientiarum parvi pendebant studia sacræ theologiæ. Quare immutatis circumstantiis non admodum urget prohibitio præsertim quoad studium *juris civilis* ob contrariam consuetudinem. Exercitium vero artis chirurgicæ interdicitur ob periculum irregularitatis, et quia revera est officium sæculare, ob quam rationem DD. tenent prohiberi etiam clericis exercitium *artis medicæ*. Arg. c. 1. h. t. et c. 7. *De ætat., qualit. et ord.* (I. 14). Ex professo quasi totam rem tractat *Benedictus XIV.* in sua *Syn. diœc.* l. 13. c. 10. nn. 5. et sqq. Duo semper requiruntur ad licitum artis medicæ exercitium, sc. *auctoritas Superioris* et *legitima causa. Legitima causa* potest esse: penuria medicorum vel a fortiori ipsorum deficientia; dein egestas clerici, quæ non nisi honesto lucro ex arte medica percipiendo levari possit. — *Auctoritas* autem *Superioris* i. e. Summi Pontificis semper requiritur, etiam in iis qui in sæculo constituti hanc artem exercebant ex professo. Exempla recentioris temporis rem illustrent: Die 16. Febr. 1884 monachus O. S. Benedicti in conventu *Montisserrati* (Hispania) hoc rescriptum S. C. Concilii recepit: »Pro gratia ad quinquennium dummodo exerceatur gratis, et absque ustione vel incisione, facto verbo cum Ssmo.« Monachus ille jam in sæculo medicam et *chirurgicam* artem exercuerat; itaque Abbas monasterii exercitium etiam cum ustione et incisione petierat hac præcipue ratione quia monachis et peregrinis illuc convolantibus ob distantiam loci ab aliis promptus non poterat præstari medici succursus. At S. C. Concilii expresse excipiebat ustionem et incisionem, et ponebat conditionem ut *gratis* fiat. — Paulo post sacerdos sæcularis qui artem medicam jam exercuerat in regione sua, petebat a S. Congr. ut continuare possit hoc exercitium: 1°. ob summam egestatem; nam omnes hujus parochi reditus ad 22 libel-

*) Sapientissima data est Instructio a S. C. EE. et RR. d. 21. Julii 1896, qua provideretur clericis et regularibus qui studiorum causa commorantur in Universitatibus Gubernii Italici.

las Italicas per quadrimestre reducebantur; 2°. ob deficientiam medici cujusque. S. C. Concilii respondit in una *Nullius S. Luciæ* d. 8. Mart. 1884. »Pro gratia sanationis quoad præteritum; quo vero ad futurum arbitrio et conscientiæ Episcopi Administratoris ad triennium, facto verbo cum Ssmo.« — Causæ autem dispensationem reddentes difficiliorem erant: 1°. quod orator erat parochus; 2°. quod non gratis exercebat artem. Dicta autem hæc ad omnem medicam artem servatis servandis applicari posse et debere, etiam ad homœopathiam, electrohomœopathiam, methodum adhibita aqua curandi nemo non videt.

2. 2°. Ex cc. 5. et 9. h. t. clericis prohibetur ne *judicium sanguinis* exerceant, idest ne sententiam mortis aut mutilationis proferant. Ex c. 3. h. t. (III. 24) *in 6°*. excipiuntur Episcopi, vel alii clerici *temporalem* habentes jurisdictionem, ita ut sine metu irregularitatis committere aliis possint causæ criminalis cognitionem et decisionem. Ex Constitut. autem *Leonis X. Etsi pro cunctarum* d. 28. Junii 1514. §. 15. Gubernator Romæ et ejus officiales non incurrunt ullam censuram vel irregularitatem per comminationem vel impositionem pœnæ mutilationis membrorum vel capitalis. Cæterum in c. 9. h. t. prohibetur clericis ne quidquam faciant quod directe tendat ad vindictam sanguinis. Hinc si literas aut scripturas ex officio elaboraverint ad conficiendos processus, ex quo sententia sanguinis secuta est, certum est irregulares fieri, quemadmodum S. Congr. Conc. d. 19. Jan. 1686. declaravit. Non incurrunt vero Clerici irregularitatem quoties causam intentant coram judice civili solummodo pro emendatione damnorum ex crimine capitali derivantium obtinenda. Tandem sciendum est ex c. 9. h. t. Clericos non posse assistere *exsecutioni* sententiæ sanguinis.

3. 3°. Tertio loco interdicitur clericis *negotiatio*. At negotiatio alia est *propria*, alia *impropria*. Proprie dicta negotiatio consistit *in habitu emendi res fungibiles, aut etiam non fungibiles mobiles, ut carius sub eadem forma vendantur*. »Sub eadem forma«, idest prout acquisitæ sunt. Impropria negotiatio locum habet *cum res acquiruntur ut ex industria et labore in aliam formam transmutentur et majoris pretii capaces reddantur*. Prior negotiatio ex c. 6. h. t. interdicta est clericis sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ. Conc. Trid. in c. 1. sess. 22. *De Ref.* renovat antiquas pœnas, et decernit majores infligendas Ordinarii arbitrio. Nec excusantur a pœnis si nomine et pro aliis eandem negotia-

tionem exercent. *Bened. XIV.* Const. *Apostolicæ servitutis* d. 25. Febr. 1741. *Pius IV.* vero Const. *Deus,* d. 3. Nov. 1560 bona acquisita a clericis ex illegitima negotiatione cameræ spolii addixit. — Impropria negotiatio interdicta non est clericis, nisi plus æquo negotiationi dent operam in *detrimentum officii sui,* vel nisi sermo sit de industria *abjecta, et vili* quæ clericum dedeceat. Tandem sciendum est ex resolutionibus S. C. Conc. relatis a *Giraldo* in parte 2. *Exp. juris Pont.* ad c. 1. sess. 22. *De Ref.* in *Tridentino,* Clericis licere agros beneficii et bonorum patrimonialium laicorum opera colere absque metu illicitæ negotiationis; pariter posse pro culturæ usu boves et alia animalia emere, illorumque fructus justo pretio et honesta ratione vendere; et aliis omissis posse clericos retinere vel locare boves, et oves, et alia animalia, quæ habent ex successione, ex decimis necnon fructus illorum vendere, item vendere posse frumentum et alios fructus collectos ex bonis patrimonialibus et Ecclesiasticis pro sua et familiæ sustentatione.

Notanda est excommunicatio latæ sententiæ nemini reservata quæ adhuc in vigore est: »*Missionarii sive sæculares sive regulares, in Indiis orientalibus, China, Japonia, America sive australi sive septentrionali mercaturæ operam dantes aut quovis modo se ingerentes, et Superiores immediati ac Provinciales vel Generales Ordinum ac Congregationum, qui subditos etiam unica vice delinquentes, saltem per amotionem a loco commissi delicti non puniverint*«,*) in excommunicationem incidunt.

4. Quæstionem summi momenti, nostris humeris vere formidandam aggredimur, i. e. quomodo clerici, inprimis sacerdotes, se immiscere possint ac debeant rebus politicis. Si hæc quæstio ex professo tractaretur, integrum librum conscribere necessarium foret; quare pauca tantum quasi principia tangemus. — Potest considerari clericus 1°. uti *minister Christi ejusque Ecclesiæ;* 2°. uti

*) S. C. Inqu. 4. Dec. 1872 censuit supplicandum Ssmo Domino, ut declarare dignaretur, constitutiones Urbani VIII. *Ex delicto* 22. Febr. 1633 et Clementis IX. *Sollicitudo* 17. Julii 1669 adhuc vigere, quibus supradictæ censuræ inflictæ sunt. S. C. de Prop. Fide 29. Martii 1873 datam istam declarationem Ordinariis, quorum interest, notam fecit; *Acta S. Sedis* 7, 317. Censura non est reservata, sed clausula adjecta est: „Nemo ex his delinquentibus absolvi potest, præterquam in mortis articulo, nisi lucris hujusmodi prius restitutis;“ cfr. *Fontes Jur. Eccl. Novissimi*, editos atque illustratos a Philippo *Schneider*. Ratisbonæ apud *Pustet*. 1895. pag. 68.

civis alicujus reipublicæ. 1°. Clericus inquantum est minister Christi et Ecclesiæ iisdem principiis dirigatur necesse est et in docendo et in operando quibus ipsa Ecclesia. Ipsius autem Ecclesiæ principia circa hanc rem S. P. *Leo XIII.* in multis documentis deposuit, e. gr. in Encyclica de civili Principatu d. 29. Junii 1881., quæ incipit »*Diuturnum illud*«; in Encyclica ad Clerum omnesque catholicos *Galliæ* d. 16. Febr. 1892., præcipue vero apparet Mens Sedis Apostolicæ ex Literis Card. *Rampolla,* Secretarii Status ad Episcopum *S. Flori* in Gallia. »Quæ mens«, ait hic Cardinalis, »ac sententia sit Apostolicæ Sedis ea super re, facile dignoscere potes ex doctrina explicata in actis quæ ab eadem prodiere. Patet ex illis catholicam Ecclesiam, cujus divina missio tempora et loca omnia complectitur, nihil in sua constitutione et doctrinis habere quo *ab aliqua abhorreat reipublicæ forma,* quum singulæ optimum civitatis statum parare ac tueri possint, si juste ac prudenter adhibeantur. Scilicet Ecclesia assurgens supra mutabiles imperii formas ac contentiones et studia partium, spectat imprimis *religionis incrementa* et *animarum salutem*, quod bonum supremum est, cui curando ac provehendo studium operamque omnem sedulo debet conferre. Hæc cogitans et animo intendens Apostolica Sedes, traditionem sequens ætatum omnium, non modo civiles potestates observat (sive unius, sive plurium imperio regatur respublica), sed etiam cum iis agit missis exceptisque nunciis et legatis, et consilia confert ad transigenda negotia et definiendas quæstiones quæ mutuas rationes Ecclesiæ et reipublicæ attingunt. Perfunctio hujus muneris cujus amplitudo humanas res supereminet, nullum infert præjudicium juribus quæ forte ad aliquos spectare possunt, velut sapienter declaravit sanctæ memoriæ Pontifex *Gregorius XVI.*, decessorum suorum vestigia sequens, in Literis Apostolicis d. 7. Aug. datis anno 1831, quarum initium: »*Sollicitudo*«. — Ergo etiam clericus, sacerdos, assurgens supra mutabiles imperii formas ac contentiones et studia partium, spectare debet inprimis religionis incrementa et animarum salutem, quod bonum supremum est etc. Inquantum igitur minister Ecclesiæ est, quæstiones *mere politicæ* ad clericum non spectant; ergo neque in s. magisterio neque in s. ministerio vel in exercitio jurisdictionis rationibus et argumentis *mere politicis* dirigi vel etiam in rebus minoris momenti moveri debet. Hæc dicta valent quoad res *mere politicas;* nam nonnunquam a Rebuspublicis subjiciuntur civilibus dispositionibus quæ

natura sua sunt aut *mixta* aut *mere ecclesiastica.* Quoad hæc et etiam quoad politica, quæ *per accidens* fiunt ecclesiastica, clericus, quâ minister Ecclesiæ, potest et tenetur explicare, defendere, vindicare, urgere jura ecclesiastica, sed eodem modo quo agit ipsa Ecclesia, sc. insectando errores, non errantes et proponendo principia veritatis et honestatis; cfr. totum *Syllabum* annexum Encyclicæ s. m. *Pii IX.* quæ incipit »*Quanta cura*«, præsertim nn. XXXIX.—LV.

II°. Clericus in quantum civis est reipublicæ alicujus, *potest* uti juribus sibi uti civi competentibus, nisi hæc essent contra jus divinum vel ecclesiasticum et nisi hæc vergerent in detrimentum muneris vel officii clerico commissi. Quotiescunque ergo officia clericalia vel specialia munera, e. gr. parochi, concurrunt cum juribus a clerico, tamquam *civi* exercendis, *Episcopus* est qui judicet, sive pro omnibus casibus sive in singulis specialiter, quid faciendum sit ratione majoris boni assequendi vel majoris mali evitandi. —

At Clericus non modo potest, sed nonnunquam etiam *debet* uti juribus a Gubernio civili singulis civibus attributis; hoc requirit salus publica Potestatis civilis, hoc requirit nostris temporibus sæpe salus ipsius Ecclesiæ. At nunquam clericus in arenam civilis agitationis præcipue in electionibus descendat, nisi *memor conditionis suæ.* Audiamus sapientissima verba S. P. *Leonis XIII.* in epistola ad Archiepiscopum *Dublinensem*, d. 1. Jan. 1883 »*Novum argumentum*«: »Si agatur præsertim de popularibus conventibus in quibus magno animorum æstu de causa publica disceptatur, et civilium concertationum procellæ commoventur, opportunum fore consilium putamus, si firmis iis manentibus quæ de *juniore* Clero decrevistis, iis tantum ecclesiasticis viris eosdem conventus adeundi veniam tribuendam censueritis, in quorum potissimum sapientia confiditis, et in quibus maturior ætas ac usus rerum effecit ut prudentia, consilio et auctoritate præstent, ideoque possint præ ceteris concitatæ multitudini ad recta et honesta duces esse, fallacibus improborum judiciis occurrere, officii rationes tueri, ac defensores esse optimi partium optimarum. — Hac ratione et via sacerdotalis ordo tamquam in specula communis salutis et in præsidio reipublicæ a Vobis collocatus, magnas patriæ utilitates, in iis quibus jactatur fluctibus est allaturus.» Sane sacerdotes quia nunquam desinunt esse sacerdotes, semper bonum *honestatis* et *mode-*

stiæ etiam in hisce negotiis civilibus tractandis exemplum præbere debent populo. —

Si clerici ad *munera* civilia sunt assumendi, distinguendum est inter munera quæ *communiter* a clericis exerceri solent, e. gr. Professoris in Universitate, Lyceo etc., et munera quæ clericis committuntur *raro et extraordinarie,* e. gr. Præsidis alicujus provinciæ. Ad illa suscipienda — salvis in omnibus juribus divinis et ecclesiasticis — sufficit *ordinaria,* ad hæc autem requiritur *specialis* permissio Ordinarii, imo ad plane extraordinaria suscipienda munera videtur necessaria venia Sedis Apostolicæ. —

Perbelle modum quo se gerat clericus et uti *minister Ecclesiæ* et uti *homo privatus,* describit Summus Pontifex in Epistola Encyclica ad *Lusitaniæ* Episcopos d. 14. Sept. 1886 §. »Ex altera parte« his verbis: »Profecto catholicorum hominum et nominatim Clericorum primum maximumque officium est, nihil unquam nec re suscipere, nec opinione profiteri, quod ab obsequio fideve Ecclesiæ dissentiat, aut cum conservatione jurium ejus consistere non possit. Quamvis autem fas cuique sit suum de rebus mere politicis judicium, modo ne religioni justitiæque repugnet, honeste legitimeque tueri, tamen videtis, Venerabiles Fratres, perniciosum errorem eorum, si qui sunt, qui rem sacram remque civilem non satis secernant, religionisque nomen ad politicarum partium trahant patrocinium.«

Inter omnes constat Sanctam Sedem omnibus regni »Italici« incolis catholicis sæpe prohibuisse ne eligerent neve eligerentur in electionibus politicis, aliter in electionibus administrativis. Nonne in hoc Sedes Apostolica propriis contradicit principiis?

Minime gentium; nam Summi Pontifices rationibus altioris ordinis ad retinendam hanc prohibitionem adiguntur quas desumere licet ex epistola S. P. *Leonis XIII.* ad Cardinalem *Parocchi* Urbis Vicarium d. 14. Maji 1895. Jam S. Pœnitentiaria mandato *Pii IX* s. m. respondebat: »Attentis omnibus circumstantiis non expedit.« Et quandoquidem dubitabatur utrum hoc »expedit« contineret præceptum an merum consilium, S. C. Inq. jussu *Leonis XIII.* d. 30. Junii 1886 illo responso adjunxit: »*Non expedit*« *prohibitionem importat.* Vivæ vocis oraculo idem Summus Pontifex uti electiones *administrativas* commendat, ita *a politicis electionibus abstinendum esse* inculcat rationibus permotus altissimi ordinis,

inter quos non ultima sit conditio ipsius Summi Pontificis quæ nequaquam libertati independentiæque Apostolici ministerii correspondeat.

Conferri potest circa actionem politicam Cleri: *Compendium Juris Ecclesiastici* auctore *Simone Aichner*, Episcopo-Principe Brixinensi. *Brixinæ* 1890.; pag. 250. necnon articulum Josephi *Hergenrœther*, Professoris [postea S. R. E. Cardinalis] publicatum in *Archiv für kath. Kirchenrecht*, (vol. 15. resp. 9.) a. 1866., cui titulus »Ueber die Betheiligung des Klerus an politischen Fragen« [Latine: »Quomodo se ingerere possint quæstionibus politicis Clerici catholici«] pag. 67—84.

Additamentum

ad tit. *De Sepulturis* (III. 29) pag. 267.

Ecclesia catholica corpora pie defunctorum uti membra Christi considerat; quare non solum integra corpora, sed et *singula membra* eorundem defunctorum christiane sepelienda provide curat. Hunc agendi modum Ecclesiæ bene illustrat novissimum responsum S. C. Inquisitionis d. 3. Aug. 1897, adprobatum a S. P. *Leone XIII.* d. 6. ejusd., quod direxit ad Superiorissam Generalem *Sororum a Matre Dolorosa* hujus tenoris: »Quoad membra amputata *acatholicorum,* Sorores praxim suam tuto servare possunt. (Sorores ejusmodi membra recisa sive in terra profana sepelierunt, sive — suadente medico — igne combusserunt.) Quoad membra amputata *fidelium baptizatorum,* pro viribus curent ut in loco sacro sepeliantur. Sin vero graves obstant difficultates quominus in loco sacro condi possint, circa praxim hucusque servatam non sunt inquietandæ. Quoad membrorum *combustionem* præcipientibus medicis, prudenter dissimulent et obediant. Et ad mentem. — »Mens »est quod, si fieri potest, in proprio horto domui adnexo, deputetur aliquod parvum terræ spatium, ad sepelienda membra catholicorum amputata, postquam fuerit *benedictum.*«



Index rerum.

Titulus II.

De cohabitatione Clericorum et Mulierum. pag. 16—23.

Titulus III.

De Clericis conjugatis.

pag. 23—32.

Titulus IX.

Ne sede vacante aliquid innovetur. pag. 134—136.

Titulus X.

De iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli. pg. 136—139.

Titulus XI.

De iis quæ fiunt a majori parte Capituli. pag. 139—143.

Titulus XII.

Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. pag. 144—155.

Titulus XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis vel non. pag. 155—162.

Titulus XXVII.

De successionibus ab intestato.

Titulus XXVIII.

De sepulturis. p. 247—267.

Titulus XXIX.

De parochis et alienis parochianis. pag. 267—280.

Titulus XXX.

De decimis, primitiis et oblationibus. pag. 280—290.

Titulus XXXI.

De regularibus et transeuntibus ad religionem. pag. 290—314.

Titulus XXXVII.

De capellis monachorum et aliorum religiosorum. p. 365—396.

Titulus XXXVIII.

De jure patronatus. p. 396—412.

Titulus XXXIX.

De censibus, exactionibus et procurationibus. pag. 412—422.

Index titulorum.



Santi, Francisco, d. 1885.
Praelectiones juris canonici : quas juxta ordinem Decretalium Gregorii IX / tradebat ... Franciscus Santi. -- Ed. tertia emendata et recentissimis decretis accommodata / cura Martini Leitner. -- Ratisbonae ; Neo Eboraci : F. Pustet, 1898-1899.
5 v. in 2 ; 22 cm.

1. Catholic Church. Pope, 1227-1241 (Gregorius IX)/Decretales. 2. Canon law--Inte[redacted]construction.
I. Leitne[redacted]-1929.
II. Titl[redacted]

